PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

II




SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

II



BIBLIOTECA
DE
AUTORES CRISTIANOS

Declarada de interés nacional

LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. AP. 466

MATRITI • MCMLV

PROFESSORES SOCIETATIS IESU
FACULTATUM PHILOSOPHICARUM
IN HISPANIA

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

Ad mentem Constitutionis Apostolicae
"Deus scientiarum Dominus"

I

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

INTEGRUM OPUS TRIBUS VOLUMINIBUS CONSTAT:

Vol. I. Introductio in Philosophiam. Logica. Critica. Metaphysica generalis.

Vol. II. Philosophia naturalis, seu Cosmologia, et Psychologia Speculativa

Vol. III. Theodicea. Ethica.

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

II

COSMOLOGIA. PSYCHOLOGIA SPECULATIVA

AUCTORIBUS

P. IOSEPHO HELLIN, S. I.

IN FAC. MATRITENSI PROFESSORE

P. FERDINANDO M. PALMES, S. I.

IN FAC. BARCINONENSI PROFESSORE

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

MATRITI • MCMLV

NIHIL OBSTAT:
Dr. A. DE LUCAS,
Censor.

IMPRIMI POTEST:
M. OLLEROS, S. I.
Praep. prov.

IMPRIMATUR:
† IOSEPHUS MARIA,
Ep. aux. y Vic. gen.
Matriti, 2 iulii 1955.

Rivadeneyra, S. A.—Paseo Onésimo Redondo, 26.—Madrid.

INDEX GENERALIS

TRACTATUS II

Psychologia speculativa

PAG.

PAG.

Pag.

INDEX THESEON

Ex Psychologia

SIGLA ET BREVIATIONES

AAS	Acta Apostolicae Sedis.
Anton	Antonianum, Roma.
ArchPhil	Archives de Philosophie, Paris.
BAC	Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid.
DM	Disputationes Metaphysicae, FRANCISCI SUÁREZ.
DTC	Dictionnaire de Théologie Catholique, A. VACANT, E. AMAN, Paris.
DzB	H. DENZINGER, C. BANTWART, C. UMBERG: Enchiridion Symbolorum.
GidiMet	Giornale di Metafisica, Torino.
Greg	Gregorianum, Roma.
ML, MG	J. P. MIGNE, Patrologiae Cursus completus. Series prima latina. Series secunda graeca, Paris.
Pen	Pensamiento, Madrid.
PhJahr	Philosophisches Jahrbuch, Fulda.
RevPhilL	Revue Philosaphique de Louvain.
RevQSc	Revue des Questions Scientifiques, Louvain.
RevScPhTh	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques, Le Saulchoir, Belgique.
Sap	Sapientia, Revista Tomista de Filosofía, Eva Perón, La Plata.
Schol	Scholastik, Freiburg b. Brisg.
VerdVid	Verdad y Vida, Madrid.

TRACTATUS I

Cosmologia

AUCTORE

P. IOSEPHO HELLÍN, S. I.

PROLOGUS

Intendimus tradere corpus doctrinae cosmologicae accommodatum scholis Facultatum Ecclesiasticarum, non autem detegere aliquid ineditum. Tractatus noster erit utilis praeprimis alumnis in parandis lectionibus et examinibus. Ideo defendemus doctrinam traditionalem quae praeparet ad theologiam et conducat ad intelligendos libros et controversias scholasticorum antiquorum. Ideo etiam convenientem brevitatem sectabimur. Simul tamen cum doctrina traditionali debuimus admittere quasdam conclusiones, quae scientiae positivae videntur cum magno fundamento comprobasse, praesertim circa discontinuitatem materiae, circa structuram quanticam et electronicam multarum virium; et aliquas modificationes introduximus in compositione hylemorphica, ne videremur ignorare aut negligere facta scientifica.

Multi desiderant in libris nostris didacticis controversias sinceras et vivaces cum systematibus oppositis, ut appareat nos doctrinam vivam docere et non mortuam et sepultam. Sed si lector bene attendat, videbit nos in forma pacifica et sub schemate frigido obiectionum et responsionum, agitare controversias gravissimas et actuales circa leges dynamicas, circa vires non pure motrices, circa motum et circa miracula, etc., eisque a nobis dari solutiones valde rationabiles.

Neque solum prospicimus utilitati immediatae, quae est in praeparatione scholarum et examinum, sed etiam utilitati magis remotae. Dabimus enim copiosam bibliographiam ut possint fieri lucubrationes profundiores circa has materias. In qua bibliographia citatur Aristoteles, S. Thomas, Scotus et Suárez; et praeterea quaedam encyclopaedia philosophica insignis, quae vix parem habet, composita a P. I. Ios. Urráburu, S. I. Sed praeter hos magistros veteres citamus etiam auctores recentiores philosophos et scientificos, eorumque li-

bros et articulos, ut videre est in bibliographia non brevi quam in introductione contextimus, § 8.

Cognitio scientiarum positivarum est adeo necessaria cosmologo, ut sine illa non possit penetrare sensum plenum problematum philosophicorum, et ea apte solvere. Ideo Constitutio *Deus scientiarum Dominus* et Ordinationes adiunctae praecipiunt ut in cursu ad Licentiam explicentur quaestiones scientificae cum Philosophia coniunctae (AAS 23,1931). Non tamen necesse est ut liber, qui tradit doctrinam cosmologicam, tradat etiam scientias ipsas positivas: hoc enim et confusionem gigneret et brevitatem, quam sectamur, impediret. Sufficit ut hae disciplinae scientificae aliunde sint cognitae, et ut nos breviter indicemus fundamenta scientifica nostrarum conclusionum. Ceterum, ut pars scientifica pro dignitate extendi amplius possit, remittimus frequenter ad opus egregium compositum a P. Riaza, S. I., cuius titulus est *Ciencia moderna y Filosofía* (BAC, Madrid 1953).

Maximas gratias habemus et agimus iis qui nos consilio et eruditione adiuverunt, praesertim P. Puigrefagut, Professori Cosmologiae in Facultate Philosophica, S. I., quae est in S. Cugat del Vallés prope Barcinonem, et P. A. Due, qui est Director Speculae astronomicae granatensis. Neque silentio praetereundi sunt nostri alumni, qui sua sollicitudine manuscriptum curarunt.

Faxit Deus ut notitia Cosmologiae, sicut et omnis scientiae, perducat nos ad maximam cognitionem et laudem Creatoris.

Matriti, die 1 novembris 1954.

IOSEPHUS HELLÍN, S. I.

INTRODUCTIO

De ipsa scientia Cosmologiae

Cum indoles alicuius scientiae describenda est, haec solent agitari: 1. Notio eius. 2. Locus in divisione scientiarum. 3. Relatio eius cum aliis scientiis. 4. Methodus. 5. Divisio et ordo tractationis. 6. Historia disciplinae. 7. Bibliographia generalis: quae omnia breviter circa Cosmologiam tractabimus.

§ 1. De notione Cosmologiae

1. Cosmologia est pars Philosophiae Naturalis seu Physicae[1] antiquorum. Philosophia Naturalis est scientia philosophica de corporibus, et dividitur in duas partes seu capitula principalia: prima pars est de corporibus inorganicis, et de his quae organica habent communia cum inorganicis, ut sunt extensio, impenetrabilitas, etc.; et secunda pars est de corpore vivente. Prima pars vocatur recenter Cosmologia, et secunda pars vocatur Psychologia.

Cosmologia igitur secundum vim nominis (a cosmos et logos) est scientia de mundo corporeo; et secundum realitatem[2] est scientia philosophica de mundo anorganico, et de his, quae organica habent communia cum inorganicis, ut est impenetrabilitas, locus, extensio, etc. Quae definitio paulo amplius est explicanda.

2. *Scientia* est cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita. Sed scientia duplex est: alia *quia,* seu a posteriori, et alia *propter quid,* seu a priori. Prima demonstrat exsistentiam rei, si non est per se evidens, et insuper

---

[1] Mansion, A., *La Physique aristotélicienne et la Philosophie:* RevNeoscPhil 39 (1936) 5-26.

[2] Arist., 5 *Metaph.,* c.1; St. Thom., ibid., et *In 1 Physic.* lect.1; Descoqs, *Essai sur l'hylemorphisme,* p.46-63; Jacques Maritain, *La Philosophie de la nature. Essai critique sur ses frontières et son objet* (Paris 1935, hisp. 1945); Saintonge, *Summa Cosmologiae.*

ostendit quaenam sit essentia rei ex effectibus et proprietatibus; secunda autem, praesupposita iam cognitione exsistentiae rei et essentiae eius, demonstrat a priori, i.e. ex essentia iam cognita, proprietates, quae nondum a posteriori cognoscebantur, et explicat quomodo illae proprietates quae iam cognoscebantur, deriventur necessario ex essentia.

Cosmologia utitur hac duplice demonstratione, sed praesertim a posteriori: nam praecipue conatur acquirere cognitionem essentiae corporum, et postea valde obiter, explicat quomodo proprietates cognitae necessario deriventur ex essentia iam cognita.

Dicitur scientia *philosophica:* quia intendit investigare essentiam corporum per causas proportionate ultimas, quod est officium Philosophiae: non igitur intendit solummodo describere facta et statuere leges eorum, sed insuper intendit praecipue cognoscere essentiam corporum.

De mundo corporeo. Mundus multiplici sensu accipi potest. Primo, mundus est universitas hominum malorum et dictaminum malorum. Secundo, mundus est universitas rerum creatarum, visibilium et invisibilium. Tertio, mundus est solum universitas rerum sensibilium et corporearum. Et in hoc sensu accipimus hic mundum: est universitas corporum, secundum quod sunt corpora seu naturae diversae, et secundum quod haec corpora habent quamdam unitatem propter ordinationem et dispositionem mirabilem.

Et inorganico. Cosmologia enim, prout distincta, a Psychologia, tractat de corporibus, prout habent proprietates et causas, quae non superant materiam; dum psychologia tractat de corpore vivente in quantum habet proprietates et causas intrinsecas et extrinsecas quae superant materiam.

Secundum causas proportionate ultimas. Agit enim de causis corporum quae sint propriae et characteristicae corporum: et sic agit de materia et de forma, quae sunt causae intrinsecae ultimae; item agit de causis extrinsecis ultimis corporum, in quantum sunt corpora; et quia corpora oriuntur et pereunt per generationem et corruptionem, tractat de causis generationis et corruptionis, quae sunt vires et energiae naturales mundi. Unde proprie loquendo non agit de causa extrinseca absolute ultima mundi, quae est Deus; haec enim causa non est propria et characteristica corporum, sed entis contingentis ut talis; ideoque de hac causa absolute ultima solummodo debet tractari in ea scientia, quae agit de ente ut est ens, et de divisionibus communissimis entis, ut sunt ens

necessarium et contingens: illa autem scientia est Metaphysica, et pars eius praecipua est Theodicea. Ibi quaeritur de causa entis contingentis, et dicitur esse ens necessarium et quidem per creationem ex nihilo. Sed tamen obiter, et differentes maiorem explicationem ad Theodiceam, agemus etiam hic de causa absolute ultima extrinseca mundi, quae est Deus.

3. Hinc patet quodnam sit *obiectum formale quod* (seu obiectum materiale primarium, seu subiectum), huius scientiae, et *obiectum formale quo,* in ratione finalitatis et in ratione abstractionis a materia [3].

Nam *obiectum materiale primarium* est corpus naturale, non mathematicum. Corpus naturale est corpus prout est substantia radicans proprietates sensibiles, et habens determinatas causas ultimas intrinsecas, ut sunt materia et forma. Corpus mathematicum est corpus secundum quod est trina dimensio et in quantum est extensio discreta et continua.

Obiectum *formale quo* in ratione *finalitatis;* est illa cognitio, quam haec scientia vult obtinere de obiecto; illa autem cognitio est cognitio essentiarum per causas ultimas intrinsecas et per causas extrinsecas proportionate ultimas, ut sunt vires quae causant generationem et corruptionem.

Obiectum *formale quo* in ratione *abstractionis* a materia, est primus gradus abstractionis.

Obiectum enim scibile debet esse abstractum a nostra experientia, quae est directe de rebus materialibus: secus solum cognosceremus singularia sensibilia ad modum brutorum. Iam vero abstractio a materia est triplex: Primus gradus praescindit solummodo a singularitate, et retinet omnes proprietates sensibiles: et haec abstractio dat nobis obiectum Philosophiae Naturalis et consequenter etiam Cosmologiae. Secundus gradus abstractionis est a singularitate et proprietatibus sensibilibus, et sic obtinetur obiectum Mathematicae, quod est trina dimensio, seu extensio discreta (in arithmetica) aut continua (in geometria). Tertius gradus abstractionis est ab omni materia, et sic retinetur ens quod potest verificari in spiritu, sive possit etiam verificari in materia (sicut substantia, accidens, qualitas, relatio, actio) sive non possit verificari in materia (sicut est angelus, Deus, spiritus): et hoc est obiectum Metaphysicae.

Cosmologia ergo constituitur per primum gradum abstractionis, ideoque respicit obiectum in quantum cadit sub

---

[3] J. H., *Theol. Nat.* (BAC, Madrid 1950) n.3-5.

hoc gradu abstractionis, qui est proprius Philosophiae Naturalis ideoque et Cosmologiae, neque est proprius alius scientiae.

4. Aliae circumferuntur definitiones Cosmologiae quae breviter indicandae sunt. Sic Scholastici non pauci *definiunt* Cosmologiam ut scientiam philosophicam de ente mobili. Sed quid significat ens mobile? Si significat mutabile, tunc Cosmologia erit scientia de omni ente contingente spirituali et corporali, quia haec omnia sunt mutabilia. Si significat ens mutabile mutatione physica et corporea, tunc idem est dicere Cosmologiam esse scientiam de ente mobili et de ente corporeo, sicut nos definivimus [4].

Alii *definiunt* Cosmologiam sic: "est systematizatio scientiarum, eas tractans sub aspectibus syntheticis". Haec definitio est positivistarum, kantianorum et pragmatistarum, qui putant nos de rerum essentiis nihil posse cognoscere.

Alia *definitio* est: Cosmologia est historia investigationis scientificae recentioris. Sic ABEL REY et alii putant nos non posse cognoscere aliquid reale sed solum aliquid mere subiectivum, qualis est investigatio ipsa; et arbitrantur hanc investigationem subiectivam, ut eventum historicum, esse unicum obiectum scientiae [5].

§ 2. Locus Cosmologiae in divisione scientiarum

5. Ex dictis patet Philosophiam naturalem, ideoque et Cosmologiam esse partem Philosophiae. Philosophia enim est scientia rerum omnium per causas proportionate ultimas naturali lumine comparata: Cosmologia autem agit de essentia corporum per causas proportionate ultimas, et quidem naturali lumine. Non vero est pars Metaphysicae, quia Metaphysica habet pro obiecto ens in quantum est abstractum a materia secundum esse, i. e., ens in quantum potest verificari in spiritu, sive etiam possit verificari in materia sive non possit: Cosmologia autem non habet pro obiecto ens immateriale [6].

---

[4] Definiunt Cosmologiam, vel potius Philosophiam Naturalem ut scientiam de ente mobili: Conimbricenses (*Physicor.*, q.14 prooem. a.1); Complutenses; alii vero dicunt esse scientiam de corpore mobili, ut AVICENNA, et interdum ita etiam loquitur S. THOMAS (in 1 *De caelo et mundo*, in prooem.). Cf. URRÁB., p.8-10.

[5] ABEL REY, *La Philosophie moderne* (Paris 1908) p.1-32; et NYS, *Cosm.*, I, p.42.

[6] J. H., *Theol. Nat.*, n.11.

Haec est doctrina satis fundata antiquorum, iuxta quos sic dividebatur Philosophia:

Philosophia practica ...	Logica, de actibus intellectus ut dirigendis ad veritatem.	
	Ethica, de actibus voluntatis ut dirigendis ad beatitudinem.	
Philosophia speculativa.	Philosophia Naturalis, seu Physica.	Cosmologia. Psychologia.
	Metaphysica	Ontologia. Theodicea.

Recentes autem, sequentes WOLF, dicunt Cosmologiam esse Metaphysicam specialem. Nam dicunt Metaphysicam esse scientiam de ente, et consequenter de omnibus divisionibus entis: et ita statuunt Metaphysicam Generalem, quae agit de ente ut sic; et Metaphysicam specialem multiplicem iuxta diversas divisiones entis: et sic scientia philosophica de corporibus, seu cosmologia, est Metaphysica specialis; et Psychologia, et Theodicea, et Pneumatologia sunt aliae partes Metaphysicae specialis.

§ 3. Relatio Philosophiae naturalis cum scientiis positivis

6. BERTEN, ANDRÉ, *Quelques problèmes récents de Philosophie des sciences:* RevNeosPhil 42 (1939) 5-39; LOUIS DE BLOGIE, *Au delà des mouvants limites de la science:* RevMétMor 52 (1947) 277-289; COLMANT, P., S. I., *Sciences et Métaphysique:* RevQuestScient (1922) p.427; PIERRE DUHEM, *La Théorie Physique* (Paris 1906); ECHARRI, J., S. I., *Racionalidad propia de las ciencias:* Pens 7 (1951) 147-167; IDEM, *Dualismo de la experiencia y teoría en la Física:* Pens 9 (1953) 29-45; IDEM, *¿Se da experiencia microfísica?:* Pens 10 (1954) 83-88; EDDINGTON, *La nature du monde physique* (Paris 1929); GIACON, CARLO, *Scienze e Filosofia: relazioni del IX Congresso del centro di studi Gallarate,* de 1953: GiorndiMeta 9 (1954) 198-210; IDEM, *Scienze et Filosofia. Studi et saggi storici* (Como 1946); GORCE, *Science moderne et Philosophie médiévale* (Paris 1938); HOURCADE, R., *Spéculation métaphysique et progrès scientifique:* Bull. de litt. ecclés. (1912) 1ss.; LUYTEN, J. M., O. P., *Cosmologie et Philosophie scientifique:* RevPhilLov 50 (1952) 587-602; MANSER, G. M., O. P., *Die Naturphilosophie des Aquinaten und die alte und modern Physik:* DivTh (Fr.) (1938) 3-14; MARITAIN, J., *La philosophie de la nature. Essai critique sur ses frontières et son objet* (Paris 1947); PUIGREFAGUT, R., S. I., *Una nueva filosofía de la ciencia:* Pens 3 (1947) 427-443, et 4 (1948) 27-38; RENOIRTE, FERNAND, *Physique et Philosophie:* RevNeoscPhil 39 (1936) 51-63; REY, ABEL, *La théorie de la Physique chez les physiciens contemporains* (Paris 1923); SALMAN, DOMINIQUE H., O. P., *La conception scolastique de la Physique:* RevNeoscPhil 39 (1936) 27-50; IDEM, *De la méthode en Philosophie naturelle:* RevPhilLov 50 (1952) 208-229; IDEM, *Science et Philosophie naturelle:* RevScPhilTheol 37 (1953) 609-643; SIMON YVES, *La science moderne et la Philosophie:* RevNeoscPhil 39 (1936) 64-77; SMITH, V. E., *The philosophical frontiers of Physics* (Washington 1947); IDEM, *Philosophical Physics* (New York 1950); VOUILLEMIN, *Qu'est-ce au fond que la science?* (Paris 1924); DUBARLE, L. O., O. P., *La connaissance scientifique et la Cosmologie:* Actas del Congreso internacional de Filosofía de Barcelona (Madrid 1948) t.2 p.3-44.

7. *Et primo quaeritur de differentia Philosophiae Naturalis ab scientiis positivis,* quae agunt etiam de corporibus, ut sunt Physica, Chimica, Astronomia, Geologia, Crystallo-

graphia, etc. Et respondetur: differentia non est circa obiectum formale quod, seu circa obiectum materiale primarium, quae sunt corpora; neque circa obiectum formale *quo* in ratione gradus abstractionis, qui est primus; sed certe differt magnopere ab eis obiecto formali *quo* in ratione *finalitatis:* Cosmologia intendit cognitionem essentiae corporum et causarum generationis et corruptionis, scientiae autem positivae non intendunt investigare essentiam corporum, neque investigare causas generationis aut corruptionis, neque intendunt probare exsistentiam qualitatum quae sint activae et elicitivae actionum. Ab omnibus his scientiae voluntarie praescindunt, et solum intendunt tria haec: *primo* describere bene phaenomena seu facta; *secundo* statuere leges et mensuras secundum quas haec facta praevideantur et explicentur, *tertio* construere theorias et hypotheses. Theoriae autem non statuunt essentias rerum, sed alia phaenomena aut facta generaliora hypothetica, quibus facta et leges particulares explicentur. Hae hypotheses seu facta generaliora et hypothetica vocantur ab aliquibus causae proximae factorum et legum, sed sunt causae proximae solum nomine tenus: sunt enim quaedam antecedentia post quae sequuntur modo invariabili alia facta particularia, et quidem iuxta determinatas mensuras, v. c. combinatio talis fit solum in tali et tali quantitate et in tanto tempore, et cum tanta productione caloris, etc.

Et ratio prima huius differentiae est quia sine dubio inter Philosophiam Naturalem et scientias aliqua differentia statuenda est; iam vero differentia non est in obiecto formali quod, seu in obiecto materiali primario, quae sunt corpora; neque in gradu abstractionis; ergo solum potest esse differentia in ratione finalitatis, quae in philosophia est investigare essentias rerum et causas veras, sive proximas sive remotas, et in scientiis positivis finis est solum describere phaenomena, statuere leges seu regulas fixas iuxta quas facta eveniunt, et denique statuere theorias et hypotheses, quibus haec facta et leges particulares explicentur.

Secunda ratio est quia, investigare phaenomena sub ratione praedicta, est finalitas digna quae ab aliqua scientia intendatur; illa autem finalitas non est propria philosophiae, quae investigat essentias rerum per causas proportionate ultimas; ergo est propria scientiarum positivarum.

Tertia ratio est quia ipsi scientifici magis insignes dicunt scientias positivas nihil amplius intendere nisi ut bene

describant phaenomena et statuant leges factorum et statuant theorias explicativas, ut videre est apud RENOIRT, *Critique des sciences* (1945, p.109-114). En aliqua testimonia:

HENRICUS POINCARÉ (1854-1912): "Quand on dit que la force est la cause du mouvement, on fait de la métaphysique...: pour qu'une définition puisse servir à quelques chose, il faut qu'elle nous apprenne à mesurer la force; celà suffit d'ailleurs, il n'est nullement nécessaire qu'elle nous apprenne ce que est la force en soi, ni si elle est la cause ou l'effet du movement" *(Science et Hypothèse* [Paris, Flammarion, 1912] p.120).

P. PAINLEVÉ (1863-1933): "La science d'Aristote comme celle des scholastiques qu'en dérive, était presque exclusivement qualitative et descriptive; la science d'aujourd'hui est une science qui mesure et qui prédit" *(De la Méthode dans les sciences,* ouvrage en collaboration [Alcan, Paris 1915] p.73).

M. PLANCK (1858-1940): "On serait tenté d'en conclure que le theoricien ferait mieux de se borner à l'étude des faits, c'est à dire, aux résultats de mesures" *(La nature de la lumière* [Paris, Blanchard, 1927] p.29, 16).

A. EDDINGTON (1882-1944): "L'ensemble de nos connaissances physiques est basé sur des mesures... Le monde physique consiste, pour ainsi dire, en grouppes de mesures reposant sur un fond obscur qui se trove en dehors du domaine de la physique" *(La nature du monde physique* [Paris 1929] p.349). Et idem: "la limitation du domaine de la physique a des lectures de graduations et autres mesures n'est pas une rêverie philosophique de mon invention, c'est essentiellement la doctrine scientifique courante... La constatation que notre connaissance des objets que traite la physique consiste uniquement en lectures de cadrans et appareils analogues, modifique radicalement notre idée de la connaissance physique. Il n'y a pas longtemps encore on admettait que nous avions une connaissance de nature beaucoup plus intime des entités du monde extérieur. Dans la science nous étudions la liaison de lectures de cadrans avec d'autres lectures de cadrans" (ibid., p.349; cf. p.255-262).

Eodem modo loquuntur P. BOUASSE (ortus 1866), J. TANNERY (1843-1904), A. EINSTEIN (ortus 1879), R. A. MILLIKAN (ortus 1868), G. URBAIN (1872-1938), etc.

8. *Quaeritur secundo, de dependentia Philosophiae ab scientiis.* Distinguendum est. Nam scientia continet et facta certa, et leges etiam certissimas, et hypotheses seu theorias. Et quidem Cosmologia dependet ab scientiis, in quantum hae subministrant facta certa et leges certas et immobiles, eodem modo ac dependet ab experientia vulgari, nam ex his factis et legibus arguimus ad essentias rerum. Si autem agatur de hypothesibus, subdistinguendum est: nam aliae hypotheses non intendunt dare structuram realitatis, sed solummodo quasdam suppositiones symbolicas, quibus positis bene unificantur facta et leges cognitae, et praevidentur alia fac-

ta et leges incognitae. Aliae vero hypotheses intendunt dare nobis structuram realitatis. Et sic hypothesis symbolica est illa hypothesis circa collocationem atomorum in compositis carbonis; hypothesis vero realistica est theoria electronica et discontinuitas materiae. Primae hypotheses non aestimandae sunt in construenda Cosmologia; sed secundae hypotheses possunt aestimari ut probabiles, et possunt conferre ad statuendas conclusiones etiam probabiles in Cosmologia.

Quare ad illam quaestionem celebrem, *utrum Philosophia Naturalis* dependeat (conditionetur) ab scientiis an non, respondendum est: sunt quaedam theses fundamentales, quae nequaquam pendent ab scientiis, ut sunt illae quae bene fundantur in experientia vulgari: tales sunt quaestiones circa exsistentiam qualitatum activarum, circa exsistentiam verae causalitatis, circa realitatem motus et temporis, circa fundamentum ad spatium absolutum concipiendum, circa mutationes substantiales saltem in organicis, etc. Sed circa alia multa habentur quaestiones disputabiles, et in illis Cosmologia potest multum discere ab scientiis, v. c. circa discontinuitatem materiae, circa actionem in distans, circa mutationes substantiales in synthesi elementorum et in analysi mixti anorganici, etc.

9. *Quaeritur tertio, utrum scientiae positivae dependeant a Cosmologia et a Philosophia generatim.* Et respondendum est cum distinctione. Nam in scientiis adhibentur frecuentissime principia universalissima entis; sunt praeterea conclusiones particulares, ut de legibus phaenomenorum. Et patet scientias dependere a Philosophia quoad principia prima, quae in Philosophia explicantur et defenduntur. Quoad leges autem dynamicas dependent a Philosophia ut a norma negativa, non ut a norma positiva. Dependent a Philosophia ut a norma negativa: quia philosophia, ex datis scientiae concludit dari leges necessarias et dynamicas fundatas in necessitate essentiarum et in valore inductionis, et has leges non potest negare scientia; secus irrationabiliter agit, negans veritatem in scientia superiore demonstratam. Sed non pendent ut a norma positiva. Scientiae enim penderent a Philosophia ut a norma positiva, si deberent probare leges dynamicas et necessarias ex immutabilitate essentiarum et ex valore inductionis, quod est proprium Philosophiae; iam vero hoc non debent demonstrare scientiae, quia ab essentiis et a valore inductionis praescindunt; ergo non pendent a Phi-

losophia ut a norma positiva. Quare scientia solum potest demonstrare per se leges statisticas. Leges autem dynamicas ex se non potest probare, neque negare, sed si rationabiliter agit, debet eas admittere ut demonstratas in scientia superiore.

§ 4. Methodus Cosmologiae seu Philosophiae Naturalis [7]

10. Methodus praecipue est a posteriori. Nam licet Cosmologia sit pars Philosophiae, et Philosophia sit scientia perfecta et propter quid, sed tamen prius cognoscenda est bene essentia corporum, et hoc non potest fieri nisi per effectus et proprietates, ideoque per argumentationem a posteriori. Postea, cognita iam essentia corporum a posteriori, possumus ex ea a priori deducere novas proprietates corporum, vel saltem explicare quomodo proprietates iam cognitae necessario ex ea deducantur. Sed hoc vel nullo modo vel obiter fieri solet: nam licet utilissime deberet ostendi quomodo ex compositione ex materia et forma, quae est essentia physica corporum, sit possibilis mutatio substantialis, et quomodo necessario corpora habeant potentias seu qualitates activas distinctas realiter a substantia, et quomodo necessario debeant habere quantitatem et occupare spatium et habere locum et ubi, etc., sed tamen haec omnia praesupponuntur nota ex experientia, et ut facta ex quibus arguimus ad cognoscendam essentiam corporum, et ideo non iterum considerantur ut explicabiles a priori ex essentia.

Et in hoc differt Philosophia Naturalis a Metaphysica, quia in hac methodus praecipue est a priori; statuta enim a posteriori essentia entis ut sic, vel entis necessarii aut contingentis, deducuntur a priori proprietates entis ut sic, et proprietates entis necessarii et proprietates entis contingentis.

§ 5. De utilitate Cosmologiae

11. Licet dignitas Cosmologiae non est maxima, sed minima inter disciplinas philosophicas, tamen non est despicienda. Cosmologia enim dat nobis perfectiorem cognitionem quam experientia vulgaris aut scientiae positivae, et ideo

[7] GARAGNANI, AGOSTINO, S. I., *Immobilità e progresso nella filosofia scolastica:* Greg 1 (1920) 148-154.

valde adiuvat ad ascendendum ad Deum ex creaturis, et ad cognoscendam eius sapientiam et potentiam. Iuvat etiam ad scientias veluti naturali complemento perficiendas per designationem ultimarum causarum, quas scientiae positivae non possunt designare. Denique declarat multas notiones quae cum Theologia cognationem habent, ut sunt distinctio quantitatis a substantia, eius effectus formalis, compenetratio, replicatio, leges naturae, miraculum, natura conversionis physicae.

§ 6. **Divisio Cosmologiae**

12. Cosmologia est scientia philosophica de mundo anorganico. Mundus vero anorganicus est illa congeries corporum quae dispersa per immensa spatia, multiplici gradu dependentiae colligata sunt. In hac definitione habetur materia mundi et forma mundi. Materia mundi sunt diversa corpora seu naturae sensibiles quae sunt dispersae per immensa spatia. Forma vero est connexio et unitas consistens in multiplici relatione dependentiae. Consequenter Cosmologia dividitur in duas partes: prima aget de corporibus seu naturis sensibilibus distributive sumptis; secunda pars aget de corporibus ut sunt collectio seu unitas quaedam. Sed in corporibus distributive sumptis, debemus investigare essentiam, et ad hoc debemus procedere ex proprietatibus sive staticis sive dynamicis, et ideo prima pars dividetur in tres libros: primus aget de proprietatibus staticis corporum, secundus de proprietatibus dynamicis corporum, tertius de essentia seu constitutivis corporum. Secunda autem pars, quae agit de mundo universim sumpto, constituet librum quartum, et aget de characteribus mundi et de causis ultimis extrinsecis mundi. Opus ergo constabit quatuor libris, qui sunt:

Liber I, de proprietatibus staticis corporum;
Liber II, de proprietatibus dynamicis corporum;
Liber III, de essentia physica corporum;
Liber IV, de mundo universim sumpto.

§ 7. **Historia Cosmologiae**

13. EMILE BREHIER, *Histoire de la Philosophie*. I,II (hisp. Bs. As. 1942); COPLESTON, F., S. I., *A History of Philosophy* (London 1950-54) vol. 1.2.3; PAUL JANET et G. SEAILLES, *Histoire de la Philosophie. Les problèmes et les écoles* (Paris 1932); KLIMKE, FRID, S. I., *Institutiones historiae Philosophiae* (Romae Friburgi 1923; hisp. Labor, 1947); RAEYMAECKER, L. DE, *Introductio generalis in Philosophiam et Thomismum* (Louvain 1934; gall. ibid., 1938); SCHAAF, HENRICUS, S. I., *Historia Philosophiae graecae* (Romae 1912); UEBERWEG, FRID, *Grudriss der Geschichte der Philosophie* (ed. coepta anno 1926).

14. *Aetas Antiqua.* Initio philosophi angebantur circa problema de eodem et diverso, de permanente et alterato, brevi, de uno et multiplici in mutationibus. Videbant enim mutationes constantes in quibus lignum, v.c. fit carbo, aër, cineres et terra, et alias mutationes in quibus aër et cinis et terra convertitur in lignum, etc. Unde est aliquid unum permanens quod successive fit multa: quomodo est possibile aliquid esse idem et diversum per mutationes?

Plerique admittebant in solutione problematis, realitatem identici et diversi; et identitatem explicabant, quia datur materia quaedam homogenea sub omnibus illis mutationibus; alterationes autem seu mutationes explicabant solum per motum localem; huic debentur diversae mutationes, quae non consistunt nisi in diversa aggregatione earumdem particularum materiae. Est theoria mechanicismi puri: per materiam et motum localem omnia phaenomena explicantur.

Sic THALES milesius (640-548 a. C.) ait materiam illam homogeneam esse aquam. ANAXIMANDER (610-547 a. C.) ait illam materiam esse aliquid indeterminatum (to infinitum), sparsum per spatium infinitum. ANAXIMENES (588-524 a. C.) voluit illam materiam esse aërem. EMPEDOCLES (495-435 a. C.) dicit materiam illam proxime esse quatuor elementa, quae sunt aer, terra, aqua, ignis; sed quoniam haec eadem elementa constant atomis homogeneis, differentibus solummodo figura et motu, ideo tandem ait materiam illam homogeneam esse atomos cum diversa figura, dispositione et motu. ANAXAGORAS (500 a. C.) docuit materiam illam homogeneam esse atomos diverso modo dispositas, in quo coincidit cum EMPEDOCLE, sed ab eo differt, quia illa dispositio atomorum non est mere casualis, sed directa ab Intelligentia separata [8], de cuius natura nihil amplius dicit. DEMOCRITUS (460 a. C.) inculcat magis adhuc uniformitatem materiae universae, eamque dicit esse atomos increatas, ornatas motu diverso,

[8] *De Anaxagora, Domingo Mayor, Problemas sobre Anaxágoras:* Pens 10 (1954) 275-286.

nempe ad perpendiculum et cum declinatione quadam, ut possint collidi et coalescere in diversa corpora; etiam admittit spatium, in quo haec materia movetur, esse infinitum, et asserit aggregationes diversorum corporum resultare solum casu, non autem esse opus alicuius intelligentiae.

15. Atque hi omnes in solvendo problemate de eodem et diverso admiserunt permanentiam materiae, quae successive diversis modis aggregaretur. HERACLITUS vero non admisit permanentiam seu identitatem ullam, sed solum diversitatem: *panta rhei,* omnia fluunt, dicebat. Non datur nisi perpetuus motus aut fieri aut devenire sine ullo subiecto motus. Illud autem *devenire* vocavit ignem, quia imitatur ignem, cuius natura est continuo fieri et interire, ut patet experientia. Permanentia autem rerum est mera illusio. *Nemo immergitur bis in eadem aqua fluminis,* aiebat. Ad quod respondetur; eadem aqua successive tangit diversas partes alvei, et eadem pars alvei tangitur successive a diversis partibus aquae: unde datur identitas alvei et aquae, et diversitas praesentiarum eiusdem aquae ad alveum, et eiusdem alvei ad diversas aquas.

16. Ad problema de eodem et diverso addidit PARMENIDES problema de uno et multiplici simultaneo. Et asseruit duo: *primum* impossibile est sustinere et identitatem et diversitatem eiusdem rei in mutationibus. Nam, a) Si res est eadem, non mutatur nec diversificatur ab anteriore; et si mutatur, seu alteratur et diversificatur, non permanet eadem. b) Item si aliquid mutatur, fit aliquid de novo, et hoc est impossibile: quia vel illud novum fit de ente vel de non ente; de ente non fit, quia iam est ens; et de non ente non fit, quia de nihilo, nihil fit. c) Tandem dicebat ens esse intelligibile cum claritate et evidentia; sed de permanentia sub diversitate non possumus habere ideam claram; *ergo* non datur permanentia et diversitas.

Secundum eius assertum fuit, impossibile esse dari plura entia, sed unum solum datur. Nam si plura essent, aut distinguerentur ente aut non ente. Non possunt distingui ente, quia in ente conveniunt; non possunt distingui non ente, quia distingui non ente est non distingui. Datur ergo perfecta unitas, quia neque datur mutatio rei unius in alias res, neque datur pluralitas ulla rerum simul.

17. ARISTOTELES (334 a. C.) optime solvit aporias PARMENIDIS in problemate *de eodem et diverso successivo,* in-

nixus in theoria de potentia et actu. Et ad *primam* aporiam dixit rem esse eamdem quoad materiam, et esse diversam quoad formam; et ita res est eadem et diversa sub diversis respectibus. Ad *secundam* aporiam dixit, rem non fieri de ente simpliciter seu completo, neque de non ente simpliciter, quod est omnino nihil; sed fit de ente in potentia, ens in actu, et hoc a causa efficiente proportionata, mota a proportionato fine. Sic statua Socratis fit in actu per artificem qui est causa proportionata ad donandam debitam formam. Ad *tertiam* aporiam respondetur ex doctrina ARISTOTELIS non omnia realia posse intelligi conceptibus immediatis aut univocis, sed multa possunt intelligi conceptibus analogicis; et sic theoriam de potentia et actu intelligimus per analogiam cum materia et forma artificiatorum.

Non minus clare solvit aporiam pertinentem ad secundum problema *de uno et multiplici simultaneo:* nam omnia quidem conveniunt ente, quia in ente sunt similia; sed simul in ente differunt, quia ens est analogum et diversimode dicitur: unde nulla est difficultas quominus res in ente conveniant et in ente differant.

18. PLATO (437-347) ait corpus constare ex non ente et ex forma, seu ex vacuo determinatae figurae, et ex proiectione inani idearum subsistentium in illam figuram seu in illud inane et vacuum. Aliqui voluerunt identificare hanc theoriam cum theoria aristotelica, ita ut μὴ ὂν et vacuum sit materia prima, et proiectio illa idearum subsistentium sit forma substantialis. Sed theoria platonica videtur esse valde diversa a theoria aristotelica. Nam τὸ μὴ ὂν vel non ens et vacuum, est figura quaedam inscripta in illo vacuo, cuius figurae officium est limitare diversa spatia; et proiectio idearum in illam figuram spatialem, est aliquid quod non est vere ens, sed veluti umbra idearum. Tamen aliqui dicunt, iuxta PLATONEM, corpora non esse solam inanem proiectionem idearum susbsistentium, sed esse res veras et solidas, quia, licet inconsequenter procedat, tamen designat causas corporum, et essentiam corporum, eamque explicat dicendo illam esse numeros diverse combinatos. Ut patet sententia Platonis est obscurissima.

19. ARISTOTELES, ut vidimus, admittit et identitatem et diversitatem in mutationibus, et multiplicitatem entium simultaneam, innixus in duplici sua theoria: alia est theoria de potentia et actu, et alia est theoria de analogia entis. Po-

tentia illa in rebus corporalibus vocatur materia prima, et actus vocatur forma substantialis, in mutationibus substantialibus. In his mutationibus datur quadruplex causa: materialis, quae est subiectum permanens sub diversibus modificationibus; formalis, quae est entitas illa secundum quam fit mutatio, v.c. de ligno in carbonem, de cibis in carnes; efficiens est ea quae producit huiusmodi formas substantiales; et causa finalis est ea cuius amore causa efficiens facit illas mutationes. Haec theoria ARISTOTELIS vocatur theoria hylemorphica.

Sectatores hylemorphismi ARISTOTELIS fuerunt in antiquitate, eius illustres commentatores, ut ALEXANDER APHRODYSIAS (200 p. C.), THEMISTIUS (saec. IV p. C.), SIMPLÌCÍUS (saec. VI p. C.). Patres Ecclesiae et scriptores ecclesiastici concipiunt constitutionem corporum ad modum ARISTOTELIS, ut S. AUGUSTINUS l. XII *Confessionum*, et BOETIUS (480-525 p. C.). E contra sectatores mechanicismi DEMOCRITI fuerunt in antiquitate EPÍCURUS (342-270 a. C.) et LUCRETIUS ROMANUS.

20. *Aevum Medium.* Saeculis IX-XII philosophi christiani occidentales admittunt theoriam hylemorphicam aristotelicam, quam tamen non bene intelligebant. Materia enim erant elementa iam in motu, et forma erant diversae proprietates. Sic ALCUINUS, G. DE CONCHIS et Schola Carnotensis. Pauci vix divinabant puram passivitatem materiae, ut RHABANUS MAURUS, GILBERTUS PORRETANUS, et antea S. ISIDORUS HISPALENSIS. Eodem tempore fidelius accedebant ad hylemorphismum aristotelicum AVICENNA (980-1037) et AVERROES (1126-1198).

A saeculo XIII iam melius cognoscitur ARISTOTELES, et illum feliciter explicuerunt et sectati sunt ALEXANDER HALENSIS, S. ALBERTUS MAGNUS, DUNS SCOTUS, S. BONAVENTURA, HENRICUS GANDAVENSIS, et praesertim S. THOMAS AQUINAS.

Saeculis XIV et XV scholastici eandem theoriam fovebant, et inter eos eminuit CAPREOLUS (1380-1444). Saeculis XVI et XVII eandem viam tenebant scholastici, inter quos speciali mentione digni sunt CAIETANUS (1449-1534), SYLVESTER FERRARIENSIS (1474-1528), DOMINICUS SOTO (1494-1560), IOANNES A S. TH. dominicani, et PETRUS FONSECA (1548-1597), VÁZQUEZ (1549-1604), FRANCISCUS SUÁREZ (1548-1617). Saeculo XVII coepit scientia astronomica

cum melioribus methodis et instrumentis excoli; et sic COPERNICUS et KEPLER statuerunt heliocentrismum, contra geocentrismum aristotelicum, quo factum est ut tota philosophia aristotelica despiceretur, et praesertim quod pertinet ad Physicam seu Philosophiam Naturalem et ad hylemorphismum. Postea GALILEUS detexit montes in luna et maculas in sole, ex quo conclusit solem et lunam et astra non esse entia incorruptibilia ut somniarat Aristoteles, sed esse corpora corruptibilia, et exinde maior adhuc contemptum exstitit totius Philosophiae scholasticae, praesertim philosophiae naturalis et hylemorphismi.

Toto hoc tempore vix colebatur mechanicismus DEMOCRITI, licet non defuerit unus aut alter qui eum defenderent, ut sunt G. DE CONCHIS cum Schola Carnotensi (1080-1120), Schola arabica Motecallemim, et postea SENNERT in Germania, BACO A VERULAMO in Anglia, MAGNEN in Italia, GASSENDI in Gallia.

21. *Aetas Moderna.* Sed prae omnibus resuscitavit mechanicismum DEMOCRITI, RENATUS DESCARTES (1596-1650). Hic dicit non dari nisi materiam extensam et motum, et per haec explicari omnia phenomena mundi. Materia est extensa, vel potius non est nisi extensio divisibilis sine fine; ea autem est divisa in particulas valde minutas, non tamen stricte in atomos insecabiles. Motus semper conservatur in eadem quantitate, sed cum diversa distributione, et migrat de corpore in corpus. Addit essentiam materiae esse extensionem, et extensionem esse idem ac spatium; et quia spatium est infinitum, ideo extensio est infinita. Inde etiam concludit spatium vacuum in corporibus repugnare, quia spatium est extensio ideoque non est vacuum sed plenum ens.

Saeculis XVIII et XIX atomismus affirmabatur mere a priori; sed caeculo XX scientifici voluerunt exhibere atomismum ut conclusionem deductam ex experientia, et non ut meram hypothesin. Sed atomismus duplici modo proponitur: primo ut theoria scientifica nihil statuens circa naturam aut essentiam corporum; secundo ut thesis philosophica statuens non dari nisi materiam et motum aut vires quasdam mechanicas, seu pure motrices.

Atomismus scientificus seu chimicus attendit solum ad describenda phenomena, ad mensuras et leges phenomenorum, ad discontinuitatem materiae et ad motum qui est in omnibus his phenomenis: et hic atomismus passim de-

fenditur a scientificis, ut sunt BOUASSE, PAINLEVÉ, EDDINGTON, EINSTEIN, etc. Hic atomismus non est reprehendendus, quia nihil docet contra sanam philosophiam.

Atomismus philosophicus statuit etiam naturam corporum, et duplex est: alius est mechanicista rigidus et alius mechanicista mitigatus seu dynamicus.

Mechanicismus purus dicit non dari in mundo nisi materiam extensam et motum, et per haec explicari omnia phenomena mundi. Sic DESCARTES, SECCHI, DU BOIS REYMON, TYNDALL, TAIT, BALFOUR, STEWART, HELMHOLTZ, SPENCER, BERTHELOT, CURIE, PERRIN, DE BROGLIE, THOMSON, RUTHERFORD, BRAYG, SODDY, ASTON (Ap. NYS, *Cosm.* I p.71-75). Praesertim haec theoria defenditur in hypothesi electronica: nam electrones et protones sunt massa homogenea, et electricitas positiva et negativa est purus motus.

Mechanicismus philosophicus mitigatus, seu atomismus dynamicus dicit dari materiam et vires motrices distinctas a motu. Hae vires sunt intrinsecae et extrinsecae corporibus. Extrinsecae sunt impulsus seu nisus, et intrinsecae sunt vires attractivae et repulsivae in combinationibus et in cohaesione: talis est atomismus TONGIORGI.

22. Praeter has theorias atomicas, temporibus recentibus defensus est etiam dynamismus purus: hic tenet non dari massam, sed solum vires inextensas ad modum substantiolarum simplicium. Haec puncta inextensa distant inter se, agunt mutuo per actionem in distans, et faciunt nobis impressionem extensionis formalis. Sic LEIBNIZ, BOSCOWICH, CARBONELLE, PALMIERI, THOMSON, HARTMANN, CAUCHY.

Denique etiam excolitur recenter theoria energetica. Haec theoria dicit omnia phenomena posse explicari per vires, quae sunt massa, resistentia, extensio, pondus, etc. De se non negat extensionem, sed ab illa praescindit. Sed tamen multi ex energetistis transeunt ex hac praecisione ad negationem massae extensae, et incidunt in purum dynamismum, vel potius in purum phenomenalismum, ut ipse Ostwald et alii.

Saeculis XIX et XX non defuerunt defensores hylemorphismi, ut scholastici LIBERATORE, SANSEVERINO, KLEUTGEN, PESCH, URRÁBURU; et saeculo XX auctores scholastici omnes sunt hylemorphistae, ut HOENEN, REMER-GENY, et reliqui omnes.

23. Ad excolendam philosophiam scholasticam, ideoque et hylemorphismum, multum adiuverunt exhortationes LEO-

NIS XIII et reliquorum Summorum Pontificum usque ad nos. Sed tamen hae commendationes philosophiae scholasticae non sunt absolutae aut sine ulla explicatione ex parte Summorum Pontificum. Nam PIUS XII relate ad Cosmologiam haec habet:

"Hac autem in re (in sequenda doctrina SANCTI THOMAE) nunc minoris videntur esse momenti quaestiones in quibus sub ecclesiastici magisterii ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantumcumque eaedem in philosophicis et theologicis indagationibus et disceptationibus ducendae sunt. Eoque minus nunc (in commendatione SANCTI THOMAE quam facimus) sermo est de illis doctrinarum ad physicam seu ad rerum naturam attingentium opinationibus et formulis, quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant, aut de illarum consectariis, quatenus quidem opiniones illas nostra aetate reperta et inventa humanarum disciplinarum exsuperant et praetergressa sunt, quibus repertis et inventis Ecclesia favet, nedum metuat" (AAS 13 [1946] 387ss.).

§ 8. **Bibliographia generalis**

24. **Auctores clasici:**

ARISTOTELES: *Libri Physicorum, De caelo et mundo, De generatione et corruptione.*
S. THOMAS AQUINAS: *De natura materiae, De Principiis naturae, De mixtione elementorum, Commentaria in libros citatos Aristotelis.*
S. ALBERTUS MAGNUS, praesertim *De caelo et mundo, De anima.*
SCOTUS: *Libri Sententiarum, Libri distinctionum.*
CAIETANUS: *Commentaria in De ente et essentia.*
SUÁREZ: *Disputationes Metaphysicae.*

25. **Auctores scholastici:**

BACKER, DE: *Cosmologia* (Paris 1899).
BALMES, J.: *Filosofía fundamental y elemental.*
CAPREOLUS. J.: *Commentarium in Libros distinctionum.*
COSTER, DE: *Le problème de la finalité* (Louvain 1887).
COTTER, C., S. I.: *Cosmologia* (Boston 1931).
DARÍO, JOS. M., S. I.: *Praelectiones Cosmologiae* (Parisiis 1923).
DESCOQS, P., S. I.: *Essai critique sur l'hylemorphisme* (Paris 1924).
DONAT, JOS., S. I.: *Cosmologia* (Oeniponte, ed.8.ª, 1934).
ESSER, G.: *Cosmologia* (Illinois 1939).
FARGES: *Matière et forme en présence des sciences modernes* (Paris 1888).
FATTA, M.: *Cosmologia* (Milano 1935).
FRANZELIN, JOAN B., CARD., S. I.: *Tractatus de Eucharistiae sacramento et sacrificio* (Roma 1879).
GREDT, JOS., O. S. B.: *Elementa Philosophiae thomistae* (Friburgi 1929).
HAAN, HENR., S. I.: *Philosophia Naturalis* (Friburgi 1898).

HOENEN, PETRUS, S. I.: *Cosmologia* ed.4.ª (Romae 1949).
— *Filosofia della natura inorganica* (Brescia 1949).
HUGON, ED., O. P.: *Cosmologia* (Paris 1911).
JO. A S. THOMA: *Logica. De generatione.*
KLEUTGEN, J., S. I.: *La Philosophie scolastique* (Paris 1869).
LAHOUSSE, G., S. I.: *Praelectiones Metaphysicae specialis* (Lovanii 1899).
LEIPIDI, A., O. P.: *Elementa Philosophiae Christianae* (Lovanii 1879).
LIBERATORE, S., S. I.: *Institutiones Philosophiae* (Prati 1883).
— *Du composé humain* (Lyon 1865).
LORENZELLI, B., CARD., O. P.: *Philosophiae theoreticae institutiones* (Cuggiani 1890).
MANSION, A.: *Introduction à la Physique aristotelicienne* (Louvain 1913).
MAQUART, FR. X.: *Philosophia naturalis* (Paris 1937).
MARITAIN, J.: *La philosophie de la nature* (hisp. Bs.As. 1945).
McWILLIAMS, J. A.: *Cosmology* (New-York 1942).
MARIA, DI, S. I.: *Philosophia peripatetico-scholastica. Cosmologia* (Romae 1898).
MONACO, N., S. I.: *Praelectiones Metaphysicae specialis. Cosmologia* (Romae 1920).
MORÁN, J. G., S. I.: *Cosmologia* (Mexici 1951).
MUNNYNCK, DE, O. P.: *Notes sus l'atomisme et l'hylemorphisme*: RevThe: (1897).
— *Les propriétés essentielles des corps bruts:* RevThom (1900).
NYS, D.: *Cosmologie* I-II (Paris 1928).
PALMIERI, S. I.: *Cosmologia* (Romae 1874).
PESCH, TILMANNUS, S. I.: *Institutiones Philosophiae Naturalis* (Friburgi 1897).
RENOIRTE, F.: *Eléments de critique des sciences et de cosmologie* (Louvain 1945).
SAINTONGE, F.: *Summa Cosmologiae* (Montreal 1941).
SAN, DE, S. I.: *Institutiones Metaphysicae specialis. Cosmologia* (Lovanii 1881).
SANSEVERINO: *Philosophia Christiana* (Neapoli 1862).
SCHAAF, HENR., S. I.: *Institutiones Cosmologiae* (Romae 1907).
SCHIFFINI, S., S. I.: *Disputationes metaphysicae* (Augustae Taurin. 1887).
STANGHETTI, J.: *Cosmologia* (Romae 1941).
SEILER, J.: *Philosophie der un unbelebten Natur* (Otten 1948).
TOLETUS, FR. CARD., S. I.: *Libri physicorum. De generatione et corruptione.*
TONGIORGI, S., S. I.: *Institutiones philosophicae* I-II (1875).
URRÁBURU, IO., S. I.: *Institutiones Philosophicae. Cosmologia* (Vallisoleti 1892).
VAISSIÈRE, DE LA, S. I.: *Philosophia naturalis* (Paris 1912).
VAN LAER, P. HENRY: *Philosophico-scientific problems* (Duquesne University Press, Pittsburg, Pa 1953).
VAN MELSEN, ANDREW: *The Philosophy of Nature* (Duquesne University Press, Pittsburg, Pa 1953).
WILLEMS, C., S. I.: *Institutiones philosophicae* (Treveris 1906).
ZUBIRI, FR. X.: *El hombre, la naturaleza, Dios* (Madrid).

26. Quaestiones scientificae:

BARRIO, J. M. DEL, S. I.: *Las fronteras de la Filosofía y la Física,* volumen 1, *El átomo;* vol. 2, *La molécula;* vol. 3, *El universo* (Santander 1945, 1949, 1953).
BOREL, E.: *L'hasard* (Paris, Alcan, 1914).
BOUCHER: *Essai sur l'yperespace, le temps, la maitère et l'énergie* (Paris, Alcan, 1905).
BOUTROUX, E.: *De la contingence des lois de la nature* (Paris, Alcan, 1895).
— *De l'idée des lois de la nature* (Paris, Alcan, 1913).
BRAUN: *Kosmogonie* (Münster 1895).
BUCHER: *Die Innenwelt der Atome. Die Ergebnisse der Atomphysik naturphilosophische bearbeitet* (Lucerna 1946).
CARBONELLE, S. I.: *Les confins de la science et de la philosophie* (Paris 1881).
CARTESIUS, R.: *Principia Philosophica* (Amstelodami 1664).
CURIE, ME.: *Sur les rayonnements des corps radiactifs* (Paris 1913).
DUEHEM, P.: *L'évolution de la méchanique* (Paris 1903).
— *La théorie physique, son objet, sa structure* (Paris 1906).
— *Le système du monde* (Paris 1913).
ENRIQUES: *Les concepts fondamentaux de la science* (Paris 1913).
GIANFRANCHESCHI, S. I.: *Fisica dei corpusculi* ed.3.ª (Roma 1926).
— *Capitoli di Fisica contemporanea* (Roma 1932).
GRÉGOIRE, A.: *Leçons de Philosophie des sciences expérimentaux* (Namur 1950).
LAER, H.: *Philosophico-Scientific Problems* (Pittsburgh 1953).
LANGEVIN: *La dynamique électromagnétique* (Paris 1913).
LEIBNIZ: *Oeuvres Philosophiques. De la nature en elle même. Monadologie.*
MAIGNAN, EM.: *Philosophia sacra.*
NERNST: *Traité de chimie générale* (Paris).
NEWTON: *Philosophiae naturalis principia mathematica* (1686).
OSTWALD: *L'énergie* (Paris 1910).
— *L'évolution d'une science: la chimie* (Paris 1909).
PAPP., D.: *Historia y filosofía de las ciencias* (Buenos Aires 1945).
PÉREZ DEL PULGAR, J., S. I.: *Introducción a la filosofía de la ciencia* (Lieja 1935).
PUIG, I., S. I.: *Materia y energía* (Buenos Aires 1942).
REY, ABEL: *La théorie de la Physique chez les physiciens contemporains* (Paris 1907).
RIAZA, J. M., S. I.: *Ciencia moderna y filosofía* (BAC, Madrid 1953).
RUTHERFORD, E.: *Radioactivity* (Cambridge 1904).
SECCHI, S. I.: *Unité des forces physiques* (Paris 1869).
SMITH, S. E.: *The Philosophical Frontiers of Physics* (Washington, Cath. University of America, 1947).
— *Philosophical Physics* (New York 1950).
SODDY: *Radioactivité* (Paris 1913).
IDEM: *Le radium* (Paris 1921).
TANNERY, J.: *Sciences et Philosophie* (Paris 1912).
THOMSON, WILLIAM (LORD KELVIN): *The corpuscular theory of matter* (London 1907).
VAN MELSEN, A.: *From Atomus to Atomus* (Pittsburgh 1952).
ZAMMARCHI, A.: *Fisica dell'Atomo* (Brescia 1948).

27. Ephemerides:

Archives de Philosophie (Paris).
Bulletin thomiste.
Gregorianum (Romae).
Las Ciencias (Madrid).
Miscellanea Comillensia (Santander).
Pensamiento (Madrid).
Philosophy of sciences.
Revista Portuguesa de Filosofia (Braga).
Revue de Métaphysique et de Morale (Paris).
Revue Philosophique de Louvain.
Revue de Questions scientifiques (Louvain).
Revue des sciences Philosophiques et Théologiques (Paris).
The philosophical Review.
Zeitschrift für Physik.

28. Lexika, Collectiones, Historiae:

CANDAU, J. M. RUBERT: *Diccionario manual de filosofía* (Madrid 1946).
EISSLER, R.: *Wörterbuch der philosophische Begriffen. Historisch Quellenmässigen bearbeitet* ed.4.ª (Berlin 1927-1930) vol.3.
BRUGGER, W., S. I.: *Diccionario de Filosofía* (hisp. Barcelona 1953).
REY PASTOR et I. QUILES: *Diccionario filosófico* (Buenos Aires 1952).
VACANT: *Dictionnaire de théologie Catholique* (Paris 1909-1946).
ZIEGENFUSS W. et JUNG G.: *Philosophen Lexikon. Händwörterbuch der Philosophie nach Personen* (Berlin 1949-1950) vol..1-2.
Congressus Cosmologicus Soc. Iesu, I-IV (Romae 1924).
KLIMKE, F., S. I.: *Historia de la Filosofía* (hisp. Barcelona 1947).
MARÍAS, JULIÁN: *La Filosofía en sus textos. Selección, comentarios e introducciones,* vol.1-2 (Barcelona 1950).
M. F. SCIACCA: *Historia de la Filosofía* (hisp. Barcelona 1950).
F. UEBERWEG: *Grandiss der Geschichte der Philosophie,* vol.1-5. ed.12.ª (Berlin 1923-1928).
DE WULFF: *Les Philosophes Belges. Le traité de unitate formae de Gilles de Lessinnes* (Louvain 1911).
— *Histoire de la Philosophie médiévale.*

LIBER I

De proprietatibus staticis corporum

29. Introductio. Corpora sunt illa entia quae sunt quanta, extensa, divisibilia, mensurabilia, impenetrabilia, occupantia locum et spatium. Horum essentiam nunc volumus investigare. Sed quia essentias rerum non intuemur, sed eam solum per proprietates et effectus cognoscere valemus, ideo essentiam corporum investigabimus per proprietates. Proprietates autem sunt aliae staticae, quae non dicunt actionem aut activitatem, et aliae sunt dynamicae, quae dicunt actionem aut activitatem. In libro primo solummodo investigabimus proprietates staticas. Hae autem sunt extensio et quantitas, locus et ubi et spatium, et ideo liber hic primus constabit quatuor capitibus: caput I erit de continuo; caput II erit de quantitatis essentia; caput III erit de loco et ubi; caput denique IV erit de spatio..

CAPUT I

De continuo statico

30. In primo libro investigabimus essentiam quantitatis; sed essentialis ratio quantitatis verificatur in continuo; nam contiguum et discretum non est speciale accidens quantitatis, sed multitudo rerum quantarum. Et ideo nunc agemus de continuo, ut, statuta eius notione, postea in capite secundo securius procedamus ad investigandam essentiam intimam quantitatis. Materiam vero de continuo quatuor articulis expediemus. *Primus* erit de notionibus et divisionibus quanti; *secundus* erit de continuo mathematico et hypothetico seu de continuo secundum constitutiva eius essentialia, et sicut esset si verificaretur secundum conceptum eius obiectivum; *tertius* articulus erit de partibus continui et de indivisibilibus; *quartus* denique erit de continuo physico, seu de exsistentia continui in rebus.

ARTICULUS I

NOTIONES ET DIVISIONES QUANTI

31. ARIST., 5 *Metaph.*, c.13; ST. THOM., ibid., lect.5; IDEM, *De natura generis*, c.20; SUÁREZ, DM d.40 s.1; URRÁB., *Cosmol.*, p.707-733.

32. Quantum generatim non definivit Aristoteles, sed solummodo designavit dicens quantum esse sicuti bicubitum aut pedale, aut similia, et statim divisit illud in continuum, contiguum et discretum. Facta autem hac divisione, definivit singula membra, quod et nos faciemus, et sic describemus primo continuum, postea contiguum, tandem discretum.

Continuum tripliciter potest definiri: sub ratione quanti, sub ratione extensi, et sub ratione continui.

Sub ratione *quanti definitur* ab Aristotele sic: quantum est quod est divisibile in ea quae insunt, quorum utrumque vel unumquodque, unum quid et hoc aliquid aptum est esse. Haec verba paulo amplius sunt explicanda.

Est DIVISIBILE, divisione scilicet mechanica, nempe per scissionem seu per intromissionem alius corporis intra aliud.

IN EA QUAE INSUNT: quae obtinentur per divisionem non erant solummodo virtualiter, sicut dicebant antiqui elementa exsistere in mixto, sed erant formaliter quoad realitatem, ita ut realitas obtenta per divisionem neque creetur neque substantialiter transmutetur per divisionem.

QUORUM UTRUMQUE VEL UNUMQUODQUE: si dividatur in duas partes, vel etiam si dividatur in plures, de omnibus valet id quod sequitur.

UNUM QUID: est unum per se completum, non dimidiatum.

ET HOC ALIQUID: seu suppositum: quod est substantia completa subsistens in se, i.e. exsistens, et quidem non ut pars ullius neque actu neque destinatione, ut explicatur bene in Ontologia (ITURRIOZ, I p.768-786).

33. *Dices:* haec definitio convenit multis aliis rebus quae non sunt quantae. Nam materia prima, si conservaretur separata a quantitate, posset dividi in partes quae iam ibi inerant quoad realitatem; qualitas intensa, potest dividi in multos gradus qui iam ibi erant; ubicatio animae humanae aut angeli potest esse maior et minor, imo et potest dividi in duas; sed definitio bona debet convenire soli definito; ergo haec definitio quanti non est bona.

Resp. Nego definitionem his rebus convenire eodem modo quo convenit quantitati extensae. Nam materia prima, si servaretur separata a quantitate per miraculum, posset dividi, non autem mechanice, sed sola omnipotentia divina; intensio qualitatum non potest

dividi in gradus ita ut unusquisque sit qualitas eiusdem rationis et completa, nam unusquisque gradus est essentialiter complementum heterogeneum alius; ubicatio animae aut angeli possunt dividi, non mechanice, exhibendo resistentiam alicui corpori intromisso, sed solum per actionem quae non est resistentia; et praeterea divideretur non in ubicationes adaequatas, sed in inadaequatas; partes autem obtentae per divisionem continui essent entia completa.

34. *Definitur secundo continuum sub ratione extensi.* Extensum est illud quod habet partes extra partes. "Partes extra partes" significat duo: primum est habere partes quae non sunt identicae, sed distinctae realiter saltem post designationem; secundum est eas non occupare eandem partem spatii, seu unam non esse ubi est alia. Ut patet haec definitio penitus aequivalet priori.

Obicitur contra hanc definitionem, in ea committi circulum vitiosum. Nam extensio definitur per ordinem ad spatium, et postea spatium definitur per ordinem ad extensionem, quae in spatio esse potest.

Resp. Notio extensionis est notio primitiva, non composita ex aliis conceptibus prioribus et notioribus; propter hanc causam non possumus aliter eam explicare nisi dicendo eam esse ens, quod habet partes quae constituunt molem; si autem petatur quid sit moles, molem aliis verbis repeteremus, vel gestu aliquo designaremus. Sed statim acquirimus notionem spatii, eo quod advertimus in eodem loco sibi succedere plura corpora, et ideo concipimus illum locum ut capacitatem recipiendorum corporum; et acquisita hac notione, per spatium definimus extensionem. Neque est magnum vitium in definitionibus horum conceptuum primitivorum adesse circulum, cum iam per se ipsi clarissimi sint. Ceterum notio extensionis continuae etiam aliis definitionibus adiectis illustratur.

35. *Tertio, definitur continuum sub ratione continui sic:* continuum, vel potius continua sunt illa quorum extrema sunt unum; vel quorum extrema communi termino continentur (continuantur); vel modo magis claro, continua sunt illa, quae ita uniuntur, ut nulla habeatur interruptio, neque ulla divisio, neque ulla terminatio inter ea.

36. *Divisiones quaedam continui. Prima divisio continui.* Continuum potest esse permanens aut successivum, seu staticum et dynamicum. Continuum permanens est illud, cuius partes coexsistunt simul, ut est tabula. Continuum successivum est illud cuius partes non sunt simul, sed una est post aliam, et ita ut una non sit nisi pereunte alia; talis est motus.

Secunda divisio continui. Continuum potest esse mathematicum seu hypotheticum et physicum. Continuum mathematicum seu hypotheticum est continuum consideratum se-

cundum constitutiva essentialia, vel est continuum quale exsisteret si verificaretur ut postulat eius conceptus obiectivus. Continuum physicum, est continuum exsistens a parte rei secundum conceptum obiectivum et secundum constitutiva quae in continuo mathematico considerata sunt.

Tertia divisio continui. Continuum permanens potest esse formale et virtuale. Continuum formale est illud quod definitum est, nempe est illud quod est divisibile in ea quae insunt, vel quod est extensum et habens partes extra partes; vel melius, est illud quod habet partes, quae uniuntur sine ulla interruptione aut limite. Continuum virtuale est illud quod constat entibus simplicibus divisis, quae tamen entia simplicia occupant spatium, quia sunt in eo definitive ad modum spirituum, scilicet tota in toto et tota in singulis partibus designabilibus spatii quod occupant.

Quarta divisio continui formalis. Continuum formale permanens dividitur quarto in lineam, superficiem et volumen, non autem in punctum. Punctum est intersectio duarum aut plurium linearum, et ut patet non habet ullam extensionem. Linea est quantum unius dimensionis scl., longitudinis; superficies est quantum duarum dimensionum, longitudinis et latitudinis; volumen est quantum trium dimensionum, longit., latitud. et profunditatis. Punctum est terminatio cuiuscumque lineae; linea est terminatio superficiei, vel minima distantia inter duo puncta in plano. Superficies est terminatio voluminis. Et quidem aliqui dicunt puncta, lineas et superficies esse realiter distincta a quantitate extensa, et alii dicunt ea distingui sola ratione, de qua re postea latius loquemur (DM d.4 s.5, et d.41 s.4 n.5-8).

Et hucusque egimus de primo membro divisionis quanti, quod est continuum.

37. *Secundum membrum* in divisione aristotelica quanti erat contiguum., vel contigua. Contigua sunt illa, quorum extrema sunt simul. Sunt igitur duo vel plura corpora, quae habent extremitates distinctas, sed illae extremitates se tangunt, seu inter illas non est aliud corpus intermedium.

38. *Tertium membrum* in divisione aristotelica quanti erat discretum dissitum, vel potius discreta seu dissita. Discreta sunt illa quae interpositis spatiis realibus separantur, ut sunt duo homines inter quos est aër vel lignum. Sic Aristoteles, quia non admittit possibilitatem vacui. Sed qui ad-

mittunt possibilitatem vacui, dicunt discreta esse illa quae separantur spatiis realibus vel spatio vacuo.

Contigua et discreta non sunt species aliqua quantitatis, sed sunt multitudo quantitatum. Illa multitudo rerum quantarum prout est mensurata vel mensurabilis per unitatem vocatur *numerus*, ut tria, quinque, centum. Et quaeri potest utrum numerus sit species quaedam quantitatis, aut omnino utrum pertineat ad praedicamentum quantitatis.

Et respondetur numerum, v.c. quinque, centum, etc. in re non esse speciale ullum accidens, quia ibi non est nisi multitudo quantorum, non autem ullum ens per se unum. Sed tamen, si respiciamus modum quo nos numeros concipimus, sunt aliquod unum per se in modo concipiendi, non in re: quia tria vel quinque vel centum concipimus ut essentialiter inter se diversa, et differunt per unitates superadditas, in quibus unum excedit alium; propterea eis attribuimus quasdam proprietates, ut esse par aut impar, exacte divisibile aut non exacte divisibile per talem alium numerum. Hinc, si agitur de rebus corporalibus, collocamus numeros sub praedicamento quantitatis; si autem agatur de rebus immaterialibus, non collocamus numerum sub praedicamento quantitatis, sed sub ratione numeri transcendentalis (DM d.41 s.1 n.16).

39. *Proprietates* quantitatis, multae numerantur, et amplius declarantur in Ontologia.

Prima proprietas est non habere contrarium; contraria enim sunt quae sub eodem genere quantitatis, maxime differunt; quantitas autem non est genus quod habet multas species, ideoque, quantitates non possunt esse contrariae. Potest aliquod quantum maius aut minus, sed haec non positive et contrarie opponuntur, sed privative, sicut habere tantum et non habere tantum (DM d.41 s.5 n.2-5).

Secunda proprietas est non recipere magis et minus intensive, licet quantum possit habere magis et minus extensive. Atque ita una quantitas pedalis non est magis quanta quam alia quantitas pedalis (ibid., n.6).

Tertia proprietas est esse aequalem vel inaequalem. Per translationem esse aequalem vel inaequalem convenit etiam aliis rebus, sed non proprie; nam proprie aequalitas est convenientia in quantitate, sicut inaequalitas est disconvenientia in quantitate (DM d.41 s.5 n.10-14).

Quarta proprietas est esse divisibilem vel scindibilem

mechanice et per intromissionem alius corporis resistentis et impenetrabilis.

Quinta proprietas est esse finitam, et infinitam seu indefinitam, quia data qualibet quantitate finita, non repugnat eam esse maiorem. (ibid., n.16).

ARTICULUS II

De natura continui mathematici seu hypothetici

Thesis 1. Continuum mathematicum seu hypotheticum non constat entibus simplicibus, sed partibus sine fine divisibilibus.

40. Arist., 1.5 et 6 *Physic.;* et 5 *Met.;* St. Thomas in hos libros; et 1 q.7 a.4; 3 q.6 a.5; *De sensu et sensato,* 5; *De natura materiae,* c.9; Suárez, DM d.40 s.5 et 6; Urráb., *Cosm.,* p.891-915; De Backer, p.18-40; Balmes, J., *Filosofía fundam.,* 1.2 cc.1,8,9; 1.3 c.4; Darío, p.30-50; Franck, p.10-28; Gredt, I p.267-272; Hoenen, *Cosm.,* p.6; Morán, ed.2.ª p.31-49; Palmieri, *Cosm.,* th.2 et 3; Nys, D. ed.4.ª II p.61-70; Schaaf, n.21-68.

41. Nexus. Maxime proprium quantitatis est ut sit extensa et continua, et per hanc proprietatem optime eius essentia dignoscitur. Ut ergo hanc essentiam cognoscamus, volumus statuere essentiam continui secundum eius conceptum obiectivum, et probare hunc conceptum continui non includere contradictionem. Essentiam continui, sive detur realiter sive non, dicimus non posse constitui per entia simplicia, sed per partes semper divisibiles; hunc autem conceptum non includere contradictionem explicamus solvendo obiectiones, quae contendunt ostendere hanc contradictionem.

42. Notiones. Continuum permanens, de quo nunc agimus, vel potius continua, sicut supra iam diximus, sunt illa quorum extrema sunt unum, vel quorum extrema communi termino continentur, vel, modo magis claro, sunt illa quae ita uniuntur, ut nulla habeatur interruptio inter ea neque ulla divisio aut ulla terminatio [1].

43. Divisio. Continuum potest esse mathematicum seu hypotheticum et physicum.

Continuum *mathematicum* seu hypotheticum est continuum consideratum secundum constitutiva essentialia, vel est

[1] Balmes concipit continuum sic: est relatio inter plura entia, quae entia sunt talis naturae ut possint producere in ente sentiente intuitionem spatii: *Fil. fundam.,* 1.3 c.4 n.24 et 174. Sed hoc non est explicare conceptum continui, sed potius illum destruere, quia non datur ullum continuum, sed plura entia aliqua relatione ligata.

continuum quale exsisteret, si verificaretur ut postulat conceptus eius obiectivus.

Continuum *physicum* est continuum exsistens a parte rei secundum conceptum obiectivum et secundum constitutiva essentialia quae in continuo mathematico considerata sunt. Nos in praesenti thesi loquemur solum de continuo mathematico seu hypothetico.

Continuum potest esse etiam formale et virtuale. Continuum *formale* est illud quod in thesi definitur, nempe est illud quod constat partibus sine ulla interruptione aut limite unitis; et *virtuale* est illud quod constat entibus simplicibus, divisis, quae tamen occupant spatium continuum, quia sunt in eo definitive ad modum spirituum, totae in toto et totae in singulis partibus spatii[2].

ENTIA SIMPLICIA sunt entia quae non habent ullam extensionem neque partes.

44. PARS est realitas illa quae est in toto et est minor eo. Pars autem potest esse integralis et essentialis.

Pars integralis est illa quae constituit substantiam amplam, est eiusdem rationis cum aliis et cum toto, et sublata una non ideo perit formaliter essentia totius.

Pars essentialis est illa quae constituit essentiam totius, non est eiusdem rationis cum alia neque cum toto, pereunte una perit formaliter esssentia totius, et est cum suis propriis terminis in composito. Continuum autem est quod constat partibus integralibus, non autem essentialibus.

45. Partes autem integrantes possunt esse aliquotae, aliquantae et proportionales. Partes *aliquotae* sunt illae quae aliquoties repetitae totum continuum aequant. *Aliquantae,* sunt illae quae aliquoties repetitae non totum continuum aequant, sed vel excedunt, vel non attingunt: sunt incommensurabiles toti. *Proportionales,* sunt illae quae ex divisionibus et subdivisionibus secundum eamdem proportionem factis resultant, ut si totum dividatur in duo dimidia, et utrumque dimidium in alia dimidia, et sic sine fine.

46. DIVISIBILITAS est separabilitas eorum quae erant unita. Et haec divisibilitas potest esse physica, mathematica et

[2] Continuum etiam dividitur a P. HOENEN (n.11.12) in homogenum et heterogeneum. Homogeneum est quod constat partibus omnino similibus essentialiter et accidentaliter; heterogeneum illud quod constat partibus quae non habeant eadem specifice accidentia, sed diversa: sic v. c. crystalla sunt, iuxta eum, continua, sed heterogenea, quia habent centra in quibus densitas est valde diversa, et causat difractionem radiorum X.

metaphysica. *Physica* est quae potest fieri per media mechanica aut per reactiones chimicas. *Mathematica* est ea quae potest fieri saltem per designationem mentalem; et *metaphysica* est illa, quae, licet physice non posset fieri, saltem potest fieri virtute divina.

Divisibilitas metaphysica posset esse in partes infinitas actu, vel in partes finitas actu, licet sint multae, vel in partes indefinite multas, ita ut licet divisio in partes fiat diutissime, numquam res exhauriatur, sed semper sit aliquid sumendum. *Prima divisio* reicitur, quia si partes sint infinitae actu, iam non poterit fieri ulterior divisio, ideoque partes essent simplices, quod omnino refutabimus. *Secunda divisio* etiam reicitur, quia si partes sunt finitae et iam non possunt ulterius dividi, signum est illas partes esse simplices, et ideo continuum constabat entibus simplicibus. Et *tertia divisio* est quae affirmatur in thesi: nempe continuum potest dividi in partes quae sunt semper divisibiles sine ullo fine, divisione saltem mathematica et metaphysica.

47. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum continuum, si exsistat, et ratione habita solius quantitatis, non vero naturae in qua continuum verificetur, sit divisibile in partes quae sint extensae et divisibiles sine fine in partes proportionales; nam si continuum dividatur per unitatem uniformem, v.c. per centimetra aut milimetra, cito exhauritur.

48. Sententiae. *Prima sententia* tenet continuum formale constare ex indivisibilibus, quae uniantur inter se per modos unionis. Quare volumen constat superficiebus unitis per alias superficies, quae sint modi; et superficies constat lineis, quae sint unitae aliis lineis modalibus; et linea constat punctis, quae uniantur aliis punctis modalibus. Hanc sententiam tenui ZENO ELEATENSIS, PYTHAGORAS, DEMOCRITUS, LUGO, ARRIAGA, OVIEDUS, QUIRÓS, ANTONIUS MAYR, ULLOA, LOSSADA [3].

Secunda sententia est ARISTOTELIS et scholasticorum communiter; qui docent continuum constare partibus extensis et semper ulterius divisibilibus saltem mathematice et metaphysice; partes autem non sunt divisibiles sine fine in partes aliquotas, quia hae, licet sint plurimae, statim totum continuum adaequant et exhauriunt; sed in partes proportionales, v.c. in medietates, vel in tertias partes, ita ut numquam

[3] LOSSADA, *Phys.*, tr.3 d.4 c.4; et cf. URRÁB., p.892.

perveniatur ad finem; nam in quacumque divisione obtinebitur aliqua pars, et illa pars iterum erit divisibilis in medietates vel in tertias partes sine fine. Sic ARISTOTELES, S. THOMAS et SUÁREZ.

Et non dicimus continuum esse divisibile sine fine, ut natura est, sed saltem ut quantum et extensum est. Sunt enim formae substantiales quae exigunt aliquam extensionem minimam, citra quam iam non possunt exsistere; et tunc, facta ulteriore divisione, peribunt, et generabitur alia forma [5]; sed tamen semper permanebit aliqua extensio, et illa extensio iterum est divisibilis saltem metaphysice in alias medietates vel in tertias partes (cf. n.68).

Hanc et nos sequemur.

49. Probatur thesis. *Prob 1.* Quia si continuum constat ex indivisibilibus, puncta illa aut se tangunt aut non se tangunt; iam vero si se tangunt, tota coincidunt, et non facient extensionem; si autem non se tangunt, iam non adest continuum, sed dissita [6].

50. *Prob. 2.* Mathesis multa docet, quae falsa essent si continuum constaret punctis simplicibus; ergo non constat punctis simplicibus, sed partibus semper divisibilibus.

Antec. *a)* In quadrato sunt incommensurabiles diagonalis et costa: sed si continuum constaret punctis hoc non esset verum. Nam in quadrato ABCD (fig. 1), ponatur diagonalis AC; ex singulis punctis costae BC possunt duci totidem parallelae ad AB; hae vero rectae vel tangunt diagonalem in uno puncto, vel in duobus aut tribus, nam in dimidio non possunt tangere; si tangunt in uno puncto, diagonalis erit aequalis costae BC; si tangunt diagonalem in duobus, diagonalis erit duplo maior quam costa et sic erit ei commensurabilis, nempe duplo maior.




Fig. 1

b) Inter duas parallelas (fig. 2), BA et HE, potest poni perpendicularis CD; ex puncto H potest describi linea obliqua ad aliam parallelam, quae secet perpendicularem per punctum F. Sed quoniam ex eodem puncto H possunt de-

[5] De minimis naturalibus, cf. HOENEN, ed.2.ª p.418-502; ECHARRI, J., *¿Serán divisibles los cuerpos continuos?:* Pens. 1 (1945) 221-226.

[6] URRÁB., *Cosm.*, p.897-903.

scribi infinitae lineae obliquae secantes perpendicularem CD in aliis punctis, sequitur perpendicularem illam esse sine fine divisibilem, ita ut numquam exhauriatur; ergo non constat punctis: nam puncta sunt finita et exhauribilia.




Fig. 2

51. *Dices.* Potest continuum constare ex indivisibilibus unitis per modos etiam simplices; et illa simplicia constituent extensionem, quia singula entia indivisibilia habent veluti duas facies, et ideo, licet se tangant, non tamen coincidunt.

Resp. Impossibile est punctum indivisibile habere duas veluti facies; nam duae facies sunt identicae, ideoque, si se tangunt, se tangunt secundum se totas, et non constituent extensionem.

Instabis. Potest item continuum constare ex simplicibus, quae sint veluti puncta inflata, quae constituent tamen extensionem, quia occupant spatium, eo quod sint tota in toto et tota in singulis partibus designabilibus alicuius spatii vel voluminis. Sic obicit Palmieri.

Resp. Hoc non est explicare continuum formale, sed simpliciter est negare illud esse in realitate, et loco eius exsistere continuum virtuale. Nunc autem non disputamus utrum a parte rei detur continuum formale, sed quomodo debeat constitui, si daretur a parte rei sicut definitur: nempe ut constans partibus unitis sine ulla interruptione aut limite. Palmieri autem non negat hoc continuum debere constare partibus semper divisibilibus, sed solum dicit non dari in rebus, verum aliud loco eius, de quo in articulo sequenti agemus [7].

52. Scholia. 1. Continuum constat partibus sine fine divisibilibus. Secus constabit partibus indivisibilibus seu ex entibus simplicibus, quod reiectum est.

2. Continuum qua tale, non habet ultima componentia sed quidquid designetur, est adhuc compositum ex aliis partibus.

3. Continuum est unum per se, non unitate simplicitatis, sed unitate compositionis.

4. Continuum est compositum quod dicitur *potentiale et non actuale*. Est compositum *potentiale,* quia ex illo possunt fieri partes: non autem est compositum *actuale,* quia non resultat ex partibus praeexsistentibus. Secus vel illae partes praeexsistentes erant simplices, vel compositae; si simplices, *ergo* continuum constat simplicibus.

[7] Urráb., p.827; Palmieri, th.2.3.

Si autem erant compositae ex partibus, de illis partibus iterum quaero utrum illae sint compositae ex partibus praeexsistentibus compositis an ex simplicibus: donec vel admittas processum in infinitum, vel sistas in partibus quae non praeexsistunt toti, sed fieri possunt ex toto. *Et in hoc differt compositum continuum a composito essentiali.* Nam in composito continuo partes non praeexsistunt, sed ex continuo fieri possunt; et contra, compositum essentiale componitur ex partibus praeexsistentibus aliquo modo.

53. Obiectiones [8]**.** 1. Si continuum est divisibile in infinitum, habet partes infinitas; *atqui* multitudo actu infinita repugnat; *ergo* non est divisibile in infinitum.

Dist. mai.: infinitas potentia, seu indefinitas, *conc.;* actu, *nego;* et *contradist. min.*

2. Saltem ex continuo possunt obtineri infinitae partes in actu; nam continuum habet infinitas partes potentia seu in possibilitate; *atqui* possibile potest reduci in actum sine ulla contradictione; *ergo* sine ulla contradictione possunt obtineri partes actu infinitae.

Nego assertum. Ad probat. dist. mai.: possibilitate simultanea, *nego;* successiva et inexhauribili, *conc.;* et *contradist. min.:* quod est possibile simultanee, *conc.;* quod solum est possibile, successive et inexhauribiliter, *nego.*

Per hanc divisibilitatem in infinitum solum significamus, continuum non posse successive exhauriri per partes proportionales.

3. Deus potest solvere omnes uniones partium; *atqui* tunc actu essent simul infinitae; *ergo* possunt esse actu infinitae. *Min.:* non enim essent finitae, secus non potuisses dicere continuum esse divisibile in infinitum.

Nego mai. Tunc enim partes iam non essent ulterius divisibiles, sed essent simplices, et continuum constaret ex indivisibilibus [9].

4. Saltem Deus videt simul divisiones possibiles successivas; *atqui* Deus non videt divisiones esse finitas actu; *ergo* videt eas esse infinitas actu, et saltem sunt infinitae in mente Dei.

Dist. mai.: collective et ut simul factibiles, *nego;* distributive et ut successive factibiles, inexhauribiliter, *conc.* Et *concessa min. dist. pariter cons.*

Deus videt realitatem omnium partium possibilium et videt singulas partes designabiles esse ulterius divisibiles, sed non videt ut factibiles simul omnes divisiones, sed solum videt eas esse divisibiles sine ullo fine possibili.

5. Si continuum esset divisibile in infinitum, non posset pertransiri; *atqui* transitur; *ergo* non est in infinitum divisibile. *Mai.:* nam pertransita una parte, restant adhuc infinitae transeundae; *ergo* nunquam pervenietur ad finem.

Dist. mai.: non posset pertransiri per transitum qui numeraret partes, *conc.;* per transitum qui esset tam continuus, sicuti est continuum permanens, *nego;* et *concessa min. dist. pariter cons.:* si continuum deberet pertransiri numerando partes, *conc.;* si transitur per

---

[8] URRÁB., p.904ss.

[9] Haec obiectio potest ita enuntiari: si continuum potest dividi in aliquas partes, poterit et in omnes dividi; atqui si dividitur in omnes, iam singulae non sunt ulterius divisibiles: ergo continuum constat ex indivisibilibus.

Nego mai. Singulae partes possunt dividi ulterius successive, sed non simultanee, in omnes partes: secus continuum constaret er indivisibilibus, et hoc iam est demonstratum repugnare.

transitum qui est tam continuus sicut continuum permanens, *nego.*

Motus est tam continuus, sed successivus, sicuti continuum quantitativum; *ergo* mobile poterit per motum continuum et non numerando partes aequari cum continuo quantitativo, et transire illud.

6. Si continuum foret divisibile in infinitum, tot essent partes in continuo parvo, quam in continuo maximo; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non est divisibile in infinitum.

Dist. mai.: tot partes proportionales, et inaequales, *conc.;* tot partes aliquotae, *nego;* et *contradist. min.:* est absurdum habere tot partes aliquotas, *conc.;* proportionales et inaequales, *nego.*

54. 7. (Ex multiplici impossibilitate). Primo, sphaera per quamcumque partem suam potest, rotando, attingere planum; *atqui* non potest attingere planum nisi per punctum suum et per punctum plani; *ergo* quaecumque pars designabilis in sphaera et in plano est punctum indivisibile; *ergo* dantur puncta indivisibilia, et nihil amplius quam puncta indivisibilia. *Secundo.* Si ducamus sphaeram supra planum, non rotando, sed trahendo, tangit planum continuo et describit lineam; *atqui* nihil tangit nisi indivisibile; *ergo* linea non constat nisi ex indivisibilibus punctis. *Tertio,* si linea vel arista alicuius prismatis, trahatur supra planum, tanget successive totam superficiem plani, nihil omittendo; *atqui* nihil attingit nisi indivisibilia plani; *ergo* tota realitas plani solummodo sunt lineae indivisibiles. *Quarto,* si superficies quadrata gyretur circum unum ex lateribus, gignet sua praesentia volumen cilindricum; *atqui* ibi non fuerunt nisi praesentiae indivisibiles superficiales; *ergo* volumen non constat nisi ex superficiebus indivisibilibus.

Patet *ergo* lineam constare punctis indivisibilibus, superficiem constare lineis indivisibilibus, i.e. punctis, et volumen constare ex superficiebus, i.e. tandem ex punctis. Continuum *ergo* constat solis punctis indivisibilibus.

Respondeo: aliquae ex his difficultatibus facile solvuntur.

Nam si globus trahatur supra planum, tanget planum puncto suo, non stando, sed motu continuo describens etiam lineam continuam in plano. Et similiter si arista alicuius prismatis trahatur supra planum, tanget planum in linea, non stando, sed motu suo continuo describendo planum continuum. Idem dicendum est de superficie, quae circum latus rectum circumferatur: describet volumen solidum, non stando, sed motu suo continuo describendo volumen etiam continuum.

Difficultas autem magna est in prima hypothesi. Si scilicet globus rotetur circa planum, tanget planum in punctis et solum in punctis; et similiter globus tangetur a plano in punctis et solum in punctis: ergo linea plani et linea circuli constat solum punctis et non ulla re continua; et similiter dicatur de tota superficie, quia illa experientia fieri potest in omnes directiones plani et globi.

Multae solutiones datae sunt, quod significat rem non esse facilem.

Prima solutio est illa duo corpora non se tangere, i.e. non commensurari lineam plani et lineam circuli: quia secus evidens esset tam lineas quam superficies constare punctis indivisibilibus; deberet dici illa corpora non commensurari, seu se non tangere, sed unum ibi esse ubi primo non est aliud (HOENEN, p.38).

Secunda solutio est sphaeram tangere planum per sola puncta, et non per partes continuas; quare sphaera tangeret discrete planum et

non continuo. Sicut qui ambulat, discrete pedibus suis tangit terram, sed eius motus per aërem est continuus (Sic Io. A S. Thoma, in *Phil. Nat.* q.20 a.3.) *Crisis:* Solutio haec solvit difficultatem; sed ea est inverosimilis, quia est evidens sphaeram in rotatione tangere planum secundum omnem realitatem quam planum habet, et non tangere quasi per saltus et discrete.

Tertia solutio est non dari in re figuras perfectas; ideoque contactus ille non fit per puncta, sed per superficies irregulares. *Crisis:* Per hanc solutionem non tollitur difficultas. Nam, licet figura non sit regularis, ast in illa irregularitate dabuntur lineae et superficies curvae et planae. Et tunc corpora se tangent secundum lineam, et sic superficies constabunt solis lineis; vel se tangent per curvum et planum, et tunc se tangent successive solum in punctis, ideoque illa corpora solum constabunt punctis; vel se tangent per plana, quae coincident inter se, et tunc saltem dabuntur superficies indivisibiles et solum illae.

Quinta solutio est lineam plani et lineam circumferentiae globi esse continuas et mutuo coincidere et commensurari; non ergo sequitur lineam constare punctis, sed constabit partibus continuis. *Crisis:* Haec solutio est impossibilis. Nam si globus coincidit cum plano, coincidet solum in indivisibili; et quoniam successive tangit planum solum per indivisibilia, ergo linea plani constabit solum indivisibilibus.

Fortasse solutio melior sit prima.

55. 8. Numerus componitur ex unitatibus; ergo pariter continuum ex punctis simplicibus.

Conc. antec.; et *nego cons.*, ob disparitatem: disparitas est in eo quod numerus est quantitas discreta, et continuum est quantitas continua.

9. In principiis rerum non potest dari processus infinitus; *atqui* partes continui sunt principia continui; *ergo* in illis non potest dari processus infinitus, ita ut unumquodque constet ex aliis.

Conc. mai.; nego min. Causae extrinsecae vel intrinsecae sunt principia rerum, et ideo in illis non potest dari processus infinitus. Sed partes continui fiunt ex continuo et non praesupponuntur ad compositionem continui iuxta scholium 4, et ideo non sunt principia continui.

10. *(Argumenta Zenonis.* Primum argumentum generale.) Magnitudo infinita non potest percurri tempore finito; *atqui* si datur magnitudo in infinitum divisibilis, est infinita; *ergo* illa non potest transiri tempore finito.

Dist. mai.: Magnitudo infinita actu, *conc.;* infinita solum in potentia, *subdist.:* si tempus finitum non esset etiam infinitum in potentia, *conc.;* sed si est infinitum potentia, *nego.* Et *contradist. min.:* magnitudo est infinita in potentia, *conc.;* in actu, *nego.* Et *contradist. pariter cons.:* si tempus finitum non est infinitum in potentia, *conc.;* si est infinitum in potentia, *nego.*

11. *(Ex Dichotomia.)* Ut mobile possit percurrere spatium aliquod, prius debet percurrere dimidium, postea dimidium dimidii quod restat, et postea dimidium dimidii quod adhuc restat; et ita in infinitum; *atqui* processus infinitus non potest percurri, *ergo* spatium, si constaret partibus in infinitum divisibilibus, non posset unquam pertransiri.

Dist. mai.: Deberet eas partes percurrere distinguendo aut nume-

rando illas partes proportionales, *nego;* percurrendo spatium continuum per motum similiter continuum, *conc.;* et *concessa min., dist. pariter cons.:* non posset percurri numerando et distinguendo partes, *conc.;* non posset percurri per motum etiam continuum, *nego.*

12. *(Argumentum ex testudine et Achille.)* Si spatium esset divisibile in infinitum, ACHILLES velocissimus non posset assequi testudinem lentam si haec prius profecta est quam ACHILLES. Nam ut assequatur testudinem, debet percurrere spatium quo separatur a testudine; sed interea testudo percurrit aliud spatium; et ut illam assequatur debet percurrere hoc totum spatium quo nunc separatur a testudine; sed interea testudo percurrit aliud spatium; et tunc ut assequatur testudinem, debet percurrere hoc spatium, et sic in infinitum; *atqui* processus infinitus pertransiri non potest; *ergo* ACHILLES non posset assequi testudinem, etiam si velocissime curreret; *ergo* non datur spatium continuum, divisibile in infinitum, neque motus divisibilis in infinitum.

Dist. mai.: Si ACHILLES deberet sistere in singulis illis divisionibus, *conc.;* si autem ACHILLES motu continuo et velociore currat, poterit assequi testudinem currentem motu continuo, sed lentiore quam est motus ACHILLIS.

ARTICULUS III

DE PARTIBUS CONTINUI ET DE INDIVISIBILIBUS

§ 1. **De partibus continui**[1]

Thesis 2. Partes in continuo sunt actu secundum totam realitatem quae per divisionem obtinetur, non tamen habent actu divisionem aut limites ullos naturales; unde lis est de verbo asserere partes esse in continuo vel formaliter vel potentialiter, sicuti et asserere eas esse distinctas realiter actu vel potentia.

56. Nexus. Iam vidimus continuum constitui ex partibus sine fine divisibilibus, et hunc conceptum non implicare contradictionem. Praecipua tamen obiectio quae fit contra possibilitatem vel non contradictionem continui desumitur ex modo quo partes sunt in continuo, et de modo quo uniuntur. Nam si partes sunt formaliter in continuo, adsunt limites, et non continuitas, et si dantur modi unionis, videtur inter omnes partes possibiles adesse tales modos, ideoque partes esse simplices, et non sine fine divisibiles.

---

[1] ST. THOM., *De natura materiae,* c.9; SUÁREZ, DM d.7 s.1 n.22-23, et d.40 s.1 n.7; BOLLAND, *Congressus Cosmolog.* (Romae 1924) III p.7; HOENEN, p.6-22, et 414-418; MORÁN, ed.2.ª p.52-55; SCHAAF, n.42-45; GREDT, I n.332; URRÁB., p.840-845.

Status quaestionis. Ideo nunc quaeritur quomodo partes sint in continuo et quomodo uniantur inter se.

57. Sententiae. Circa modum quo partes integrantes sunt in continuo triplex est sententia: *prima sententia* tenet partes esse *actu et formaliter*. Sed his vocibus intelligunt esse in continuo totam illam realitatem quae per partium divisionem obtinetur et non eas creari de novo. Sic SUÁREZ, TOLETUS, CONIMBRICENSES, COMPLUTENSES, IO. A S. TH., SCOTUS cum *Mastrio*, CARD. GONZÁLEZ O. P., LEPIDI O. P.

Secunda sententia tenet partes integrantes in continuo non esse *actu et formaliter, sed solum potentialiter*. Sic FASSOLUS, ARRIAGA, TONGIORGI, SCHIFFINI. Hi auctores solummodo volunt dicere in continuo esse totam realitatem partium quae per divisionem obtinetur, sed non habere naturales terminos aut limites. Unde dicunt idem quod priores.

Tertia sententia tenet *materialitatem* partium esse in continuo *actu et formaliter, formalitatem* vero partium esse ibi solummodo potentialiter. Sic MENDIVE, LAHOUSSE, MORÁN. Sed, ut patet, hi dicunt solummodo in continuo esse totam entitatem partium quae per divisionem obtinetur, sed non cum divisionibus, aut cum terminis et limitibus propriis, unde dicunt idem quod priores. Et omnes invocant pro se auctoritatem ARISTOTELIS et STI. THOMAE.

Nostra autem sententia enuntiatur in thesi, et tria continet: *primum* est, totam realitatem partium quae per divisionem obtinetur, iam in continuo adesse, et non de novo creari per divisionem; *secundum* est, illas entitates in continuo non habere actu divisiones, terminos aut limites ex natura rei, sed solum in designabilitate; *tertium* est litem utrum debeant partes dici contineri in continuo actu an potentia, aut utrum sint realiter distinctae actu vel potentia, pertinere solummodo ad modum loquendi.

58. Probatur thesis. I P. Partes sunt in continuo secundum totam realitatem, quae postea per divisionem obtinetur.

Prob. 1. Quia si non erat in continuo tota illa realitas quae per divisionem obtinetur, per divisionem creatur vel producitur; *atqui* sola divisio illam realitatem non potest producere; *ergo* tota illa realitas iam erat ibi.

Prob. 2. (Ex testimonio Aristotelis.) Nam quantum est quod est divisibile in ea quae insunt: *ergo* quae per di-

visionem obtinentur iam ibi erant actu et formaliter quoad realitatem seu entitatem, licet non actu divisa.

59. II P. Partes in continuo non habent divisionem, terminos aut limites ullos naturales.

Nam si haberent divisionem, iam partes non essent continuae, sed contiguae vel dissitae, ut patet. Et si haberent terminos naturales aut limites, tunc vel essent finitae, vel infinitae; si essent finitae, exhauriretur continuum per partes finitas, neque essent divisibiles in infinitum; si autem essent infinitae, daretur multitudo actu infinita: partes enim quae per suos limites distinguuntur, constituunt numerum; *atqui* non finitum; *ergo* infinitum.

60. III P. Utrum partes dicendae sint esse in continuo actu et formaliter an potentia, aut utrum sint realiter distinctae actu an potentia est lis de verbo.

Nam si, esse actu et formaliter partes, significat eas esse divisas, sic non sunt actu sed potentia; si autem partes esse actu et formaliter significat esse in continuo secundum totam realitatem quae per divisionem obtinetur, sic partes sunt actu et formaliter. Imo partes actu et formaliter sunt solum dum uniuntur in continuo: nam cum sunt separatae inter se, iam non sunt partes formaliter et actu, sed sunt supposita independentia.

Et idem dicatur de quaestione utrum partes sint distinctae realiter actu an potentia. Nam si per distinctionem realem significatur eas realitates, quae per divisionem obtinentur, numquam fuisse identicas inter se, ita realiter distinguuntur: nam verum est eas partes quae per divisionem obtinentur, numquam fuisse identicas, secus numquam potuerunt dividi. Si autem esse realiter distinctas significat esse separatas, tunc partes in continuo non realiter distinguuntur: sed hoc est mutare significationem vocum, nam realiter distingui non est idem ac separata esse ea quae distinguuntur, sed non identificari.

Aliqui dicunt partes in continuo realiter distingui si designentur mentaliter, si autem non designentur mentaliter, non realiter distingui, sed potentia. Sed designatio mentalis vel alio modo facta, non facit divisibilitatem, sed eam praesupponit, et detegit et cognoscere facit.

61. Scholia. 1. Partes sunt in continuo ut divisae in potentia proxima, quia per solam divisionem obtinentur; non vero in potentia remotissima, sicut forma substantialis, quae educenda est, est in

materia; neque in potentia remota, sicut elementa sunt in mixto, iuxta antiquos.

2. Partes in continuo non efformant numerum: nam numerus sequitur divisionem, et partes in continuo non habent actualem divisionem, neque actuales limites, sed solum designabilitatem.

62. Obiectiones [2]. 1. Distinctio actualis significat pluralitatem; *atqui* in continuo nulla est pluralitas, sed unitas; *ergo* in continuo nulla est distinctio actualis partium, sed solum in potentia.

Transeat totum: ideo nos non dicimus partes in continuo realiter distingui actu, quia est lis de verbo: sufficit ut concedas in continuo esse totam realitatem illam partium quae per divisionem obtineri potest, et eas non creari per divisionem.

2. Si partes actu et formaliter distinguuntur in continuo, haberent suas figuras; *atqui* non habent suas figuras, secus haberent limites, *ergo* non actu et formaliter distinguuntur, sed potentialiter.

Transeat totum; ideo enim nos non diximus partes in continuo esse actu et formaliter, aut actu et formaliter distingui, quia est quaestio de nomine; sufficit ut concedas in continuo adesse totam realitatem quae per divisionem obtineri potest, et eas realitates non creari per divisionem, neque eas in continuo realiter identificari.

3. Si partes sunt in continuo actu et formaliter, aut si sunt realiter distinctae actu et formaliter, vel sunt finitae, vel infinitae; si infinitae, dicis aliquid absurdum; si finitae, vel sunt ulterius indivisibiles, vel divisibiles; si ulterius indivisibiles, continuum constabat ex simplicibus; si ulterius divisibiles, iterum instaurabitur quaestio, donec concedas continuum constare ex infinitis actu seu ex simplicibus.

Transeat totum: ideo nos non diximus partes esse in continuo actu et formaliter aut eas ibi realiter distingui actu, quia est lis de nomine: sufficit ut concedas entitates illas quae per divisionem obtineri possunt, esse in continuo, ita ut ne dicas aut ante divisionem identificari realiter, aut eas per divisionem creari aut produci quoad entitatem.

§ 2. De indivisibilibus continuantibus et terminantibus [3]

63. Praesuppositum. Indivisibilia sunt illa quae non possunt dividi secundum ullam vel secundum aliquas dimensiones, et sunt puncta, linea et superficies. Sic punctum est indivisibile secundum ullam dimensionem; linea est indivisibilis secundum latitudinem et profunditatem, est autem divisibilis secundum longitudinem; et superficies est indivisibilis secundum profunditatem, sed est divisibilis secundum latitudinem et longitudinem.

Haec indivisibilia sunt continuantia vel terminantia. Indivisibilia *continuantia* sunt illa quibus partes continui concipiuntur uniri; et sic punctum est quo uniuntur partes li-

---

[2] Urráb., *Cosmol.*, p.855ss.

[3] Arist., *De categoriis*, c.6, de quantitate; S. Thom. 1 q.52 a.2, et de mente S. Thom., cf. Urráb., p.969-870; Suárez, DM d.40 s.5; Urráb., p.864-891

neae; linea est qua uniuntur diversae partes superficiei, et superficies est qua uniuntur diversae partes voluminis. Indivisibilia *terminantia* sunt illa quibus terminatur volumen, nempe, superficies aut linea. Sed proprie loquendo non recte concipitur aliud indivisibile terminans nisi superficies. Nam punctum in vertice angulorum est continuativum linearum, et lineae, quibus terminantur superficies, sunt unitivae diversarum superficierum; sola superficies esset proprie indivisibile terminans.

Rursus haec indivisibilia possunt concipi ut entitates absolutae, quae saltem per potentiam Dei possint exsistere separatae ab omni subiecto, et consequenter indigeant modis unionis ut coniungantur cum partibus continui; vel ut modi, qui sint formalis ultima determinatio qua partes constituuntur unitae.

Status quaestionis: his positis quaeritur utrum dentur a parte rei indivisibilia continuantia et terminantia, quae sint realiter distincta a partibus continui, et utrum sint res absolutae an entitates mere modales.

64. Sententiae. *Prima sententia* docet non dari ulla indivisibilia continuantia aut terminantia realiter distincta a partibus continuis, sed solum ratione distincta cum fundamento in re.

A. *Et primo probant hanc thesim, de indivisibilibus terminantibus.* a) *Non dantur a parte rei:* quia terminari est solummodo non ultra progredi, non amplius realitatis habere; *atqui* hoc est mere negativum; *ergo* non dantur realitates positivae quibus res terminentur, et quae sint realiter distinctae a re terminanda.

b) *Tamen nos concipimus haec indivisibilia terminantia cum fundamento in re:* nam datur angulus, cuius vertex potest concipi cum praecisione a longitudine, latitudine et profunditate, et ita concipimus punctum. Datur in rebus longitudo, et haec potest concipi cum praecisione a profunditate et latitudine, et ita concipimus lineam. Tandem habetur in rebus aliquid positivum, quod est ultimum voluminis, et hoc possumus concipere cum praecisione a profunditate, et ita concipimus superficiem.

c) *Haec vero indivisibilia sunt entia rationis,* si nos concipimus ea exsistere sicut nos concipimus, nempe cum praecisione reali a continuo; sed si nos solummodo concipimus haec indivisibilia, ut realia quoad id quod concipitur, et

non quoad modum praecisionis a continuo, quo concipimus, non habetur ens rationis, sed realitas inadaequate concepta, sicut in quolibet alio universali vel conceptu praeciso verificatur.

B. *Secundo probant hanc thesin, de indivisibilibus continuantibus.* a) *Haec non possunt dari a parte rei:* quia si darentur, essent actu infinita, siquidem per illa unirentur omnes omnino partes, et hae non sunt finitae. Consequenter partes, quae essent inter duo puncta proxima, essent indivisibiles; nam si essent divisibiles, ibi adessent puncta, et consequenter illa puncta quae consideravimus antea non erant proxima, contra hypothesin.

b) *Sed tamen possumus ea concipere* cum fundamento in re. Nam partes sunt unitae realiter et non fictitie. Illa, autem unio realis potest concipi a nobis ut aliquid *ratione distinctum* a partibus, quia revera partes possunt esse unitae et separatae; et ut aliquid *indivisibile;* nam si esset divisibile, et illud haberet partes et indigeret alia unione, non autem esset unio.

c) *Haec indivisibilia sunt entia rationis,* si concipiantur ut realiter exsistentia secundum illam praecisionem a partibus; si autem non concipiantur realia secundum illam praecisionem, tunc erunt realia quoad id quod concipitur, quod est unio realis, non autem quoad modum quo illa concipimus ut aliquid realiter distinctum a partibus.

65. *Secunda sententia* tenet dari indivisibilia continuantia et terminantia, quae sint realiter distincta a partibus continui, et quidem ut entitates absolutas distinctas a modis unionis. Hanc sententiam tenent ARISTOTELES, ST. THOMAS, SCOTUS, SUÁREZ, TOLETUS, MASTRIUS, CAIETANUS, IO. A S. TH., et potest dici communis scholasticorum (URRÁBURU, p.867).

A. *Rationes, quas afferunt pro indivisibilibus continuantibus, sunt:* quia partes continui sunt unitae, non divisae; illa autem unio: a) est realis non ficticia; et realiter non potest identificari cum realitate partium, quia secus realitas partium non posset esse nisi unita; et b) illa unio realis et realiter distincta necessario est indivisibilis, secus constaret partibus iterum uniendis aliis indivisibilibus; *ergo* dantur indivisibilia continuantia, realiter distincta a realitate partium continui. Partes ergo lineae continuae uniuntur

punctis, et partes superficiei continuae uniuntur lineis, et partes continuae voluminis uniuntur superficiebus.

B. *Ratio quam afferunt pro indivisibili terminante est:* quia corpora possunt se tangere secundum superficiem et limitem positivum ultimum; *atqui* non possunt se tangere secundum profunditatem; *ergo* illa superficies et limes positivus ultimus est indivisibilis secundum profunditatem; *ergo* datur realiter indivisibile terminans realiter distinctum a partibus continui.

66. *Tertia sententia* tenet quidem dari indivisibilia continuantia et terminantia realiter distincta a partibus continui, quae sunt modi, non vero entitates absolutae ut volebat secunda sententia.

Quid nos sentiamus. Solutio huius problematis est adeo difficilis ut reputemus superiorem nostris viribus. Quare praescindemus ab hac discussione in difficultatibus quae ponuntur contra continuum, et solummodo dicemus: partes continui habere in continuo totam illam realitatem quae obtinetur per divisionem; eas tamen partes actu non esse divisas neque habere ullos terminos naturales; et ideo nullum numerum aut multitudinem conflabunt neque finitam neque infinitam: nam ubi non est divisio aut limes naturalis, non habetur multitudo neque finita neque infinita, sed unitas propria continui. Abstinebimus tamen a modo loquendi iuxta quem dicatur partes esse actu et formaliter vel solum potentia; et a locutione qua dicatur eas esse realiter distinctas actu vel solum potentia, quia huiusmodi locutiones et expressiones sunt valde aequivocae et solum gignunt lites de nomine, non de realitate ipsa. Si haec doctrina requirat indivisibilia continuantia aut terminantia, realiter a partibus distincta, haec sunt admittenda. Sed si ad eam doctrinam salvandam non requirantur indivisibilia continuantia aut terminantia, non est cur ea defendamus.

ARTICULUS IV

DE REALITATE CONTINUI

Thesis 3. Corpora saltem spectatis ultimis particulis sunt formaliter continua.

67. ARIST., 6 *Phys.*, et ibid. ST. THOMAS et SYLVESTER MAURI; ST. THOM., *De natura materiae;* et *In 7 Met.* lect.6; BALMES, *Filosofía fundamental,* II c.5; URRÁBURU, p.815-840; HOENEN, *Congressus Cosmol.*, I 129-147; PUIG, I, *Cong. Cosm.*, I p.89-111; MÓNACO, *Cong. Cosm.*, I 115; MAIER, *Anneliese. Das Problem der quantitas materiae in der Scholastik:* Greg 27 (1946) 89-109.

68. **Nexus.** In articulis praecedentibus examinavimus naturam continui hypothetice et mathematice. *Hypothetice,* quia non contendebamus dari continuum in rebus, sed quaenam esset eius natura in hypothesi quod daretur in rebus. *Mathematice,* quia considerabamus continuum praecise ut quantum et extensum, sicut solent considerare mathematici, praescindentes a natura seu essentia corporis in quo verificatur continuum: nam fortasse si consideramus corpus in tali natura, v. c. in natura auri, illa non sit divisibilis in infinitum, eo quod periret forma qua informatur, et sic vel generaretur aliud compositum, vel forte periret materia et quantitas in qua erat illa natura: sed tamen considerato illo corpore solummodo ut est quantum, et in hypothesi quod illa quantitas non periret, sed Deus illam conservaret, tunc continuum esset divisibile in infinitum.

Nunc autem volumus examinare utrum continuum detur in rebus physicis, an non; et iam non admittimus ullas difficultates contra possibilitatem continui, sed solummodo contra argumenta quibus probatur eius realitas.

69. **Notiones.** CORPUS philosophice spectatum est compositum ex materia prima et forma substantiali. Sed quia nondum demonstravimus hanc esse essentiam corporis, nunc debemus illud describere ut ens, quod est extensum et habet trinam dimensionem in longum, latum et profundum.

ULTIMAE PARTICULAE sunt particulae minimae in quas dividitur corpus, et possunt exsistere separatae ab aliis; iuxta scientificos hae particulae sunt protones et electrones. Molecula enim non est ultima particula, nam ea constat atomis separatis. Neque atomi sunt ultimae particulae, quia atomi constant corpusculis separatis. Antiqui etiam admittebant ultimas particulas quas vocabant minima naturalia; eas tamen admittebant solum in corporibus in fieri, seu in synthesi vel resolutione, non autem in facto esse. Et ideo admittebant continuum in magnis molibus et non solum in minimis particulis.

CONTINUUM EST extensum, cuius partes sine ulla interruptione coniunguntur; vel, ut ait ARISTOTELES, continua sunt

illa, quorum extrema communi vinculo tenentur, seu quorum extrema sunt unum. Potest esse formale et virtuale: virtuale est illud quod constat partibus simplicibus, sed ita ut illae partes spatium occupent, eo quod singulae particulae simplices sint totae in toto et totae in singulis partibus. Formale autem est illud quod constat partibus extensis, et de se ulterius divisibilibus, saltem in quantum sunt extensae. Et hoc potest esse perfectum et imperfectum: *perfectum,* si caret poris; *imperfectum,* si habet poros.

Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum a parte rei et physice detur continuum saltem in minimis particulis, ita ut constent partibus divisibilibus.

70. Sententiae: Omissis sententiis subiectivistarum, ut sunt idealistae, kantiani, sceptici, tres sunt de hac re sententiae.

Prima sententia docet non dari a parte rei continuum formale, sed solum entia simplicia separata seu distantia inter se, quae faciunt impressionem continui, sicuti a parte rei non dantur colores formaliter, et tamen faciunt impressionem colorum. Sic P. Boscowich et Carbonelle. Leibniz autem ne admittit quidem ullam distantiam realem inter particulas simplices, et dicit non dari extensionem sed phaenomenum bene fundatum extensionis.

Secunda sententia est P. Palmieri. Ille dicit corpora non esse continua formaliter. Corpora constant entibus simplicibus et quidem finitis numero, quae se tangunt; sed constituunt spatium reale et continuum virtuale, quia illa entia simplicia occupant spatium ad modum spirituum: nam sunt tota in toto aliquo spatio, et tota in singulis spatii partibus; per activitatem internam exercent resistentiam, et ideo non confluunt omnia in unum punctum. Fundamentum sententiae est quia ex una parte servatur continuum, et ex alia parte liberamur a difficultatibus continui [1].

Tertia sententia est communis scholasticorum antiquorum: Dicunt corpora esse formaliter continua et quidem non solum in minimis particulis de quibus loquitur scientia, sed etiam in magnis molibus, licet pori non negentur. Hoc imitatur P. Hoenen, qui dicit continuum dari in crystallis etiam in magnis molibus.

Quarta sententia est scholasticorum recentiorum. Admittunt discontinuitatem materiae etiam in crystallis ut vult

[1] Et simile quid dixerunt Lossada, Quirós, Ulloa.

scientia moderna, et dicunt saltem in minimis particulis servandum esse continuum formale, constans partibus extensis et semper divisibilibus[2].

Hanc sententiam tenemus et nos.

71. Probatur thesis. *Prob. 1. (Positive.)* Fidendum est testimonio sensuum, si hoc non corrigitur per experientiam neque per intellectum; *atqui* testimonium sensuum dat nobis continuum in corporibus, et hoc testimonium non corrigitur per experientiam neque per intellectum; *ergo* corpora sunt formaliter continua, saltem in minimis particulis.

Maior constat: sensus enim sunt per se veraces; *ergo* in debitis adiunctis debemus eis fidere.

Minor: a) Constat apud omnes, sensus nostros testificari continuum, quod sit semper extensum, quaecumque realitas corporis designetur. b) Neque hoc corrigitur per experientiam: nam licet adhibeantur potentissima instrumenta, semper dant extensionem continuam. c) Neque corrigitur per intellectum. Nam intellectus, examinando facta scientifica, solum dat discontinuitatem in magnis molibus, sed non dat ultimas particulas esse simplices. Praeterea intellectus a priori non ostendit impossibilitatem continui ut probavimus in articulo secundo.

72. *Prob. 2. (Ex refutatione adversariorum.)* Nam corpora aut constant entibus simplicibus non inflatis ad modum Boscowich, aut entibus simplicibus inflatis ad modum P. Palmieri, aut partibus extensis et divisibilibus sine fine. *Atqui* est impossibile admittere sententiam P. Boscowich aut P. Palmieri; *ergo* dicendum est corpora constare ex partibus extensis et sine fine divisibilibus.

Maior constat, et *minor probatur* per partes.

A. *Non potest admitti corpora constare ex entibus simplicibus et distantibus, ut vult P. Boscowich.* Nam quaero: vel ista simplicia distarent vel non distarent. Si non distarent, se tangerent; et si se tangerent, dispareret extensio, quia coinciderent secundum se tota, ut est evidens. Si distarent, sequerentur varia incommoda: primum est dari actionem in distans inter illa simplicia. Secundum inconveniens est spatium interpositum inter simplicia, esse chimaericum, unde non potest conferre ad explicandam extensionem. *Antec.*

---

[2] Posuerunt continuum constitui ex partibus quidem extensis, sed infinite parvis, et ideo indivisibilibus, Gutberlet, Balmes, *Fil. fundam.*, II l.1 c.5; et Gredt, I n.334; et similiter Lepidi, qui addit illa minima esse tota in toto et tota in singulis partibus.

Esset chimaericum, quia esset posterius et non posterius extensione reali. Esset posterius extensione reali quia spatium de se est ens rationis, fundatum in extensione, ideoque posterius extensione. Esset prius extensione reali quia hic affirmatur spatium esse prius extensione, et per illud spatium interpositum inter simplicia explicari extensionem.

B. *Neque potest admitti continuum virtuale P. Palmieri.* Haec sententia admitti nequit si est gratuita, mira et inaudita, et si est incohaerens; atqui ita se res habet; ergo continuum virtuale admitti nequit.

Maior constat, et minor probatur. Et in primis est *a)* gratuita: nam nullo solido fundamento nititur; si enim contra continuum formale sunt difficultates, possunt solvi sat rationabiliter. *b)* Est mira et inaudita; nam dicit corpus esse talis naturae ut sit totum in toto et totum in singulis partibus designabilibus intra illud; hoc vero est excellentia propria spirituum vel ad summum est excellentia formarum viventium, quae a multis censentur simplices et esse totae in toto et totae in singulis partibus; ergo non debet tribui corporibus. *c)* Est denique incohaerens. Nam P. Palmieri reicit continuum formale solum quia in eo reperit contradictiones, quarum praecipua est quod in illo admittenda esset multitudo actu infinita; sed ex alia parte admittit spatium concipiendum esse ut continuum formale, et in eo non reperit illam contradictionem; ergo non sibi cohaerens est, cum ex una parte dicit continuum formale includere contradictionem, et ex alia parte admittit non includere contradictionem.

C. Neque potest dici cum quibusdam, partes continui esse extensas formaliter, sed tamen infinite parvas, et ideo iam non divisibiles in alias. Nam si partes sunt infinite parvae sed extensae, habent intra se realitates designabiles distinctas, quarum alia non est alia, et ideo sunt divisibiles saltem metaphysice et per omnipotentiam Dei. Si autem sunt infinite parvae et inextensae, tunc defendunt continuum componi ex simplicibus, quod ipsi nolunt admittere.

73. Obiectiones[8]. 1. Testimonium sensuum negat etiam discontinuitatem in magnis molibus; *atqui* tamen datur illa discontinuitas; *ergo* testimonium sensuum in hac parte non est validum.

Dist. mai.: negat positive, si caute procedamus, *nego;* negat mere negative, quia illas discontinuitates non videt, *conc.;* et *concessa min.; contradist. cons.:* non est validum ad negandas discontinuitates, *conc.;* ad affirmandum dari continuum, *nego.* Discontinuitates non possunt influere in sensum, et ideo illas non potest testificari

[8] Urráb., p.831-840, et Morán, p.72.

sensus; sed realitates continuae possunt influere in sensus, et ideo hi possunt recte de illis testificari.

2. Universalia sunt in rebus solum fundamentaliter; *ergo* pariter continuum est solum fundamentaliter in rebus (nempe quia fortasse non sint nisi entia simplicia distantia quae faciunt impressionem continui).

Dist. antec.: quoad id quod concipitur, *nego;* quoad modum quo concipiuntur, cum praecisione *conc.;* et *nego cons. ob disparitatem.* Disparitas consistit in hoc: quod id quod cognoscitur per universalia in cognitione directa est formaliter in rebus: quare si ego percipio, "homo", est a parte rei formaliter homo, absolute spectatus; si in continuo darentur solum entia simplicia, res ipsa concepta non esset realis neque quoad id quod: quia id quod cognoscitur est continuum, et illud a parte rei non esset.

3. Sensus sunt nobis dati ad praxin, non ad speculationem; *atqui* ad praxin est omnino indifferens utrum res sint continuae formaliter an virtualiter an sint entia simplicia discontinua; *ergo* testimonium sensuum circa has speculationes non est aptum.

Dist. mai.: solum ad praxin, *nego;* etiam ut homo cognosceret veritatem, *conc.; et concessa minore, contradist. cons.:* si dati sunt solum ad praxin, *conc.;* si etiam ad cognoscendam veritatem, *nego.*

4. Sensus dant colores formales; *atqui* tamen non sunt formaliter sed solum virtualiter; *ergo* pariter, licet sensus dent continuum, hoc non est formaliter in rebus, sed solum virtualiter.

Conc. mai. et min. et *nego cons. ob disparitatem:* testimonium sensuum corrigitur per experientiam et intellectum, et quidem facile et facilibus experimentis. Sic in experimento umbrarum coloratarum, videmus colores formales, et tamen, si vel parum cogitemus, statim apparet illos colores non esse in superficie colorata, neque in medio neque in retina, sed solummodo esse subiective constructos a sensu. In experimento colorum contrapositorum (por contraste), videmus colores formales, et tamen si vel parum attendamus statim cernimus illos colores non esse in superficie colorata, neque in medio neque in retina, sed esse constructos subiective a sensu. Et contra accidit in continuo formali: hoc non corrigitur ab experientia et ratione, sed quo plures fiunt experientiae, certius apparet continuum formale.

5. Si admittitur continuum formale in rebus, plurima sequuntur absurda, quae iam supra, n.53, recensita sunt; *ergo* non est admittendum.

Ad solutionem harum difficultatum vide n.53ss.

CAPUT II

De essentia quantitatis

74. Introductio. Essentialis ratio quantitatis solum verificatur in continuo; ideo debuimus in tuto collocare, non solum possibilitatem, sed etiam realitatem continui; et sic iam constat de realitate quantitatis. Nunc ulterius debemus investigare essentiam intimam quantitatis, quod faciemus duplici articulo. *Primus* erit utrum quan-

titas sit accidens absolutum realiter distinctum a substantia, quod possit saltem miraculose conservari separatum a substantia corporea; et *secundus* erit circa effectum formalem primarium quantitatis, nam per effectus essentiae rerum cognoscuntur.

ARTICULUS I

DE DISTINCTIONE QUANTITATIS A SUBSTANTIA CORPOREA

Thesis 4. Non ostenditur absolute repugnare ut quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia corporea, atque ut ab illa separata conservetur miraculose.

75. ARISTÓTELES, 2 *De anima* c.6; 7 *Met.*, c.1; 14 *Met.*, c.1.2; ST. THOMAS in haec loca, et 4 CG, c.65; SUÁREZ, DM d.40 s.1.2; URRÁB.: notiones in p.707-732; distinctio a substantia, p.733-755; BOYER, I p.387; COTTER, p.237; DONAT, ed.9.ª-10.ª n.22; GREDT, I p.232; HOENEN, p.42; PESCH, TILMANN, II n.353-355; SCHAAF, n.101; ROZWADOWSKI, A., S. I. *De perceptione substantiae et de eius habitudine ad accidentia:* Greg (1926) 73-96; MAQUART, p.60; TONGIORGI, *Cosmol.*, n.227ss.

76. Notiones. NON OSTENDITUR ABSOLUTE REPUGNARE: non contendimus probare quantitatem posse de facto conservari separatim a substantia, sed mere negative docemus non ostendi repugnare, seu argumenta quae solent afferri ut ostendatur haec repugnantia esse invalida.

QUANTITAS; post probationem theseos constabit illam esse accidens absolutum, vel non ostendi repugnantiam in eo quod sit accidens absolutum. Sed ante probatam thesin possumus eam definire ut id *quo quantum est quantum.* Per hoc nondum praeiudicatur quaestio utrum sit aliquid realiter distinctum a subiecto quanto, an solum ratione, sicut abstractum a concreto. Sed hoc abstractum cognoscere non valemus nisi cognoscamus concretum quod resultat ex illo. Definiendum est igitur quantum concretum, et hoc sic definivit Aristoteles [1]: est illud quod est divisibile in ea quae insunt, quorum utrumque vel unumquodque, unum quid et hoc aliquid aptum est esse [2]. Haec verba satis explicata sunt supra (n.23).

ACCIDENS est ens cui debetur esse in alio tanquam in subiecto inhaesionis. Hoc est accidens quod vocatur strictissimum, et alii vocant physicum seu reale, per oppositionem ad accidens metaphysicum seu secundum modum concipiendi. Subiectum autem inhaesionis est illud quod recipit aliquam formam, dependentem ab illo, et quae non constituit cum

[1] Def. quant. ARISTOT., 5 *Met.*, c.13, et ST. THOM., ibid., lect.5; et SUÁREZ, DM d.40 s.1 ubi explanat et ARISTOT. et ST. THOMAM.

[2] Occasione quantitatis multi tractant de *numero*, sed melius tractatur in Ontol. ubi de uno. Cf. SUÁREZ, DM d.41 s.1; URRÁB., *Ont.*, p.255, et *Cosm.*, 715.

subiecto unum per se, seu unam naturam et substantiam. Hoc subiectum distinguitur a subiecto sustentationis et a subiecto informationis. Nam subiectum sustentationis est quod recipit formam dependentem ab illo et quae constituit cum eo unum per se; tale subiectum est corpus respectu animae caninae. Subiectum informationis est illud quod recipit formam, non dependentem in esse ab illo, quae tamen constituit cum illo unum per se, ut est corpus respectu animae rationalis (cf. S. CUESTA, *Ontologia,* p.355ss.).

DISTINCTIO est negabilitas unius de alio in recto: sicut Petrus non est Paulus.

Distinctio potest esse realis et rationis. Distinctio *rationis* viget inter formalitates quae diversimode definiuntur, sed in re identificantur, ut sunt in homine: animal et rationale. Distinctio *realis* est illa quae viget inter rationes quarum una non est alia independenter a mentis consideratione, ut sunt Petrus et Paulus.

Distinctio realis potest esse maior et minor: *maior* viget inter realitates quae possunt exsistere invicem separatae sive naturaliter sive miraculose; et *minor* viget inter rem absolutam et modum, qui, licet sit separabilis a subiecto, non tamen potest exsistere neque per miraculum sine subiecto.

77. Status quaestionis. Occasio huius problematis est mysterium Eucharistiae, in quo manent species panis et vini, et tamen non manet substantia panis et vini. Species autem, iuxta theologos, sunt aliquid obiectivum, et pertinens ad substantiam panis et vini, quod tamen nullatenus est substantia panis et vini: et si hoc est verum, non possunt esse aliud nisi quantitas et alia accidentia separata a substantia. Sed nos examinabimus rem solummodo ex ratione naturali; et quaerimus utrum ostendatur repugnare ut quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia, et possit conservari separata ab illa.

78. Sententiae. *Prima* sententia est nominalium. Hi docent tam substantiam materialem quam qualitates habere suas quantitates, ita ut quantitas substantiae identificetur cum substantia, quantitas qualitatum coloris, saporis, ponderis, identificetur cum singulis his qualitatibus. Consequenter docent in Eucharistia manere quidem quantitates qualitatum, non vero manere quantitatem substantiae. Sed haec opinio solet reici: quia quantitas est impenetrabilis; iam vero qualitates compenetrantur cum quantitate; ergo qualitates non

habent quantitatem propriam; unde si manet aliqua quantitas realis in Eucharistia, illa est quantitas panis et vini separata a substantia.

79. *Secunda* sententia est eorum qui, *a)* cum CARTESIO [3] dicunt quantitatem seu extensionem identificari realiter cum substantia corporea. Cum igitur in transubstantiatione non remaneat quippiam de substantia panis et vini, non remanet quippiam de quantitate. Debent igitur explicare quomodo in Eucharistia remaneat apparentia quantitatis panis et vini, et hoc explicant diversis modis. Nam Maignan, Saguens et Tosca cum aliis cartesianis, dicunt solummodo dari impressiones receptas in sensibus nostris, productas active a solo Deo. *b)* PALMIERI dicit remanere in loco ubi erat panis et vinum totam substantiam aetheris qui erat intermixtus in substantia panis et vini, et easdem facere impressiones in nostros sensus quas faciebant panis et vinum. *c)* TONGIORGI dicit remanere in Eucharistia resistentiam obiectivam causatam a solo Deo. *d)* FRANZELIN dicit remanere in Eucharistia easdem penitus actiones quas producebant panis et vinum, non vero eamdem quantitatem aut alia accidentia panis et vini.

Tamen hae sententiae reiciuntur a theologis. Hi enim solent dicere in Eucharistia manere aliquid obiectivum et permanens, et illud pertinuisse ad panem et vinum, et manere sine subiecto. Iam vero *a)* MAIGNAN non ponit aliquid obiectivum; *b)* PALMIERI et TONGIORGI ponunt aliquid obiectivum et permanens, sed illud non pertinet ad panem et vinum ut aliquid eius. *c)* FRANZELIN quidem ponit aliquid obiectivum et permanens, et pertinens ad panem et vinum, sed quod sit contradictorium: nam actio panis et vini est modus, dicens relationem transcendentalem ad causam unde procedit: ex quibus duobus, concluditur actionem panis et vini neque posse exsistere separatam sicut neque ullum modum, neque posse a Deo solo procedere, quia dicit relationem transcendentalem ad causam creatam.

80. *Tertia* sententia tenet tria: primum, negative, non ostendi repugnantiam in eo quod quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia et separatim ab ea conservari posse miraculose; secundum, positive, ostendi probabiliter quantitatem esse accidens realiter distinctum a substantia et sepa-

---

[3] CARTESIUS docuit quantitatem esse ipsam essentiam corporis, et hanc esse solummodo extensionem actualem: Principia, p.2.ª § 4.

ratim ab ea conservari posse; et tertium, de facto in Eucharistia conservari separatam a substantia.

81. *Nostra sententia* est eadem quoad primam partem, nempe non ostendi repugnantiam realis distinctionis et separabilitatis, et de reliquis partibus in scholiis aliquid dicemus. Non igitur contendimus demonstrare realem distinctionem quantitatis a substantia, aut possibilitatem existentiae separatim a substantia; sed mere negative asserimus non ostendi repugnantiam in his duobus.

82. Probatur thesis. I P. Non ostenditur repugnare quantitatem realiter a substantia distingui.

Etenim repugnantia realis distinctionis ostenderetur aut ex generali ratione accidentis aut ex particulari conceptu quantitatis; *atqui* ex neutro capite ostenditur repugnantia; *ergo* non ostenditur repugnare ut quantitas a substantia realiter distinguatur.

Maior constat, quia disiunctio est perfecta. Et *minor* probatur A. *Non ostenditur repugnantia distinctionis ex ratione communi accidentis:* in notione accidentis realiter distincti sunt hae duae notae: et quod sit realitas, et aliunde quod sit tam tenuis in vi exsistendi ut egeat inhaerere in substantia realiter distincta; in quibus non est affirmatio et negatio eiusdem rei et respectus, sed solum duplex affirmatio, nempe, et quod accidens sit realitas et quod sit tam tenuis virtutis ad exsistendum, ut egeat subiecto realiter distincto in quo inhaereat. Ceterum iam probatum est in Ontologia, non solum non repugnare distinctionem realem accidentis a substantia, sed etiam dari de facto accidentia realiter distincta.

B. *Non ostenditur repugnantia realis distinctionis quantitatis a substantia ex particulari ratione quantitatis.* Nam quantitas hoc habet peculiare, quod semper comitetur substantiam corpoream, et quod substantia materialis definiatur ut substantia quanta. Unde volunt concludere quod si quantitas semper comitatur substantiam, et si substantia definitur per quantitatem, haec realiter non distinguitur a substantia. Sed licet quantitas comitetur semper substantiam, hoc potest significare quantitatem esse proprietatem essentialem substantiae ut accidens eius; et si substantia definitur per quantitatem, definitur per illam ut per proprietatem quae semper illam comitetur, non ut per constitutivum substantiae.

83. II P. Non ostenditur repugnare ut quantitas conservetur separata a substantia corporea.

Nam repugnantia ostenderetur aut ex generali ratione accidentis aut ex peculiari ratione quantitatis; *atqui* ex neutro capite potest ostendi illa repugnantia; *ergo* non ostenditur repugnare ut quantitas servetur separata a substantia.

Maior constat, quia est disiunctio perfecta. Et *minor* probatur.

A. *Non ostenditur illa repugnantia ex generali ratione accidentis.* Nam illa repugnantia ostenderetur aut ex identitate accidentis cum substantia, aut ex necessitate influxus substantiae in accidens ut exsistere possit, aut ex necessitate inhaerentiae. Iam vero ex nullo capite ostendi potest illa repugnantia: quia accidens non identificatur necessario cum substantia, ex parte praecedente. Influxus substantiae in accidens requiritur naturaliter loquendo, et exigitive, sed actu et miraculose potest ille influxus praestari a Deo, non in ordine causae materialis seu in ordine subiecti inhaesionis, sed certe in ordine causae efficientis. Inhaerentia quidem accidentis in substantia est de ratione accidentis, sed solum exigitive, non etiam actualiter. Nec denique accidens separatum converteretur in substantiam, quia licet actu exsisteret in se, sed tamen exigit essentialiter esse in substantia ut in subiecto inhaesionis.

B. *Neque ostenditur illa repugnantia separabilitatis ex peculiari ratione quantitatis:* nam quantitas hoc habet speciale, quod sit extensiva substantiae et transcendentaliter referatur ad substantiam. Sed licet sit separata, est extensiva substantiae saltem exigitive; et praeterea refertur semper ad substantiam, quia exigit illam extendere, licet actu non extendat per interventum miraculosum [4].

84. Corollarium. *Ergo* quantitas est accidens physicum et absolutum substantiae materialis, ut proprietas essentialis eius. Est accidens physicum, quia est distinctum realiter a substantia, et non potest exsistere naturaliter nisi inhaerens in substantia, et illam formaliter extendens. Est proprium, quia comitatur substantiam semper, et necessario, unde ab ea emanat inevitabiliter. Saltem hoc non ostenditur repugnare.

85. Scholia. De subiecto inhaerentiae accidentium. Quantitas inhaeret immediate substantiae; reliqua autem accidentia qualitativa inhaerent immediate quantitati, et quidem naturaliter. Nam in quantitate eucharistica manent omnes qualitates et potentiae activae substantiae, et non constat in hoc esse miraculum. Consequenter inhae-

[4] SUÁREZ, *De Eucharistia,* d.56 s.2 n.9, ait quantitatem exsistere separatam actione divina peculiari et addito modo quasi subsistentiae, quo exsistat de facto in se.

rent quidem substantiae sed solum media quantitate; et per illas qualitates substantia agit, non eliciendo actiones, sed solum in quantum eas sustentat, et in quantum est radix earum; elicitive solae potentiae operantur, non substantia.

86. 2. Potestne per solam rationem probari positive quantitatem esse accidens realiter distinctum et separabile? URRÁBURU et multi hoc contendunt, et quidem triplici ratione: a) Primum ex auctoritate ARISTOTELIS, qui expresse dicit quantitatem non esse substantiam (U 741). b) Secundum quia quantitas est sensibilis per se et substantia solum per accidens. c) Et tertium quia in composito sunt, ratione formae, aliquae qualitates distinctae ab illa, ut sunt color, et diversae potentiae; ergo a pari in composito erit aliquod accidens illi conveniens ratione materiae, et hoc non potest esse aliud nisi quantitas[5].

Crisis, ad a): Certe verba ARISTOTELIS sunt satis expressa. Ad *b)* licet quantitas identificaretur cum substantia, posset esse sensibilis per se, ut ornata qualitatibus sensibilibus, et sensibilis per accidens quoad entitatem, v.c. utrum sit substantia vel accidens. Ad *c):* Accidentia quae possint convenire ratione materiae sunt v.c. figura, resistentia, non vero quantitas aut extensio, quia quantitas seu extensio est idem ac substantia, ut posset aliquis dicere.

87. 3. Quomodo constat ex Theologia quantitatem a substantia realiter distingui?[6] In documentis theologicis haec habentur: *a)* CONCILIUM TRIDENTINUM dicit manere species sine substantia panis et vini (D 884), quod licet non sit definitio stricta, pertinet tamen ad doctrinam catholicam. *b)* CONCILIUM CONSTANTIENSE condemnat contra WICLEFFUM hanc propositionem: "accidentia non manent sine subiecto in Eucharistia"; *c)* Et LEO XIII intelligit hanc doctrinam sic: "panis et vini species nulla re subiecta, divina virtute conservantur" (ASS 34,645). Ex quibus theologi hanc doctrinam adstruunt: Aliquid panis et vini obiective adest post transubstantiationem, quod vocatur species et accidentia. Hoc vero est *aliquid* quod pertinebat ad

---

[5] Has rationes adducit ARIST., 3 *Met.*, c.5, et 7 *Met.*, c.3, et 14 *Met.* c.1, et 2; et 1 *Physic.*, c.2. Sic v. c. 7 *Met.*, c.3, ait: longitudo, latitudo et profunditas quantitates quaedam sunt, *sed non substantia;* quantitas enim non est substantia, sed magis cui haec insunt; et 1 *Physic.*, c.2 ait: quantitatem non esse substantiam, et hanc non esse per se divisibilem, sed per quantitatem; et 7 *Met.*, c.3, ait: materia per seipsam neque quid *neque quantum*, neque aliud quoddam dicitur quibus ens determinatur.

[6] ST. THOMAS: Non enim negari potest accidentia panis et vini remanere (post transubstantiationem) cum sensus hoc infallibiliter demonstret 4 CG c.65. Et SUÁREZ, *De Eucharist.*, d.56 s.1, initio: Supponimus ut certum manere aliqua accidentia panis et vini, consecratione peracta, quod non solum fides certo docet, ut patet ex concilio Trid. (sess.13 can.2) sed etiam sensibus est manifestum. Quamquam non defuerit unus PETRUS DE ALLIACO, qui dixerit sensibus non satis indicari an illa sint vera an apparentia, posseque probabiliter negari. Quod si verum est, nullum plane iudicium ob sensuum experimentum potest esse certum etiam in obiectis propriis ac per se ipsorum sensuum: quo nihil potest dici absurdius.

Et cf.: FRANZELIN, *De Eucharist,* th.16; FILOGRASSI, G., S. I., *La realtà oggettiva delle specie eucaristiche secondo il cardinal Franzelin:* Greg 18 (1937) 395-409; OROMÍ, MIGUEL, O. F. M., *El concilio de Trento y la teoría substancia-accidentes en la Eucaristía:* Verdad y Vida 1 (1945); IDEM, *Substancia y especies en la Eucaristía:* ibid., 9 (1953) 97-107; SELVAGGI, F., S. I., *Il concetto di sostanza nel dogma eucaristico in relazione alla Fisica moderna:* Greg (1949) 7-45; DI VITTORIO, VINCENZO, *Sostanza e specie nella Eucaristia:* Sophia (1952) 329-350; ITURRIOZ, J., S. I., *Philosophiae Scholasticae Summa,* I (BAC, Madrid 1953) 786-797; S. CUESTA, S. I., *Ontología* (Santander 1948) 355-366.

panem et ad vinum, licet non sit eius substantia, quae tota conversa est in substantiam corporis Christi: illud autem *aliquid* manet sine subiecto, "nulla re subiecta", per divinam virtutem. Ex his philosophus dicit: illam entitatem non posse esse nisi accidens; *ergo* et quantitas et reliqua adspectabilia quae manent in eucharistia, sunt accidentia realiter distincta a substantia panis et vini [7]. Imo addit P. Aldama: "hoc posito, impossibile est ut vere unquam probetur a scientia physica repugnare vel non repugnare dari talem realem distinctionem".

88. Obiectiones [8]. 1. Quantitas non est nisi modus substantiae, quo habet partes extra partes; *atqui* impossibile est modum conservari separatum a subiecto; *ergo* impossibile est quantitatem conservari separatam a substantia.

Nego mai.: non necessario est modus, sed potest esse accidens absolutum, vel saltem hoc non ostenditur repugnare.

2. Licet materia spolietur ab omni alia re distincta ab ipsa, adhuc habebit partes extra partes; *atqui* hoc est esse quantam; *ergo* materia seipsa est quanta (ideoque quantitas non est aliquid distinctum ab illa).

Dist. mai.: partes entitativas, *conc.;* quantitativas seu extensivas, *nego; et contradist. min.:* quantitas est habere partes entitativas, *nego;* partes extensivas, *concedo.*

Partes illae materiae, non exigunt proxime esse actu extra alias, neque habent incompenetrabilitatem, et ab angelo sine miraculo possent reduci in punctum. Materia proxime exigit quantitatem, et remote per quantitatem exigit extensionem.

3. Quantitas est id quo corpus primo differt a spiritu; *atqui* spiritus et corpus essentialiter differunt; *ergo* quantitas est aliquid essentiale et constitutivum materiae et non eius accidens.

Nego mai. Corpus differt primo a spiritu, quia corpus habet partes entitativas integrales, et exigit habere quantitatem, quae duo desunt in spiritu.

4. Sicut se habet quantitas successiva seu duratio ad motum, ita se habet quantitas permanens ad substantiam; *atqui* duratio successiva non distinguitur a motu; *ergo* neque quantitas a substantia.

Nego paritatem ex demonstratis: nam quantitas est separabilis a substantia, duratio autem neque separatur neque separabilis est a motu, ob identitatem cum illo.

89. 5. Praecipuum fundamentum nostrae theseos est doctrina conciliorum Constantiensis et Tridentini; *atqui* hae doctrinae intelliguntur a multis theologis in alio sensu; *ergo* doctrina nostra non habet fundamentum.

Resp. 1. Nego mai.; nam si hoc esset verum, nostra doctrina esset conclusio theologica et nequaquam thesis philosophica. Nostra thesis est negativa, et solum dicit non ostendi impossibilitatem ut quantitas sit accidens realiter distinctum et conservabile separatim a substantia, et haec thesis sola ratione demonstratur. Occasio nostrae theseos sic intellectae, fuit illa doctrina conciliorum, sed haec doctrina non est fundamentum aut praemissa ad probationem.

Resp. 2. Theologi reiciunt ordinario omnem aliam interpretationem quae neget realem distinctionem quantitatis a substantia (Aldama, ibid., p.289,e).

---

[7] Aldama, J. A. de, S. I., *Sacrae Theol. Summa* 3 (BAC, Madrid) p.288.
[8] Urráb., p.751ss.

6. Quantitas dicit resistendi vim; *atqui* vis non potest exerceri nisi per substantiam; *ergo* licet quantitas esset distincta a substantia, tamen non posset exerceri sine substantia nec separari a substantia.

Resp. 1. Nego mai.; quantitas est forma quae seipsa dicit primo exigentiam extensionis; et magis remote exigit formam impenetrabilitatis, quae est vel vis, vel forma statica seipsa incompossibilis cum alio corpore in eodem loco.

Resp. 2. Licet esset vis, posset esse separata a subiecto et exerceri sine subiecto, ex probatis.

7. Quantitas separata subsisteret in se; *atqui* nullum accidens est subsistens in se; *ergo* quantitas non potest esse separata. *Min.;* quia esset substantia.

Dist. mai.: de iure ut suppositum, i.e. ut substantia completa non ordinata ad aliud afficiendum, *nego;* de facto, *subdist.:* cum exigentia tamen inhaerendi, *conc.;* sine illa exigentia, *nego. Ad probationem, dist. assert.:* si non exigeret esse in alio, *conc.;* si exigit esse in alio, *nego.*

8. Quantitas dicit relationem transcendentalem ad subiectum; *ergo* non potest separari ab eo. *Maior:* quia totum eius officium est quantificare substantiam.

Dist. antec.: quia exigit inhaerere substantiae, *conc.;* quia actu debet esse in substantia, *subdist.:* naturaliter, *conc.;* si fiat miraculum, *nego.* Et *contradist. cons. Et probationem eodem modo dist.:* exigitive quantificat, *conc.;* actu, *subdist.:* naturaliter, *conc.;* si interveniat miraculum, *nego.*

90. 9. Si Deus suppleret influxum substantiae ut quantitas separatim ab illa conservaretur, Deus converteretur in subiectum quantitatis; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* Deus non potest supplere influxum substantiae, ideoque quantitas non potest sine substantia esse.

Dist. mai.: Si suppleret in ordine causae materialis aut subiectivae, *conc.;* si solum in ordine causae efficientis, *nego.* Et *contradist. min.*

Deus sua actione facit ut illa quantitas conservetur separata, licet non exerceat ullum influxum proprium causae materialis.

10. Quantitas est purum ens quo; *atqui* de ratione entis quo, est ut non possit esse nisi in composito; *ergo* quantitas non potest esse nisi in composito. *Antec.:* quia est accidens; *atqui* accidens non est ens, sed entis; *ergo* est purum ens quo.

Dist. mai.: ut entitas absoluta, *conc.;* ut entitas modalis, *nego;* et *contradist. min.:* ens quo ut res absoluta, *nego;* ut entitas modalis, *conc. Ad probationem dist. mai.:* est accidens absolutum, *conc.;* modale, *nego.* Et *concessa min., contradist. cons.:* est ens quo purum modale, *nego;* est ens quo purum absolutum, *conc.*

Etiam anima rationalis est ens quo, et tamen exsistit separata etiam naturaliter. Et materia et forma substantialis sunt entia quibus, quia tota earum essentia dicit relationem ad compositum; et tamen sine ulla dubitatione possunt separatim conservari per virtutem divinam.

11. Quantitas seu extensio comitatur semper et ubique corpus; *ergo* pertinet ad eius essentiam.

Dist. antec.: comitatur ut constitutivum, *nego;* ut proprietas *conc.;* et *contradist. cons.:* si comitaretur ut constitutivum, *conc.;* si ut proprietas, *nego.*

12. Si substantia corporea distingueretur a quantitate, illa non

distingueretur ab spiritu; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non distinguitur a substantia. *Antec.:* quia esset inextensa sicut spiritus.

Nego mai. Ad probat. dist. assert.: esset inextensa per carentiam partium entitativarum, aut per carentiam exigentiae quantitatis, *nego;* per carentiam extensionis cum impenetrabilitate, *conc.*

Materia sine quantitate, haberet extensionem entitativam, sed non haberet extensionem dimensivam de iure seu ex exigentia immediata; quamvis posset habere de facto, licet sine repugnantia ut reduceretur ad punctum.

13. Praedicatum "extensum" est essentiale corpori; *atqui* praedicatum essentiale pertinet ad constitutionem subiecti; *ergo* extensum seu quantum pertinet ad constitutionem corporis.

Dist. mai.: ut constitutivum, *nego;* ut proprietas, *conc.;* et *contradist. min.:* si est essentiale ut constitutivum, *conc.;* si ut mera proprietas, *nego.*

ARTICULUS II

DE EFFECTU FORMALI PRIMARIO QUANTITATIS

Thesis 5. Effectus formalis primarius quantitatis non est dare substantiae corporeae partes integrantes, aut extensionem actualem in ordine ad locum, aut extensionem actualem sine ordine ad locum, sed est dare substantiae extensionem aptitudinalem.

91. S. THOMAS, *In 1* d.19 q.1 a.1; 1 q.50 a.2; 3 q.76 a.3-7; 4 CG c.65; SUÁREZ, DM d.40 s.3,4; IDEM, *De eucharistia,* d.48s; URRÁB., *Cosm.,* p.756-784; BILLOT, *De Sacramentis,* p.458-460; DONAT, n.29; FRANZELIN, *De Eucharist.,* th.16; HOENEN, *Cosm.* (1949) p.44-64; IOAN. A S. TH., *Logica,* II q.16 a.1; MORÁN, *Cosm.,* p.77; NYS, *Cosm.,* II ed.4.ª p.83-92; VAN DE WOESTYNE, *Cosm.,* p.81-85; BONAMINO, A., S. D. B., *De las partes de la substancia material antes y después de la cantidad:* Sap 5 (1950) 67-73.

92. Nexus. Postquam iam statuimus in thesi priore non ostendi repugnantiam in reali distinctione quantitatis a substantia, et in exsistentia separata eiusdem, nunc debemus ulterius investigare quaenam sit essentia eius, quod aliter scire non possumus nisi per eiusdem effectum formalem, siquidem eam intuitive videre non possumus.

Et occasio agitandi hanc quaestionem est mysterium eucharisticum, in quo Christus est cum tota sua quantitate, iuxta theologos, et tamen nullam habet extensionem localem aut impenetrabilitatem: quaeritur igitur quid det quantitas substantiae, si non dat id quod est maxime proprium quantitatis quod est extensio et impenetrabilitas.

93. Notiones. EFFECTUS FORMALIS est illud quod resultat ex communicatione formae cum subiecto: et ita effectus formalis coloris est esse coloratum, effectus formalis caloris est esse calidum.

EFFECTUS FORMALIS POTEST ESSE PRIMARIUS ET SECUNDARIUS. *Primarius* est ille qui non potest deesse sine contradictione, posita forma: atque ita, posito colore, contradictorium est rem non esse coloratam; et posita cogitatione in intellectu, contradictorium est intellectum non esse actu intelligentem, si illa cogitatio manat ab ipso intellectu. *Secundarius* autem est ille qui exigitur a forma, sed tamen sine contradictione deesse potest.

EFFECTUS QUIDEM SECUNDARIUS EST SEMPER PRIMARIUS respectu alicuius formae, sed haec forma potest esse postulata naturaliter a forma priore, ita tamen ut per miraculum negari posset. Et ut explicemus rem, ponamus iam quaestionem solutam. Et dicemus: quantitas dat substantiae ut effectum formalem primarium exigentiam extensionis: extensio ipsa actualis esset effectus formalis secundarius, quia posita quantitate, necessario naturaliter debet adesse extensio actualis; haec autem extensio actualis fit per aliam formam distinctam a quantitate, sed quae exigitur a quantitate; et ideo extensio actualis est effectus formalis primarius formae extensionis, sed est effectus formalis secundarius respectu quantitatis.

94. PARS est realitas quae est in toto ut illud constituens, et est minor illo.

Pars potest esse essentialis et integralis. Pars *essentialis* est illa quae primo constituit essentiam totius, ut sunt anima et corpus respectu hominis; et deficiente una, totum deficit formaliter. Pars *integrans* est illa quae non primo constituit essentiam totius, sed solum confert ut illam faciat ampliorem. Partes integrantes possunt esse homogeneae et heterogeneae. Sunt *homogeneae*, si partes sunt inter se omnino similes etiam accidentaliter. *Heterogeneae*, si differunt inter se saltem accidentaliter, ut sunt partes viventis; et deficiente una, non perit totum formaliter, licet possit perire consequenter.

PARTES ETIAM INTEGRANTES possunt esse substantiales vel accidentales. *Substantiales* sunt partes ipsius substantiae; et accidentales sunt partes accidentis quantitativi, quod informat substantiam.

Partes integrantes substantiales vocantur minus proprie *extensio entitativa*.

95. EXTENSIO est positio partium extra partes; quod significat, non solum habere partes distinctas, sed etiam habere partes quae non coincidunt in eodem puncto spatii.

Extensio autem potest esse actualis et aptitudinalis seu exigitiva.

Extensio *actualis* habet de facto partes extra partes, quia partes non coincidunt omnes in eodem puncto spatii.

Extensio autem actualis potest esse localis et non localis. Extensio actualis est *localis*, seu commensurata cum loco, si circumdatur aliqua superficie vel est apta ut circumdetur, et talia sunt omnia corpora intra mundum, et ipse etiam mundus secundum suam ultimam superficiem: nam licet actu non circumdetur loco, est tamen aptus ut circumdetur.

Extensio actualis est *non localis*, seu est incommensurabilis cum loco, si est actualis et habet partes non coincidentes invicem in eadem parte spatii, et tamen denudata est supernaturaliter omni relatione ad spatium et ad locum. Et dicunt hoc accidere quando corpus aliquod est in aliqua quantitate per transubstantiationem alius corporis in ipsum; sicut corpus Christi est in hostia per transubstantiationem panis in corpus Christi. Tunc enim quantitas corporis Christi est in quantitate hostiae per modum substantiae: et quoniam substantia est sub quantitate tota in toto, et tota in singulis partibus, ideo etiam tota quantitas et tota eius extensio actualis est in tota hostia, et tota in singulis eius partibus.

Extensio aptitudinalis est accidens habens partes integrantes, exigens proxime habere suas partes non coincidentes inter se et in eadem parte spatii, licet actu sint collectae in puncto spatii. Substantia corporea etiam habet partes integrantes et exigunt esse aliae extra alias in spatio: non tamen exigit hoc proxime, nam exigit habere accidens quantitativum et remotius, per quantitatem, exigit habere extensionem localem. Sicut etiam anima rationalis est exigens habere actus discursivos, non tamen proxime, sed remote, in quantum exigit habere facultatem intellectivam, et per illam habere actus intellectivos.

96. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum effectus formalis primarius quantitatis sit dare substantiae extensionem entitativam, seu partes substantiales integrales, an dare illi extensionem actualem localem aut non localem, an denique dare illi extensionem aptitudinalem, seu exigentiam actualis extensionis.

97. Sententiae. *Prima sententia* tenet effectum formalem primarium quantitatis esse dare substantiae mensurabilitatem, divisibilitatem mechanicam (sic SONCINAS et IAVEL-

LUS), aut impenetrabilitatem (sic ARRIAGA et OVIEDO). Sed hae sententiae facile reiciuntur, quia hi effectus supponunt iam extensionem actualem et localem; ergo non possunt esse effectus primarii, sed effectus secundarii consequentes extensionem.

98. *Secunda sententia* tenet effectum formalem primarium esse dare substantiae extensionem entitativam, quae consistit in eo quod substantia corporea habeat partes integrantes, vel ut habeat partes distinctas, vel ut habeat unitas et recte ordinatas[1] secundum typum suum, v.c. secundum typum humanum. Docent igitur substantiam corpoream ante quantitatem (prius natura) esse penitus indivisibilem et carentem omnino ullis partibus; dicunt tamen differre ab ente simplici, quia, licet nullas habeat partes sicut ipsum ens simplex, sed tamen potentia habet partes: nam substantia materialis, recepta quantitate, quae habet partes, ipsa etiam formaliter acquirit partes extra partes et distinctionem earum et unionem earum et ordinem iuxta proprium typum, ita ut capiti succedat collum, collo succedat truncus, etc. Nam, dicunt, si substantia seipsa haberet partes et esset divisibilis saltem per Dei omnipotentiam, ipsa iam esset quantitas et non realiter distingueretur ab ea; cum autem hoc admitti non possit, sequitur substantiam ex se non habere partes. Unde etiam deducunt ablata quantitate a substantia, substantiam corpoream iterum redituram esse ad suam absolutam indivisibilitatem, in qua non essent partes distinctae, sed omnes penitus identicae. Sic opinantur CAPREOLUS, CAIETANUS, FERRARIENSIS, VÁZQUEZ, COMPLUTENSES, LIBERATORE, DE SAN, etc.[2]

99. *Tertia sententia,* tenet effectum formalem primarium quantitatis esse dare substantiae extensionem actualem localem, seu commensurabilem loco; cum autem in Christo non adsit haec extensio commensurabilis ad locum, aiunt in eo non dari quantitatem; sed haec sententia admitti non potest, quia Christus conservat suam quan-

---

[1] GREDT (In.316) ait effectum formalem esse ordinem partium in toto, qui consistit in eo quod partes aliae sint coniunctae aliis secundum prius et posterius, incipiendo ab aliqua parte designata. Sed haec sententia admitti non potest: *primo,* quia mutato ordine, non ideo mutatur quantitas; atque ita eadem quantitas aquae manet sive ponantur partes hoc ordine sive alio; et *secundo,* quia etiam substantia ante quantitatem habet ordinem in hoc sensu, quia partes sunt iunctae aliis, secundum ordinem prioris et posterioris incipiendo ab aliqua designata vel designanda saltem ab angelo, et tamen ipsa substantia non est quantitas.

[2] Thomistae generatim tenent effectum formalem primarium esse dare substantiae partes substantiales integrales; sed aliqui dicunt substantiam non habere partes integrantes etiam postquam advenit quantitas: sic Complutenses (1624-1640) et Salmanticenses (ed. 1631).

titatem totam, et tamen non conservat extensionem actualem commensurabilem loco. Hanc sententiam sequutus est DURANDUS.

100. *Quarta sententia* tenet effectum primarium quantitatis esse dare substantiae extensionem actualem non localem, et extrapositionem partium inter se, ita ut una pars non sit ubi est alia; illa tamen extensio actualis est denudata ab omni relatione ad locum et ab omni commensurabilitate.

Hanc tenet P. HOENEN, et videtur tenere etiam TOLETUS. Christus ergo est in Eucharistia cum tota sua extensione actuali, ita ut partes aliae non sint ubi sint aliae, neque coincidant in eadem parte spatii; sed tamen tota illa extensio Christi non habet ullam commensurationem ad locum, quia est ibi, non per dimensiones proprias, sed per dimensiones alienas, quae sunt dimensiones specierum panis et vini.

101. *Quinta sententia* est P. SUÁREZ cum multis aliis. Haec tenet effectum formalem primarium quantitatis non esse dare substantiae extensionem entitativam seu partes substantiales, sed solum dare extensionem aptitudinalem, seu exigentiam proximam extensionis localis [3].

Iuxta hanc sententiam substantia ante quantitatem habet partes integrantes substantiales seipsa, et illae partes habent exigentiam remotam ut ponantur aliae extra alias in spatio, in quantum postulant habere quantitatem et per illam extendi modo dicto. Seipsis ante quantitatem non habent exigentiam proximam ut extendantur in spatio, ideoque vel possunt reduci ad punctum, sine ullo miraculo: vel si sinuntur esse ubi erat extensio, qua privatae sunt, non habent exigentiam talis positionis neque impenetrabilitatis. Quantitas ergo adveniens substantiae dat illi proximam exigentiam ut extendatur in loco, quae exigentia debet expleri naturaliter per aliam formam, quae est extensio actualis; vel si non expletur, interveniente miraculo, quantitas potest ha-

[3] Haec est apertissima sententia SUÁREZ, ut constat ex eius verbis non ambiguis. Nam in tractatu *de Eucharistia,* d.48 n.20-21, tria haec docet: *primo,* effectum primarium quantitatis non esse extensionem actualem in ordine ad se, seu incommensurabilem loco; *secundo,* neque extensionem actualem commensurabilem loco; *tertio,* sed esse solummodo dare substantiae exigentiam proximam extensionis actualis in ordine ad locum. Et P. MORÁN, *Cosm.,* 2.ª ed. p.114-118, optime exponit hanc sententiam SUAREZII. Sicut etiam P. LANUSSE, *A propos d'une critique sur l'opinion de Suárez de effectu formali quantitatis:* RevNeosc (1904). Sine causa autem P. HOENEN (*Cosm.,* n.37-50) contendit P. SUÁREZ defendere sententiam quam ipse defendit, nempe, effectum formalem primarium esse dare substantiae extensionem *actualem* in ordine ad se et non commensurabilem loco; et cf. P. J. M. CABALLERÍA, *¿Admite Suárez cantidad sin extensión actual?:* EstEcles 13 (1934) 447-458.

bere omnes suas partes locatas in puncto, vel ita ut ubi sit una non sint reliquae [4].

Atque haec erit nostra sententia.

102. Probatur thesis. I P. Effectus formalis primarius quantitatis non est dare substantiae partes substantiales aut distinctionem earum, aut unionem earum aut ordinem.

Prob. 1. Nam quantitas daret substantiae extensionem entitativam seu partes, et distinctionem et unionem et ordinem, aut efficienter aut formaliter; *atqui* neutro modo potest quantitas hoc praestare; *ergo* quantitas non dat substantiae extensionem entitativam seu partes aut distinctionem aut unionem et ordinem.

Maior, constat, quia non datur alius modus dandi extensionem entitativam. *Minor* vero probatur. a) Quantitas non praestat illa omnia efficienter, quia quantitas est accidens, ideoque non potest producere efficienter aliquid substantiale; *atqui* realitas partium integrantium et distinctio earum et unio et ordo (qui aliter non fit nisi per uniones substantiales), sunt aliquid substantiale; *ergo* non possunt praestari efficienter a quantitate. b) Neque quantitas potest illa omnia praestare formaliter. Nam forma non potest dare formaliter nisi seipsam; atqui ipsa est accidens; ergo ex eius communicatione non potest resultare aliquid substantiale, quodcumque illud sit, sed solum compositum accidentale.

103. *Prob. 2. (Ex absurdis provenientibus ex distinctione et identitate.)* Si quantitas daret substantiae partes substantiales integrantes, tunc, sublata quantitate per miraculum, omnes partes quae erant iam distinctae, iterum identificarentur, ita ut iam non essent distinctae nec divisibiles inter se naturaliter per Dei omnipotentiam; et si iterum adveniret quantitas, iterum illud indivisibile et carens partibus, realiter acquireret partes substantiales integrales. Iam vero hoc est absurdum; *ergo* signum est quantitatem non potuisse dare substantiae extensionem entitativam, sed substantia iam habebat suas partes integrantes seipsa.

Maior constat: nam si ratio sufficiens partium est quan-

---

[4] Auctoritas S. THOMAE adducitur pro multis sententiis: pro mensurabilitate (*Opusc. de natura loci,* fine), et pro divisibilitate (in 1 d.19 q.1 a.1 ad 1), et pro ordine partium (4 CG c.65, medio), et pro extensione entitativa, quae consistit in eo quod substantia habeat partes formaliter per quantitatem (in 4 d.44 q.2 a.2 sol.2): sed fortasse per hanc diversitatem locutionum solum velit profiteri hanc ultimam explicationem.

titas, *ergo* sublata ratione sufficiente, quae est quantitas, non dabitur rationatum, quod sunt partes distinctae.

Minor: implicat enim contradictionem illud quod iam erat realiter distinctum, identificari realiter cum alio; vel illud quod nullas habet partes nec distinctas neque distinguibiles aut designabiles, per solam adiunctionem accidentis acquirere partes distinctas seu separabiles inter se.

104. *Prob. 3.* (Paulo aliter.) Si continuum dividatur, tunc partes substantiae quae sunt sub una quantitate, realiter distinguuntur a partibus quae sunt sub alia quantitate separata, ut patet. Iam vero, si auferretur ab illis partibus separatis quantitas, tunc illae partes, vel identificarentur inter se, vel non. Si identificarentur, haberetur hoc contradictorium quod realiter distincta, non essent realiter distincta. Et si non identificantur, manent realiter distinctae; et quoniam in se non habent aliam realitatem substantialem nisi illam quam habebant ante quam veniret quantitas, et ante quam fieret divisio, sequitur ante quantitatem substantiam habere partes integrantes seipsa et non ex quantitate.

105. *Prob. 4.* (Paulo aliter.) Si quantitas daret extensionem entitativam seu partes substantiales integrantes, tunc accidens produceret multas substantias; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* quantitas non potest dare substantiae extensionem entitativam.

Antec.: nam postquam veniret quantitas, substantia corporea potest dividi in multas partes. Iam vero illae partes divisae sunt totidem substantiae completae et supposita; *atqui* illae substantiae completae et supposita non erant quoad suam entitatem ante adventum quantitatis; *ergo* quantitas produxit totidem substantias completas et supposita, et quidem quoad totam suam entitatem, quae non erat ante adventum quantitatis: aliquid ergo accidentale produxit aliquid substantiale, quod est absurdum.

106. *Prob. 5.* Omne accidens supponit subiectum, non ipsum facit; *atqui* subiectum quantitatis est tota substantia corporea, et subiectum partium quantitatis sunt diversae partes substantiae corporeae; *ergo* quantitas et partes eius supponunt substantiam et partes eius, et non eas dat aut constituit.

107. II P. Effectus primarius quantitatis non est dare substantiae extensionem actualem localem, sive commensurabilem loco, sive non commensurabilem.

a) *Quod non possit dare primario extensionem actualem commensurabilem spatio et loco, constat:* quia Christus conservat totam suam quantitatem in Eucharistia, et tamen non habet extensionem commensurabilem loco, sed est in parva hostia, et in minima, et quidem totus est in tota et totus in singulis partibus.

b) *Quod non possit dare primario extensionem actualem non localem, seu denudatam relatione et commensurabilitate ad locum, etiam constat:* nam vel in Eucharistia Christus habet omnes suas partes in puncto quolibet hostiae, vel non; si habet omnes suas partes in puncto quolibet designabili hostiae, ergo non habet actualem extensionem; quia actualis extensio est habere partes extra partes, ita ut non omnes partes sint ubi est quaelibet ex illis. Si autem non habet singulas partes ubi habet alias, sed extra alias, ergo habet extensionem spatialem, ideoque commensuratam aut commensurabilem loco.

108. III P. Sed effectus formalis primarius quantitatis est dare extensionem aptitudinalem, seu exigentiam proximam extensionis actualis.

Prob. 1. (Ex mysterio Eucharistico.) Nam quantitas debet dare substantiae aliquid pertinens ad extensionem; *atqui* non dat extensionem entitativam, neque actualem sive commensurabilem, sive non commensurabilem loco; *ergo* dat extensionem aptitudinalem, seu exigentiam extensionis localis.

Maior constat: nam quantitas, ex sua notione primitiva, est illud propter quod substantia est divisibilis et mensurabilis et incompenetrabilis et commensurabilis loco; atqui haec omnia dicunt ordinem ad extensionem; *ergo* id quod quantitas dat substantiae primario est aliquid pertinens ad extensionem.

Et *minor* demonstrata est per exclusionem reliquarum sententiarum.

109. *Prob. 2.* (Tota thesis probatur argumento pure philosophico et negativo.)

Effectus formalis primarius quantitatis erit dare substantiae extensionem aptitudinalem, si debet dare primario substantiae aliquid pertinens ad extensionem, et haec extensio non debeat necessario esse extensio entitativa aut extensio actualis sive localis sive non localis; *atqui* haec omnia ita se habent; *ergo* effectus formalis quantitatis est extensio aptitudinalis.

Maior constat: si enim dat extensionem, et non entitativam aut dimensivam actualem, *ergo* debet dare extensionem dimensivam aptitudinalem.

Et *minor* probatur per partes: a) quod quantitas debeat dare substantiae primario aliquid pertinens ad extensionem,

patet ex supra dictis: nam debet dare divisibilitatem, mensurabilitatem, impenetrabilitatem, quae omnia supponunt extensionem; b) et non ostenditur contradictio in eo quod illa extensio non sit entitativa, eo quod substantia iam seipsa habeat partes integrantes distinctas; c) neque ostenditur contradictio in eo quod non det extensionem actualem localem aut non localem; quia non ostenditur contradictio in eo quod corpus quantum, possit esse totum in toto et totum in singulis partibus, quo in casu corpus habebit quantitatem, et tamen nullam extensionem actualem habebit, ex supra dictis.

110. Scholia. 1. *Definitio quantitatis.* Ex dictis quantitas potest definiri ut accidens extensivum substantiae corporeae, dans illi exigentiam proximam et positivam habendi extensionem localem actualem, et dans secundario ipsam extensionem actualem naturaliter, nisi per miraculum impediatur, sicut impeditur in modo quo Christus est in Eucharistia.

2. *Essentia extensionis actualis.* Est actualis positio partium extra partes, ita ut non coincidant in eadem parte spatii. *a)* Haec extensio actualis est modus distinctus a quantitate, siquidem potest deesse stante quantitate. *b)* Non est vis, sed actus quidam seu forma statica dimanans a quantitate, formaliter constituens rem spatiatam. *c)* Extensio actualis consistit in modis ubicationum partium, et consequenter mutatur tota extensio numerice, quando loco movetur corpus.

Dices: Extensio actualis non consistit in ubicationibus partium, sed in forma quadam, v.c. in cohaesione, vi cuius partes conservent suas distantias relativas, licet totum corpus loco moveatur.

Resp. Illa forma, v.c. cohaesio, vi cuius partes servant suas distantias relativas, erit causa conservans efficienter illas distantias relativas, sed formalis extensio consistet solum in ubicationibus praedictis.

3. *In eucharistia duplex est quantitas:* alia cum sua extensione locali actuali, et est quantitas panis: et alia est quantitas corporis Christi, quae est sine extensione actuali, et est ibi definitive, tota in toto, et tota in singulis partibus quantitatis panis et vini.

4. *Ergo extensio realiter distinguitur a quantitate;* quia est eius effectus secundarius.

111. Obiectiones[5]. A. *(Pro extensione entitativa.)* 1. SANCTUS THOMAS saepe dicit partes substantiae deberi quantitati; ergo est contra tuam thesim.

Resp. SANCTUM THOMAM utraque pars affert pro se; unde ex eius auctoritate problema solvi nequit.

2. Si substantia ante quantitatem haberet extensionem entitativam, seu distinctionem partium, ipsa esset quantitas; *atqui* hoc dici non potest; *ergo* substantia de se non habet partes integrantes. *Maior:* Si enim habet partes, ipsae sunt aptae quae extendantur in spatio et habeant impenetrabilitatem; *atqui* hoc est quantitas; *ergo* si substantia haberet partes integrantes, ipsa substantia esset quantitas. (DE SAN, *Cosmol.,* n.214).

---

[5] URRÁB., p.776.

Nego mai. Ad probationem, *dist. mai.:* haberent aptitudinem proximam, *nego;* haberent aptitudinem remotam; *conc.;* et *contradist. min.:* si haberent aptitudinem proximam, *conc.;* si remotam, *nego.* Et habemus similitudinem in anima et potentiis eius. Anima enim non identificatur cum potentiis, et tamen exigit habere actus discursivos; eos vero non exigit proxime et per se, sed solum mediate, in quantum exigit facultatem intellectivam, quae habebit actus discursivos.

3. Partes integrantes quantitatis sibimet inter se sunt impenetrabiles per se et naturaliter; ergo pariter partes integrantes substantiae erunt per se et naturaliter impenetrabiles, et ideo illae partes certe erunt quantitativae eodem titulo sicut, iuxta te, partes quantitatis sunt etiam quantitativae.

Conc. ante., et *nego cons.*, ob disparitatem iam demonstratam: nam quantitas est distincta realiter a substantia, et eius effectus formalis primarius est dare extensionem aptitudinalem, secundarius autem est dare extensionem actualem, et tertius est dare impenetrabilitatem; *ergo* substantia non habet hoc officium.

4. Compositio integralis substantiae vel antecedit vel sequitur compositionem essentialem ex materia et forma. Si primum, ergo materia est substantia et habet partes, et ita non erit in potentia, neque componet cum forma unam substantiam per se; si consequitur compositionem essentialem ex materia et forma, tunc illa compositio partium integrantium est per accidens, quia supervenit essentiae iam constitutae; *atqui* haec omnia sunt absurda; *ergo* substantia non habet per se partes integrantes, sed a quantitate formaliter accipit.

Conc. mai.; et eligo compositionem ex partibus integrantibus pertinere ad materiam ex se, et ad formam pure materialem, ratione materiae.

Ad inconvenientia dico: materia ex se est substantia, sed non completa, et est essentia, sed non completa; et non est pura potentia obiectiva, sed est actus entitativus; respectu tamen formae est pura potentia.

112. 5. Si substantia ex se haberet partes integrantes, ipsa esset *a*) divisibilis, *b*) mensurabilis, *c*) impenetrabilis; atqui haec sunt munera quantitatis; *ergo* si substantia haberet partes integrantes, converteretur in quantitatem.

Dist. mai. singillatim. Ad *a).* Substantia esset divisibilis physice seu per instrumenta mechanica, *neg.;* per potentiam divinam et fortasse etiam angelicam, *conc.*

Ad *b).* Esset mensurabilis necessario, si non habet actu partes extra partes in spatio, sicut potest non habere, *nego;* per accidens, si habet partes extra partes extensas in spatio per quantitatem, vel si, ablata quantitate, partes non remotae sunt a suo antiquo ubi, *conc.*

Ad *c).* Esset impenetrabilis: per se, *nego,* nam nulli corpori resisteret; per quantitatem, *conc.* Et *contradistinguo minorem:* si haec omnia haberet per se et necesario, *conc.;* si habet per quantitatem et per accidens, *nego.*

6. Si substantia haberet partes integrantes, haberet propriam figuram; *atqui* hoc est proprium extensionis et quantitatis; *ergo* si substantia habet partes integrantes, substantia identificatur cum quantitate et extensione.

Dist.: per se et necessario, *nego* (quia posset habere omnes par-

tes in quolibet puncto designabili); per aliud, nempe per quantitatem et per accidens *conc.;* et *contradist. min.*

7. Si substantia habet partes integrantes ex se, supponamus Deum eam privare quantitate. Et tunc vel confluent omnes partes in unum punctum, vel retinebunt suas positiones antiquas; *atqui* non potest dici eas confluere in unum punctum, quia Deus nullam mutationem induxit nisi solam privationem quantitatis; *ergo* retinebunt suas positiones antiquas; *atqui* hoc est habere extensionem; *ergo* substantia, si ex se habet partes, est extensio et quantitas.

Concedo partes substantiae, ablata quantitate, retinere suas positiones antiquas, et *nego* hoc esse habere extensionem dimensivam et quantitativam. Nam non habebunt suas positiones antiquas ex exigentia, sed solum de facto, quia nemo privavit eas suis positionibus antiquis. Sed si angelus, v.c. velit eas partes in puncto spatii collocare, nullam resistentiam offerent.

8. (B. *Pro extensione actuali.)* Illud, quod concipitur ut primum in quantitate, est eam esse extensam; *ergo* extensio est effectus formalis quantitatis.

Dist. antec.; ut primum chronologice, *conc.;* ut primum in sua constitutione essentiali, *subdist.:* quoad exigentiam, *conc.;* quoad actualitatem, *nego.* Et *contradist. cons.*

9. Si effectus formalis quantitatis est extensio localis exigitiva et non actualis, explicatur praesentia Corporis Christi, per hoc quod Christus in Eucharistia habeat totam suam quantitatem, sed non totam extensionem actualem; et ita ponitur Christus *a)* privatus aliqua perfectione intrinseca, et *b)* compenetratus quoad omnes suas partes, vel *c)* compressus et deformatus modo violento et indigno; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non potest dici Christum esse in Eucharistia sine extensione actuali.

Respondeo ad mai, singillatim. Ad a): sic ponitur Christus privatus aliqua perfectione intrinseca, quae sit mere modalis, et quae suppletur per modum exsistendi proprium spirituum, qui est magis nobilis, *conc.;* privatur perfectione absoluta, vel modali quae non suppleatur meliore, *nego.* Ad b): *nego* Christum poni in Eucharistia compenetratum quoad omnes suas partes: nam compenetratio est propria illarum rerum quae habent extensionem; sed partes corporis Christi non servant actualem extensionem; et ideo sunt in hostia modo inimaginabili, sed solum intelligibili, sicut spiritus, totus in toto et totus in singulis partibus. Ad *c):* Ideo neque est modo violento, sed supernaturali. Ad *d):* Neque habetur ibi ulla indignitas sed sublimitas.

113. 10. Quantitas est forma actualis, et ideo debet dare effectum formalem actualem; *atqui* extensio aptitudinalis non est aliquid actuale, sed aptitudinale seu exigitivum; ergo extensio aptitudinalis non potest esse effectus primarius quantitatis.

Conc. mai.; et *nego min.* Extensio aptitudinalis seu exigentia extensionis est aliquid actuale, et non distinguitur a realitate ipsa quantitatis exigentis extensionem actualem; extensio ipsa, potest non esse actualis, si miraculose negetur, sed quantitas, ut exigens extensionem, est aliquid actuale.

11. Indecorum est Christum privari aliqua parte principali; *atqui,* si non habet extensionem actualem, privatur aliqua parte principali; ergo habet actualem extensionem.

Conc. mai., et *nego min.* Extensio est modus, non pars principalis neque constituens neque integrans; et insuper suppletur modo quasi spirituali exsistendi, qui est melior.

12. Christus in Eucharistia habet suam propriam figuram, secus esset aliquid informe; *atqui* figura est propria extensionis actualis; *ergo* Christus in Eucharistia habet extensionem actualem.

Dist. mai.: actu *nego,* aptitudine et exigentia, *subdist.:* et non suppletur re meliore, *nego,* et suppletur, *conc.* Et *contradist. min.:* figura actualis, *conc.;* aptitudinalis, *nego.*

13. Christus in Eucharistia habet totam organizationem corporis vivi; atqui organizatio corporis vivi est propria extensionis actualis; ergo Christus in Eucharistia habet extensionem actualem.

Dist. mai.: internam in ordine ad se, *conc.;* externam in ordine ad spatium, *subdist.:* actu, *nego,* exigitive, *conc.* Et *contradist. min.:* interna, *nego;* extrinseca in ordine ad spatium, *subdist.;* si est mere exigitive, *nego;* si est etiam actualis, *conc.*

Explicatur: Christus in Eucharistia habet partes, quae unitae sunt, non confuse et indeterminate, sed distincte et ordinate, et hoc vocatur organizatio interna, et in ordine ad se; organizatio autem in ordine ad spatium exigit ut partes sint extra partes in spatio, et ut unaquaeque agat suum officium veluti specificum secundum quod est hic, quod in Christo non accidit.

14. Si Christus in Eucharistia esset definitive, i.e. totus in toto et totus in singulis partibus, esset ibi in singulis punctis designabilis; ideoque infinities; *atque* hoc repugnat; *ergo* non est in Eucharistia definitive.

Dist. mai.: infinities actu, *nego;* infinities potentia, sicut et partes continui sunt infinitae in potentia, *conc.;* et *contradist. min.*

In speciebus panis debemus considerare et omnes partes discontinuas quantitatis panis simul sumptas, et singulas seorsim, et spatia, sive vacua sive plena alienis corporibus, posita inter particulas quantitatis panis et vini. Christus non est in spatiis interpositis inter particulas quantitatis panis et vini; neque est in illis simul sumptis cum una sola praesentia; sed est in quantitatibus separatis cum praesentiis separatis. Sed tamen, quoniam illae quantitates separatae sunt divisibiles sine fine, similiter praesentia definitiva Christi in illis est divisibilis sine fine; non autem in infinitas actu praesentias, sed in infinitas in potentia.

CAPUT III

De loco et ubi

114. Introductio.—Postquam vidimus essentiam quantitatis, et eius modum essendi, qui est continuitas, debemus videre aliam proprietatem staticam quantitatis, quae est eius praesentia naturalis. Sed praesentia alia est relativa ad aliud quantum, et alia absoluta, quae est fundamentum praesentiae relativae: praesentia relativa dicit relationem ad locum extrinsecum, et praesentia absoluta est ubi intrinsecum. Et postquam viderimus hos modos naturales localizationis et ubicationis, exponemus modos supernaturales localizationis [illegible]

cationis, ut sunt compenetratio et replicatio: quae omnia explanabimus quinque articulis. Primus articulus est de loco; secundus et tertius de ubi intrinseco; quartus de compenetratione corporum; quintus de replicatione.

ARTICULUS I

De loco extrinseco

Thesis 6. Locus extrinsecus non est speciale praedicamentum.

115. Aristoteles, 4 *Physc.*, c.1-7; S. Thom. in hunc locum; Suárez, DM d.51 s.2 n.5-10; Urráb., p.943-953; Schaaf, p.82ss.; Hoenen, n.53-56; Morán, n.128ss.; Hugón, p.193; Toletus, in 4 *Physic.;* Nys, D., *La notion d'espace* (ed. 1929) n.110-114.

116. Notiones. Locus extrinsecus, iuxta definitionem Aristotelis (4 *Phys.*, c.24) est superficies extrema corporis ambientis, immobilis.

Dicitur superficies non simpliciter, sed circumdans. Dicitur extrema seu ultima, i.e. ea quae immediate tangit corpus locatum. Corporis ambientis: supponitur enim corpus aliquod circumdare aliud, et extrema superficies circumdantis et tangentis corpus locatum vocatur locus. Immobilis: locus est immobilis: nam licet res mutentur loco, tamen locus ipse non migrat, sed manet immotus.

117. Difficile est tamen determinare in quo consistat illa immobilitas. Nam corpus circumdans saepe est fluxum, ut aër qui circumdat nos, et aqua quae circumdat pisces; tam aqua quam aër mutant constanter suam ultimam superficiem tangentem corpora. Ipsi parietes cubiculi, qui sunt locus aëris ibidem contenti, mutantur constanter per rotationem terrae circa axim, et per translationem circa solem. Videtur ergo dicendum locum esse immutabilem, non simpliciter, sed solum per comparationem ad coordinatas terrae, quae sunt circuli meridiani et paralleli, seu longitudo et latitudo geographica. Et sic si tu es Matriti, ille locus matritensis est immobilis, quia semper manet Matriti, in eadem longitudine et latitudine terrae in qua antea erat, non absolute [1].

Sed tunc quaeritur utrum locus sit aliquid physicum, an aliquid mathematicum, aut ens rationis. Dicendum est locum extrinsecum esse aliquid mixtum ex re physica et ex ente rationis. Res physica

---

[1] Hoenen, n.55 definit locum: pars aetheris continui et immobilis quam corpus occupat. Dicit aetherem esse omnino compenetrabilem cum omnibus corporibus ponderabilibus, et esse omnino immobilem, qui est aether Lorentz: implet ergo aether omnes conditiones ut sit locus omnium corporum. Et sic aether, non solum erit agens generale, sed etiam locans generale. Sed hic multa supponuntur nimis hypothetica: a) *primum,* exsistere aetherem; b) *secundum,* esse penitus compenetrabilem; c) *tertium,* esse absolute immobilem. d) Et denique mutat notionem aristotelicam loci: nam locus est aliquid circumdans extrinsecum, et aether non est circumdans mere extrinsecum, sed penetrans omnia intrinsece.

est superficies ultima corporis circumdantis: res ficta est quod illa superficies sit immobilis: nam et aër et aqua mutantur et ipsi parietes circumdantes aërem mutantur absolute, et solum manet immotum solum (el suelo) respectu coordinatarum terrestrium.

118. *Locus extrinsecus* a) *differt ab ubi intrinseco:* nam locus mere circumdat extrinsece, et ubi est modus intrinsecus, qui fundat relationem distantiae vel indistantiae ad locum extrinsecum.

b) *Differt etiam ab spatio absoluto,* quia hoc est ens rationis cum fundamento in re, et est absolute immobile et infinitum; locus autem extrinsecus est ens partim reale, nempe superficies ultima corporis ambientis corpus, partim fictum, cum consideratur ut absolute immobilis, nam movetur cum rotatione et translatione terrae; est tandem finitus, nempe quantus sufficit ut circumdet corpus aliquod.

c) *Differt ab spatio reali:* quia spatium reale non est nisi spatium ipsum absolutum quod intercedit inter superficies corporis locantis; et dicitur reale per denominationem a corpore quod locatur intra illas superficies; quod si intra illas superficies nihil contineretur, intervallum illud non esset spatium reale, sed vacuum.

d) *Differt denique a loco intrinseco:* nam locus intrinsecus est pars spatii absoluti contenta intra superficies extremas ipsius corporis locati.

119. Divisiones. Locus extrinsecus *dividitur primo* in locum communem et proprium. Locus *communis* seu mediatus sunt superficies illae quae circumdant multas res, ut parietes cubiculi sunt locus mediatus lecti, mensae. Locus *proprius* est superficies illa quae immediate circumdat et tangit corpus.

Dividitur secundo in adaequatum et inadaequatum. Locus *adaequatus* est ille qui sufficit toti corpori circumdando, ut est aër qui me totum circumdat. Locus *inadaequatus* est ille qui sufficit solum ad partem corporis circumdandam, ut v.c. sella respectu sedentis.

120. Proprietates loci: a) Locus circumdat corpus ita ut hoc non sit extrinsecum loco. b) Aequalis est locato quoad superficiem, non quoad profunditatem. c) Separabilis est ab omni locato distributive, non autem collective et simultanee, quia tunc daretur naturaliter vacuum. d) Est terminus extrinsecus motus localis intra hunc mundum. Dicitur esse terminus *extrinsecus,* quia terminus intrinsecus est ubi intrin-

secum. Et dicitur *intra hunc mundum,* quia terminus motus localis absoluti, etiam extra mundum, non esset locus extrinsecus, sed ubi intrinsecum. e) Etiam dicitur locus protegere et servare corpus locatum ne diffluat. Sed haec per accidens conveniunt loco, nam de se locus non est activus, sed est aliquid mere staticum.

121. ESSE IN LOCO potest dici vel *proprie* vel *metaphorice.*

Proprie aliquid est in loco, cum circumdatur per superficiem corporis ambientis. Et sic non est in loco superficies ultima caeli, quia non circumdatur ab alia; nec Deus nec spiritus quilibet, quia non habent superficies quae per aliam circumdentur; neque partes internae continui, quia non habent superficiem extrinsecam a qua circumdentur.

Improprie dicitur esse in loco res quae tangit corpus contactu, non quantitativo, sed virtutis, qui contactus consistit in qualibet causatione circa illud corpus. Et sic Deus est metaphorice ut in loco, in omnibus corporibus, quia in omnibus operatur; et angeli sunt ut in loco, in illo corpore, in quo aliquam operationem exercent. Si autem angelus non exerceret ullam operationem in corpus, non esset in illo ut in loco, licet esset ibi ut indistans ab illo. Anima autem est in corpore humano, quia licet nullam operationem activam exercet in illud, sed tamen illud informat, et exercet in illud causationem formalem [2].

Si ergo spiritus nullam causationem exercet in corpus, non est in loco, licet non distet ab illo; sed tamen habet ubicationem intrinsecam et absolutam, ut videbimus, per quam habet intrinsecum fundamentum ut sit distans vel indistans a corporibus, si haec exsistant.

PRAEDICAMENTUM est genus aliquod supremum entium, diversum ab omni alio, et numerantur decem: nempe substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, quando, ubi, situs et habitus-vestis. Et dicimus locum extrinsecum non esse praedicamentum speciale, sed reduci ad aliquod ex his.

122. Status quaestionis. Quaeri posset utrum locus bene definiatur ut nos definivimus. Sed haec definitio est communiter accepta; nam solum determinat significationem huius nominis, quae determinatio ab omnibus accipitur. Posset etiam quaeri de eius realitate. Sed nihil notius est dari locum, in significatione quam hoc nomen habet. Quaerimus

[2] Cf. S. THOMAM, 1 CG c.56, et 1 q.52 a.1.

ergo solummodo utrum locus sic definitus constituat aliquod speciale praedicamentum seu genus rerum.

123. Sententiae. *Prima sententia* tenet locum constituere speciale praedicamentum quod est *ubi*. Sic generatim thomistae, qui inde deducunt, si aliquid non sit in loco extrinseco, nullibi esse. Sic mundus ut aliquod totum, seu secundum suam superficiem ultimam, nullibi est; angelus, qui nihil agat extrinsece, nullibi est; Deus, prius quam mundum crearet nullibi erat. In quibus affirmationibus est aequivocatio; nam certe haec omnia entia nullibi sunt vel nullibi erant, si esse alicubi est esse in loco *extrinseco; sed certe alicubi* sunt ubicatione intrinseca, quia habent talem indolem vel dispositionem intrinsecam, ut si aliquid creetur, v.c. angelus aut corpus, illud sit indistans a Deo, vel distans aut indistans a spiritu vel a corpore creato, quod non accideret si nullibi erant.

Secunda sententia tenet locum non esse ullum praedicamentum speciale, sed reduci ad aliquod ex novem generibus accidentium notis. Et haec est nostra sententia.

124. Probatur thesis. *Locus extrinsecus non constituit praedicamentum speciale.*

Nam si locus constitueret aliquod praedicamentum speciale, hoc esset ubi; *atqui* non constituit praedicamentum ubi; *ergo* nullum speciale praedicamentum constituit.

Maior constat: nam locus non est quantitas, aut qualitas, aut relatio, aut actio, aut passio, aut quando, aut situs, aut habitus, et solum dubitari posset utrum reducatur ad ubi.

Minor neque est ubi: nam ubi est aliquid intrinsecum et absolutum, quod est fundamentum relationis distantiae et indistantiae, ut mox probabitur; locus autem non est aliquid intrinsecum locato, sed extrinsecum, neque est fundamentum relationis, sed terminus relationis indistantiae locati ad ipsum.

125. **Scholion.** *Locus reducitur ad aliquod ex praedicamentis iam notis.* Nam si consideramus locum ut extensionem quamdam, pertinet ad praedicamentum quantitatis; si consideramus illum ut aliquid, quod continet corpus, et dicit indistantiam erga illud, pertinet ad praedicamentum relationis. Si consideramus illum ut aliquid circumdans, pertinet ad praedicamentum habitus (vestis) [8].

---

[8] Cf. SUÁREZ, DM d.51 s.2 n.9.10.

ARTICULUS II

DE UBI INTRINSECO

Thesis 7. Datur in corporibus ubi intrinsecum, absolutum et modale, quod constituit praedicamentum ubi.

126. S. THOM., in 4 *Physic.*, lect.1-7; 1 q.110 a.3-2; 1 q.52 a.1; SUÁREZ, DM d.30 s.7 d.51 s.1 n.13ss.; URRÁB., *Ontol.*, p.1062, et *Cosmol.*, p.943; SCHAAF, n.149; MORÁN, p.148-151; DARÍO, p.138-141; HUGÓN, *Philosophia Naturalis*, n.193; J. HELLÍN, *Theol. Nat.*, n.622-625; IDEM, *La ubicación en el Doctor Eximio:* EstEcles. 5 (1926) 272-283, et 390-405; *Sobre la ubicación en Suárez y sobre su sistema metafísico:* RevEspTeol 7 (1947) 275-288; *Sobre la inmensidad de Dios en Suárez:* EstEcles 22 (1948) 250-253; NYS, D., *La notión d'espace*, p.207-255.

127. Nexus. Expedita quaestione de loco extrinseco, nunc examinandum est utrum praeter praesentiam localem, quae est relativa, detur etiam alia praesentia absoluta quae sit fundamentum prioris: et responsio est affirmativa.

Licet ubi sit aliqua notio transcendentalis, quae etiam praedicetur de Deo, sicut sapientia, et ideo in Metaphysica Generalis deberet tractari, tamen hic eam tractamus, quia per occasionem corporum magis fortasse clare apparebit eius notio et exsistentia.

128. Notiones. "UBI" definitur generatim formalis et ultima ratio cur aliquid sit hic aut illic absolute et independenter ab omni relatione aut denominatione extrinseca. Quae descriptio explicatur magis per hanc aliam: Ubi est dispositio interna rei; quae dispositio independenter ab omni relatione aut denominatione extrinseca est sufficiens fundamentum, ut si aliquod aliud corpus exsistat, surgat in re, sine ulteriore mutatione ipsius, relatio distantiae aut indistantiae, quod signum est illam rem fuisse alicubi. Termini huius definitionis explicandi sunt.

129. EST DISPOSITIO INTRINSECA REI, seu indoles rei. Illa dispositio seu indoles cum agitur de ente creato, erit accidens modale; sed loquendo de ubi in tota sua universalitate, est aliquid internum, sive sit accidens sive ipsa substantia rei, ut accidit in Deo.

REI: cuiuslibet: nam quaelibet res habet hanc ubicationem intrinsecam.

QUAE EST SUFFICIENS FUNDAMENTUM RELATIONIS DISTANTIAE AUT INDISTANTIAE. Non dicimus esse relationem ad aliud extremum, aut denominationem extrinsecam, desumptam ex alio extremo distincto, sed esse fundamentum relationis distantiae aut indistantiae; ad eum modum quo albedo

non est relatio similitudinis ad aliam albedinem, sed fundamentum absolutum talis relationis.

DISTANTIAE AUT INDISTANTIAE. Indistantia est talis habitudo duorum ut vel compenetrentur, vel nullum corpus inter ea interponi possit. Distantia autem est talis habitudo duorum, ut inter ea possit interponi corpus aliquod sine mutatione ullius ex duobus, licet actu non sit interpositum ullum corpus. Nulla enim repugnantia est in eo quod *annihiletur* omne quod erat interpositum inter duo corpora distantia, et illa maneant adhuc distantia, si nullam mutationem intrinsecam accipiant.

Sine ulla mutatione ulteriore illius corporis quod accipit relationem distantiae vel indistantiae per exsistentiam alius. Nam si prius deberet mutari ut surgeret illa relatio, nondum erat fundamentum distantiae, contra suppositum.

QUOD FUNDAMENTUM EST PRIUS OMNI RELATIONE DISTANTIAE AUT INDISTANTIAE: nam si est fundamentum, debet esse prius relatione fundata et causata ab eo, et consequenter independens ab illa relatione.

IDEOQUE EST ALIQUID ABSOLUTUM ET INDEPENDENS AB OMNI RELATIONE: nam quod non est relatio neque dependens a relatione, est absolutum.

SI EXSISTAT ALIUD CORPUS: nam interea dum supponatur corpus vel res aliqua unica, illa non habet relationem distantiae aut indistantiae; sed tamen iam habet fundamentum intrinsecum et sufficiens ut si detur aliud corpus, eo ipso surgat in illo relatio distantiae aut indistantiae: quod est signum illam rem iam fuisse alicubi: nam si erat nullibi, non potest habere relationem distantiae aut indistantiae, ut est patens.

130. Divisio. Ubi intrinsecum dividitur in Increatum et creatum: INCREATUM est ipsa immensitas divina, quae est talis indoles essentiae divinae, ut si dentur corpora, omnia habeant statim relationem indistantiae ad Deum, quia eius ubicatio est infinita. "Ubi" CREATUM est proprium creaturarum. Et similis est divisio in "ubi" infinitum et finitum, immutabile et mutabille, essentiale et accidentale. "Ubi" in hoc sensu, seu in quantum complectitur creatum et increatum, est nomen analogum cum analogia metaphysica attributionis intrinsecae, non vero aliquid univocum.

Ubi creatum potest esse circumscriptivum et definitivum. CIRCUMSCRIPTIVUM est illud per quod res est tota in toto spatio et pars in parte: estque proprium corporum. UBI DE-

FINITIVUM est illud ubi, per quod res est tota in toto et tota in singulis partibus. Et haec ubicatio definitiva potest esse naturalis et supernaturalis: naturalis est propria spirituum; et supernaturalis potest esse etiam corporum, cum per miraculum sint tota in toto et tota in singulis partibus, ut est Christus in sacramento eucharistiae.

Diximus praeterea ubi esse ALIQUID MODALE: nam ubi est accidens, cuius totum officium est constituere rem formaliter hic aut illic; et si hoc est totum eius officium, non potest esse separatum a substantia, sed solum modificans substantiam, quae est notio modi.

Status quaestionis. Quaerimus ergo in praesenti utrum corpora habeant ubi intrinsecum, absolutum et modale, et consequenter omnino distinctum a loco extrinseco.

131. Sententiae. *Prima sententia* est thomistarum, qui dicunt *esse alicubi* esse idem atque circumdari loco extrinseco vel constitui in loco extrinseco, stricte sive metaphorice. Consequenter, aiunt, quod non est in loco extrinseco sive proprio sive metaphorico, est nullibi. Ultima superficies mundi non est in loco extrinseco, ideoque nullibi est. Quando angeli vel animae damnatae aut beatae nihil operantur extrinsece, sunt nullibi, sicut universalia, quae sunt realia et tamen sunt nullibi. Hinc etiam deducunt mundum non posse moveri in spatio: nam motus supponit rem esse alicubi, et mundus non est alicubi, quia non est in ullo loco extrinseco.

132. *Secunda sententia* tenet praeter locum extrinsecum, dari etiam ubi intrinsecum et modale, quod tamen non est aliquid absolutum, sed dependens a loco extrinseco. Hic enim modus producitur et conservatur per contactum locati cum loco, et per hunc modum formaliter res est in loco. Unde sequitur, quod si corpus non circumdetur ab alio, non sit in loco, sed sit nullibi; et ita, quia mundus secundum suam ultimam superficiem, non habet illud ubi, non est alicubi, neque potest moveri in spatio, motu absoluto. *Crisis:* Ille modus est omnino inutilis ut res sit in loco: non enim potest servire ad hoc ut res sit in loco, siquidem resultat postquam iam res est in loco et circumdatur a loco.

133. *Tertia sententia* tenet dari ubi intrinsecum, absolutum et modale, et hunc modum dicere relationem transcendentalem ad spatium absolutum; in quo, dicunt, non invenitur specialis difficultas; nam relatio transcendentalis est solum subiectum, ideoque non requirit terminum esse aliquam realitatem. Hanc sententiam refert SUÁREZ in quarto loco, eamque nonnulli voluerunt ei attribuere ut propriam Sed SUÁREZ non dicit hanc sententiam esse veram, sed maxime accedere ad veritatem: et ideo eam SUÁREZ vult profunde examinare, et emendare.

134. *Quarta sententia* est P. SUÁREZ, et dicit dari in corporibus ubi intrinsecum, absolutum et modale. Intrinsecum, quia est affectio intrinseca rei ubicatae; absolutum, quia neque est relatio neque dependens a relatione, sed aliquid prius relatione distantiae aut indistantiae et fundans eam; et modale, quia illa realitas intrinseca est accidens modale, et non entitas absoluta, quia solum est formalis ultima determinatio rei ut habeat denominationem intrinsecam ubicationis. Per hanc ubicationem res non est *in aliqua parte*, nam etiam si daretur unicum corpus, adhuc haberet suum ubi; sed habet talem dispositionem internam, ut si creetur aliquod corpus, iam sine ulteriore sui mutatione, acquirat relationem distantiae aut indistantiae, quod signum est rem esse alicubi, secus neque distaret neque indistaret.

Hanc sententiam sequimur ut *probabiliorem*.

135. Probatur thesis. Datur in corporibus ubi intrinsecum, absolutum et modale, si in corporibus sunt positiones spatiales, reales et intrinsecae, absolutae et realiter distinctae a corporibus ut merus modus constituens illa hic vel alibi; *atqui* ita se res habet; *ergo* datur in corporibus ubi intrinsecum, absolutum et modale.

Maior, constat ex notione ubicationis intrinsecae.

Minor: a) Dantur in corporibus positiones quae sunt aliquid *reale:* quia esse hic aut illic non est aliquid fictum sed est aliquid independens a mentis consideratione.

b) Illae positiones sunt etiam aliquid *positivum,* non negatio, utpote productum per actionem moventis et transferentis rem de uno in alium locum. El illae positiones reales et positivae sunt aliquid *absolutum,* quod non dependet ab ulla relatione neque ab ulla denominatione extrinseca. Quod probatur duplice hypothesi evidenter possibili. *(Theol. Nat.,* n.622.623.)

Prima hypothesis est quod, si duo corpora distent nunc, distarent etiam, si Deus destrueret omnia corpora circumdantia et interposita, nulla facta mutatione in illis duobus corporibus: ergo sunt alicubi, non enim distant nisi quae sunt alicubi; et tamen illa ubicatio non dependeret ab ullo corpore circumdante, quia revera a nullo circumdantur.

Dices: Illa corpora non distarent, quia distantia est corpus interpositum inter duo corpora; iam vero in hac hypothesi non datur ullum corpus interpositum; *ergo* non datur inter ea ulla distantia, sed se tangunt: quia nihil est interpositum inter illa.

Resp. Distantia non est corpus interpositum inter corpora, sed

est talis positio et habitudo duorum, ut possit interponi corpus inter ca, non facta ulla mutatione locali in extremis. Iam vero in hypothesi facta potest interponi corpus, nempe illud ipsum quod destructum est, ergo illa duo corpora distant et non se tangunt.

Instabis cum P. Hoenen: concedo illa corpora in hypothesi descripta non se tangere, sed neque distant neque non distant, sed sunt soluta ab omni relatione locali et ubicationis; et hoc praecise quia non se tangunt neque mediate neque immediate.

Resp. Nego assertum, quod est omnino inverosimile. Iuxta P. Hoenen corpora illa quae antea distabant, nunc, destructis omnibus praeter illa non distant, ideoque sunt nullibi. Si autem interponatur filum araneae tenuissimum, iam distant, quia interpositum est corpus, licet tenue. Nunc, manentibus extremis sine ulla mutatione, destruatur filum araneae, et iam non distant neque non distant. Hoc est omnino incredibile et videtur voluntarie dictum, ut servetur thesis, iuxta quam indistantia vel distantia semper est contactus immediatus vel mediatus medio aliquo corpore quod tangitur in extremis a duobus distantibus.

Secunda hypothesis est quod Deus potest dare impulsum alicui corpori et statim destruere omnia alia corpora, nulla facta alia mutatione in illo corpore quod accepit impulsum. Hoc corpus adhuc moveretur; siquidem non facta est ulla mutatio in illo post impulsum datum; unde si movetur, habet ubicationem fluentem, quia quod non est alicubi, non movetur; atqui tamen non exsistit ullum aliud corpus, sed ipsum solum; *ergo* ubi illud non dependet ab ulla relatione ad aliud corpus, neque est ulla denominatio extrinseca sumpta ex aliis corporibus.

Dices: Tu supponis impetum esse aliquid absolutum; impetus tamen seu inertia, sicut gravitas, resultat ex interactione inter corpora. *Sed* in hypothesi facta non potest esse actio inter corpora, quia adest unicum corpus; *ergo* in illa hypothesi non potest dari impulsus. *Maior* probatur ex auctoritate EINSTEIN et E. MACH.

Resp. Non suppono impetum esse aliquid absolutum, sed probo ex ratione facta. Hypothesis enim, quam feci, non includit contradictionem, sive ille impetus sit sicuti inertia consueta, sive sit alius generis, scilicet, qualitas mere activa. Hypothesis a nobis facta non repugnat; et ea posita, sequitur illud corpus moveri, et quidem motu absoluto.

Instabis. Si unicum daretur corpus in Universo, motus non haberet ullam significationem; quia corpus non moveretur versus ullam partem (nulla enim pars exsisteret); et si versus nullam partem movetur, non movetur.

Resp. Nego assertum. Ad probat., dist. antec.: non moveretur motu relativo ad aliquem terminum extrinsecum, quia non esset, *conc.;* non moveretur motu absoluto, *nego;* et *contradist. min.*

Motus absolutus consisteret in tali intrinseca modificatione corporis, ut si exsisteret aliud corpus quietum primum haberet erga secundum relationem accessus aut recessus; et hoc esset impossibile si non movebatur. Aliquis homo qui veheretur in illo corpore, non pos-

set animadvertere motum suum aut corporis; sed angelus, qui res videt prout sunt in seipsis, cerneret omnino clare illum motum.

Instabis. Sed haec thesis tua docet, si unum esset corpus in mundo, posse esse alicubi quietum: atqui hoc adhuc magis caret sensu: quia esse alicubi, significat esse in aliqua parte, et in illa hypothesi nulla pars esset.

Resp. Dist. mai.: esset alicubi ubicatione relativa ad terminum extrinsecum, *nego;* esset alicubi ubicatione absoluta, *conc.;* et *contradist. min. Probationem eodem modo dist.:* esse alicubi relative significat esse in aliqua parte, *conc.;* esse alicubi absolute, *nego.*

Esse alicubi absolute significat aliquam dispositionem absolutam et modalem corporis, vi cuius, si exsistat aliud corpus, statim habeat erga illud relationem distantiae aut indistantiae, quod est signum illud esse alicubi, secus neque posset distare aut esse indistans.

Ex his igitur patet adesse in corporibus positiones, quae sunt aliquid reale, positivum, et absolutum. Nunc probemus reliquas partes maioris.

c) Illae positiones sunt etiam aliquid *intrinsecum* corpori. Nam si sunt aliquid reale et positivum, et aliquid absolutum, quod non dependeat ab ulla relatione ad corpus circumdans neque ab ulla denominatione extrinseca, signum est esse aliquid intrinsecum corpori ubicato.

d) Est *accidens,* quia est aliquid distinctum a corpore, siquidem ubi potest mutari per solum motum localem, et dat corpori denominationem aliquam intrinsecam praeter essentiam: solum enim addit esse hic.

e) Et *est modus,* quia illud accidens solum constituit rem hic aut alibi; ad hoc autem non requiritur ulla realitas absoluta, quae possit exsistere separata a corpore etiam per divinam omnipotentiam.

136. Scholium. Theoria P. Hoenen de ubi et de distantia *(Cosmol.,* p.71-88; *Filosofia della natura inorganica* [Brescia 1949], p.94-116).

P. HOENEN *dicit esse alicubi* esse solummodo denominationem extrinsecam desumptam ex contactu inter duo corpora; distantia est contactus mediatus inter duo corpora cum alio tertio intermedio, et indistantia est contactus immediatus. Hinc sequitur, si aliquod corpus non tangit aliud, nullibi esse, neque posse moveri localiter; et si duo corpora non se tangerent mediate aut immediate, non essent neque distantia neque indistantia, sed soluta ab omni relatione locali. Denique asserit corpus aliquod in motu, solum mutari quoad denominationes extrinsecas, non quoad aliquid intrinsecum; nam solum movetur per successivos contactus; *atqui* contactus sunt aliquid mere extrinsecum; *ergo* cum move-

tur, solum mutatur quoad denominationes extrinsecas, non vero secundum aliquid intrinsecum.

Hanc suam theoriam *probat* triplici modo. *Primo* ex auctoritate SANCTI THOMAE; *secundo* ex evidentia immediata; *tertio* ex eo quod theoria SUAREZII de modo intrinseco est penitus inintelligibilis, i.e. habet multas contradictiones intrinsecas. Percurramus breviter singulas partes huius probationis, ut eius valorem perpendamus.

137. 1. Certe testimonia S. THOMAE abundant, quibus testificatur *esse alicubi* esse meram denominationem extrinsecam, et si aliquod corpus non tangit aliud, nullibi esse. Sed illis locis S. THOMAS tractat de loco extrinseco; et patet illud, quod non circumdatur vel tangitur a loco extrinseco, non esse in ullo loco extrinseco, seu non esse ullibi "loci extrinseci".

2. *Secundo probat* suam thesin ex evidentia immediata intellectuali *(Cosm.*, p.71-81). Nam est immediate evidens, si adsint duo corpora extensa, illa se posse tangere immediate. Et illa evidentia non nascitur solum ex experientia, sed ex conceptu ipso, et est eiusdem generis quam evidentia circa hanc propositionem: septem et quinque sunt duodecim. Item est evidens, si duo corpora, A et B (fig.1), se tangunt immediate, esse indistantia et unum esse | A | B | C | in alio ut in loco; item est evidens, si duo corpora, A-C, se tangunt mediate, intermedio aliquo tertio corpore B, quod tangatur per extrema, distare inter se. Et denique affirmat, si destruatur corpus B intermedium inter duo corpora distantia (A et B), haec duo corpora iam non habere ullam relationem distantiae aut indistantiae, et soluta esse ab omni relatione locali. Hinc *esse alicubi* consistit solum in contactu immediato, et *distare* consistit in contactu mediato cum aliquo tertio corpore. Si non adsit contactus immediatus vel mediatus unius corpori cum alio corpore, illud primum non est alicubi, sed nullibi. Et ideo etiam constat, illud non posse moveri, nam quod nullibi est, non movetur.

Hinc etiam constat motum localem consistere in successivis contactibus cum diversis corporibus; unde unum corpus movetur quia tangit successive alia, non autem tangit alia successive, quia movetur. Hinc etiam sequitur motum esse mutationem extrinsecam seu per denominationem extrinsecam, quia movetur per successivos contactus, et contactus est mera denominatio extrinseca.

138. *Sed est tam evidens tota haec demonstratio? Non arbitror.*

a) Quia in primis non determinatur quid sit *contactus.* Nam vel contactus consistit in eo quod unum corpus causet efficienter aliquid in aliud, vel in eo quod corpus sit ubi primo non est aliud, sine ulla efficientia in illud. *Si consistit* in eo quod corpus A efficiat aliquid in B est evidens posse impediri illam actionem, negato concursu divino: et tunc manerent corpora omnino sicut erant antea, excepta efficientia, et tamen non essent indistantia, quia deest contactus activus; postea iterum corpus A potest efficere aliquid in corpus B, et sine ulla alia mutatione iam esset indistans a B: quod patet esse impossibile. Si autem contactus *consistat* in eo quod corpus A sit ubi primo non est corpus B, tunc contactus consistet in illa ubicatione per quam corpus A est ubi primo non est corpus B. Non ergo consistit in aliqua denominatione extrinseca, sed in propria ubicatione interna, quam habet iuxta corpus B. Et hinc sequitur non esse tam evidens ubicationem esse meram denominationem extrinsecam, aut motum localem consistere in solis denominationibus extrinsecis, aut motum absolutum repugnare.

139. 3. Post probatam suam thesin modo tam facili, dicit HOENEN theoriam de modo intrinseco esse absurdam. Absurda autem quae obicit sunt multa, considerabimus autem aliqua solum, ut pateat quid valeat eius argumentatio.

a) *Obicit primo* modum illum Suarezii, iuxta ipsum SUÁREZ, includere relationem transcendentalem ad spatium absolutum; *atqui* spatium absolutum est nihil; *ergo* et illa relatio est nihil, ideoque et modus est nihil *(Cosm.,* p.81); *Maiorem* probat ex verbis SUAREZII (d.51, s.1 n.13).

Solutio. Verba SUÁREZ in illo loco sunt haec: ille modus est "quid absolutum, quamvis a nobis non possit satis explicari nisi per modum fundamenti aliquarum relationum distantiae vel propinquitatis, et ideo dicatur relativum secundum dici, et probabile est includere relationem transcendentalem ad tale spatium: nam transcendentalis habitudo non semper postulat positivum terminum realem" (DM d.51 s.1 n.13), sicut intellectio de spatio absoluto dicit relationem transcendentalem ad spatium absolutum, quod tamen non est aliquid reale.

Haec verba non exprimunt sententiam P. SUÁREZ, sed

sententiam quartam de qua ita iudicat: "atque haec sententia videtur mihi proxime ad veritatem accedere: Ut tamen res tota comprehendatur, paulatim explicanda est" *(ibid.)*. Non dicit eam esse veram, sed accedere proxime ad veritatem; et, non dicit eam a se probari, sed eam paulatim esse examinandam, ut appareat quid in illa sit probandum, quid reiciendum.

In ulteriore autem examine, quod promiserat, huius sententiae, dicit SUÁREZ expresse, modum ubicationis non includere ullam relationem ad spatium absolutum. En eius verba: "Ille modus non consistit in aliqua relatione reali ad ipsum spatium, aut in unione aut contactu, ratione cuius spatium dicatur recipere aut continere corpus ibi exsistens, nam haec omnia requirunt realitatem in altero extremo. Sed consistit ille modus solum in reali praesentia quantitativa ipsius corporis, ratione cuius fit ut ubi est praesens tale corpus, ibi sit spatium reale, cum sine illo nihil esset" (DM d.51 s.1 n.23).

Et non solum in uno loco, sed saepe alias P. SUÁREZ asserit firmiter modum ubicationis non includere relationem ad spatium. Cum loquitur de ubi angelico ait: "Cum loquimur de angelo alicubi exsistente sine corporibus, (hoc) non indicat relationem ad corpus, sed talem modum exsistendi in ipso angelo, ratione cuius sine ulla sui mutatione potest esse praesens totus toti corpori et cuilibet parti eius si ibi adesset, ita ut ille modus actu sit in angelo, habitudo autem quae significatur per esse in toto, non sit actualis, sed aptitudinalis" (DM d.51 s.4 n.36). Itaque in angelo ubicato extra omnia corpora non adest ulla relatio actualis neque ad corpora neque ad spatium absolutum.

Et similiter de Immensitate divina, per quam putat SUÁREZ Deum esse etiam extra mundum, dicit: "Quando ergo dicitur Deus esse extra mundum aut in spatiis imaginariis, si intelligitur ibi esse quasi cum habitudine ad aliquid aliud quod contingit, est falsum et impossibile. Si vero intelligatur Deus esse extra mundum solum per realem praesentiam suam sine habitudine actuali (ut sic dicam) ad aliquam rem extra ipsum, sic negari non potest Deum esse extra mundum" (DM d.30 s.7 n.36).

Ex quibus omnibus apparet P. HOENEN imputare PATRI SUÁREZ id quod SUÁREZ non dicit, sed aliud omnino contrarium.

P. SUÁREZ certe ait (51,1,13) nos non posse intelligere

illum modum ubicationis sine aliqua relatione ficta ad spatium, sicut neque possumus bene concipere Deum ut Dominum, aut Creatorem aut Omnipotentem sine relatione rationis ad res: et tamen hae relationes rationis non constituunt Creatorem aut Dominum, sicuti neque constituunt modum ubicationis.

Nos probavimus nostram thesin quibusdam hypothesibus quae sunt evidenter possibiles, vel saltem cum magno fundamento fiunt, ut in probatione nostra visum est; hae hipotheses sunt: 1) quod corpora quae nunc distant adhuc distarent, licet omnia alia destruerentur et illa non mutarentur localiter; 2) quod corpus aliquod in vacuo posset moveri, licet esset unicum.

140. *b)* P. HOENEN contra has hypotheses pro ubi intrinseco, obicit tantum eas esse opus imaginationis quia imaginatio conservat circum illa corpora spatium absolutum quasi esset corpus aliquod reale; et ita, ipse SUÁREZ, licet nolens, explicat distantiam et indistantiam et ubicationem per contactum et per denominationem extrinsecam, saltem ab spatio ficto.

Solutio. P. HOENEN conatur apprenhedere illum modum suarezianum per imaginationem et ita illum non explicat nisi per contactum ad spatium, quasi hoc esset res corporea realis, et hanc imaginationem vere absurdam tribuit PATRI SUÁREZ *(Cosmol.,* p.78 79 82 84 86). Sed P. SUÁREZ non ita concipit illum modum. Ille modus solo intellectu concipitur, et est aliquid absolutum, quod non includit essentialiter ullum contactum cum corpore aut cum spatio aut cum ulla re, ut expresse dicit ipse SUÁREZ: "Ille modus non consistit in aliqua relatione reali ad ipsum spatium aut in unione aut contactu, ratione cuius spatium dicatur recipere aut continere corpus ibi exsistens, nam haec omnia requirunt realitatem in altero extremo. Sed consistit ille modus solum in reali praesentia quantitativa ipsius corporis ratione cuius fit ut ubi est praesens tale corpus, ibi sit spatium reale, cum sine ipso nihil esset" (DM d.51 s.1 n.23).

Multa alia similia obicit contra opinionem quam defendimus, quae non sunt validiora. Ulteriorem explicationem modi ubicationis in sequenti articulo trademus.

141. Obiectiones. 1. Deus posset destruere hunc modum ubicationis, et tamen corpus adhuc esset alicubi; *ergo* ubi non est modus.

Resp. 1. Nego posse destruere Deum omnem ubicationem, sicuti neque potest destruere omnem figuram extensionis, dum res extensa exsistit.

Resp. 2. Si Deus posset destruere hunc modum, permanente re in exsistentia, tunc *nego* rem fore alicubi.

2. Posset *ubi* esse modus, et tamen dependere a loco circumdante ut docet Io. a Sto. Th.; *ergo* non probatur illum modum esse omnino absolutum a re circumdante.

Nego antec. ob nostra argumenta. Ceterum modus ille Ioannis a S. Thoma supra est refutatus (n.132).

3. Esse alicubi est esse in aliqua parte reali; *atqui* hoc est locus; *ergo* esse alicubi est esse in aliquo loco extrinseco, et praeter locum non datur ubi intrinsecum.

Dist. mai.: formaliter, *nego;* consequenter, si adsunt corpora extra rem ubicatam, *conc.;* et *concessa min. contradist. cons.:* si esse alicubi esset formaliter locari in aliqua parte reali extensionis aut spatii realis, *conc.;* si esset locari in aliqua parte solum consequenter, *nego.*

Esse alicubi non est esse in aliqua parte extensionis mundanae, sed est corpus habere talem dispositionem internam, ut si crearetur aliud corpus, illud primum, sine ulla ulteriore sui mutatione, haberet relationem distantiae aut indistantiae, recessus aut accessus ad aliud: quod esset impossibile, nisi quia, cum corpus erat unicum, habebat ubi intrinsecum, sive quietum sive fluens.

4. Esse alicubi est esse circumdatum aliqua superficie corporis ambientis; *atqui* hoc est locus extrinsecus; *ergo* praeter locum extrinsecum non est ullum ubi intrinsecum.

Nego mai. Iam dictum est ubi intrinsecum esse talem indolem seu dispositionem intrinsecam corporis, ut si creetur aliud corpus, resultet in primo relatio distantiae aut indistantiae; ubi est fundamentum relationis, non ipsa relatio distantiae aut indistantiae.

ARTICULUS III

Quaestiones aliquot circa ubi intrinsecum

142. 1. Quomodo sit interpretandum ubi intrinsecum. Ubi intrinsecum non est relatio ad spatium absolutum, quia haec esset ens rationis, non aliquid reale sicut debet esse ubi. Neque est relatio ad spatium reale, quia haec relatio constituit locum extrinsecum. Neque per ubi intrinsecum res-

est in aliqua parte vel in aliquo loco, quia est confundere ubi intrinsecum cum loco extrinseco. Melius deberemus dicere res esse *cum suo ubi;* ubi autem est talis rei "dispositio et indoles interna, ut si exsistat aliud corpus, res sine ulla ulteriore mutatione sui, sit distans vel indistans ab illo"; et si agatur de ubi fluxo seu in motu, est "talis dispositio, ut si creetur aliud corpus quietum exsurgat in corpore ubicato relatio accessus vel recessus ab illo".

143. 2. DE UBI QUIETO ET DE UBI FLUENTE. Nunc quidem in mundo omnia sunt in motu, ideoque non datur ubi quietum, sed fluxum: sed tamen non ideo nostra thesis est falsa. Nam *primo* certum est corpora posse esse in quiete, et tunc, ex probationibus nostris, necessario asserendum esset ubi intrinsecum absolutum et modale quietum. Et *secundo* etiam in suppositione motus universalis omnium rerum, adhuc tamen datur motus localis et distantiae et variationes distantiarum; et tunc dicendum est fundamentum ex quo potest esse illa variatio distantiarum esse ubi intrinsecum, absolutum et modale, saltem fluxum seu in motu, et hoc sufficit ad nostram thesin.

144. 3. DE MOTU ABSOLUTO[1]. Quaeritur utrum detur motus absolutus, an omnis motus sit relativus et per denominationem extrinsecam a corporibus ad quae mobile accedit aut a quibus recedit.

P. HOENEN et thomistae generatim dicunt omnem motum esse relativum, neque esse aliquid internum mobili, sed aliquid extrinsecum, nempe denominationem sumptam a corporibus a quibus mobile recedit vel ad quae accedit[2]. Sed haec sententia est reicienda. Nam si nulla datur mutatio intrinseca, non possunt dari novae relationes aut denominationes; *atqui* dantur novae denominationes et relationes accessus et

---

[1] DALBIEZ: RevThom (1925) p.145ss.; ESSER, p.82-84; HOENEN, p.68-70; NYS: RevNeoscPhil (1922) p.170ss.

[2] Negant motum absolutum: ARIST., 6 *Phys.,* c.9, et 8 *Phys.,* c.7; STUS. THOMAS in haec loca; et de natura loci ad finem; et 1 q.110 a.3; MASI, *Il movimento assoluto e la posizione abssoluta secondo il Suárez* (Roma 1947); et DESCARTES, BALMES, *Fil. Fund.,* 1.3 c.3, et DUHAMEL, et H. POINCARÉ, et KANT: ap. NYS, *La notion d'espace* (1929) p.224. Iuxta HOENEN, p.445, corpora per motum et per novum ubi, nihil acquirunt, nihil amittut, et sic motus accidit sine ulla mutatione intrinseca. Et ratio est quia ad motum solummodo requiruntur duae substantiae corporeae aptae ad accessum, et ut detur actus realizans hanc aptitudinem: iam vero aptitudo est corpus, actus realizans hanc aptitudinem est exsistentia, seu actus exsistentialis, et exsistentia nullam mutationem inducit, sed solum dat actum rei aptae, aptitudo autem iam erat. Sed impossibile est dari aliquid novum in corpore, sine ulla mutatione stricte tali; mutatio autem fit essentialiter per formam vel per aliquid novum, quod habeat suam essentiam, et illud novum habens suam essentiam est modus ubicationis fluentis, qui est motus.

recessus, *ergo* dantur novae mutationes intrinsecae in aliquo; iam vero illae mutationes fiunt in mobili, quia in illo exercetur influxus moventis, non in corporibus ad quae accedit vel recedit; et illae mutationes constituunt motum successivum; *ergo* motus successivus est aliqua mutatio interna mobilis.

145. *Secunda ergo sententia,* quae est nostra, ait dari motum absolutum, qui nempe sit aliqua mutatio successiva interna in mobili, per quam mutationem corpus accedit vel recedit ab aliis corporibus, et illa mutatio intrinseca, ut patet, est fundamentum relationis distantiae aut indistantiae, ideoque est prior relatione et independens ab ea, sicut causa est independens a suo effectu[3].

Atque hinc sequitur dari posse motum in spatio inani, licet unicum esset corpus: nam si motus est aliquid intrinsecum, et non est relatio ad aliud, sequitur posse dari, licet non sit aliud corpus in mundo ad quod debeat dicere relationem.

Sed tunc quaeritur quidnam esset ille motus absolutus et quomodo posset determinari, cum nullum esset tunc punctum referentiae.

Ad primum dico: ille motus absolutus esset talis dispositio in corpore, ut si creetur aliud corpus quietum, exsurgat in mobili sine additione alius rei, relatio acessus vel recessus ab illo: quod est signum esse in motu, quia si non erat in motu non accederet neque recederet ab ullo.

Ad secundum dico multis modis posse determinari illum motum. *Primo* a Deo: quia Deus videt quod si ipse creet quodlibet corpus quietum, primum haberet erga hoc relationem accéssus vel recessus, et hoc est videre directionem motus et velocitatem. *Secundum* in corpore, quod movetur, possent describi radii, et Deus videret motum esse secundum directionem alicuius radii determinati. *Tertio* possunt excogitari multae coordinatae spatiales, fixae, et tunc statim Deus videret in quo puncto illarum coordinatarum esset mobile et versus quod aliud punctum moveretur.

146. 4. Omnia habent suum ubi intrinsecum. Et sic corpora habent suum ubi intrinsecum ut probatum est.

Spiritus creati etiam habent suum ubi intrinsecum: et sic

---

[3] Admittunt motum absolutum Duns Scotus, *Quaest. quodlibet.*, q.11; Suárez, DM s.11 n.13-22, et passim; Vázquez. in 1 d.195; Sylvester Mauri, *De San, Pesch, Lahousse, De Backer, Bergson, Matière et mémoire* (Paris 1896) p.213-218 et 225-232; Newton, *Principia* (1714) p.11; Nys, D., *La notion d'espace* (1929) p.221-243; et vide ibid. ampliorem bibliographiam; J. Hellín, *Sobre el movimiento absoluto y relativo, respondiendo a Masi:* RevEspTeol 8 (1948) 349-362.

anima humana vere est hic aut alibi. Angelus custos est etiam hic aut ibi. Et non possunt habere ubi per denominationem extrinsecam a forma quae sit hic aut alibi; nam tunc forma denominans esset hic aut ibi, sed spiritus nullibi essent intrinsece et realiter, sed denominarentur esse hic aut ibi propter formam denominantem. Sic dicunt thomistae angelos *esse* hic formaliter per actionem externam, non intrinsecam: sed hinc sequeretur actionem aut effectum angeli esse hic, sed non angelum [4].

Et simili modo Deus habet suam ubicationem intrinsecam [5], quae est eius immensitas, identificata realiter cum eius essentia, infinita et omniperfecta. Et ratio est quia Deus habet formaliter omnem perfectionem realem quae nullam implicat imperfectionem; *atqui* ubi intrinsecum, ex probatis, est aliqua perfectio realis, non ficta, et nullam implicat imperfectionem; *ergo* Deus habet ubi intrinsecum formaliter.

Quod autem ubi nullam implicat imperfectionem, patet, sicut de sapientia: nam si in creaturis *ubi* implicat imperfectionem finitudinis, et accidentis et mutabilitatis, hoc accidit, non ex ratione absoluta ubicationis, sed solum ex ratione subiecti finiti, mutabilis et potentialis, sicut dicimus de attributo divino sapientiae.

Et adverte ubicationem divinam (seu immensitatem) esse actu infinitam, quia omnis perfectio intrinseca Dei est actu infinita. Item ubicatio divina, non univoce [6], sed solum analogice convenit cum ubi creato, quia est a se, infinita, substantialis, et origo omnis ubi creati.

147. 5. NULLA CREATURA VIDETUR POSSE PRIVARI OMNI UBI, ITA UT SIT NULLIBI. Et ratio est quia omnis creatura est mobilis etiam localiter; non autem esset mobilis localiter nisi esset alicubi; ergo omnis creatura necessario habet aliquod ubi, hoc aut illud. Et in hoc similis est ubicatio figuris; nam extensum potest privari singulis figuris, sed non potest carere omni figura. *Dices:* angeli nullibi sunt quando non operantur, sicut universalia nullibi sunt et tamen sunt realia. Sed hic apparet confusio ordinis idealis cum reali. Nam universalia nullibi sunt, non per negationem ubicationis (nam sunt ubi sunt singularia, quae sunt eorum fundamenta), sed mere per praecisionem, quia praescindunt ab exsistentia; sed an-

---

[4] SUÁREZ, DM d.51 s.3 n.2-23; et s.4 n.1-20; J. H., *La ubicación en el Doctor Eximio:* EstEcles 5 (1926) 390-405.

[5] SUÁREZ, DM d.30 s.7; J. H., *Theol. Nat.*, n.622-625.

[6] SUÁREZ, DM d.30 s.7 n.55; d.51 s.4 n.32; d.51 s.6 n.7; J. H., *Sobre la inmensidad de Dios en Suárez:* EstEcles 22 (1948) 258-260.

gelus exsistens et realis et individualis non potest praescindere ab exsistentia, ideoque neque ab ubicatione.

6. Ubi creatum, estne speciale praedicamentum? *Resp.* affirmative, nam ubi creatum est ens reale; *atqui* non est ullum ex aliis praedicamentis seu generibus entium; *ergo* constituit speciale praedicamentum. Et *minor* declaratur percurrendo singula praedicamenta. *Ubi* enim non est quantitas, siquidem etiam in spiritu reperitur; non est qualitas, quia mere constituit rem alicubi, sed non dat aliquam intrinsecam perfectionem, per quam res magis valeat aut sit; non est relatio, sed fundamentum relationis; non est actio aut passio, sed est aliquid staticum; non est quando, non est habitus aut vestis: est *ergo* speciale genus entis seu praedicamenmentum.

148. 7. Ubi intrinsecum, est immobile sed corruptibile. Est immobile, quia si ens debeat moveri alio, ubicatio prior relinquitur, sed non transfertur. Est tamen corruptibile; quia quando relinquitur, non relinquitur separatum a mobili, sed perit statim atque relictum est a mobili.

149. 8. Divisiones ubicationis. Esse alicubi multis modis dicitur, secundum diversas divisiones quas subicimus [7].

Prima divisio: Ubi seu praesentia dividitur in absolutum et relativum.

Praesentia relativa dicitur si res locata est indistans ab aliquo corpore. Et haec praesentia relativa potest esse localis propria, localis impropria et illocalis. *Praesentia localis est propria,* cum res corporea circumdatur ultima superficie corporis ambientis: hoc est esse in loco proprie. *Praesentia est localis impropria* et metaphorica, cum res locata est spiritualis et aliquid operatur in corpore indistante. *Praesentia est illocalis,* cum res locata est spiritualis et est indistans a corpore, sine ulla operatione erga illud: ut si angelus custos assistit nobis praesens, et tamen in aliquo momento nihil operetur ad extra.

Praesentia absoluta consistit in ubicatione intrinseca, quae sit prior relatione distantiae et indistantiae, ideoque independens ab iis relationibus. Et haec ubicatio absoluta datur in rebus intra mundum, quando distant vel sunt proximae illis: nam fundamentum illius relationis distantiae vel indistantiae est illa ubicatio intrinseca. Datur etiam in mundo quoad suam superficiem extremam, quia habet talem modum essendi, ut

[7] Suárez, DM d.51 s.6 n.1-9; Morán, p.156 160.

si poneretur aliud corpus extra mundum, quod sine dubio possibile est, eo ipso distaret ab illo; et hoc est signum, mundum fuisse alicubi, quia si non erat alicubi non distaret ab illo mundo, qui de novo crearetur.

150. Breviter: Praesentia potest esse

relativa	localis propria localis impropria illocalis
absoluta	intra mundum in mundo quoad suam supremam superficiem in rebus procul a mundo collocatis.

151. *Secunda divisio.* Ab aliquibus etiam haec datur divisio ubicationis seu praesentiae:

Praesentia potest esse definitiva et non definitiva. *Defintiva* est illa per quam res ita est hic ut non possit esse alibi. *Non definitiva* est illa per quam res ita est hic, ut posit eodem titulo esse alibi.

Definitiva dividitur in circumscriptivam et non circumscriptivam. *Circumscriptiva* est illa per quam res est tota in toto et pars in parte spatii et est propria corporum. *Non circumscriptiva* est illa per quam res est tota in toto et tota in singulis partibus modo naturali: est propria spiritus creati.

Non definitiva est illa praesentia per quam res est hic, ita ut eodem titulo possit esse alibi etiam. Et haec dividitur in repletivam, et sacramentalem. *Repletiva* est idem atque immensitas seu ubi increatum; *et sacramentalis* est propria corporis Christi quod est alicubi per transubstantiationem: nam hoc ita est in hac hostia per consecrationem, ut etiam per consecrationem possit esse alibi.

Breviter praesentia potest esse:

Definitiva	circumscriptiva (corporum) non circumscriptiva (spiritus creati)
Non definitiva	repletiva (propria Dei) sacramentalis (propria corporis Christi in Eucharistia)

152. *Tertia divisio* potest fieri, in qua praesentia Dei servet ad oculum suam transcendentiam.

Praesentia potest esse *increata et creata.*

Praesentia *creata,* potest esse circumscriptiva et definitiva. *Circumscriptiva,* est propria corporis, per quam corpus est totum in toto, et pars in parte spatii. *Definitiva,* per quam ens est totum in toto et totum in singulis partibus spatii.

Praesentia *definitiva* potest esse naturalis et supernaturalis. *Naturalis* est propria spiritus. *Supernaturalis* est propria corporis Christi in Eucharistia, per quam est totus in toto et totus in singulis partibus.

153. 9. DE SITU[8]. *Situs multipliciter intelligitur. Primo* enim significat partem terrae seu solum et ita situs aedificii

[8] ST. THOM., in 5 *Met.* lec.9; 1-2 q.49 a.1-3; SUÁREZ, DM d.52 s.1.2; URRÁB., *Ontol.*, p.1072-75; GREDT, I n.172.

est pars soli in qua aedificium est constructum (el sitio): hoc modo intellectus situs non est nisi pars loci extrinseci. *Secundo* significat etiam relationem ordinis inter corpora, ut esse sursum, deorsum, prius, posterius, et sic non est nisi quaedam relatio. *Tertio* significat dispositionem partium corporis in ordine ad totum, ut cum aliquis homo est recumbens, sedens, stans. *Quaeritur* utrum in hoc ultimo sensu situs sit speciale praedicamentum.

Sunt diversi modi opinandi. Nam *prima sententia* tenet situm esse meram denominationem extrinsecam a loco circumdante: quod admitti non potest, nam licet unicum esset in mundo corpus, illud posset habere diversas ordinationes partium ad totum, ideoque haberet diversos situs.

Secunda opinio dicit situm non esse nisi relationem unius partis corporis ad aliam. Sed reicitur, quia illa relatio oritur ex aliquo fundamento, et illud fundamentum erit situs.

Tertia demum sententia est SUAREZII, et dicit situm realiter non distingui ab ubi intrinseco, sed solum ratione, et in hoc sensu constituit speciale praedicamentum. *Haec sententia videtur probabilior.*

154. Et *a)* primo, situs ab ubi intrinseco non realiter distinguitur: nam in ordinatione partium ad totum non est nisi ubicatio partium et totius. *b)* Sed tamen secundum rationem ab ubi distinguitur: nam etiam si res mutetur quoad ubicationem, concipimus manere eumdem situm: ergo saltem ratione distinguitur ab ubi. Et antecedens patet: quia in situ tantum attendimus ad dispositionem partium in ordine ad se et ad totum, quod servatur etiam si res mutetur quoad ubicationem. Et *c)* hinc sequitur situm constituere novum et speciale praedicamentum. Nam in primis in quantum ratione distinguitur ab *ubi* est accidens, et secundo non potest reduci ad aliud genus accidentis ex cognitis. Nam non est quantitas, siquidem haec solum dat extensionem, et praescindit a tali vel tali situ partium. Neque est relatio partium: nam licet in situ adsit relatio partium, tamen haec resultat ex situ, seu ex diversis ubicationibus partium. Item patet non esse actionem aut passionem aut habitum. Et tamen non est ipsum ubi, quia iam vidimus ab illo secundum rationem distingui.

Dices: si situs identificatur realiter cum *ubi*, non est praedicamentum distinctum ab eo.

Resp.: nego assertum. Ut ratio aliqua obiectiva constituat novum

praedicamentum, sufficit ut ratione distinguatur ab alio, hic ab ubi, et non possit reduci ad ullum ex praedicamentis iam notis.

155. 10. FIGURA. Figura est terminatio quantitatis. Haec est realiter distincta a quantitate. Nam quantitas potest esse sine hac vel illa figura determinata, licet non possit esse sine aliqua. Et est modus quantitatis, nam ei convenit definitio modi in ontologia tradita: est enim formalis ultima determinatio quantitatis ut sit hoc vel illo modo terminata, et evidenter non potest esse sine quantitate, licet quantitas possit esse sine hac vel illa figura.

Est idem atque ubicatio partium: posita enim tali ubicatione partium, habetur talis figura, et illa cessante, cessat illa figura.

Licet ratione figura distinguitur ab ubicatione: nam etiam si ubicatio corporis mutetur, tamen eadem figura servatur. Et ideo concipimus figuram quasi esset aliud distinctum ab ubicatione.

Id quod facit ut eadem ubicatio et figura servetur est cohaesio partium, distincta ut patet ab ubicatione; sed tamen id quod illa cohaesio facit, est ut eadem ubicatio relativa servetur; illa autem ubicatio relativa partium est figura.

Estne figura qualitas, an merum ubi? Aristoteles cum omnibus scholasticis dicunt esse qualitatem; nam licet secundum rem sit merum ubi partium terminantium, tamen secundum conceptum distinguitur ab ubi, ut aliquid dans formositatem et indolem distinctivam.

Figura est proprietas corporum? Certe est proprietas corporum viventium ut patet. Etiam habere formas cristallynas speciales est proprium corporum anorganicorum, quando sunt in debitis adiunctis, et per hanc proprietatem optime alia ab aliis secernuntur [9].

---

[9] St. Thom., 1-2 q.49 a.2; Suárez, DM d.42 s.2.3; Urráb., *Ontol.*, p.942, et 1151; Idem, *Cosm.*, 1259-1262; Lossada ait figuram esse qualitatem modo analogo, et non stricto.

ARTICULUS IV

DE COMPENETRATIONE

Thesis 8. Licet corpora sint naturaliter incompenetrabilia, tamen non ostenditur repugnare metaphysice ut duo corpora compenetrentur etiam circumscriptive.

156. ST. THOM., in 4 d.44 q.2; *Quodl.*, I q.10 a.22; DURANDUS, in 4 q.44 a.6 § 5.6; SCOTUS, *Opus Oxon.*, in 4 d.49 q.16 a.2; SUÁREZ, *De mysteriis Vitae Ch.*, d.5 s.2; d.48 s.5; DM 5 s.2; PUIGREFAGUT, R., *¿Serán los cuerpos naturalmente incompenetrables?:* EstEcles 17 (1943) 545-559; 18 (1944) 63-99; HOENEN, *Cosmol.*, n.71-78; MORÁN, p.161-168; URRÁB., *Cosm.*, p.966-972; MAQUART, X., II p.82-85; DARÍO, J. M., *Praelect. Cosm.* (Parisiis 1933) n.61: SCHAAF, p.120; GREDT, I n.320; DONAT, *Cosm.*, p.43.

157. Nexus. Cum in hoc capite loquamur de diversis praesentiis corporum, oportet examinare etiam hunc modum praesentiae quae est simultanea occupatio eiusdem loci, et alio nomine vocatur compenetratio.

Occasio autem huius quaestionis agitandae est mysterium eucharisticum, in quo Christus compenetratur cum quantitate panis, et quaedam alia facta miraculosa: ut ortus Christi, non rupto claustro virginali; ingressus Christi in caenaculum, clausis ianuis; egressus Christi e sepulchro prius quam lapis removeretur. Sive haec facta per compenetrationem explicentur, sive aliter, tamen haec fuit occasio tractandi hanc quaestionem in Philosophia.

158. Notiones. IMPENETRABILITAS est proprietas corporis qua unum corpus impedit ne aliud occupet eundem locum proprium intrinsecum. Locus autem intrinsecus vel dicitur de ubi, vel de illo spatio quod interponitur inter superficies proprias alicuius corporis; et differt a loco extrinseco, quia locus est superficies extrema corporis ambientis, non propria corporis locati. Haec impenetrabilitas viget tum inter corpora diversa, tum inter partes internas continui.

RADIX REMOTA impenetrabilitatis est quantitas et extensio actualis: quare ubi non est quantitas sicut in spiritibus, vel ubi non est extensio actualis, ut in corpore Christi, non datur naturalis impenetrabilitas, sed contra naturalis penetrabilitas.

RADIX VERO PROXIMA est effectus quidam formalis quantitatis secundarius, vel potius tertiarius: nam formalis effectus primarius est exigentia extensionis actualis, secundarius est extensio actualis, tertiarius est impenetrabilitas naturalis.

159. Impenetrabilitati opponitur compenetratio. COMPENETRATIO autem est simultanea eiusdem loci intrinseci occupatio per diversa corpora. Et compenetratio potest esse circumscriptiva, definitiva et mixta. Compenetratio *circumscrip-*

tiva est occupatio simultanea eiusdem loci per diversa corpora quae habeant ubicationem circumscriptivam. Compenetratio *definitiva* est occupatio simultanea eiusdem loci per diversa corpora quae habeant ubicationem definitivam. Compenetratio *mixta* est occupatio simultanea eiusdem loci per diversa corpora, quorum unum habeat ubicationem circumscriptivam, et aliud definitivam, qualis est compenetratio inter corpus Christi et quantitatem panis aut vini.

160. Status quaestionis. Non quaerimus de compenetratione definitiva et mixta, quia hae aperte sunt possibiles: nam cum radix impenetrabilitatis remota sit quantitas et extensio actualis, ubi non est aut quantitas aut saltem ubi non est extensio actualis in uno corpore, non repugnabit compenetratio. Difficultas est in compenetratione circumscriptiva, et de ea quaeruntur duo: primum est utrum repugnet naturaliter; et secundum, utrum ostendatur etiam repugnare metaphysice.

161. Sententiae. *Prima sententia* negat possibilitatem compenetrationis, quia si duo corpora compenetrentur, erunt unum, non duo. Sic haeretici frequenter, et praeterea LOCKE et DESCARTES. Etiam negant possibilitatem compenetrationis circumscriptivae quidam scholastici systematici rigidi, qui docent principium multiplicationis entium esse materiam signatam quantitate et situ; et quoniam in competratione haberetur idem situs duorum, ideo essent unum, non duo corpora. Facta autem miraculosa explicant modis valde miris. Sic Christus ingressus est in caenaculum ianuis clausis, quia amissa sua ubicatione ante ianuas clausas, recuperavit aliam ubicationem trans ianuas clausas, sine transitu per medium, vel quia per poros ianuae transivit etc.

Secunda sententia tenet compenetrationem circumscriptivam esse possibilem, vel saltem non ostendi repugnantiam absolutam seu metaphysicam eiusdem: sic generatim omnes philosophi catholici. Haec erit etiam nostra thesis. Et hinc patet nos non demonstrare positive possibilitatem aut non repugnantiam compenetrationis, sed solum contendimus, negative non ostendi repugnantiam absolutam compenetrationis saltem per Dei omnipotentiam.

162. Probatur thesis. I P. Corpora sunt naturaliter incompenetrabilia.

Nam illud quod comitatur corpora semper necessario et invincibiliter, est proprietas corporum; *atqui* impenetrabilitas

comitatur corpora semper, necessario et invincibiliter; *ergo* est proprietas essentialis corporum.

Utraque praemissa est evidens.

Dices: impenetrabilitas comitatur magnas moles, non autem corpuscula in quae ultimo resolvitur corpus; *ergo* non est proprietas corporis generatim, sed molis magnae. *Antecedens probatur:* quia in phaenomenis radioactivis emittuntur corpuscula, quae transeunt per corpora valde densa, et sic neutrones, electrones et atomi helii transeunt trans corpora valde densa; atqui non est verosimile transire per vacua relicta inter corpuscula atomorum; ergo penetrant ipsa corpuscula solida atomi.

Resp. Valde obscura est explicatio illorum phaenomenorum. Sed videtur duplex explicatio posse probari. Prima sit corpuscula emissa a radioactivis transire per spatia relicta inter alia corpuscula atomorum, quae interstitia ipsi scientifici dicunt esse maxima. Secunda explicatio sit corpuscula emissa a radioactivis non compenetrari cum aliis corpusculis, sed ea rumpere vel perforare, sicut glans bellica non compenetratur cum corpore humano, sed illud rumpit et sic transit per illud.

163. II P. Non ostenditur repugnare metaphysice ut duo corpora circumscriptive compenetrentur.

Prob. 1. Non ostenditur repugnantia metaphysica in hac compenetratione, si nulla absurditas ostendatur ex conceptu compenetrationis vel ex sequelis; atqui nulla ostenditur absurditas ex conceptu vel ex consectariis; *ergo* nullo ex capite ostenditur repugnantia metaphysica.

Maior constat, et *minor* probatur:

A. *Non ostenditur ulla repugnantia ex conceptu.* Nam absurditas consistit in eo quod affirmetur et negetur aliquid de eodem simul et sub eodem respectu; iam vero dicere duo corpora esse ibidem, est facere duas affirmationes positivas, nempe est dicere corpus A esse hic et corpus B etiam esse hic; non autem est affirmare corpus B esse ubi est A et idem corpus B non esse ubi est corpus A. Certe, si dico corpus A esse hic, naturaliter exigitur corpus B non esse hic, quia naturaliter repugnat compenetratio, sed non est dicere formaliter corpus B non esse hic.

B. *Neque ostenditur repugnantia ex sequelis.* Quia una ex sequelis quam obiciunt, est corpora illa fore unum idemque, quia principium individuationis est materia signata quantitate et situ; *atqui* in casu compenetrationis datur idem situs; *ergo* est idem individuum, non duo. Sed in hac ratiocinatione, *maior* est falsa: nam unaquaeque res individuatur et est haec aut illa per totam suam realitatem; sed hic habentur duae realitates, *ergo* sunt duo individua.

164. *Prob. 2.* Impenetrabilitas consistit vel in vi qua unum corpus repellit aliud corpus a sinu suo, vel in forma quae est incompossibilis metaphysice cum alio corpore; *atqui* in utroque casu potest vinci per Deum; *ergo* compenetratio non repugnat metaphysice, vel saltem haec repugnantia non demonstratur.

Maior constat, et *minor* probatur: nam si impenetrabilitas est activitas, Deus potest non concurrere cum illa activitate, et sic corpus erit penetrabile; et si impenetrabilitas est forma naturaliter emanans a quantitate extensa, Deus potest non conservare illam formam, et sic denuo corpus erit penetrabile.

165. Scholium. 1. *In quo consistat impenetrabilitas triplex sententia datur. Prima* tenet eam consistere in vi activa: unde compenetratio supernaturaliter consisteret in hoc quod per divinam virtutem suspenderetur concursus Dei cum illa vi activa in uno vel in duobus corporibus, permanente extensione, et ita facile compenetrarentur. Sic sentit OVIEDO et recentius P. HOENEN. Et ratio eorum est quia resistentia corporum, seu impenetrabilitas retinet in aequilibrio vires alias, v.c. vim attractivam terrae: et sic posito lapide supra mensa, impenetrabilitas mensae resistit active gravitati corporis et retinet illud ne cadat in terram. *Crisis:* Argumentum non concludit, quia posset responderi vim aliquam posse retineri in aequilibrio aut per vires oppositas, ut si ego conatum facio ne lapis cadat. vel etiam per meram formalem incompossibilitatem lapidis cum forma impenetrabilitatis mensae.

166. *Secunda sententia* dicit impenetrabilitatem consistere, non in activitate ulla, sed in formali incompossibilitate statica quantitatis extensae cum alia quantitate extensa in eodem loco. Sic expresse tenet S. THOMAS:

"Nihil potest prohibere corpus aliquod ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi hoc quod in eo requirit diversum situm... Hanc autem distinctionem situs non requirit aliqua corporis qualitas... Similiter etiam materia non potest inducere necessitatem praedictae distinctionis... Similiter etiam neque forma... Restat ergo quod necessitas distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura quantitatis dimensivae, cui per se convenit situs; cadit enim in definitione eius, quia quantitas dimensiva est quantitas habens situm" *(In 4,* d.44 q.2 a.2 sol.2).

Et similiter sentit SUÁREZ, quamvis non ex eodem principio:

"Duobus ergo modis contingit unam rem alteri resistere: primo formaliter, per immediatam repugnantiam; secundo radicaliter et quasi per dimanationem virtutis alterius rei" (faciendae) (DM d.43 s.1 n.8)... De hoc ergo resistendi modo (de formali resistentia) dicendum est non consistere in aliquo actu positivo proveniente a virtute illa, quae vis resistendi dicitur, sed consistere potius in privatione actus. Unde talis resistendi vis potius est impotentia vel incapacitas quaedam..." (ibid., n.9). "Haec actualis et formalis resistentia solum in hoc consistit quod subiectum per qualitatem aut dispositionem aliquam in ipso exsistentem, impedit ne alia forma vel actio in ipsum introducatur: quod impedimentum non consistit in

actione aliqua, quam tale passum efficiat vel in aliud agens vel in seipsum... Consistit ergo in quadam formali incompossibilitate seu repugnantia a qua provenit ut actio contrarii agentis vel impediatur vel retardetur" (ibid., n.10).

167. Posita vero hac sententia: quomodo vincitur incompenetrabilitas, manente quantitate dimensiva et formali incompossibilitate naturali? Solummodo per virtutem divinam, quae maior est omni resistentia connaturali. Sic expresse S. THOMAS:

"Ad primum ergo dicendum quod corpus Christi non habuit ex dote subtilitatis quod posset esse simul cum alio corpore in eodem loco, sed hoc factum est virtute Divinitatis post resurrectionem sicut in nativitate" (In 4, d.44 q.2 a.2 scl.2 ad 1). "Ad tertium dicendum quod corpus gloriosum transibit sphaeras caelorum sine earum divisione, non ex vi subtilitatis, sed ex divina virtute, quae eis ad nutum in omnibus subveniet" (ibid., ad 3). Et similiter SUÁREZ: "Fatemur naturalem repugnantiam in eodem loco inter corpora quanta esse ratione quantitatum, atque adeo manentibus quantitatibus manere eandem repugnantiam naturalem; nihilominus tamen fieri posse per divinam potentiam ut illae duae quantitates loco penetrentur, quia illa repugnantia naturalis in ordine ad divinam potentiam nulla est neque illi resistit, atque ita potest Deus simul conservare corpus aliquod in uno loco, et in eodem aliud reponere" (*De mysteriis vitae Christi,* d.48 s.5 n.9).

168. *Tertia sententia* etiam explicat impenetrabilitatem per resistentiam formalem, sicut praecedens; et differt ab ea in eo quod illa formalis resistentia non provenit a sola quantitate dimensiva, sed a modo superaddito quantitati et extensioni; unde, durante illo modo, est impossibilis compenetratio etiam per Dei omnipotentiam. Compenetratio autem fieret a Deo per hoc quod tolleret illum modum, et sic iam corpus maneret compenetrabile. Modus autem ille est forma quaedam, emanans a quantitate tamquam effectus formalis secundarius vel potius tertius; nam secundus effectus formalis quantitatis est extensio actualis (Uf 966.970). Secunda explicatio quae est S. Thomae et Suárez videtur praeferenda [1].

169. Scholium. 2. *De impenetrabilitate corporis respectu suarum partium.* Manifestum est corpus non minus esse impenetrabile naturaliter aliis corporibus quam suis partibus distinctis. Et quaeritur in quo consistat illa impenetrabilitas. Nam P. HOENEN tenet impenetrabilitatem erga alia corpora consistere in activitate resistendi, et respectu partium internarum consistere formaliter in extensione actuali.

Sed alii tenent utramque impenetrabilitatem explicari eodem modo, nempe per formam incompossibilem cum alia extensione in eodem loco. Non consistit in vi seu activitate: nam secus partes essent realiter distinctae et actu separatae ut possint influere efficienter una erga aliam; sed consistit vel in naturali incompossibilitate partis quantae et extensae cum aliis partibus quantis et extensis (n.166), vel in forma quae emanat a quantitate, ut effectus formalis tertiarius eius: et ita manente illa forma, corpus maneret impenetrabile naturaliter cum quolibet alio et secum ipso.

---

[1] SUÁREZ, DM d.43 s.1 n.9-10; URRÁB., *Cosmol.,* p.966.970.

170. Obiectiones[2]. Corpora compenetrata eodem accidente ubicationis afficerentur; *atqui* idem accidens non potest afficere duplex subiectum; *ergo* corpora non possunt compenetrari.

Dist. mai.: eodem accidente extrinseco, quod est locus extrinsecus, *conc.;* eodem accidente intrinseco, qualis est ubicatio, *nego.* Et *contradist. min.*

Duo corpora etiam in eodem loco, haberent singula suum ubi intrinsecum distinctum ab alio, sed circumdarentur eodem loco extrinseco.

2. Ratio cur corpora se repellant ab eodem loco est quantitas; *ergo* manente quantitate, est impossibile ea compenetrari.

Dist. mai.: radix ultima, *conc.;* radix proxima et formalis, *nego;* et *contradist. min.:* si quantitas est radix proxima, *transeat;* si est radix remotior, *nego.*

Quantitas est radix remota impenetrabilitatis, proxima vero et formalis est forma illa incompossibilis cum alio corpore; sed quia radix proxima supprimi potest, manente radice ultima, ideo manente quantitate et extensione, potest dari compenetratio.

Sic respondetur secundum tertiam opinionem (n.168); sed iuxta secundam opinionem (n.166), sic responderetur: *Concedo antec., et dist. cons.:* si illa incompossibilitas cum alio corpore est invincibilis etiam miraculose, *conc.;* secus *nego; et nego suppositum,* nempe eam incompossibilitatem esse penitus invincibilem.

3. Fieri non potest ut successivae durationes sint simul tempore; *ergo* pariter fieri non potest ut corpora continua permanentia sint in eodem loco. *Consequentia:* quia tam essentiale est tempori successio, quam corpori extrapositio partium.

Conc. antec.: et *nego cons.* Ad probationem nego paritatem. Nam tempori essentiale est successio, sed corpori continuo, quod habet suas partes simul, non est essentialis actualis extrapositio, sed solum exigere eam extrapositionem.

4. Duo corpora compenetrata non possent distingui; *ergo* non sunt duo, sed unum.

Dist. mai.: non possent distingui in seipsis neque a Deo, *nego;* non possent distingui a nobis, *transeat;* et *nego cons.*

5. Repugnat eundem locum bis impleri; *atqui* hoc accideret in compenetratione circumscriptiva; *ergo* compenetratio circumscriptiva est impossibilis.

Dist. mai.: naturaliter, *conc.;* etiam supernaturaliter, *nego.* Et *contradist. min.*

171. 6. Non potest concipi quomodo fiat compenetratio; *ergo* reicienda est.

Nego antec; iam in scholio explicuimus duos modos quibus compenetratio fieri posset: nam vel si incompenetrabilitas consistit in activitate Deus omitteret concursum cum vi impenetrabilitatis; vel si impenetrabilitas consistit in forma, Deus tolleret formam illam incompossibilem cum alio corpore.

7. Nequit dari forma sine effectu suo formali; *atqui* impenetrabilitas est effectus formalis quantitatis et extensionis; *ergo* permanente quantitate et extensione, impossibilis est compenetratio.

Dist. mai.: sine effectu suo formali primario, *conc.;* sine effectu

[2] URRÁB., *Cosmol.,* p.975.

suo formali secundario, *subdist.:* naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *nego.* Et *contradist. min.*

8. Repugnat eundem locum impleri et non impleri; *atqui* hoc accideret in compenetratione circumscriptiva; *ergo* repugnat haec compenetratio. *Maior:* quia in eo datur contradictio. *Minor* quia si adhuc in eo loco recipitur aliud corpus, signum est adhuc non fuisse repletum.

Conc. mai.; nego min. Ad probationem, *dist. assert.:* est signum, per ordinem ad vires naturales creaturae, *conc.;* per ordinem ad omnipotentiam divinam, *nego.* In casu compenetrationis, non essent verae duae contradictoriae, scl. locum impleri et non impleri, sed duae propositiones positivae, nempe locum impleri corpore A et simul impleri corpore B.

9. Intèr duo puncta non potest describi nisi una recta; *atqui* si compenetrarentur duo corpora, ex uno puncto describerentur duae rectae; *ergo* compenetratio est impossibilis.

Conc. mai., et *nego min.* In casu compenetrationis unumquodque corpus haberet sua puncta designabilia, et suas rectas designabiles, sed compenetratas. Et tunc non inter duo puncta sed inter quatuor puncta describerentur duae rectae compenetratae.

10. In compenetratione circumscriptiva eadem pars corporis esset penetrabilis et impenetrabilis; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* compenetratio circumscriptiva repugnat. *Maior:* nam eadem pars est penetrabilis a corpore alieno, et impenetrabilis cum partibus propriis.

Resp. 1.ª Dist. mai.: respectu eiusdem, *nego;* respectu diversorum, *conc.;* et *contradist., min. Et probationem eodem modo distinguo.*

Resp. 2.ª Nego maiorem: nam si corpus aliquod vel pars eius est compenetrabilis, est compenetrabilis cum omnibus. Impenetrabilitas enim venit a forma incompossibili cum alio corpore; ut vero sit compenetrabilis, debuit haec forma auferri, et tunc corpus erit compenetrabile corpori alieno et partibus propriis.

11. Duae figurae nequeunt esse simul in eodem corpore; *ergo* pariter neque duo corpora in eodem loco. *Antec.* Quia posita una, aufertur alia.

Dist. mai.: secundum eandem ubicationem, *conc.;* secundum diversas ubicationes completas, v.c., si replicetur, *nego;* et *contradist, cons.:* si deberent esse in eodem loco secundum eandem ubicationem intrinsecam, *conc.;* si possunt esse in eodem loco per diversas ubicationes numerice diversas, *nego.*

12. Facta miraculosa quae adducuntur pro compenetratione possunt explicari aliis modis; *ergo* non est necessaria compenetratio ut illa explicentur. *Antec.:* Sic egressus Christi ex sepulchro ante lapidem revolutum, explicatur quia Christus transivit per poros; vel quia lapis perruptus fuit et celeriter recompositus; idem dicatur de egressu Christi a claustro virginali. Vel possent explicari hoc alio modo. Christus, amissa ubicatione priore, acquisivit statim ubicationem posteriorem, non transeundo per medium.

Resp. 1.ª Dist. antec.: et hae explicationes sunt parum dignae, *conc.;* sunt dignae tantis mysteriis, *nego;* et *contradist. cons.*

Resp. 2.ª Nego suppositum, nempe nostras probationes niti in illis factis; illa facta fuerunt fortasse occasio tractandi hanc rem in Philosophia, sed non sunt argumentum seu probatio theseos.

13. *(Pro naturali compenetrabilitate.)* Corpora per magnam pressionem minuuntur volumine; *ergo* si magis augeretur pressio, possent adhuc magis reduci et sic totaliter compenetrari.

Conc. mai., et *nego cons.:* illa minutio voluminis explicatur per condensationem; haec vero consistit vel in diminutione distantiarum quae sunt inter corpuscula (quod non est compenetratio) vel per qualitatem densitatis, quae inter determinatos limites permittit corpora augeri volumine aut minui.

ARTICULUS V

De replicatione

Thesis 9. Non ostenditur impossibilem absolute esse replicationem corporum etiam circumscriptivam.

172. St. Th., in 4 d.10 q.1 a.3 sol.2 ad 3; 3 q.75 a.1 ad 3.4; Suárez, *De Eucharist.*, d.48 s.4; Urráburu, *Cosmol.*, p.979-995; Schaaf, n.156; Morán, p.168-175; Goudin, *Phys.*, 1 d.3 q.4 a.2; Hoenen, *Cosmol.*, p.126.

173. Nexus. Consequentia necessaria ex doctrina ubicationis intrinsecae est possibilitas replicationis etiam circumscriptivae: nam ad replicationem non necesse erit multiplicare entitatem replicatam, sed solam ubicationem. Et ideo hanc quaestionem nunc tractamus.

Notiones. Replicatio vel multilocatio est simultanea unius eiusdemque entis exsistentia in pluribus locis adaequatis. Locus autem adaequatus est ille qui sufficit enti spectata eius natura et modo consentaneo ubicationis. Ita totus aër, qui me circumdat, est locus meus adaequatus. Inadaequatus est ille qui sufficit pro parte entis locati, non pro toto: et sic manica est locus inadaequatus toti homini; et pes est locus inadaequatus animae, nam locus adaequatus est totum corpus.

Replicatio autem seu multilocatio potest esse definitiva, circumscriptiva et mixta. Definitiva, si corpus est definitive in multis locis, ut Christus est in multis hostiis. Circumscriptiva est si corpus est in multis locis circumscriptive et commensurative ad locum, vel cum aptitudine proxima ad hanc circumscriptionem, quae consistit in trina sua dimensione. Mixta est si corpus in uno loco est definitive et in alio circumscriptive: et sic Christus est circumscriptive in caelo et definitive in Eucharistia.

174. Status Quaestionis. Occasio tractandi hanc quaestionem in philosophia est factum eucharisticum, ex quo scimus Christum esse replicatum definitive, quia est in multis

hostiis definitive; et etiam mixte, quia est in caelo circumscriptive et in Eucharistia definitive. Et ideo quaeritur utrum supernaturaliter corpus possit etiam esse replicatum circumscriptive, ita ut idem penitus corpus possit esse circumscriptive in multis locis adaequatis.

175. Sententiae. *Prima sententia* est haereticorum et positivistarum, dicentium impossibilem esse omnem replicationem, et ideo negat mysterium eucharisticum. Alio titulo et modo negat etiam possibilitatem omnis replicationis CARDINALIS BILLOT. Nam licet fateatur Christum esse in caelo circumscriptive et in Eucharistia definitive, tamen dicit non esse replicatum seu multilocatum, quia in Eucharistia Christus est, non per mutationem ullam suam, sed per hoc quod quantitas acquirat relationem continentiae ad Christum immutatum in caelis. Sed, nisi velit negare mysterium realis praesentiae in Eucharistia, solum voce negat replicationem, nam vere Christus est in duobus locis: poterit ille disputare de modo quo est in Eucharistia, sed non de facto locationis duplicis [1].

176. *Secunda sententia* admittit quidem possibilitatem replicationis definitivae et mixtae, non vero possibilitatem replicationis circumscriptivae: et ratio est duplex. Prima ratio est theoria de principio individuationis: nam principium individuationis est materia signata quantitate et situ; ergo ubi situs est diversus, individua sunt distincta; unde si idem corpus replicaretur, non esset idem sed duo, quia diversus esset situs. Sequuntur hanc sententiam S. THOMAS et thomistae post eum, VÁZQUEZ, LIBERATORE. Secunda ratio est ex notione distantiae. Si corpus replicaretur circumscriptive, distaret a se ipso, et non esset sibi identicum. Nam interponeretur corpus aut spatium inter duas ubicationes, et in hoc consistit distantia [2].

177. *Tertia sententia,* non solum admittit possibilitatem replicationis definitivae et mixtae, sed etiam circumscriptivae. Auctores sunt innumeri, et insignes auctoritate: HUGO VICTORINUS, SCOTUS, ALEXANDER HALENSIS, MOLINA, FONSECA, SUÁREZ, TOLETUS, BELLARMINUS, VALENTIA, FRANZELIN, PALMIERI, PESCH, MENDIVE, MASTRIUS, FRASSEN etc.

---

[1] BILLOT, *De sacromentis,* I p.466ss., et eum sequuntur DE LA TAILLE., FILOGRASSI, etc.

[2] Negant possibilitatem replicationis circumscriptivae: ST. TH. (l,c.), S. BONAVENTURA, AEGIDIUS ROM., HENRICUS GANDAVENSIS, IO. A ST. TH. (*Phys.,* q.16 a.5), GOUDIN, CARD. AGUIRRE, COMPLUTENSES, VÁZQUEZ (in 3 d.189 c.5,5), SYLVESTER MAURI, LIBERATORE (*Cosm.,* n.85); DE SAN (*Cosm.,* n.488).

Hanc et nos sequemur. Non autem probamus thesim positive, sed negative, nempe, dicimus non ostendi repugnantiam replicationis circumscriptivae. Neque probanda est impossibilitas naturalis replicationis, quia haec est patens, sed solum possibilitas supernaturalis replicationis.

178. Probatur thesis. *Prob. 1.* Replicatio circumscriptiva ostenderetur contradictoria aut ex conceptu aut ex sequelis necessariis; *atqui* ex neutro capite ostenditur contradictoria; *ergo* nullo modo ostenditur contradictoria. *Maior* constat. *Minor* vero probatur.

A. *Replicatio non ostenditur contradictoria ex conceptu.* Replicatio ostenderetur contradictoria ex conceptu, si per illam affirmaretur simul et negaretur corpus esse hic; sed hoc non est verum. Nam dicere corpus quod est hic esse replicatum, non est affirmatio et negatio, sed est duplex affirmatio, nempe et quod corpus sit hic, et quod corpus sit etiam alibi.

Et paulo aliter: Replicatio esset contradictoria, si dicere corpus esse hic, significaret formaliter non esse alibi; at dicere corpus esse hic, solummodo affirmat esse hic, non vero significat formaliter non esse alibi etiam.

Verum est, corpus, si est hic, exigere naturaliter ut non sit alibi; sed haec exigentia naturalis potest vinci per virtutem divinam, ita ut non obtineat quod exigit.

B. *Neque replicatio ostenditur contradictoria ex sequelis necessariis.* Una ex sequelis, quam obiciunt, est corpus replicatum non fore unum, tum quia distans esset a se ipso, tum quia principium multiplicationis est materia signata quantitate et situ; *atqui* hic habetur duplex situs, *ergo* esset duplex corpus, non unum. Ad haec vero respondeo: corpus non fore multiplex sed unum. Nam in primis non distaret a se ipso; nam distantia est inter extrema distincta; *atqui* illud corpus est idem; *ergo* non distaret a se ipso. Distaret una ubicatio ab alia, non vero ipsa substantia a se ipsa. Secundo negatur principium multiplicationis esse materiam signatam quantitate et situ, sed tale principium est tota rei entitas, et quoniam entitas est una, sequitur nullam dari multiplicationem suimetipsius.

Et confirmatur: quia possunt duo corpora habere eundem situm per compenetrationem, et tamen non identificarentur etiam iuxta adversarios; *ergo* pariter unum corpus potest habere duos situs, et non multiplicaretur.

179. *Prob. 2.* Nulla est contradictio in replicatione definitiva et mixta; *ergo* pariter neque in replicatione circumscriptiva.

Antecedens conceditur ab adversariis replicationis circumscriptivae. *Consequens vero probatur:* quia nulla est ratio disparitatis. Nam vel in omnibus casibus corpus desineret esse idem, eo quod distaret a se ipso, vel eo quod haberet diversum situm, seu ubi; vel in nullo casu desineret esse unum, quia unice distarent ubicationes, non vero substantia.

180. Scholium. 1. *Duplex est modus explicandi replicationem:* alii dicunt fieri per solam adductionem, alii autem per novam quasi productionem, vel potius per novam conservationem, siquidem corpus, quod replicatur, iam exsistebat. Qui explicant per *adductionem,* dicunt produci a Deo modum novum ubicationis. Ille autem modus ubicationis fit in corpore quod erat alibi, et per hunc novum modum fit hic. Sic LUGO cum multis aliis [4]. Qui autem explicant per *productionem* iteratam substantiae, habent hanc theoriam, quod una eademque res potest produci duplici actione adaequata, quae habeat pro termino eandem omnino rem; neque ideo secunda productio adaequata est vacua effectu, nam ita terminatur ad effectum iam productum priori actione, ut si cessaret illa prior actio, adhuc per secundam conservaretur [5]. Alii demum admittunt *ut possibiles hos duos modos* replicationis; et dicunt transubstantionem de facto fieri per novam quasi productionem substantialem corporis Christi ad hoc ut transubstantiatio sit actio substantialis, sed dicunt replicationem posse fieri etiam per adductionem, et sine ulla transubstantiatione.

181. Scholium. 2. *De praesentia Corporis Christi in Eucharistia secundum Cardinalem Billot* [6].

a) Christus in Eucharistia non replicatur, quia replicatio fit per adquisitionem alicuius ubi, et Christus non adquirit novum ubi, secus distaret a se ipso et negaretur esse idem qui est in caelo.

b) Sed Christus est in Eucharistia per dimensiones alienas, nempe quia quantitas panis et vini adquisivit relationem continentiae ad corpus Christi omnino immutatum.

c) Et has relationes potuit quantitas adquirere per transubstantiationem panis et vini, in corpus et sanguinem Christi, et non alio modo: unde sine transubstantiatione non est possibilis multiplex praesentia simultanea unius rei: secus deberet haec multiplex praesentia fieri per adquisitionem ubicationum, ita ut res distaret a se ipsa, et non esset identica sibi.

d) Christus in Eucharistia conservat eandem extensionem actua-

---

[4] Theoriam adductionis defendunt: BELLARMINO (*De Euchar.,* 1.3 c.18), SCOTUS, TOLETUS, VÁZQUEZ, PESCH, LUGO, MANYÁ, *La transubstanciación:* RevEspTeol 7 (1947) 245-264.

[5] Theoriam reproductionis defendunt: SUÁREZ (*De Eucharist.,* d.50), LESSIUS, ARRIAGA, IO. A S. TH., nec renuit HUGON; cf. MANUEL QUERA, *Suárez y la transubstanciación eucarística:* RazyFe 138 (1948) II 409-441.

[6] BILLOT, *De sacramentis,* q.75 § 2 p.456-475. Hanc etiam theoriam, quae vocatur simplicis conversionis, sequuntur DE LA TAILLE, VAN NOORT, ALASTRUEY, A. PIOLANTI; et cf. J. A. DE ALDAMA, *Sacrae Theol. Summa,* IV (BAC, Madrid) p.295-298.

lem quam habet in caelo: nam servat suam quantitatem et effectus formalis primarius quantitatis est extensio actualis.

e) Quomodo igitur Corpus Christi non excedit dimensiones hostiae? *Primo,* quia est ibi per dimensiones alienas quae sunt dimensiones hostiae, ideoque eas excedere non potest. *Secundo,* quia in illis dimensionibus substantia corporis Christi est per modum substantiae panis et vini; et quoniam substantia panis et vini est tota in toto et tota in singulis partibus specierum, similiter substantia corporis Christi est ibi ut substantia, tota in toto et tota in singulis partibus. *Tertio,* quantitas corporis Christi est ibi per concomitantiam cum substantia corporis Christi, ideoque et ipsa quantitas est ibi sicut ipsa substantia corporis Christi, nempe per modum substantiae, seu definitive, tota in toto et tota in singulis partibus hostiae.

182. *Crisis. a)* Non est verum replicationem omnem esse impossibilem, aut per eam fieri ut aliquid non sit idem sibi ipsi aut multiplicari secundum substantiam.

b) Verum non est per transubstantiationem non fieri ullam mutationem, ne accidentalem quidem, in corpore Christi ut adquirat ubi eucharisticum.

c) Non bene servatur realis praesentia corporis Christi in Eucharistia. Nam non est praesens quia Corpus Christi adquirat novam ubicationem, sed per hoc quod quantitas panis adquirat relationem continentiae ad corpus Christi immutatum in caelo: per hoc autem quantitas eucharistica significat corpus Christi, sed non continet de facto illud.

d) Imo transubstantiatio illa P. BILLOT nulla actio est, ideoque nequit ponere corpus Christi in Eucharistia. Nam illa actio nihil facit in corpore Christi, siquidem corpus Christi nullam mutationem accepit ne accidentalem quidem; et nihil facit in substantia panis et vini, nam potius substantia panis cessat esse, et cessatio in essendo non est ullus effectus aut actio, sed est absentia actionis conservativae. Tandem illa actio nihil facit in quantitate per quod corpus Christi ponatur ibi: nam solummodo facit conservationem separatam quantitatis sed conservatio separata quantitatis non est ponere ibi praesentiam corporis Christi. Solum potest illa actio ponere intentionaliter in quantitate significationem corporis Christi per verba consecrationis, sed hinc sequitur Christum esse in quantitate significatum, non realiter praesentem. Et contra in nostra theoria de ubicatione intrinseca transubstantiatio habet actionem et effectum realem, qui est ponere corpus Christi praesens, nam vere producit in corpore Christi novam ubicationem intrinsecam.

e) Verum non est etiam unice per transubstantiationem posse poni praesens corpus Christi: de facto certe per solam transubstantiationem bene explicatam ponitur praesens, sed potuisset poni absolute, multiplicata ubicatione sine ulla transubstantiatione.

f) Non est verum effectum formalem primarium quantitatis esse extensionem actualem, quod nullo argumento probatur. *g)* Neque est verum substantiam panis et vini esse sub sua quantitate realiter totam in toto et totam in singulis partibus: sed contra est tota in toto et pars in parte. Ad summum potest dici esse totam in toto et totam in partibus logice, quia definitio substantiae verificatur tota in toto et tota in qualibet parte designabili: sed non licet aequiparare praesentiam corporis Christi realem, cum modo quo definitio

abstracta substantiae verificatur tota in toto et tota in singulis partibus.

Ex his considerationibus patet sententiam CARDINALIS BILLOT non esse admittendam ad explicandum effectum formalem primarium quantitatis, neque ad explicandam praesentiam corporis Christi in Eucharistia.

183. Scholium. 3. *De his quae cum corpore replicato necessario replicantur vel non replicantur* [7].

a) Ubicatio qua res est hic, non potest replicari ut sit alibi. Sic esse hic non potest replicari ut sit alibi.

b) Sed tamen ubicationes possunt esse plures, sicuti et ea quae sequuntur ad ubicationem, ut est situs. Sic aliquis posset esse hic iacens et alibi stans; hic potest currere et alibi quiescere, hic potest esse proximus huic personae, et alibi procul ab illa; hic currere in unam directionem et alibi currere in directionem contrariam: in quo non est contradictio, quia haec sunt opposita, non secundum eandem, sed secundum diversas ubicationes.

c) Quae sunt identica cum corpore replicato, necessario replicantur; et quae sunt realiter distincta, possunt non replicari, imo possunt esse diversa in diversis locis, dummodo contradictio non sequatur.

184. Hinc 1) posset replicari corpus et non replicari quantitas vel saltem extensio actualis, ut accidit in replicatione mixta. 2) Potest replicari corpus et non replicari anima: neque inde sequeretur idem fore hic vivum et alibi mortuum; nam corpus mortuum est quod simpliciter non est unitum animae; hoc autem corpus, quod replicatur non replicata anima, est simpliciter unitum animae, licet anima non sit hic. 3) Potest replicari corpus et anima et intellectus, et non cogitatio quam habet hic: neque inde sequeretur eundem intellectum esse cogitantem et non cogitantem: nam non cogitans est ille qui simpliciter caret cogitatione, sed in casu praedicto homo non careret simpliciter cogitatione, licet cogitatio non esset replicata hic. 4) Imo haec quae sunt realiter distincta a corpore replicato possunt esse diversa in diversis locis. Sic intellectus posset habere hic unam cogitationem, et alibi habere cogitationem distinctam, sed non oppositam, quia implicat contradictionem eundem intellectum videre aliquid esse sic, et videre non esse sic; et similiter dicatur de volitione. 5) Homo replicatus nequit agere aut pati in duplici loco plus quam in uno. Sic si non potest levare in suo loco connaturali nisi unum, non potest in duplici loco levare pondus ut duo; si non potest in uno loco videre nisi quatuor simul, non potest in replicatione videre octo, sed solum quatuor.

185. Obiectiones [8]. 1. Quae loco separantur, sunt plura; *atqui* corpus replicatum, separatur loco a seipso; *ergo* corpus replicatum est plura, et non servat identitatem individualem.

Dist. mai.: quae separantur loco quoad substantiam, *conc.;* quae separantur loco solum quoad ubicationem, *nego; et contradist. min.*

Corpus ubicatum non distat a seipso, quia utrobique est idem, sed distant solum ubicationes.

[7] SUÁREZ, *De Euchar.*, d.50 s.2-6; URRÁB., 995-1000.
[8] URRÁB., *Cosm.*, p.985-999.

Et retorqueo ad alias replicationes, scilicet, ad definitivam et mixtam.

2, Repugnat aliquid esse extra proprium locum; *atqui* corpus replicatum esset extra proprium locum; *ergo* repugnat corpus replicari.

Dist. mai.: per illam praesentiam per quam est in hoc loco, *conc.* per aliam praesentiam seu ubi, *nego;* et *contradist. min.*

3. Implicat aliquid separari a seipso; *atqui* corpus replicatum distaret a seipso; *ergo* corpus replicatum repugnat. *Minor:* Quia distantia est corpus quod est interpositum vel interponi potest inter duo extrema; *atqui* in replicatione habetur corpus interpositum inter duo extrema; *ergo* corpus replicatum distat a seipso.

Trans. mai., et *nego min. Ad probationem, conc. mai.*, et *distinguo min.:* inter duo extrema substantialia, *nego;* inter duo extrema quae sunt ubicationes accidentales, *conc.;* et *pariter distinguo consequens:* distat substantialiter, *nego;* distant ubicationes, *conc.* Dixi *transeat mai.*, quia proprie loquendo distantia non est corpus interpositum, sed habitudo duorum talis, ut possit interponi corpus sine mutatione illorum.

4. Implicat aliquid moveri motibus contrariis; *atqui* in replicatione corpus moveretur motibus contrariis; *ergo* replicatio implicat contradictionem.

Dist. mai.: secundum eamdem ubicationem, *conc.;* secundum diversas ubicationes *nego;* et *contradist. min.:* secundum eandem ubicationem *nego;* secundum diversas ubicationes, *conc.*

186. 5. Corpus replicatum haberet locum adaequatum et non haberet locum adaequatum; *atqui* hoc est contradictorium; *ergo* contradictoria est replicatio.

Nego mai.: haberet duplicem locum adaequatum, quia alteruter est ei sufficiens; sed unum haberet ex exigentia, et alium ex dono.

6. Si corpus posset replicari in duobus locis, posset esse in infinitis; *atqui* hoc est absurdum, quia rei finitae non potest dari aliquid infinitum; *ergo* replicatio implicat contradictionem.

Dist. mai.: ex exigentia, *nego;* mere de facto et supernaturaliter, *subdist.*: si infinitum creatum in actu repugnet aliunde, *nego;* si non repugnet, *conc.* Et *contradist. min.*: hoc est absurdum i.e. impossibile naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *subdist.*: si infinitum creatum in actu repugnet aliunde, *conc.;* secus, *nego.*

7. Implicat rem esse simul in diversis temporibus; *ergo* pariter implicat eandem rem esse simul in diversis locis adaequatis.

Conc. antec.; et *nego conseq.* ob disparitatem: tempus est essentialiter successivum, et eius partes non sunt simul; sed spatium et extensio habet partes simul, ideoque, si non aliunde repugnet, non implicat rem esse simul in duobus locis.

8. Si corpus replicaretur, circumscriberetur simul et non circumscriberetur; *atqui* hoc est contradictorium; *ergo* contradictorium est corpus replicari circumscriptive. *Mai.:* circumscriberetur ex hypothesi. Non circumscriberetur, quia esset extra proprium locum, quod est non circumscribi ab illo.

Nego mai., nam circumscriberetur bis. Ad probationem: *dist. mai.:* esset extra proprium locum per negationem circumscriptionis propriae et naturalis, *nego;* per additionem supernaturalem circumscriptionis alius, *conc.*

Et retorqueo ad replicationem definitivam: si replicaretur corpus definitive, definiretur et non definiretur, quod est contradictorium, quia esset extra proprium ubi. Et similiter retorqueo ad mixtam.

9. Si corpus replicaretur, commensuraretur simul et non commensuraretur suo loco; *atqui* hoc est contradictorium; *ergo* replicatio implicat contradictionem. *Mai.;* commensuraretur, quia aequatur suo loco; et non commensuraretur, quia excederet suum locum, cum ultra suum locum extendatur. *Min.:* quia extensio est formalis effectus quantitatis; *atqui* repugnat effectum formalem duplicari, non aucta forma ipsa quantitatis; *ergo* implicat contradictionem commensurari ultra suum locum.

Nego mai., nam bis positive commensuraretur eadem quantitas duobus locis vel extensionibus. *Ad probationem, disting. assertum:* excederet suum locum per non commensurationem ad locum suum, *nego;* per additionem alius commensurationis, ratione ubicationis multiplicatae, *conc.*

Et retorqueo ad alias replicationes, in quibus res esset in suo loco definitive vel mixte, et esset extra proprium locum.

187. 10. Effectus formalis secundarius non potest multiplicari, non multiplicato effectu formali primario; *atqui* ubicatio seu extensio est effectus formalis secundarius quantitatis; *ergo* non potest multiplicari non multiplicata quantitate et eius effectu formali primario.

Dist. mai.: non potest multiplicari effectus formaliter ut effectus formalis, seu in quantum exigitur, *conc.;* materialiter sumptus, seu illa res quae est effectus formalis secundarius, et in quantum non exigitur, *subdist.:* naturaliter *conc.;* supernaturaliter, *nego;* et *concessa min. dist. pariter cons.:* formaliter ut effectus formalis et ut res quae exigitur, *conc.;* materialiter seu ut res quae non exigitur, *subdist.:* naturaliter *conc.;* supernaturaliter, *nego.*

11. Si corpus replicaretur in duobus locis, illa duo loca compenetrarentur; *atqui* est impossibile duo loca distantia compenetrari; *ergo* est impossibilis replicatio. *Mai.;* quia continerent idem corpus.

Nego mai. Ad probationem: *dist. assert.:* continerent idem corpus secundum eandem ubicationem, *nego;* secundum diversas eiusdem ubicationes, *conc.*

12. Si corpus replicaretur, posset poni super duas trabes; et tunc subductis trabibus, non posset cadere naturaliter, neque stare; *atqui* hoc est contradictorium; *ergo* non potest replicari. *Minor.* non posset cadere naturaliter, quia secus acquireret naturaliter duas simultaneas ubicationes, quod repugnat. Neque posset stare, quia evidenter unus saltem habet vim gravitatis, eique subicitur.

Resp.: si Deus vellet servare miraculum replicationis, ipse determinaret quid faciendum esset.

13. Si Deus replicaret corpus, aut hoc faceret actione adductiva, i.e. productiva solius modi in alio loco, vel actione quasi creativa; *atqui* utrumque repugnat.; *ergo* corpus non potest replicari circumscriptive.

Minor: non potest produci actione adductiva seu productiva solius modi; nam si corpus naturaliter est Romae, vel ille modus ubicationis novae fieret in corpore prout est Romae, vel prout est Matriti. Si in corpore prout est Romae, ibi maneret corpus. Si autem

prout est Matriti, *ergo* faceret modum extra subiectum, et ita ponitur modus sine subiecto, et ideo forma matritensis non daret effectum formalem collocandi illud Matriti. Neque potest fieri per productionem novam corporis, quia quod est factum iterum fieri non potest.

Nego mai., quia datur tertium, nempe posset fieri replicatio utroque modo. Et *nego minorem*. Ad probationem primam minoris: ille modus fieret in corpore quod specificative est Romae, et quod per illud ubi formaliter poneretur Matriti. Sicut calor recipitur in corpore quod est frigidum, quod tamen per illum calorem fit calidum, non autem manet frigidum. *Ad secundam partem:* illa actio non produceret de novo corpus, quia iam erat productum; sed terminaretur ad corpus conservandum, ita ut si cessaret prima actio, per hanc secundam solam adhuc conservaretur.

Et retorqueo ad alias replicationes definitivam et mixtam.

14. Si corpus posset replicari circumscriptive, posset alibi calefieri et alibi frigefieri, moveri motibus contrariis, distare et non distare ab eodem corpore, alibi cogitare et velle unum et aliud vel oppositum alibi; item posset esse album et non album, calidum et non calidum, vivum et non vivum. *Atqui* haec sunt contradictoria; *ergo* est impossibilis replicatio. HOENEN concedit quidem replicationem non implicare contradictionem in terminis, sed certe in his consequentiis.

Resp. Sufficienter iam est responsum in scholio. Et bene nota, quando corpus habet hic unam affectionem et alibi aliam, vel caret illa, non est vera affirmatio et negatio, sed sola duplex affirmatio est vera.

Itaque non est verum corpus fore album et non album, sed et album et flavum, calidum et frigidum cum calore maiore et minore. In his casibus, negationes non conveniunt simpliciter corpori, sed corpori prout est in hoc vel alio loco.

CAPUT IV

De spatio

188. Introductio. Omnia quae dicta sunt de extensione et de praesentia corporum non possunt intelligi bene sine notitia spatii: nam et corpora sunt locata in spatio, et moventur in spatio, et mutant spatia quando moventur. Operae igitur pretium est investigare naturam huius conceptus. Et de spatio tria quaeri possunt: de natura spatii absoluti generatim, de vacuo, et de spatio metageometrico, quae tribus articulis comprehendemus.

ARTICULUS I

De natura spatii absoluti

Thesis 10. Spatium absolutum est ens rationis cum fundamento in re.

189. Morán, *Cosm.*, n.117ss.; Balmes, *Filosofía fund.*, l.3 c.7,12-16; Leibniz, *Opera omnia*, II. Epist. ad Des Nosses, p.632; Franck, p.51; Dario, p.70; Suárez, DM d.51 s.1 n.10.11.23.24; Urráb., *Cosm.*, p.916-942; Schaaf, p.197-205; Hugon, p.206; Newton, *Optic.*, q.20; Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis*, l.2 c.2 n.10.12; Lechalas, *Etude sur l'espace et le temps*, ed. 2.ª (Paris 1910); Eddington, *Espace, temps, gravitation* (Paris 1921); Echarri, *¿De quién es la teoría del espacio nada, censurado por Balmes?:* Pens 4 (1948) 311-328; Idem, *Un influjo español desconocido en la formación del sistema cartesiano* (Dos textos paralelos de Toledo y Descartes sobre el espacio): Pens 6 (1950) 291-323; Idem, *Descartes y Malebranche en las concepciones espacio-extensionales de Balmes:* Pens 3 (extraordinario 1947) 182-240; Idem, *Carácter cuasi conceptual del espacio y tiempo:* Actas Congr. Intern. Barc. (1948) t.2 45-93; Pohley, C., S. I., *Des Leibnitz Lehre vom Raum:* Greg 15 (1934) 325-348.

190. Notiones. Spatium est capacitas recipiendorum corporum sine ullo limite. Quare spatium non est aliquod corpus, sed distinctum ab omni omnino corpore: nam corpora recipiuntur in spatio, et spatium recipit corpora. Characteres autem spatii, iuxta conceptum quem habemus, sunt sequentes:

a) Est infinitum seu sine limitibus, siquidem potest recipere plura et plura corpora etiamsi sint infinita.

b) Est indivisibile; nam licet fingamus partes separari alias ab aliis, tamen inter eas iterum spatium ponere debemus quod intercedat inter partes separatas. Possunt signari partes, sicut in extensione continua, sed non possunt dividi seu separari.

c) Est immobile: nam sola corpora moventur de uno spatio in aliud, sed spatium non movetur.

d) Habet partes, sed est omnino penetrabile cum omni corpore.

e) Caret initio et fine durationis: nam ante omnem creationem corporis, iam imaginamur praecessisse spatium in quo crearentur res; et si annihilarentur res, adhuc concipimus spatium in quo fuerunt, et in quo iterum esse possunt.

f) Est increatum: si enim Deus creavisset illud, quaereremus adhuc spatium in quo Deus posuit illud spatium.

g) Est quidem singulare aliquod, non universale; nam non concipimus illud ut aliquid praescindens ab individuis, sed ut aliquod totum infinitum, unicum et individuum. Habet partes, verum hae non sunt totidem individua spatia, sed sunt

partes unius spati singularis. *Tamen*, si praescinderemus a ratione totius et partium, tunc posset fieri universale, quod conveniret singulis spatiis designabilibus.

191. Divisiones spatii. *Spatium dividitur* primo in reale et possibile. REALE spatium, est pars illa spatii absoluti, quae repleta est corporibus actualibus: dicitur reale, per denominationem desumptam a corpore quod est in eo, non vero ex eo quod spatium ipsum habeat ullam realitatem. Spatium POSSIBILE, est spatium in quantum est replebile corporibus quae nondum sunt, sed possunt in eo esse; non dicitur possibile quasi spatium esset aliquod possibile quod possit creari a Deo, sed quia possunt creari corpora, et in eo spatio collocari.

192. *Spatium dividitur secundo* in physicum et mathematicum. Spatium PHYSICUM sunt extensiones reales; MATHEMATICUM est extensio abstracta et sine limitibus; non igitur concipitur ut capacitas recipiendorum corporum, sed ut extensio pura. Dicitur mathematicum, quia eo utuntur mathematici quasi esset reale.

193. *Dividitur tertio* in plenum, vacuum et inane. Spatium PLENUM est illa pars spatii in qua sunt corpora. Spatium VACUUM est intervallum intercedens inter superficies alicuius loci realis, quod non est repletum ullo corpore, sed potest repleri. Sic si Deus annihilaret omne illud quod est in vase, etiam aërem, illud spatium esset vacuum. *Vacuum* est quidem inane, sed connotans parietes quae possunt continere aliquid. Spatium *inane* est spatium in quo nihil est, neque tamen habet superficies ullas limitantes: tale est spatium quod imaginamur extendi sine fine extra mundum, et vocatur imaginarium.

194. Dicebamus spatium absolutum esse ENS RATIONIS: ens autem rationis est illud quod ad modum entis concipimus; sed tamen solum potest habere esse obiectivum in intellectu. Sic tenebras concipimus ut aliquam entitatem tenuem, nigram; peccatum ut aliquam maculam foedam. Dicitur solum habere esse obiectivum in intellectu, quia in rebus verificari nequit, et tamen in mente adest actus cognoscitivus quo repraesentamus illud quasi esset ens reale [1].

195. *Ens vero rationis dividitur in fundatum in re et non fundatum.* NON FUNDATUM, si contradictio est aperta,

[1] SUÁREZ, DM d.54 s.1; URRÁB., *Ontol.*, p.94-100.

ut cum dicimus circulum quadratum. FUNDATUM, si formatur a nobis occasione alicuius rei realis, et hoc modo formantur universalia formalia secundae intentionis, ut genera et species. Et dicimus spatium absolutum esse ens rationis cum fundamento in re. Mens autem illud format quadruplici gressu. Nam primo cernit in rebus corpus extensum et impenetrabile; secundo, mens abstrahit extensum ab entibus particularibus, et a finitudine, et ab impenetrabilitate; tertio, postea tollit limites; quarto, facit illam extensionem abstractam ut locum omnium rerum, et ita constituitur spatium; in his fundamentum reale est extensio, cetera veniunt ab operatione mentis. *Occasio* autem, cur illam extensionem abstractam concipiamus ut locum omnium rerum, est quaedam experientia immediata, per quam in eodem loco videmus res diversissimas poni successive, unde facile imaginamur et concipimus ibidem haberi vacuum aliquod quod repleri potest indifferenter a multis rebus, cum ipsum immutatum maneat; et tandem ampliamus hoc spatium receptivum corporum magis et magis, ita ut tollamus limites.

Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum spatium absolutum quod descripsimus habeat realitatem et qualem.

196. Sententiae. *Prima sententia* est subiectivistarum, et dicit spatium esse aliquid fictum per rationem sine ullo fundamento in realitate. Sic

a) BERKELEY, dicebat nulla esse corpora, sed solummodo spiritus: extensionem autem et spatium dicebat esse res mere fictas ab intellectu.

b) HUME dicebat spatium esse phaenomenum pure subiectivum.

c) KANT explicuit quomodo spatium esset aliquid mere subiectivum, nempe, quia sensibilitas habet quasdam formas a priori quae vocantur spatium et tempus, et per illas formas fingit spatium et extensionem, in genere et confuse: sed diversae portiunculae spatii et extensionis finguntur per schemata transcendentalia imaginationis [2].

d) BERGSON similiter dixit intimam realitatem mundi consistere in impetu vitali (l'élan vital); sed spatia et extensiones fingi ab intellectu propter suam indolem fabrilem: nam intellectus non est natus ad cognoscendam ullam realitatem, sed ad dirigendam actionem.

Secunda sententia est realismi exaggerati. Haec sententia tenet spatium esse realitatem aliquam in se exsistentem, et penitus independentem ab operatione mentali; haec autem realitas diversis modis declaratur ab auctoribus.

[2] KANT, *Aesthetica Transcend.*, sec.1.

a) Primo enim, alii dixerunt spatium esse ipsam immensitatem divinam: sic HENRICUS MORUS, CARAMUEL, CLARKE, NEWTON (qui eousque exaggeravit, ut dixerit spatium esse sensorium Dei [3]). Haec sententia tribui quoque solet P. LESSIO, et certe est P. RHODES, CARAMUEL, BAYMA.

b) Secundo, alii dixerunt spatium absolutum esse substantiam primam quam Deus creavit, ut in ea collocaret res extensas. Sic quidam, DE TURRE et ROSELLI.

c) Tertio, alii, ut GASSENDIUS, dixerunt spatium absolutum esse ens reale incorporeum, quod neque substantia sit neque accidens, sed quiddam intermedium.

d) Quarto, alii, ut DESCARTES, dixerunt spatium esse ipsam extensionem corporum ideoque ipsa corpora. Nam eius theoria est spatium esse ipsam extensionem, et extensionem esse totam substantiam corporum; cum vero spatium sit infinitum, similiter est infinita extensio, et ideo etiam corpora sunt infinita in extensione quam occupant.

e) Quinto, alii dixerunt spatium esse relationem distantiarum inter corpora: sic BALMES, DE SAN et LEIBNIZ.

197. *Tertia sententia* est scholasticorum communiter, et est ea quae in thesi est enuntiata: tenet nempe spatium in se nihil esse, sed tamen nos ad modum entis concipere, cum fundamento in rebus et occasione data ab experientia.

Itaque a) Spatium, prout est in se, et prout distinguitur a corporibus et prout est receptaculum eorum, nihil est. b) Sed tamen nos concipimus ut entitatem tenuem, expansam ubique, compenetrabilem cum omnibus corporibus, immobilem, indivisibilem, priorem omni corpore, sine initio et fine durationis. c) Hunc autem conceptum confingimus sumpto fundamento ab extensione. Nam extensionem *primo* concipimus in singulari. *Secundo* eam concipimus abstracte ab omni quidditate corporea, et a qualitatibus sensibilibus, et ab impenetrabilitate et a limitibus. *Tertio,* tollimus limites; et *quarto* eam facimus receptaculum omnium corporum, *Occasio* autem qua illam extensionem abstractam facimus locum omnium corporum, est illa experientia per quam videmus in uno loco poni successive multas res, ita tamen ut locus non mutetur; unde imaginamur esse quamdam cavitatem immobilem et indifferentem ad recipienda omnia corpora: hanc cavitatem postea ampliamus, et tollimus limites, et sic concipimus merum receptaculum, in quo possunt corpora sine fine collocari.

Hanc sententiam et nos tenemus.

198. Probatur thesis. Spatium absolutum est ens rationis cum fundamento in re, si spatium in se nihil est, et si nos illud concipimus ut ens reale, et si ad faciendum illum conceptum habemus fundamentum in extensione reali quam percipimus per experientiam, et in successione corporum in

[3] Controversia inter LEIBNIZ et CLARKE circa sententiam NEWTON, vide in BALMES, *Fil. fund.*, l.3 c.10 nota 2.ª.

eodem loco; *atqui* ita res se habet; *ergo* spatium absolutum est ens rationis cum fundamento in rebus.

Maior: constat ex ipsa notione entis rationis cum fundamento in re.

Minor vero probatur per partes.

199. A. *Spatium absolutum constat notis contradictoriis ideoque nihil est.* Nam *a)* in primis spatium non est aliquid creatum, neque aliquid increatum; *ergo* contradictorium est. Non est creatum: quia spatium concipimus ut aliquid increatum; et si tu velis confingere esse aliquid creatum, confingis de facto aliud spatium anterius, in quo illa res creata ponatur. Item non est aliquid increatum: nam spatium habet partes extra partes, cuius officium unicum sit esse merum receptaculum passivum corporum; increatum autem (Deus) non est aliquid extensum habens partes extra partes, neque habet officium mere passivum recipiendi corpora.

b) *Secundo,* spatium non est substantia neque accidens; *ergo* contradictorium est. Non est substantia, quia si esset substantia, quaerendum esset spatium aliud ubi poneretur illa substantia. Neque est accidens, quia si esset accidens, vel nulli inhaereret, quod est impossibile; vel si alicui substantiae inhaeret, quaerendum est aliud spatium in quo illa substantia sit et recipiatur.

c) *Tertio,* non potest esse aliquid absolutum neque relativum, *ergo* contradictorium est. Non est relativum, quia relationes supponunt absolutum in quo sint, et tunc illud absolutum iam erat in spatio ante relationes. Neque potest esse aliquid absolutum: nam esset aut creatum aut increatum, aut substantia aut accidens, quorum nihil dici potest, ut iam probatum est.

Si ergo spatium non est aliquid creatum neque increatum, neque substantia, neque accidens, contradictorium est, et nihil est.

200. B. *Spatium absolutum concipimus ad modum entis.* Omnes enim concipimus spatium iuxta definitionem datam initio, nempe ut capacitatem corporum recipiendorum, quae sit aliqua entitas tenuis, infinitae extensionis, penetrabilis, immobilis, quae antecedat omne creatum, in qua possint poni corpora plura sine fine, et in qua possint moveri corpora, cum tamen illa entitas maneat omnino immobilis.

C. *Cum fundamento in re.* Nam in re adest extensio; quod non est probandum modo, sed supponimus probatum

in Critica; et haec extensio realis sufficit ut intellectus fabricetur spatium. Nam primo abstrahit extensionem a quidditate corporis, et a qualitatibus sensibilibus, et a limitibus; postea tollimus positive limites; et denique facimus illam extensionem ut receptaculum omnium corporum. Ad quod faciendum excitamur, ab illa experientia quotidiana, qua cernimus in eodem loco esse successive plura corpora, cum tamen locus non mutetur: et inde arripimus occasionem concipiendi vacuitatem indifferentem ut repleatur quolibet corpore; quam cavitatem postea ampliamus et tollimus limites et sic manet illa extensio infinita, ut receptaculum ad recipienda omnia corpora.

201. Obiectiones[4]. (A. Pro sententia KANTII, quae est mere subiectiva quoad spatium et tempus.) 1. Sensus externus percipit res extra nos, et sic in spatio; et sensus internus percipit affectiones internas nostras ut successivas, et sic in tempore; *atqui* ut sensus percipiat res in spatio aut in tempore, necesse est ut prius habeat notiones spatii et temporis; *ergo* notiones spatii et temporis non sunt ab experientia, sed priores.

Nego maiorem. Sensus non percipit res in spatio aut in tempore absolutis, quia sunt relationes, et hae nequeunt percipi a sensu. Sensus percipit solum extensiones reales, et successiones reales; et intellectus, sumpta occasione ex extensione et factis internis, format conceptus spatii et temporis modo explicato.

2. Possum concipere nullas esse res extensas et nullas esse res successivas; *atqui* tamen non possum concipere non esse spatium et tempus; *ergo* notiones spatii et temporis non pendent ex rebus ullis realibus; nam sublatis omnibus realibus, adhuc non possum non cogitare spatium et tempus.

Conc. mai et *dist. min.:* postquam iam acquisivi per experientiam, modo explicato, notiones spatii et temporis et vidi eas esse valde bene fundatas in rebus, *conc.;* prius quam illas notiones acquisivi aut vidi esse valde fundatas, *nego.* Et *contradist. cons.:* si impossibilitas negandi omne spatium et tempus, daretur post acquisitas per experientiam illas notiones et postquam cognitum fuit eas esse valde bene fundatas, *nego;* si illa impossibilitas daretur priusquam eas acquisivi per experientiam, *conc.*

Explico: ego non possum supprimere ut impossibiles notiones spatii et temporis, postquam iam acquisivi illas notiones et vidi esse valde bene fundatas; antequam autem per experientiam acquisivi illas notiones et vidi esse valde bene fundatas, non possem negare illas notiones esse possibiles aut impossibiles, quia supponitur me illas ignorare.

3. Sensus externus debet repraesentare sibi obiectum ut extensum, et sensus internus debet necessario percipere affectiones internas ut successivas; *atqui* hoc significat has repraesentationes provenire ex necessitate facultatis, et non ex ipsis obiectis; *ergo* hae repraesentationes spatii et temporis non sunt fundatae in rebus, sed in sola indole facultatum.

---

[4] SCHAAF, *Cosm.*, p.205-226.

Conc. mai., et *nego min.* Ratio, cur sensus externus repraesentet sibi res ut extensas, est quia a parte rei dantur res extensae, et ipse habet aptitudinem a priori ut percipiat res extensas; et similiter dicas de sensibus internis respectu affectionum internarum successivarum.

4. Spatium particulare non potest percipi ante spatium absolutum, quia non est nisi particularis applicatio spatii totius; et similiter tempus particulare non potest percipi ante tempus absolutum, quia non est nisi applicatio notionis temporis absoluti; atqui si hae notiones desumerentur ex rebus et experientia, contra accideret, scilicet prius perciperemus particulare quàm absolutum; *ergo* non desumuntur ex rebus neque ex experientia.

Dist. mai.: spatium particulare non potest percipi ante absolutum, ut est spatium absolutum partiale, *conc.;* ut est extensio, ex qua postea intellectus faciet sibi conceptum spatii absoluti, *nego;* et *contradist. min.* Hinc solum probatur per sensus non percipi spatium ut spatium neque partialiter neque totaliter, et intellectum in primis suis conceptionibus de rebus extensis aut successivis non percipere formaliter spatium absolutum aut tempus absolutum, sed solum extensum permanens et successivum.

202. 5. Spatium et tempus concipiuntur ut aliquid necessarium et universale; *atqui* quod est in rebus est solum singulare et particulare; *ergo* spatium et tempus non desumuntur ex rebus, sed solum a formis a priori.

Trans. mai. (nam spatium absolutum non est universale, sed singulare). *Conc. min.* et *nego cons.:* nam est in intellectu vis abstractiva per quam praescindat sine mendacio a contingenti et singulari.

6. (Speciatim pro aprioritate temporis.) Conceptus temporis continetur in principio contradictionis, quod est primum iudicium omnium; *atqui* supponi nequit conceptum temporis acquisitum esse per experientiam ante primum iudicium; *ergo* conceptus temporis est a priori.

Resp. 1. Transeat maior: et *nego min.;* nam sicut notio entis acquisita est ex experientia ante principium contradictionis, similiter potuit et debuit facillime notio simultaneitatis acquiri per experientiam ante pronuntiatum principium contradictionis.

Resp. 2. Nego mai: nam illud *simul* in principio contradictionis sibi vult identitatem; et sic sensus est: ens non est non ens; et album non est non album.

7. Spatium et tempus absolutum aut sunt quid reale, aut nihil sunt; *atqui* non possunt esse quid reale; *ergo* sunt nihil ideoque aliquid mere subiectivum.

Conc. mai., et *eligo secundum cum distinctione:* nihil sunt et sine fundamento in rebus, *nego;* et cum fundamento in rebus, *conc.;* et *concessa min.*, *dist. pariter cons.:* nihil sunt et sine fundamento, *nego;* nihil sunt, sed cum fundamento, *conc.*

8. Spatium et tempus absolutum aut sunt relationes rerum, aut proprietates rerum; *atqui* non sunt relationes rerum, quia relationes supponunt id in quo sunt; neque sunt proprietates rerum, quia praesuponunt etiam res; *ergo* nihil sunt.

Nego mai., quia datur tertium, nempe spatium neque sunt re-

lationes neque proprietates rerum; sed est id in quo recipiuntur res, quod est ens rationis, cum fundamento in re.

9. Spatium et tempus sunt id quo ordinantur obiecta sensuum, et sic se habent ut forma ad materiam; *atqui* forma cognitionis provenit solum ex cognoscente; *ergo* spatium et tempus sunt solum aliquid mere subiectivum seu ex parte cognoscentis.

Resp. 1. Transeat maior; et *dist. min.;* forma cognitionis se habet ex parte cognoscentis sine fundamento in re cognita, *nego;* cum fundamento in re cognita, *conc.;* et *dist. pariter cons.:* sine fundamento in re, *nego;* cum fundamento in re, *conc.*

Resp. 2. Praeterea ordinatio in spatio aut in tempore non est primum quod experimur; primum enim quod per sensus experimur est res extensa continua, contigua aut discreta, non vero prout posita in spatio distincto ab extensione aut in tempore distincto a duratione successiva quam experimur.

203. 10. Sunt figurae similes (symetricae) et tamen discongruentes, ita ut idem spatium occupare nequeant; *atqui* hoc factum supponit repraesentationem spatii non esse in intellectu, sed in sensu, et extensionem illarum figurarum non esse realem; *ergo* repraesentationibus spatii nihil respondet. *Maior:* tales sunt manus. *Minor:* quia sola intuitione sensibili percipi potest differentia, cum elementa omnia intellectus sint eadem.

Conc. mai. Nego min. quoad primum. Elementa sunt eadem, sed diverso ordine collocata, nempe dextrorsum et sinistrorsum: hae autem figurae notissimae sunt in Geometria et de eis intellectus multa ratiocinatur. Nego etiam secundum. Licet enim percipiantur illae figurae a sensibilitate, non ideo carent realitate, nam sensus veraces sunt quoad extensionem.

11. Si tempus et spatium physicum sunt aliquid reale, et in illo fundatur tempus et spatium absolutum, multae oriuntur aporiae insolubiles. Nempe: a) tempus non potuisset incipere, quia non maior est ratio pro hoc instante quam pro alio; b) et si mundus esset finitus in extensione, ut supponitur, diceret relationem ad spatium vacuum, quod est absurdum; c) et Deus esset etiam subiectus spatio et tempori, quia esset in spatio et in tempore, non extra ea; d) extensio esset divisibilis in infinitum; solvat ergo Deus omnes uniones, et sic partes ultimae erunt indivisibiles et spatium constabit indivisibilibus, quod est absurdum.

Dist. assertum: et omnes hae aporiae iam sunt solutae sufficienter ab scholasticis in materia de continuo, *conc.;* et non sunt solutae, *nego* (cf. n.53-56).

Nam ad a) Non est ratio cur tempus incipiat hoc aut illo instante ex parte mundi, *conc.*, ex parte Dei creantis libere mundum, *nego.* Ad b), diceret relationem realem, *nego;* rationis cum fundamento in re, *conc.* Ad c), Deus coexsisteret cum spatio reali et cum tempore reali, *conc.;* commensuraretur cum eis, ita ut haberet et partes et successionem in se, *nego.* Ad d), extensio esset divisibilis in infinitum, syncategorematice, *conc.;* categorematice, *nego.* Haec divisio infinita solum significat per omnes divisiones possibiles obtineri semper extensum, et non aliquid simplex; non autem significatur actu obtineri omnes partes simul; quia secus diceretur hoc contradictorium, continuum constare ex indivisibilibus.

204. 12. *(B. Pro realismo exaggerato spatii.)* Spatio conveniunt praedicata positiva; *atqui* illud cui conveniunt praedicata positiva non potest esse non reale; *ergo* spatium est aliquid reale. *Mai*: nam spatium est extensum, habet trinam dimensionem, est commensurabile locato, aequale corpori locato, etc.

Dist. mai.: spatio physico, seu corpori exsistenti in spatio, *conc.;* ipsi spatio absoluto, *subdist.:* realiter, *nego;* per fictionem mentis cum fundamento in re, *conc.* Et concessa min., *dist. pariter consequens:* spatium physicum, i.e., corpus existens in spatio, *conc.;* ipsum spatium in quo corpus est, *subdist.:* realiter, *nego,* per mentis fictionem cum fundamento in re, *conc.*

13. Corpus vi sua replet et occupat partem spatii; *atqui* quod nihil est non potest repleri aut occupari; *ergo* spatium est aliquid reale.

Dist. mai.: occupat et replet spatium realiter, *nego;* secundum mentis conceptionem, *conc.;* et *contradist. min.:* non potest occupari realiter, *conc.;* non potest occupari secundum mentis conceptionem, *nego.*

14. Duo corpora possunt separari per spatium vacuum interpositum; *atqui* si spatium esset nihil in se, non separarentur, quia nihil esset inter ea; *ergo* spatium est aliquid reale.

Conc. mai., quidquid alii dixerint contra hoc. Et *nego minorem.* Nam distantia non consistit in corpore interposito vel in realitate interposita inter duo, sed in tali habitudine duorum, ut inter illa possit interponi corpus, non removendo extrema. Si Deus destrueret omnia quae sunt inter duo corpora quae nunc distant, et non ea mutaret, distarent sicut et nunc, ut est patens.

15. Si spatium est nihil actuale, esset negatio corporis; atqui hoc est impossibile, quia tunc nullum corpus posset in illo recipi; ergo non est nihil actuale, sed aliquid reale.

Dist. mai.: esset negatio corporis, per non identitatem cum corpore, *conc.;* per non admissionem corporis intra illud, *nego;* et *contradist. min.:* non potest esse negatio corporis per non identitatem cum illo, *nego;* per non admissionem corporis intra illud, *conc.* Spatium non est corpus neque ulla alia realitas, sed admittit corpus intra se, secundum mentis considerationem.

16. Spatium absolutum est infinitum, indestructibile, aeternum, necessarium; *atqui* quod habet talia attributa non est ens rationis, sed Deus ipse; *ergo* spatium absolutum non est aliquid fictum, sed est ipse Deus.

Dist. mai.: et haec attributa conveniunt spatio absoluto realiter, *nego;* per mentis fictionem cum fundamento in re, *conc.;* et *contradist. min.:* si haec attributa convenirent spatio absoluto realiter, *conc.;* si solum per mentis fictionem cum fundamento in re, *nego.*

ARTICULUS II

DE VACUO[1]

Thesis 11. Admittenda est realitas inanis seu spatii imaginarii infiniti extra mundum: possibile est etiam vacuum disseminatum et coacervatum, licet nullo idoneo argumento probatur eius realitas.

205. Notiones. VACUUM est locus nullo corpore repletus. Includit ergo aliquid *positivum* et reale, quod est locus sive superficies corporis ambientis et limitantis spatium aliquod; et aliud *negativum*, quod est absentia ullius corporis intra superficies loci seu corporis ambientis. Est igitur absentia corporis connotans superficies limitantes.

DIFFERT ERGO vacuum *a)* ab spatio *absoluto;* quia hoc datur etiam cum est plenum; nam spatium absolutum est capacitas recipiendorum corporum, sive sint recepta sive non. *b)* Et ab spatio *reali,* quia hoc est spatium absolutum, sed plenum. *c)* Differt ab *inani* seu ab *spatio imaginario:* quod est spatium quod concipimus extendi extra mundum sine fine.

Vacuum potest esse disseminatum et coacervatum; DISSEMINATUM est spatiolum vacuum quod daretur inter atomos vel inter corpuscula intraatomica; COACERVATUM est spatium grandius non interruptum.

Et *quaeritur* utrum sit possibile vacuum stricte dictum sive disseminatum sive coacervatum, circumdatum superficie ultima limitante.

206. Sententiae. *Prima* tenet vacuum esse metaphysice impossibile. *a)* Sic sentit DESCARTES, quia putavit spatium esse extensio-

---

[1] Negant possibilitatem vacui: DESCARTES, *Principia,* p.1.ª n.118; BALMES, *Fil. funda.,* l.3 c.12; FARGES, *L'idée du continu dans l'espace et le temps* (Paris 1894) 235; DOMET DE VORGES, *La notion de l'étendue:* RQSc (1883).

Praetermissa quaestione de possibilitate, negant in mundo dari ullum vacuum ARISTOTELES, 4 *Physic.,* c.9. Sibi obicit tunc non fore possibilem motum localem, quia vel mobile compenetraretur cum aliis corporibus, vel deberet in instanti, in quo movetur, impellere coram se usque ad extremum mundi, omnia corpora contra quae movetur.

Ad hanc difficultatem PLATO et DESCARTES responderunt alia corpora moveri coram mobili in turbine ita ut occupent a tergo spatium relictum a mobili. Sed Aristoteles solvit difficultatem dicens corpora habere proprietatem densitatis et raritatis, et ideo compressa a mobili, ei dant locum ad motum.

Recentiores vero nolunt admittere hanc proprietatem pro omnibus corporibus, sed tamen illam agnoscunt in aethere. Non igitur datur vacuum ullum, quia omnia sunt plena saltem aethere; hic habet proprietatem densitatis et raritatis, vel etiam compenetrabilitatis, et sic explicatur motus corporum ponderabilium: hic aether compressus a mobili occupat minus spatium, et sic dat locum motui.

Et conf. de his NYS, D., *La notion d'espace,* p.337-352; URRÁB., *Cosm.,* p.953-956; MORÁN, p.152-156; SCHAAF, n.148; DARIO, p.151-155.

nem et corpus; *ergo* patet esse impossibile esse spatium et non esse aliquid reale. *b)* BALMES similiter dicit vacuum repugnare metaphysice: quia, si daretur vacuum, nihil interponeretur inter parietes limitantes; et si nihil interponitur inter illos parietes non distant, sed contigui sunt; et si contigui sunt non est vacuum. Et propter eandem causam dicit figuram mundi non posse esse v.c. stellatam, quia tunc inter angulos adesset vacuum, quod est impossibile. Et simili modo opinantur generatim thomistae.

207. *Secunda sententia* tenet possibile esse naturaliter vacuum disseminatum, non autem coacervatum seu grandius. Sic PALMIERI, et multi scientifici. Et rationes scientificae sunt haec facta: primum est quod particulae corporum aëriformium moventur cum magna celeritate cum sunt in vase omnino clauso. Et secundum factum est phaenomenum condensationis et rarefactionis, per quam eadem quantitas potest occupare minorem locum, si comprimitur vel si adest frigus, et maiorem locum si adest calor, vel si per machinam pneumaticam extrahitur quantitas aliqua aëris.

208. *Tertia sententia,* quae est communis scholasticorum, tenet sequentia: *primum,* vacuum improprie dictum, seu inane sine limite extra mundum, non solum esse possibile, sed realiter dari, non realitate entis, sed realitate veritatis propositionis. *Secundum,* vacuum stricte dictum, quod est locus nullo repletus corpore, esse possibile per divinam omnipotentiam. *Tertium* est, dari vacuum stricte dictum sive disseminatum, sive coacervatum non probari ullo idoneo argumento.

Atque haec erit nostra sententia, quoad omnes partes.

209. Probatur thesis per partes. I P. Datur inane infinitum extra mundum.

In hoc non est contradictio. Nam extra hunc mundum possunt collocari corpora plura sine fine et tamen nullum est, si mundus finitus est; *atqui* in hoc consistit inane infinitum; *ergo* datur inane infinitum extra mundum. Et hoc idem inane vocatur etiam spatium imaginarium, quia illud semper concomitatur phantasma alicuius corporis tenuissimi sine fine protensi.

II P. Vacuum stricte dictum est possibile per Divinam Omnipotentiam.

Nam nulla contradictio est in eo quod Deus annihilet omnem materiam constitutam intra quodlibet corpus concavum, v.c. intra vas; et illud esset vacuum stricte dictum.

Dices: si Deus annihilaret omne corpus intra aliquod con-

cavum, parietes non distarent, quia nihil esset interpositum inter illos; ergo non daretur vacuum.

Resp. Nego parietes fore contiguos, quia cum Deus annihilat omnem materiam interpositam, supponimus nullam aliam immutationem factam esse in illis parietibus. Ad rationem additam, quod nihil esset interpositum et proinde parietes non distarent, *nego sequelam;* quia ad distantiam non requiritur ut aliquid sit interpositum inter extrema: sufficit ut inter extrema sit talis habitudo ut possit inter ea poni aliquod corpus sine ulla mutatione illorum.

210. III P. Nullo idoneo argumento demonstratur realitas vel possibilitas naturalis vacui disseminati. (De coacervato omnes concedunt non dari.)

Nam facta, quae a defensoribus spatii disseminati in oppositum adducuntur, explicantur facile per qualitates densitatis et raritatis et per actionem condensationis et rarefactionis. Densitas est qualitas per quam corpus in parva mole habet multam quantitatem, et raritas est qualitas per quam corpus in magna mole habet parum quantitatis. Condensatio est illa actio per quam fit densitas, et rarefactio est actio per quam fit raritas.

Conceditur corpora esse interrupta poris, vel aliis spatiolis interatomicis aut intercorpuscularibus. Illa autem spatiola non sunt vacua, sed plena, saltem aethere, qui est valde elasticus et capax condensationis et rarefactionis. Hac hypothesi admissa, explicatur motus celerrimus particularum aëriformium, quia aether est facile scindibilis et compressibilis; phaenomena augmenti et decrementi voluminis, explicantur eo quod aether interpositus est capax condensationis et rarefactionis per frigus et calorem, et similiter per compressiones mechanicas, vel per machinam vacuifactivam. Si autem haec explicatio non admittitur, ponenda essent vacua stricta interatomica, et tunc admitteretur actio in distans, quam hodie non solent admittere scientifici.

ARTICULUS III

De spatiis pluridimensionalibus et de metageometria

211. Dario, p.72-78; Egan, M., S. I., *De geometria non euclidea:* Congressus Cosm. S. I., I 151-167; Morán, *Cosm.,* p.135-141; Hoenen, p.450-458; Maréchal, *De quelques arguments hypergéomètres* Etudes (1907) I p.601-608; Grégoire, A., *Les géometries non euclidiennes:* RevQuestScient. 101 (1932) 361-400; Vaissière, I n.20-30; Riaza, J. M., *Ciencia moderna y Filosofía:* espacios pluridimensionales, p.15-24; espacio cuadrimensional de Minkowski, p.24-28; Geometría euclidiana, p.28-32; y antieuclidianas, p.32-61; Nys, *La notion d'espace* (1929); de geometria euclidiana et antieuclidianis, p.359-368; de spatio homogeneo et heterogeneo, p.369-374; de spatiis pluridimensionalibus, p.374-378.

§ 1. De spatiis pluridimensionalibus

Assertum 1. Spatium pluridimensionale est impossibile.

212. Notiones. Agimus de dimensionibus cartesianis, non de polaribus. Et DIMENSIONES CARTESIANAE sunt lineae rectae quae necessariae sunt ut determinetur positio puncti in spatio.

Et hae sunt dimensiones stricte dictae seu METRICAE; ut discernamus eas a dimensionibus physicis, ut sunt calor, tempus, humiditas, pressio, per quas determinatur v.c. punctum fusionis alicuius corporis.

SPATIUM PLURIDIMENSIONALE est illud quod constat plus quam tribus dimensionibus; seu aliis verbis, est illud spatium in quo punctum indiget plus quam tribus coordinatis ut eius positio in spatio determinetur.

Cum dicimus hoc spatium ESSE IMPOSSIBILE, id asserimus in ordine ontologico; non loquimur de eius valore logico, seu de cohaerentia in formulis mathematicis; neque de eius valore pragmatico, seu de utilitate quam possunt habere formulae, quibus hoc spatium designatur, ad solvenda quaedam problemata physica.

Sententiae. *Prima sententia* defendit possibilitatem et realitatem spatii pluridimensionalis: Sic Zöllner et Boucher (ap. Nys, *La notion d'espace,* p.375).

Secunda sententia docet, non dari argumentum evidens ut probetur eius possibilitas, sed tamen neque probari eius impossibilitatem: sic Riaza, Hoenen et Pesch.

Tertia sententia docet spatium pluridimensionale non de-

monstrari possibile, imo demonstrari impossibile. Sic MORÁN, DARIO, alii. Atque haec erit etiam nostra sententia.

213. I P. Spatium pluridimensionale non ostenditur possibile. Nam demonstratio, quae solet afferri ut probetur eius possibilitas est talis: Dimensiones sunt coordinatae quae sunt necessariae ut determinetur positio puncti in spatio. Et sic positio puncti in linea, quod est spatium unius dimensionis, determinatur per distantiam a puncto originis in linea; positio puncti in superficie, quod est spatium duarum dimensionum, determinatur per distantiam a duabus coordinatis; quae sunt duae rectae perpendiculares inter se; positio puncti in spatio trium dimensionum determinatur per distantiam eius a tribus lineis, quae sunt perpendiculares mutuae in aliquo puncto. Hinc sequitur puncti positionem determinari per tot coordinatas quot sunt dimensiones alicuius spatii. Si igitur positio puncti determinetur per tres coordinatas, punctum erit in spatio trium dimensionum; et si determinetur per quatuor coordinatas, punctum erit in spatio quatuor dimensionum, et sic habebimus spatia quatuor aut plurium dimensionum sine fine.

Et haec demonstratio modo faciliore repraesentatur sic: spatium unius dimensionis, linea, repraesentur per a^1; spatium duarum dimensionum per a^2; spatium trium dimensionum repraesentatur per a^3; ergo pari modo a^4, a^5, a^6 et cetera erunt repraesentationes spatii quatuor dimensionum aut quinque aut plurium; ergo datur spatium plurium dimensionum.

214. *Sed haec demonstratio non concludit* possibilitatem spatii pluridimensionalis. Nam ut formulae, quibus repraesentatur aliquod spatium, sint de re possibili aut reali, et non de re fictitia, non sufficit sola formula mathematica, sed necesse est ut constet aliunde de realitate puncti et positionis in spatio et de realitate spatii; *atqui* de hoc per solas formulas mathematicas non constat, quia possunt esse repraesentationes rei impossibilis aut fictitiae; *ergo* per has formulas non demonstratur possibilitas aut realitas spatii pluridimensionalis; fieret mera petitio principii, si argueretur sic: datur haec formula repraesentativa talis spatii; *ergo* hoc solo iam demonstratur eius possibilitas aut realitas. Valet illatio: si dantur realiter hae dimensiones, bene repraesentantur per has formulas, a^1, a^2, a^3; sed non valet illatio haec: dantur hae formulae mathematicae: a^4, a^5, a^6 et cetera; *ergo* sunt possibiles dimensiones repraesentatae per illas.

215. *Prob. 2.* Haec irrealitas spatii pluridimensionalis patet etiam fere ex confessione plurium qui hoc spatium defendunt tamquam utile ad aliquas finalitates. Ipsi enim dicunt hoc spatium non posse intelligi, neque ei posse nos dare ullam significationem.

H. POINCARÉ non raro sic loquitur: pauci sunt quibus non displiceat spatium pluridimensionale. WUNDT *(Logik* [1903] p.484) dicit has formulas esse utiles ad evolutionem mathematicae purae, sed non posse applicari ad realitatem. RUSSELL: solum, qui sunt alieni ab scientia, putant mathematicos dare ullum sensum realitatis formulis quibus repraesentatur spatium pluridimensionale (Ap. NYS, *La notion d'espace,* p.376-377).

216. II P. Imo probatur impossibile.

Prob. 1. Nullum est punctum cuius positio non determinetur sufficientissime per distantiam a puncto originis in linea, vel per distantiam a duabus perpendicularibus in plano, vel per distantias a tribus perpendicularibus mutuis in spatio; *atqui* per haec significatur trina dimensio; *ergo* praeter tres dimensiones non est ulla alia, qua determinetur illud quod iam est omnino determinatum.

Prob. 2. Paulo aliter: Dimensiones sunt perpendiculares mutuae in uno puncto; *atqui* perpendiculares mutuae in uno puncto non possunt esse nisi tres; *ergo* non possunt esse plus quam tres dimensiones, neque spatium aliud nisi quod determinatur ab una, vel a duabus vel a tribus dimensionibus, ut sunt linea, superficies, et volumen.

217. Scholium. 1. Symbola mathematica quae repraesentent spatia pluridimensionalia relata ad spatium, sunt inania; sed si accipiantur ut potentiae crescentes eiusdem numeri, habent valorem proprium potentiarum alicuius numeri; sic a^1, a^2. a^3 sunt realia, quia repraesentant realitates; sed a^4 a^5 a^6 sunt inania relata ad spatium, sed habent valorem obiectivum considerata ut potentiae numeri a.

218. Scholium. 2. Spatium quadrimensionale MINKOWSKI admittendum est. MINKOWSKI tenet non posse praevideri positionem puncti mobilis in spatio per solas tres dimensiones seu coordinatas cartesianas, sed requiri etiam ut cognoscamus punctum originis, velocitatem et directionem et tempus in quo profectum est ex puncto originis et ideo tempus esse quartam dimensionem necessariam ut determinetur positio puncti. Concedenda est realitas quae hic significatur. Sed tamen male dicitur tempus esse aliqua dimensio, cum dimensiones sint staticae et tempus sit aliquid successivum et dynamicum. Et praeterea haec assertio est extra nostram quaestionem. Nam certe ut cognosci et praevideri possit positio puncti mobilis in spatio, necessarium est cognoscere et tempus profectionis a puncto originis, et ve-

locitatem et directionem; sed ipsa positio, constituitur in singulis instantibus solum per tres dimensiones seu coordinatas cartesianas.

219. Scholium. 3. De spatio heterogeneo et homogeneo. Multum etiam disputant utrum spatium nostrum sit homogeneum an heterogeneum. Nam illi qui defendunt geometrias antieuclidianas dicunt spatium nostrum non esse homogeneum seu indifferens ad quamcumque figuram; sed si describatur linea recta, aiunt illam non esse infinitam, sed necessario curvari et necessario claudi supra seipsam. Et similiter, si describatur superficies plana, aiunt illam necessario curvandam esse et necessario claudendam esse in seipsa. Hinc dicunt spatium nostrum necessario esse curvum: et quidem alii dicunt esse curvum cum curvitate positiva, sphaerica, cylindrica, parabolica, elliptica; alii autem dicunt esse curvum cum curvitate negativa, sicut est dorsum iumenti, quod etiam vocatur spatium pseudosphaericum.

Sed dicendum est spatium nostrum esse penitus *homogeneum, uniforme* et omnino *indifferens* ut in eo quaecumque figura describatur. Ideo si ducatur linea, illa utrimque poterit indefinite protrahi, nec claudetur in seipsa; et si superficies plana describatur, illa poterit quoquoversus indefinite protrahi, nec necessario curvabitur. Qui autem contendunt defendere spatium nostrum esse curvum, id probant quia radius luminis venientis ab stellis, curvatur cum transit iuxta centrum aliquod gravitatorium, ut est sol. Id vero non significat spatium esse curvum, sed radium luminis posse curvari a centro gravitatorio et viam, quae percursa est ab illo, esse curvam; hoc autem potest accidere licet spatium sit homogeneum et indifferens ad quaslibet figuras.

220. Scholium. 4. Linea quaelibet vocatur prima dimensio, seu longitudo. Secunda dimensio est linea perpendicularis ad primam: vocatur latitudo, et cum prima determinat superficiem. Tertia dimensio est linea perpendicularis ad duas priores in uno puncto: vocatur profunditas et determinat spatium tridimensionale.

§ 2. De Geometriis antieuclidianis

221. Geometria euclidiana fundatur in quibusdam postulatis, quae non demonstrantur, sive quia non indigent demonstratione ob evidentiam, sive quia suggeruntur et suadentur. Postulata autem praecipua sunt quinque, vel, ut alii volunt, sex.

Primum postulatum est: inter duo puncta in plano potest describi una recta. *Secundum postulatum est:* recta potest protrahi in infinitum ex utroque extremo. *Tertium postulatum est:* datis duobus punctis in plano, describi potest circumferentia quae contineat unum ex punctis, et aliud habeat ut centrum. *Quartum postulatum:* si duae rectae secantur ab alia tertia, et anguli interni versus unum latus non aequant duos angulos rectos, illae lineae secantur inter se versus illud latus in

quo summa angulorum internorum est minor duobus rectis. Recenter hoc postulatum solet sic efferri: in plano, ex puncto posito extra rectam, potest duci ad illam rectam una linea parallela, et solum una. Aliqui addunt *sextum postulatum:* duae rectae non possunt claudere spatium aliquod, seu non possunt habere duo sola puncta communia (RIAZA, p.30).

222. GEOMETRIA ANTIEUCLIDIANA fere nata est cum P. SACCHERO, S. I. (1667-1733). Hic voluit stricte demonstrare quintum postulatum, et voluit demonstrare ex absurdis quae sequerentur si illud postulatum negaretur. Sed in suis deductionibus ex hac hypothesi reperit multas illationes plene cohaerentes inter se et oppositas geometriae euclidianae (RIAZA, p.32,33).

GEOMETRIA ANTIEUCLIDIANA INDUIT TRIPLICEM FORMAM. Prima est J. F. RIEMANN (1826-186). Hic supponit spatium nostrum esse curvum curvitate positiva seu convexa, et uniforme: admittit etiam spatium pluridimensionale. Consequenter iuxta eum recta est minima distantia inter duo puncta in superficie positive curva; illa linea non potest infinite extendi ex utroque extremo, sed necessario claudetur supra seipsam; summa angolurum trianguli semper est maior duobus angulis rectis et minor quatuor angulis rectis; ex uno puncto collocato extra rectam, nulla potest duci parallela ad illam, quia lineae maximae extra illam rectam sunt circumferentiae maximae, et illae omnes secabuntur in polis seu habebunt duo puncta communia in polis; duae rectae possunt habere duo puncta communia, nempe in polis, ideoque duae rectae claudere possunt spatium (RIAZA, p.44). Hae deductiones logice sunt legitimae et verissimae, sed male vocat rectas eas lineas quae sunt curvae, utpote ductae supra superficiem curvam; male etiam facit admittens ut aliquid reale et possibile spatium pluridimensionale.

Secunda forma geometriae antieuclidianae est N. I. LOBATSCHEWSKI (1793-1856). Supponit spatium nostrum esse curvum curvitate negativa, sicut dorsum iumenti, quod spatium dicitur pseudosphaericum. Hinc dicit rectam esse minimam distantiam inter duo puncta in illa superficie pseudosphaerica; rectam non posse protrahi in infinitum ex utraque parte, sed super se claudendam esse; summam angulorum trianguli esse minorem duobus rectis; ex uno puncto posito extra rectam in illa superficie posse duci multas parallelas ad illam rectam. Hae deductiones sunt etiam logice legitimae,

sed male vocat rectas eas lineas quae sunt curvae cum curvitate negativa; male etiam admittit spatium pluridimensionale (RIAZA, p.47-52).

Tertia forma geometriae anti-, vel potius non-euclidianae est Metageometria seu Geometria Universalis, in qua, geometria euclidiana est unus casus particularis, sicut et riemanniana et lobatschewskiana. KLEIN proposuit sequentia nomina pro singulis geometriis: Geometria EUCLIDIS est g. parabolica; Geometria RIEMANN est g. elliptica; et Geometria Lobatschewski est g. hyperbolica (RIAZA, p.53).

Status quaestionis. Quaeritur igitur utrum hae omnes geometriae sint verae, an sola geometria EUCLIDIS sit vera.

223. Sententiae. *Prima sententia* sic respondet: *a)* Tres geometriae sunt plene cohaerentes, unaquaeque secum ipsa; *b)* et tres geometriae verificantur in realitate cum magna approximatione, quia figurae quae sunt in usu hominum sunt valde parvae, ideoque differentiae non possunt esse valde magnae e. g. inter superficiem planam et supperficiem sphaericam magni radii; *c)* si autem agatur de veritate ontologica et absoluta, tres geometriae sunt aeque possibiles, sed nescimus quaenam ontologice habeat locum in nostro spatio, quia nescimus utrum spatium nostrum sit homogeneum an curvum cum curvitate positiva vel cum curvitate negativa (RIAZA, p.56-61).

224. *Secunda sententia* respondet sic: *a)* tres geometriae sunt *valde cohaerentes,* unaquaeque secum ipsa: sed cohaerentia non est signum veritatis ontologicae. Si praesupposita in quibus fundatur, sunt fictitia, poterit tota series illationum esse valde cohaerens, et tamen propositiones non sunt verae. Ut series valde cohaerens propositionum habeat veritatem ontologicam, necesse est ut fundamenta, quae praesupponuntur, sint vera ontologice et non fictitia. Si autem non constet utrum fundamenta praesupposita sint realia an fictitia, neque constabit utrum series illationum valeant in realitate an non. b) *In realitate tres geometriae verificantur* cum magna approximatione, quia figurae quae sunt in usu hominum sunt valde parvae, et ideo differentiae non possunt esse valde magnae, e. g. inter superficiem planam et superficiem sphaericam magni radii.

c) *Ontologice autem non possunt esse verae tres geometriae simul* et in eodem spatio, quod esset homogeneum, vel

curvum positive, vel curvum negative; nam hae geometriae constant propositionibus stricte contradictoriis, ut sunt: rectam posse protrahi illimitate et non posse protrahi illimitate; summam angulorum trianguli esse aequalem duobus rectis, aut esse maiorem duobus rectis aut esse minorem; ex uno puncto extra rectam posse duci unicam parallelam, vel posse duci plures, vel non posse duci ullam; duas lineas posse habere duo puncta communia et non posse habere duo puncta communia; duas rectas posse claudere spatium, et non posse claudere spatium.

d) *Falsum est spatium pluridimensionale ontologice esse possibile, et item falsum est spatium de se non esse indifferens seu homogeneum ad quascumque figuras in eo formandas.*

Atque haec sententia sub *c*) et *d*) videtur valde verosimilis, imo et vera.

LIBER II

De proprietatibus dynamicis corporum

Finis quem intendit Cosmologia est investigare essentiam corporis; hanc vero non possumus cognoscere nisi ex proprietatibus, quae sunt et staticae et dynamicae. Examinatis iam proprietatibus staticis, oportet nunc agere de proprietatibus dynamicis corporis, seu de viribus activis eiusdem. Has autem proprietates non possumus melius cognoscere quam examinando diversos effectus virium activarum, qui omnes effectus reduci possunt praesertim ad motum secundum locum, secundum qualitatem et secundum quantitatem. Nam motum secundum substantiam postea videbimus. Ideo librum dividemus in duo capita: quae sunt V et VI. Caput V erit de motu eiusque socio inseparabili, tempore. Caput VI erit de viribus activis earumque actione, de legibus quibus oboediunt hae vires et de miraculis.

CAPUT V

De continuo fluente

In hoc capite agemus de motu successivo eiusque realitate, de definitione aristotelica motus, de tempore physico et de tempore absoluto, quae quinque articulis explanabimus.

ARTICULUS I

De realitate motus successivi localis

Thesis 12. Motus localis est realis, successivus, continuus et intrinsecus mobili, ut modus illius [1].

225. Notiones. Motus est species quaedam mutationis. Unde tradenda est notio mutationis et eius divisiones.

[1] In hac thesi probamus realitatem motus localis, illumque definimus iuxta notiones vulgares et simul damus notionem communiorem motus seu mutationis et omnes divisiones eius.

MUTATIO est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium, sive termini sint positivi sive negativi.

MOTUS VERO, UT EST MUTATIO, potest esse intrinsecus et extrinsecus. *Extrinsecus* est qui debetur denominationi extrinsecae, et non tam est motus rei motae, quam motus alius rei extrinsecae. Sic res potest transire de non visa ad visam, per visionem quae non est in re visa, sed in vidente; et homo potest transire de non amato ad amatum, per amorem quem alius habet erga amatum, non per mutationem amati. *Intrinsecus* autem est qui consistit in mutatione intrinseca rei quae movetur.

226. Sed motus intrinsecus potest esse proprie et improprie dictus.

MOTUS INTRINSECUS IMPROPRIE DICTUS seu amplissime dictus est omnis actus immanens divinus, ut est scire, percipere, gaudere. Hi actus nullatenus sunt motus, quia in illis nec datur ulla mutatio, alteratio aut vicissitudo, neque ulla actio aut ullus effectus immanens, nam Deus est immutabilis et habens infinitam perfectionem per solam suam essentiam, sine ullo motu; neque per illos actus datur ullus transitus, quia Deus ab aeterno immobiliter est quidquid est, licet ad extra sit liberrimus. Tamen hi actus immanentes Dei vocantur operationes et motus solummodo quia per illos actus Deus habet eam perfectionem quam viventia creata habent per motum [2].

MOTUS INTRINSECUS PROPRIE DICTUS est ille qui definitus est ab initio, scilicet, est transitus intrinsecus rei de uno modo se habendi ad alium modum se habendi.

Iuxta hanc definitionem in omni motu habentur quatuor elementa: *primum* est subiectum quod permanet sub omni mutatione et transit de uno statu in alium; *secundum* est terminus a quo, qui derelinquitur; *tertium* est terminus ad quem, qui acquiritur; *quartum* est ipse transitus seu ipsa acquisitio termini *ad quem*, et amissio termini *a quo*.

Et hinc apparet quomodo *creatio* ex nihilo aut *annihilatio* non sint motus aut mutationes: nam hic non datur subiectum idem permanens sub utroque termino, sed res totaliter incipit aut totaliter desinit; tamen possunt dici mutationes minus proprie dictae.

227. *Divisiones.* In hoc sensu tam amplo, nempe ut est mutatio, motus potest dividi *primo* in metaphysicum, physi-

[2] S. TH., 1 q.73 a.2 c, et passim.

cum et moralem. Motus *physicus* est qui verificatur in corporibus. Motus *metaphysicus* est ille qui verificatur in spiritu, vel etiam motus absolute sumptus in quantum praescindit a physico et spirituali. *Moralis* est ille qui verificatur in proposito voluntatis.

Secundo dividitur in motum late, stricte et strictissime dictum.

Motus *late dictus* est omnis transitus de potentia subiectiva passiva in actum vel vicissim de actu in potentiam subiectivam: licet transitus non sit successivus; et sic magis dicitur mutatio quam motus.

Motus *stricte dictus* est omnis transitus *successivus* de potentia passiva in actum, vel de actu in potentiam, ut sunt alteratio, augmentatio, translatio localis.

Motus *strictissime dictus* est motus localis solummodo.

228. *Tertio* motus dividitur in substantialem et accidentalem. *Substantialis,* si terminus ad quem aut a quo sit substantialis, ut cum arbor fit carbo. *Accidentalis,* si terminus a quo aut ad quem sit accidens, ut cum aqua de non calida fit calida.

Quarto, motus dividitur in instantaneum et successivum. *Instantaneus* est ille qui fit sine ulla successione, sed in instanti: sicut accidit in spiritibus, cum aliquis de non intelligente fit intelligens; vel in corporibus, cum fiunt mutationes substantiales: nam forma producta et amissa non habet partes essentiae, et ideo aut est, aut non est. *Successivus* est ille qui habet partes quae non sunt simul, sed sine interruptione alia est post aliam.

229. *Et motus successivus* potest esse motus augmenti et decrementi, motus alterationis et motus lationis localis[3]. Motus *augmenti* habetur in ente vivo, quod cum sit unum per se, de parvo fit magnum per assimilationem materiae: extra viventia non datur unum aliquod per se, sed unum per accidens, in quo augmentatio solet fieri per quantitates discretas et non continuo, sicut domus fit paulatim maior per additionem laterculorum[4]. *Alteratio* est mutatio qualitatis, v.c. cum aqua calefit de uno ad 20 gradus et praesertim si qualitates sunt incompossibiles in eodem subiecto, ut cum caeruleum mutatur in rubrum. Motus *localis* est motus lationis, cum corpus

[3] URRÁB., *Cosm.*, p.1034-1043.

[4] URRÁB., *Cosm.*, p.1034-1043; S. TH., 11 *Met.*, lect.12; URRÁB., l.c. Extra viventia non datur proprie aliquod ens quod continuo accrescat aut decrescat in quantitate; ad summum dantur aggregationes et entia per accidens, quae fiunt maiora per additionem, et quidem per additionem non continuam, sed discretam.

de uno loco vel ubi transfertur in alium locum, vel acquirit aliud ubi [5].

230. *Item successivus* potest esse essentialiter successivus vel non essentialiter successivus [6].

Non essentialiter successivus est ille qui posset fieri in instanti, si adesset causa sufficiens et subiectum esset bene paratum: et ita aqua successive movetur de cero ad 20 gradus, sed posset a Deo calefieri in instanti usque ad 20 gradus. Similiter augmentatio, fit paulatim et successive, sed nulla difficultas est in eo quod Deus in instanti det infanti corpus viri.

Motus essentialiter successivus est ille cuius partes non possunt esse simul nec per Dei omnipotentiam: talis est motus localis. Sic si corpus transferatur de uno puncto in aliud per motum localem, hic non potest fieri in instanti nec per Dei omnipotentiam: saltem enim erunt duo instantia extrema et tempus intermedium. Corpus tamen posset acquirere novas ubicationes sine motu locali, v.c. per hoc quod repente Deus collocet corpus in termino remoto, destructa priore ubicatione; vel quia Deus per multilocationem faceret corpus esse simul in termino a quo, et in termino ad quem et in omnibus locis intermediis: sed tunc, non datur motus localis.

231. Quinto, *motus dividitur* attendendo ad terminum *ad quem* et *a quo*, in generationem, corruptionem, conversionem.

Generatio est transitus de non forma ad formam, et potest esse *substantialis* et *accidentalis:* v.c. de non animali fit animal, de non intelligente fit intelligens, de non calido fit calidum.

Corruptio, est transitus de forma ad non formam: et potest esse *substantialis* et *accidentalis:* substantialis, ut cum vivens moritur, vel ut cum aqua fit non aqua; et accidentalis, ut cum homo tristis fit laetus.

Conversio est transitus de forma positiva ad formam positivam: ut cum dulce fit amarum: et potest esse *substantialis* et *accidentalis:* ut cum planta fit caro animalis, aut cum aqua frigida (qualitatem positivam credebant antiqui) fit calida vel vicissim. Inter conversiones substantiales maxime insignis est transubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Domini, in qua tota substantia panis fit substantia corporis Christi.

---

[5] ARIST., 1 *De gener. et corr.*, c.4; et 8 *Phys.*, c.3; ST. TH., in haec loca ARIST.; GREDT, I n.391.

[6] URRÁB., *Cosm.*, p.1043-1049, cum bibliographia ibi notata (p.10).

In omni conversione dantur duae mutationes: alia est a negativo ad positivum, de non forma ad formam; alia est a positivo ad negativum, de forma ad non formam; alia est a positivo ad positivum, de forma ad formam. Hoc videri potest in conversione ligni in carbonem, vel hominis vitiosi in virtuosum.

232. *Sexto dividitur motus* in mutationem simplicem et motum in sensu physico dictum. *Simplex mutatio* est transitus de uno modo se habendi ad alium, sive termini a quo et ad quem sint positivi, sive alius sit positivus et alius negativus. *Motus in sensu physico,* est transitus de uno modo positivo se habendi ad alium modum positivum se habendi: et habet has proprietates: *primo,* debet esse inter terminos oppositos; *secundo,* est accidentalis; *tertio* est successivus; *quarto* est continuus. Quare calefactio de uno gradu ad 20 est motus physicus; latio localis est motus physicus; transire ad cogitandum, cum antea nulla cogitatio fuerit, non est motus, sed solum est mutatio (URRÁB., *Cosm.,* p.1012).

233. Status quaestionis. Sine dubio ex aliis partibus philosophiae constat dari motum substantialem, saltem cum anorganica fiunt substantia viventis. Et de motu accidentali multiplici etiam constat: nam datur motus accidentalis instantaneus, in actibus immanentibus intelligendi et volendi. Datur etiam motus accidentalis successivus, licet non essentialiter talis, quia potest fieri in instanti: tales sunt augmentum et decrementum quantitativum in viventibus, et alteratio qualitativa, v.c. in calefactione et in intensione aliarum qualitatum. Nam cum lignum calefit, ascendit continuo calor a cero usque ad centum, et cum puer est parvus crescit paulatim usque ad consuetam staturam.

Sed hoc loco praecipua lis est de motu locali, qui est essentialiter successivus. Datur a parte rei, an est fictus per mentem? Et si est realis, estne aliquid intrinsecum enti, an aliquid extrinsecum, conveniens enti per meram denominationem extrinsecam a corporibus quibus accedit.

234. Sententiae. *Prima* est eleatensium, qui negabant motum ex rationibus metaphysicis: nam si ens mutaretur, esset idem et non esset idem; item aliquid de novo fieret, quod est impossibile: quia fieret aut ex ente (et hoc non, quia ens iam est), aut ex non ente (et hoc non, quia ex nihilo nihil fit).

Secunda sententia est subiectivistarum.

Sic *a)* KANTIUS negat realitatem motus, eo quod motus est repraesentatio dependens a formis a priori sensibilitatis internae et externae. *b)* Item negat hanc realitatem motus BERGSON [7]. Qui quidem admittit totam realitatem mundi et entis esse motum, sed motum non spatialem, sed pure qualitativum, cuius dotes sunt: hic motus est solum motus sine ullo subiecto motus; est indivisibilis; non est mensurabilis per spatium; et eius partes non transeunt sed interpretantur. Motum autem localem, qui mensuratur per spatium et est transitus de uno loco aut puncto spatii ad aliud punctum vel locum spatii, dicit esse fictionem intellectus nostri sine ullo fundamento in re, et solum ex fine actionis. *c)* Negant etiam realitatem motus idealistae acosmitici, ut BERKELEY, HEGEL et FICHTE.

Tertia sententia dicit motum esse realissimum, sed tamen non esse aliquid intrinsecum mobili: mobile, aiunt, per motum nullam mutationem intrinsecam patitur, sed solummodo accipit denominationes accessus vel recessus desumptas ex corporibus quibus mobile accedit vel a quibus recedit. Sic generatim thomistae praesertim MASI et HOENEN [8].

Quarta sententia est motum localem esse realissimum, et illum esse affectionem intrinsecam mobili, quae consistat in ubicatione fluente distincta realiter a mobili, et sit modus illius. Sic SUÁREZ, URRÁBURU, NYS et multi alii. Atque haec erit quoque nostra sententia.

235. Probatur thesis. I P. Datur motus localis. Nam testimonium sensuum in debitis adiunctis meretur fidem; *atqui* sensus in debitis adiunctis constitutus dat nobis motum localem; *ergo* datur motus localis. Neque alia probatio potior exigenda est, neque exsistit. *Minor:* percipimus enim mille

[7] Opera BERGSON quae hoc faciunt: *Essai sur les données immédiates de la conscience,* p.75-96; *L'évolution créatrice,* p.4-14.364-370; *La perception du changement;* Commentaria circa Bergson: DIAMANTINO MARTINS, S. I., *Bergson. La intuición como método en la Metafísica* (Madrid 1943); MARITAIN, *La Philosophie bergsonienne;* METZ, *Bergson et le bergsonisme;* JOLIVET, *Essai sur le bergsonisme;* MORENTE, *La filosofía de Henri Bergson.*

[8] HOENEN dicit motum localem nullam immutationem inducere in mobile, quia motus est aliquid extrinsecum. Et ratio est: quia ut detur mobile, sufficit ut detur substantia apta ad motum, et ut exerceatur de facto illa aptitudo, iam vero illa aptitudo non est nisi ipsa substantia mobilis; actuatio vero fit solum per exsistentiam, sine ulla additione in ordine essentiali, non est enim aliquod accidens vel modus qui haberet suam essentiam, sed motus est ipsum mobile, ut actuatum per actum aliquem qui sit solum exsistentialis: et quoniam exsistentia non inducit ullam notam quidditativam, ideo non inducit ullam mutationem intrinsecam.

Cum amittitur motus, solum amittitur actus exsistentialis accidentalis; et quando acquiritur motus solum acquiritur actus exsistentialis accidentalis. Sed patet incohaerentia talis doctrinae. Nam si actus exsistentialis est accidentalis, distinguitur a substantia corporali quae movetur, ut accidens a substantia; iam vero omne accidens non est solum exsistentia, sed etiam essentia, aliqua quidditas accidentalis distincta a substantia, et non sola exsistentia; ergo revera mobile movetur intrinsece per motum localem. Illa essentia est aliquis modus cuius totum officium est ubicatio fluens, et ille modus habet suam essentiam et suam exsistentiam, et non est sola exsistentia (cf. HOENEN, n.161 p.478-481).

In idem fere consentit DR. MASI, *Il movimento assoluto e la posizione assoluta secondo il Suárez* (Roma 1947).

modis corpus A successive esse prope corpora diversissima, et recedere etiam ab eis.

II P. Motus localis est successivus et continuus. A. Est successivus: quia impossibile est translatio localis instantanea; *ergo* fit successive. *Antecedens:* si enim translatio fieret in uno instanti, in eodem instanti corpus esset simul in duobus locis adaequatis, in termino a quo et in termino ad quem. Si ergo non est simul in duobus locis, est successive in illis.

B. Est continuus, et constans partibus sine fine divisibilibus. Secus constaret solis indivisibilibus, et hoc repugnat. Nam vel indivisibilia essent contigua, vel essent distantia. Non contigua quia tunc non daretur motus, sed plena quies, nam omnia indivisibilia coinciderent. Si non sunt contigua, sed discreta, tunc mobile acquirit diversas ubicationes sine transitu per medium, et ideo motus ille constaret ex multis quietibus, sed non adesset motus; iam vero hoc est contra experientiam: nam videmus corpus transferri localiter sine ulla interruptione, et coincidere cum omni spatio continuo quod percurritur.

236. III P. Ut aliquid intrinsecum mobili. Nam corpus per motum acquirit successive et continuo relationes distantiae et indistantiae ad corpora quibus accedit vel a quibus recedit, ideoque adquirit continuo et successive fundamentum illarum relationum; *atqui* illud novum fundamentum est intrinsecum mobili, et est motus localis; *ergo* motus localis est aliquid intrinsecum mobili.

Maior constat; et *minor* declaratur. *a)* Est aliquid intrinsecum mobili; nam illud fundamentum novum debet esse ubi exercetur influxus causae efficientis seu moventis; iam vero hic influxus non est exercitus in corpora circumstantia, sed solum in mobile; *ergo* solum in mobili est illud fundamentum novum. *b)* Et illud fundamentum relationum novarum vocatur motus localis: quia motus localis est id quo transfertur formaliter corpus, iam vero, per illud novum fundamentum corpus formaliter transfertur.

237. IV P. Et est modus physicus mobilis [9]. Nam motus localis implet definitionem modi intrinseci. Est enim aliquid intrinsecum; et est aliquid realiter distinctum a mobili, quia mobile potest esse sine motu; est accidens eius, quia non dat ullam denominationem essentialem, sed praeter essentiam, ut est esse hic aut ibi transiens; et habet talem entitatem,

[9] URRÁB., *Cosm.*, p.1016-1021; SUÁREZ, DM d.47 s.2 n.5.

quae sit solum formalis determinatio mobilis ut sit transiens, non vero talem entitatem quae possit exsistere seorsum, etiam per Dei omnipotentiam.

238. Corollaria. 1. Ergo corpora possunt moveri localiter et mutare ubicationem per spatia inania et per vacuum. Nam si motus est aliquid intrinsecum mobili, et non est relatio sed fundamentum relationis, poterit exsistere etiam ubi nulla detur relatio ad corpora, ut est vacuum et inane: de hoc antea tractavimus (cf. n.144-5).

2. *Ergo* motus non est mera relatio, sed fundamentum relationis, et ideo est causa relationis et independens ab ea.

3. Motus quidem est modus et actus mobilis, sed non potest dici formá; nam forma dat aliquod esse terminatum, et non est veluti complementum alius aut medium ad aliud; iam vero motus non habet esse terminatum, sed est essentialiter via ad aliud; et ideo non est forma, licet sit actus. Et propter hanc eandem causam sunt actus, sed non forma, inhaesio, unio substantialis, subsistentia; et contra sunt formae sessio, figura, ubi.

239. Scholia. 1. Actio et passio identificantur realiter inter se et cum motu, sed haec tria distinguuntur ratione.

I P. Actio et passio identificantur inter se realiter: quia actio eductiva, de qua solum agitur, seipsa pendet essentialiter a passo, et facit formam pendere formaliter a passo; atqui haec sunt munera passionis; ergo actio est idem ac passio.

II. P. Motus identificatur cum actione et passione; quia motus est id quo formaliter movens causat motum seu movet; atqui hoc est actio; ergo motus est actio: et quia actio identificatur cum passione; ergo motus identificatur realiter cum actione et cum passione.

III P. Sed tamen haec tria ratione distinguuntur. Nam idem fluxus formae, prout egreditur ab agente, vocatur actio; et prout recipitur in passo vocatur passio; et prout praescindit ab agente et patiente, et solum dicit viam ad terminum, dicitur motus; consequenter ille fluxus formae, ut est actio dicit ordinem ad agens; ut est passio dicit ordinem ad passum; et ut est motus est via ad terminum, praescindendo ab agente et passo: et patet hos conceptus obiectivos distingui ratione [10].

240. 2. *De specificativo motus.* Motus non specificatur a termino a quo, sed a termino ad quem; nam motus ideo v.c. est calefactivus, quia tendit ad calorem inducendum; et licet causa agens varietur, motus non erit nisi calefactivus; ergo tota species desumitur ex termino ad quem, non ex termino a quo [11].

241. 3. *De unitate motus.* Motus sumit unitatem a mobili, a forma ad quam tendit, a duratione non interrupta, et a medio quod percurritur.

a) Sumit unitatem a mobili; nam si mobile est multiplex, tunc et motus necessario est multiplex. *b)* Et a forma ad quam tendit: nam si forma producenda vel terminus ad quem est multiplex, etiam actio et via seu motus erit multiplex. *c)* Et a duratione non interrup-

---

[10] SUÁREZ, DM d.49 s.1.2; URRÁB., *Cosm.*, p.1021-1027; et *Ontol.*, p.1031; HOENEN, n.163.

[11] ARIST., 5 *Phys.*, c.1; S. TH., ibid.; URRÁB., *Cosm.*, p.1026-1031.

ta; nam si motus interrumpatur et iterum resumatur, iam non est unus motus, sed duo. *d)* Et a via quam percurrit: nam si via quam percurrit est curva, motus erit diversus ab eo qui percurreret viam rectam, aut parabolicam, etc.[12]

242. Scholium 4. Systema Bergson circa motum et tempus intelligetur melius si totum eius systema philosophicum exponamus. Totum eius systema ad haec puncta potest reduci:

1. *Antiintellectualismus.* Intellectus non est factus ad cognoscendam veritatem, sed solum ad dirigendam actionem, unde intellectus est essentialiter faber, non cognoscitivus. Nam ille deformat omnem realitatem. Realitas est singularis, vitalis, indivisa: intellectus autem repraesentat res in universali, facit eas staticas et necessarias, et multiplicat in multas partes spatiales non vitales; ergo revera non est cognoscitivus, sed solummodo faber.

2. *Intuitionismus.* Quoniam igitur intellectus non est cognoscitivus, alia est quaerenda facultas cognoscitiva realitatis, et illa est intuitio supraintellectualis. Hanc facultatem exercent homines pauci, valde laboriose et raro: modus autem quo cognoscit realitatem est per quandam sympathiam, proiciendo se in res ita ut eas sentiat tamquam seipsum.

3. *Mobilismus.* Haec facultas cognoscitiva est quae dat realitatem nudam ut est in se: et qualis est realitas seu ens in se, iuxta BERGSON? Est solummodo motus, sine ullo subiecto motus, motus purus, seu duratio et tempus purum. Hic autem motus, duratio aut tempus non dicit successionem aut divisibilitatem aut commensurabilitatem cum aliquo spatio; nam omnis motus est solum actus conscientiae; iam vero actus conscientiae sunt simplicissimi. et diversi inter se solummodo qualitative; consequenter realiter non distinguuntur, secus extraponerentur et essent spatium, non conscientia; et ita proprie non datur motus quia nulla datur successio neque divisibilitas aut distinctio realis partium. Partes omnes motus aut temporis interpenetrantur inter se ita ut non detur fluxus, sed pura varietas qualitativa.

243. 4. *Acosmismus.* Hinc concludit spatium non esse aliquid reale, sed fictum per intellectum; item dicit esse aliquid fictum ipsum motum localem, quia essentialiter commensuratur cum spatio, quod est fictio mentis. Unde etiam sequitur non dari tempus quod sit duratio successiva, quia hoc esset admittere realitatem ontologicam spatii, nam duratio successiva est extrapositio partium, et hoc est spatium.

5. *Univocismus.* Hinc etiam deducit ens ut ens non esse nisi *élan vital,* durationem puram, motum purum sine ulla successione et sine ullo subiecto motus, cum sola varietate qualitativa; et hinc ulterius sequitur omnem diversitatem rerum esse quasi accidentalem; nam materia est *l'élan vital* descendens, spiritus est *l'élan vital* ascendens, Deus ipse non est nisi *élan vital* eiusdem speciei ac noster, sed solum magis condensatus. Unde per hoc profitetur monismum et pantheismum, saltem in suis libris scientificis: extra libros scientificos dicit se admittere Deum Creatorem et Dominum et cetera. Et fortasse mitigavit nonnihil hanc doctrinam in *Les deux sources de la*

---

[12] ARIST., 5 *Phys.,* c.4; S. TH., ibid.; URRÁB., *Cosm.,* p.1031-1033.

moral et de la réligion quoad modum loquendi, sed substantia doctrinae eadem permanet.

244. Aliqui multum temporis impendunt in refutatione theoriae bergsonianae de tempore; sed id ex professo faciendum non est. Tota enim nititur in principiis aperte falsis, alibi reiectis. Profitetur enim nominalismum purum; negat etiam realitatem extensionis spatialis, et multiplicitatem rerum materialium: haec omnia sunt fictiones quas facit intellectus in ordine ad actionem. Unde etiam debet negare et negat de facto motum localem; item consequenter debet negare etiam realitatem temporis.

Est *omnino subiectivista* sicut Kant per ordinem ad mundum corporeum; se tamen vocat realistam, quia profitetur dari realitatem ontologicam. Sed illa realitas ontologica est pure fictitia; quia ens ut ens, seu realitas ut talis non est nisi motus, et quidem sine ullo subiecto motus; qui motus praeterea nihil habet motus: nam neque habet successionem, neque divisibilitatem, neque ullam distinctionem partium: quae omnia sunt contra sensum communem et contra primas evidentias, et sunt errores late refutati in Critica. (Cf. J. H., *Theol. Natur.*, p.121-127.)

245. Obiectiones. 1. *(Argumentum Parmenidis.)* Quod mutatur est idem et non est idem; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* impossibilis est motus omnis seu mutatio. *Minor:* Quod mutatur est idem quia secus non daretur aliquid quod esset sub diversis affectionibus, ideoque neque esset aliquid quod mutaretur; et non est idem, quia si mutatur, est aliud diversum ab eo quod erat, secus non mutaretur.

Dist. mai.: Est idem et non idem sub diversis respectibus, *conc.;* sub eodem respectu, *nego;* et *contradist. min.:* sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso, *nego*. Et probationem *dist.* eodem modo.

Quod mutatur est omnino idem quoad subiectum quod patitur mutationes; et non est idem quoad affectiones internas quas continuo recipit per motum, in quo nulla est contradictio.

2. *(Argumentum Zenonis ex sagitta, oistos.)* Sagitta tendens ad scopum motu continuo aut moveretur ubi non est aut ubi est; *atqui* utrumque repugnat; *ergo* non datur motus continuus. *Minor:* si movetur ubi non est, dicitur absurdum; si movetur ubi est, *ergo* non movetur, sed est alicubi, quod est esse quietam.

Nego suppositum maioris: nam sagitta in motu, nullibi est, sed solum transit seu acquirit successive ubicationes. Difficultas valeret si diceremus sagittam moveri, et tamen motum constare ex indivisibilibus.

3. *Instabis:* Sagitta in motu non est ante locum in quo est, neque post locum in quo est; neque est simul ante et post locum in quo est sed est solum in loco in quo est; *atqui* in loco ubi est, est quieta; *ergo* motus constat quietibus indivisibilibus et discretis.

Maior patet, quia sagitta per photographiam deprehenditur in loco determinato, et non ante vel post,. neque simul ante et post. *Minor:* secus non esset, ubi est.

Nego suppositum antecedentis. Nam sagitta non est ullibi, sed solum transit. Ad probationem, dico: photographia non capit motum, sed solum mobile, et hoc solum si motus sagittae sit minus velox quam motus machinae photographiae; nam si sit celerior, non capit mobile in quiete, sed in motu, et quidem obscure et confuse.

4. Motus non est nisi synthesis psychologica praeteriti et futuri; *atqui* processus psychologicus est solum subiectivus; *ergo* motus est aliquid subiectivum, et non reale.

Dist. mai.: cognitio motus est synthesis psychologica, *conc.;* res ipsa cognita, *nego;* et *contradist. min.:* processus psychologicus subiective spectatus est aliquid mere subiectivum, *conc.;* intentionaliter et obiective spectatus, *nego.*

246. 5. *(Pro extrinsecitate motus respectu mobilis.)* Motus localis corporis est relatio accessus ad alia corpora; *atqui* accessus est mera denominatio extrinseca ad corpus cui accedit; *ergo* motus est mera denominatio extrinseca, non intrinseca mobili. *Maior:* nam sine aliis corporibus, quibus res accedat, non datur motus accessus.

Nego mai. Motus localis est fundamentum talis relationis accessus, et ideo est prius et independens a tali relatione. Ad probationem: *concedo assertum,* et *nego consequens,* nempe motum esse illam relationem. Motus est fundamentum illius relationis: et si dentur corpora quibus mobile accedat, exsurgit relatio accessus; si autem non sint ulla corpora, ut in spatio inani, non dabitur illa relatio accessus, sed dabitur fundamentum illius, et illud fundamentum est motus.

6. *Problema de possibilitate motus localis in spatio pleno.* Sic enim obicitur.

Nam ut detur motus requiritur ut mobile compenetretur cum aliis corporibus contra quae movetur, vel ut impellat et removeat corpora contra quae movetur usque ad ultimam superficiem caelorum; *atqui* utrumque est impossibile; *ergo* non potest dari motus.

Nego mai: sufficit ut corpora habeant entitatem et raritatem, et ita per compressionem factam a mobili aër occupabit minus volumen, dabit locum motui, et dein ipse aër per elasticitatem recuperabit suam positionem pristinam.

N. B.—Plato et Descartes dixerunt mobile movere corpora circumstantia in turbinibus, et ita unum corpus occupabit locum quem vacuum debebat relinquere mobile. Sed haec explicatio admitti non potest, quia ut unum corpus occupet locum mobilis, iam supponitur prius mobile motum esse: ideoque vel compenetratur cum aliis corporibus vel impellit in instanti omnia corpora coram se usque ad extremum caelum.

Alii autem dixerunt inter corpuscula, atomos et moleculas dari vacua et distantias, quae per impetum mobilis fiunt breviores, et ita potest dari locus motui. Sed si admittatur vacuum inter moleculas et atomos, et corpuscula, haec agerent in distans inter se, quod nemo scientificorum admittit.

Necesse est igitur admittere densitatem et raritatem, et simul elasticitatem, saltem in aethere, et ita fit possibilis motus.

ARTICULUS II

DEFINITIO ARISTOTELICA MOTUS SUCCESSIVI

Thesis 13. Motus successivus bene ab Aristotele definitur: actus entis in potentia prout in potentia.

247. ARISTOTELES, 3 *Phys.*, c.1.2.3; S. TH., in preadicta loca ARISTOT.; SUÁREZ, DM d.49 s.2; et d.50 s.9; URRÁB., *Cosm.*, p.1001-1054; HOENEN, *Cosm.*, p.143; IDEM, *De conceptu motus:* Greg (1921); PARODI: Bulletin de la Société française de Philosophie, jan-fevr. 1937; KLIMKE, FRID., S. I., *De conceptu motus prouti nunc a scientia docetur, apud antiquos scholasticos:* Greg 2 (1921) 121-122.

248. Nexus. Nos iam recte definivimus motum successivum modo vulgari dicentes esse transitum intrinsecum entis ab uno statu in alium per partes quae non sint simul sed successive et continuo, seu sine interruptione inter illas. In qua descriptione, verba "transitus intrinsecus entis de uno modo se habendi ad alium", sunt veluti genus motus; verba autem "per partes ininterruptas quae non sint simul", habent rationem differentiae specificae per quam motus successivus differt ab omni alio motu.

ARISTOTELES autem construxit aliam definitionem magis scientificam, quae per notiones actus et potentiae dat essentiam intimam motus intrinseci. Hanc vero definitionem nunc explanamus.

249. Notiones. Formula definitionis est: motus est actus entis in potentia prout in potentia. Hi termini explicandi sunt.

MOTUS EST ACTUS. Nam actus est quaedam determinatio actualis alicuius possibilitatis seu indifferentiae quae est in subiecto. Et talis est motus. Si enim non esset actus, sed potentia quaedam, subiectum posset moveri, sed non moveretur.

ENTIS EXSISTENTIS; nam supponitur rem mobilem iam exsistere: si enim non exsistebat ens mobile, et per actionem fit totaliter, hoc ens non movetur, sed creatur.

250. IN POTENTIA. Potentia est capacitas rei ut sit id quod nondum est per seipsam. Haec potentia potest esse obiectiva et physica. *Obiectiva* est pure possibilium quae possunt esse sed nondum sunt. *Physica* seu subiectiva est propria rei iam exsistentis, quae licet iam exsistat, tamen potest esse aliquid quod nondum est; sicut aqua iam exsistens, potest esse calida, cum nondum sit calida; et intellectus iam exsistens, potest intelligere aliquid cum nondum intelligat.

Potentia autem physica potest esse activa et passiva. Potentia *activa* est capacitas producendi aliquam actionem, quam nondum produxit: haec potentia est potius actus, siquidem in tantum potest producere actionem et effectum, in quantum

habet actu perfectionem talis effectus. De hac non est hic sermo. *Potentia physica passiva* est capacitas recipiendi quandam perfectionem aut determinationem intrinsecam, quam res seipsa non habet. Cum ergo dicimus motum esse actum entis exsistentis in potentia, loquimur de potentia physica, non obiectiva; et de potentia physica passiva, non activa. Dicimus ergo motum esse actum exsistentis in potentia; nam si iam est in actu, mobile non movetur, sed motum est.

PROUT IN POTENTIA [1]. Quia motus est talis actus entis mobilis, ut per illum actum subiectum maneat adhuc in potentia, non ad alium actum, sed ad eundem actum successive et continuo et sine interruptione perficiendum.

Omnis actus relativus est actus entis quod erat in potentia ad illum, et quod illo recepto, manet in potentia ad alios actus; sed non omnis actus est actus entis quod erat in potentia ad actum, ita ut per illum maneat adhuc in potentia ad eundem actum prosequendum et perficiendum; hoc est proprium solius motus successivi et continui [2].

251. Corollaria. *Ad perfectiorem analysim huius definitionis oportet addere sequentia corollaria.*

1. Motus ergo successivus est actus qui est merum *transire*, et *devenire*, quia non dat esse perfectum, sed esse imperfectum et in fieri; per motum mobile non est, sed devenit; non est aliquid factum, sed fit.

2. Motus est essentialiter *continuus* et sine interruptione. Nam si interrumpitur, iam cessavit motus; poterit alius motus incipere, sed prior cessavit.

3. Constat partibus *distinctis*, quae non omnes sunt simul: sed non est actu divisus, quia si dividitur seu interrumpitur, iam cessavit et destructus est.

4. Est ens sui generis quod est *positivum, constans tamen duplice negatione*. Est positivum et reale, siquidem est effectus a causa efficiente per actionem positivam. Sed constat duplice negatione:

---

[1] SUÁREZ dicit haec verba "prout in potentia", posse duobus modis intelligi; primo ita ut significent, prout transit primo de potentia in actum: et ita potest convenire definitio motui instantaneo et motui substantiali (DM d.49 s.2 n.10); vel etiam posse intelligi ita ut significent: prout manet in potentia ad perficiendum actum (ibid., n.9); et in hoc secundo sensu convenit solum motui successivo et continuo. Atque in hoc cum Sancto Thoma concordat, v.c. in 3 *Phys.*, lect.2 § *b*, in fine.

[2] ARISTOTELES dedit tres definitiones motus: *prima* est quae iam est explicata: actus entis exsistentis in potentia prout in potentia (3 *Phys.*, c.1, et S. TH., ibid.). *Secunda* est: actus mobilis in quantum mobile (3 *Phys.*, c.2, in fine, et S. TH., ibid.). Sed tunc manet difficultas: quid est mobile? Quod potest habere actum mobilis, i.e. motum (?). *Tertia* definitio est: est actus eius quod potest agere et pati, quatenus tale est. *Agens ergo seu movens, movendo movetur,* sed extrinsece, per denominationem ab actione quae ab ipso emanat. Sed illa actio debet esse talis, ut per illam adhuc agens maneat in potentia activa ad perficiendam actionem. *Similiter patiens movetur* recipiendo actionem agentis; quae est passio respectu patientis: sed illa passio debet esse talis ut per illam patiens adhuc maneat in potentia ad prosequendam seu perficiendam illam passionem.

nempe negatione exsistentiae actualis partium praeteritarum et etiam futurarum, nam omnes hae partes constituunt unum motum.

252. 5. *Motus incipit per ultimum sui non esse et desinit per primum sui non esse;* seu aliter, motus incipit extrinsece, et desinit etiam extrinsece. Nam motus intra se non habet partem quae sit prima aut ultima, quia quidquid designetur est in infinitum divisibile; ergo debet incipere et desinere extrinsece, designando ultimum instans in quo desivit esse nihil, et primum instans in quo iam est nihil. Et contra res permanentes incipiunt intrinsece per primum sui esse, siquidem exsistunt instantanee; et desinunt per primum sui non esse, non per ultimum sui esse, quia in ultimo sui esse nondum cessarunt, sed sunt.

6. *Motus est unum per se,* sui generis: nam eius exsistere est exsistere per partes successivas quarum una non sit simul cum alia: sed omnes continuantur per praesens, quod est limes indivisibilis et idealis praeteriti et futuri, seu potius est ipsum transire, neque aliter potest explicari.

7. Ex his corollariis sequitur: si aliquid movetur motu successivo, *ergo movebitur, et movebatur.* Nam quidquid designabile est in motu, est divisibile in infinitum, ideoque non habet primum instans intrinsecum sui, neque ultimum; si ergo motus non habet primum instans sui, mobile antea movebatur; et si non habet ultimum sui, postea movebitur.

8. Sed tamen non est necessario *aeternus,* ut volebat deducere ARISTOTELES: quia haec assertio est hypothetica, nempe, si res movetur, verificatur quod movebitur et movebatur, sed non est necesse verificari ab aeterno hypothesin quod movetur. Motus enim potest incipere saltem ab extrinseco instante.

253. Status quaestionis. Quaeritur utrum definitio motus successivi et continui sit bene constructa ab ARISTOTELE.

Sententiae. *Prima* tenet hanc definitionem esse ineptam. Sic Descartes dixit hanc definitionem esse inintelligibilem, et constare verbis quibusdam magicis quae habeant vim quandam occultam et supra humanum ingenium (Regula 12 ad directionem ingenii).

Secunda est communis scholasticorum, qui docent motum quidem esse notissimum quoad an sit, sed quoad quid sit esse obscurissimum, et per definitionem ARISTOTELIS declarari modo scientifico et per terminos valde philosophicos potentiae et actus. Hanc et nos sequemur.

254. Probatur thesis. Dotes bonae definitionis sunt ut sit brevis, clara, conveniens omni et soli definito, facta per genus et differentiam aut aequivalenti modo; *atqui* haec conveniunt definitioni Aristotelis; *ergo* haec est bona definitio.

Maior constat, et *minor* probatur; *a)* Est brevissima ut patet. *b)* Est clara, saltem post declarationem terminorum.

c) Convenit omni et soli definito. Omni: quia omnis motus successivus est aut augmentum et decrementum, alteratio qualitativa, v.c. in calefactione aut in intensione aliarum qualitatum, aut motus localis: et his apprime convenit definitio data, ut consideranti liquet. *d)* Fit quasi per genus et differentiam: nam genus sunt verba "actus entis in potentia passiva"; per quae significatur motus in communi; et verba "prout in potentia" sunt veluti differentia specifica qua significatur motus successivus et continuus.

255. Scholia. 1. In motu locali distingui possunt et actio, et terminus, et passio, et principium actionis. Datur actio, quia aliquid fit, scilicet, latio. Datur terminus successivus, qui est ubicatio fluens: repugnat enim metaphysice actio vialis sine termino. Datur passio quae est receptio ubicationis fluentis in mobili, et non distinguitur ab actione qua fit ubicatio fluens. Datur principium actionis, quod est nisus. (DM d 49 s.4 n.9; d.49 s.2 n.14.)

2. In motu datur quasi tensio quaedam qua motus conatur sequi ulterius. Illa vero tensio non est in termino actionis, qui sunt ubicationes successivae, nam hae sunt aliquid pure passivum; sed tensio est in nisu et in actione.

256. Obiectiones *(contra definitionem Aristotelis)*[3]. 1. Etiam forma substantialis est actus entis in potentia prout in potentia; *ergo* erit motus; atqui hoc est absurdum, quia non est motus sed forma fixa, ergo definitio ARISTOTELIS non est recta.

Dist. mai.: est actus entis in potentia prout erat in potentia, sed non per eam manet in potentia ad eundem actum, *conc.;* et per eam manet in potentia ad eundem actum, *nego.* Et *contradist. min.:* si per illum actum res maneret in potentia ad eundem actum, *conc.;* si per illum actum res non manet in potentia ad eundem actum, sed ad alios, *nego.*

Forma est motus mobilis, non tamen est motus accidentalis et successivus, sed substantialis et instantaneus; nempe est motus in sensu metaphysico, non vero in sensu physico et strictissimo.

2. Qualitas remissa relinquit subiectum in potentia ad ulteriorem actualizationem; *atqui* tamen illa qualitas non est motus; *ergo* definitio data convenit rebus quae non sunt motus. *Min.:* quia licet habeatur potentia ad ulteriorem actualizationem, sed tamen de facto non evenit illa ulterior actualizatio.

Conc. mai.; et *dist. min.:* si iam cessavit actio producens intensitatem, *conc.;* interea dum continuatur actio intensiva, *nego;* et *contradist. cons.:* si definitio applicaretur qualitati iam quietae, *conc.;* si applicatur ad qualitatem interea dum continuatur actio intensiva, *nego.*

Qualitas ut quatuor, quae iam non amplius intenditur, non est motus, sed qualitas quieta; si autem qualitas ut quatuor adhuc fit maior per actionem agentis, habetur motus alterativus in actione qua fit augmentum illius qualitatis.

3. Motus est exsistentia successiva subiecti in diversis locis; *at-*

---

[3] URRÁB., *Cosm.,* p.1009.

qui exsistentia non distinguitur realiter a suo subiecto; *ergo* motus non est actus entis mobilis sed est ipsum mobile.

Dist. mai.: per entitatem subiecti, *nego;* per entitatem motus, *conc. Et concessa min., contradist. cons.:* si mobile esset in diversis locis formaliter per entitatem mobilis, *conc.;* si per entitatem additam, quae est motus, *nego.*

Subiectum mobile exsistit per suam propriam exsistentiam; sed est successive in diversis locis per motum et per exsistentiam motus, quae exsistentia est realiter distincta a mobili, sicuti ipse motus.

4. Motus ipse aut movetur alio actu, aut seipso; si movetur alio actu abimus in infinitum; si autem movetur seipso, dicas etiam mobile moveri per seipsum, et non per actum distinctum.

Nego disiunctionem, nam datur tertium, nempe motus nullo pacto movetur: nam motus si abstracte consideretur secundum quod est actus aliquis habet partes quarum aliae pereunt adveniente alia, et ideo nihil sui commune est sub diversis illis partibus, quod necessario requiritur ad motum; sed subiectum certe movetur per motum, quia semper manet identicum sibi sub diversis partibus motus.

257. 5. Motus non incipit ab extrinseco, sed ab intrinseco; quia res quae antea non erat et postea est, habet initium sui; *atqui* motus antea non erat et postea est; *ergo* habuit initium sui; quod est incipere ab intrinseco.

Nego assertum. Ad probationem, *conc. mai.* et *min.* et consequentiam; sed *nego* aequivalentiam inter incipere et incipere ab intrinseco. Motus quidem habet initium, sed ab extrinseco, quia ita non est nunc ut immediate post exsistat.

6. Cum pars aliqua motus exsistit, anterior periit et futura nondum est; *atqui* praesens quod exsistit, nihil potest habere commune cum non exsistentibus; *ergo* motus praesens non facit unum continuum cum praeterito et cum futuro, ideoque non est continuus, sed discretus et constans indivisibilibus.

Nego suppositum maioris et minoris, nempe aliquid motus in praesenti exsistere quia hoc significaret esse quietum; motus solum per praesens transit, non in praesenti manet aut exsistit. Et certe id quod transit est limes praeteriti et initium futuri, non quietum sed transiens. Neque possumus aliter explicare realitatem huius entitatis fere imperceptibilis, ob fugacitatem.

7. Si motus est successivus et continuus, aut perfectio actus communicatur subiecto tota simul aut non; utrumque est impossibile; *ergo* non est continuus, sed discretus et constans indivisibilibus. *Minor:* nam si communicatur tota simul non est successivus; si autem non communicatur tota simul, communicatur per actum diversum a primo, et sic motus constat pluribus realitatibus discretis, non continuis.

Conc. mai., et *nego min.:* et eligo non dari totam simul perfectionem actus. Et improbationem, *nego;* licet enim non detur tota perfectio actus simul, non ideo datur per alium actum, sed per eundem non interruptum et continuatum successive.

8. Si motus est actus qui communicatur successive et continue aut relinquit mobile in potentia ad alium actum aut non; *atqui* utrumque repugnat; *ergo* motus non est actus successivus neque continuus. *Min.:* si enim relinquit subiectum in potentia ad alios actus,

motus componetur ex multis actibus discretis; si non relinquit in potentia ad alios actus, neque est motus.

Conc. mai., et *nego min.*: et eligo motum non relinquere subiectum in potentia ad alios actus, sed ad eundem actum continuandum successive.

258. 9. Intellectio et volitio sunt motus; *atqui* non eis convenit definitio motus; *ergo* definitio motus non est bene facta. *Minor*, quia non sunt aliquid successivum et continuum.

Dist. mai: sunt motus metaphysicus in sensu mutationis, *conc.;* sunt motus physicus i.e. continuus et successivus, *nego; contradist. min.:* definitio motus successivi non convenit eis, *conc.;* definitio motus metaphysici in sensu mutationis, *nego.*

10. Nulla res potest esse simul in potentia et in actu respectu eiusdem; atqui motus est actus per quem res est in actu, et adhuc simul manet in potentia ad eundem actum; *ergo* motus, ut definitus est, est aliquid absurdum.

Dist. mai.: et sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso, *nego;* et *contradist. min.:* sub diverso respectu, *conc.:* sub eodem, *nego.*

Motus est talis actus ut per illum subiectum sit in actu respectu partis quae iam est vel transit, et est in potentia respectu reliquarum partium quae supervenient modo continuo et successivo.

11. Definitio debet esse clarior definito; *atqui* definitio aristotelica motus non est clarior quam motus; *ergo* non est bene facta. *Minor:* nam quid sit motus omnes norunt clarissime, et definitionem aristotelicam valde difficile solent intelligere.

Dist. mai.: Debet esse clarior re definita quoad an sit, *nego;* quoad quid sit, *conc.;* et *contradist. min.:* non est clarior motu quoad an sit, *conc.;* quoad quid sit, *nego. Et probationem dist. similiter.*

An sit motus, est res clarissima; sed quomodo definiatur scientifice, est res difficillima. ARISTOTELES tamen bonam definitionem fecit, et satis claram pro capacitate materiae. Licet fatendum sit nos iam aliam definitionem dedisse satis bonam, cum diximus motum successivum esse mutationem cuius partes non sint simul sed aliae post alias sine ulla interruptione.

ARTICULUS III

DE TEMPORE PHYSICO[1]

Thesis 14. Tempus physicum, prout est duratio successiva, exsistit in rebus independenter ab ullo actu mentis nostrae; sed prout est mensurabile, dependet ab actu mentis numerantis, et bene definitur ab Aristotele "numerus motus secundum prius et posterius".

259. ARISTOT., 4 *Phys.*, c.11; S. TH., ibid.; et *Opusc. de tempore;* SUÁREZ, DM d.50 s.1-11; URRÁB., *Cosm.*, p.1076-1093; MORÁN, p.210-221; HOENEN, n.172-179; IDEM, *De duratione successiva et de quaestionibus connexis:* Greg 34 (1953) 3-31; MANSION, AUG., *La théorie aristotélicienne du temps chez les péripateticiens médiévaux Averroès, Albert le Grand, Thomas d'Aquin:* RevNeoscPhil 36 (1934) 275-307; DE BROGLIE LUIS, *Les conceptions de la physique contemporaine et les idées de Bergson sur le temps et le mouvement:* RevMétMor 48 (1941) 241-257.

[1] S. AUGUSTINUS, *Confess.*, l.11 c.17; et c.22.23.25; U. 1076.

260. Nexus. Tempus habet maximam cognationem cum motu, ideoque post motum, de tempore est tractandum. Tempus autem potest esse physicum et absolutum; et physicum potest considerari mere ontologice, vel etiam ut est mensurabile. In hoc articulo agemus de tempore physico tum secundum quod est in se ontologice tum secundum quod est mensurabile et ut est definitum ab ARISTOTELE. In thesi sequenti agemus de tempore absoluto.

261. Notiones. TEMPUS ontologice consideratum est duratio successiva. Duratio est veluti genus, vel potius ratio communis, et "successiva" est veluti differentia essentialis quae constituit tempus. Physicum dicitur quia est affectio rerum, et non est aliquid separatum a corporibus durantibus.

Cum igitur tempus physicum ontologicum sit duratio successiva, oportet breviter recolere notiones traditas in ontologia de durationibus.

DURATIO est permanentia rei in esse seu in exsistentia. Est igitur propria rei exsistentis, et tanta est diversitas durationum sicut et rerum exsistentium.

DIVIDITUR IGITUR DURATIO *generatim* [2] in creatam et increatam. INCREATA est propria Dei, et est aeternitas. Haec autem est duratio sine initio et sine fine et sine ulla successione. CREATA autem est propria creaturarum.

DURATIO AUTEM CREATA potest esse permanens et successiva. PERMANENS est duratio rei quae habet *esse* permanens, quia nihil sui acquiritur neque amittitur. SUCCESSIVA est duratio entis successivi, ens autem successivum est solum motus successivus.

DURATIO PERMANENS potest esse aevum vel instans temporis discreti. AEVUM est duratio rei incorruptibilis, v.c. angeli aut materiae primae. INSTANS TEMPORIS DISCRETI est duratio permanens, rei corruptibilis, v.c. duratio actus spiritualis immanentis, quae vocatur speciali modo instans angelicum; et duratio cuiuslibet substantiae corporalis, dum durat sine corruptione. Substantiae corporales sunt sub tempore, sed non sunt tempus, quia non habent esse successivum.

DURATIO SUCCESSIVA est duratio entis successivi, cuius partes non sunt simul, sed aliae sunt post alias, ita ut pereunte una, sine ulla interruptione succedat alia. Haec duratio successiva vocatur tempus. Unde TEMPUS est duratio successiva, cuius partes non sunt simul, sed una post aliam sine ulla interruptione. Et hoc tempus vocatur physicum, quia est affectio realis et physica rei corporalis.

---

[2] Divisiones durationum ap. SUÁREZ, DM d.50 s.3-11.

262. Divisiones temporis[3]. Tempus dividitur *primo* in intrinsecum et extrinsecum. Tempus intrinsecum est duratio cuiusque motus successivi. Quare dantur multa tempora intrinseca, nam unusquisque motus habet suum tempus; et quidem alia tempora sunt simultanea et alia successiva; sunt simultanea tempora corporum quae simul moventur, ut cum plures simul currunt; successiva, sunt illa tempora corporum quae non simul exsistunt, ut est tempus Ciceronis et Neronis.

Extrinsecum, est tempus intrinsecum alicuius corporis, quod tempus intrinsecum assumitur ut mensura aliorum temporum: et sic duratio intrinseca rotationis terrae circa axin est tempus extrinsecum quo mensuramus ordinario omnia alia tempora.

Hoc tempus extrinsecum, potest esse particulare et universale. Particulare est quod assumitur ut mensura in aliquo casu particulari: v.c. recitatio Credo potest assumi ut mensura temporis quod impendit sol in occasu suo ex quo tangit horizontem usque ad plenam occultationem. Universale est illud tempus quod assumitur ut mensura pro omni motu, sicuti est rotatio terrae circa axin, vel etiam circumitio terrae circa solem.

263. *Secundo* dividi potest tempus in spirituale et corporale seu physicum. Tempus spirituale est duratio successiva motus localis puri spiritus: nam et anima potest mutari localiter et similiter angelus, et quidem motu qui recipiatur intrinsece intra substantiam spiritualem; illa autem mutatio successiva est duratio successiva seu tempus. Corporale seu physicum est duratio successiva motus corporalis, v.c. duratio motus localis alicuius corporis.

264. *Tertio* potest dividi tempus in reale, possibile et absolutum. Tempus reale seu physicum est duratio motus realiter exsistentis. Tempus possibile est duratio alicuius motus possibilis qui nondum est. Tempus absolutum est duratio successiva abstracta ab omni subiecto quod duret successive, et concipitur ut linea infinita, necessaria, absolute uniformis, de cuius realitate postea loquemur.

Tempus reale physicum potest considerari mere ontologice, secundum quod est in seipso, vel etiam ut est mensuratum vel mensurabile per actus mentis nostrae. Ontologice consideratum est illud quod definitum est, scilicet duratio entis successivi, seu duratio motus; et tempus ut mensurabi-

[3] **Divisiones temporis: Suárez, DM d.50 s.8 n.7.8; Urráb., p.1090-1093.**

LE, est idem tempus seu duratio successiva connotans actum mentis comparantis illam durationem cum unitate, et supputantis quoties contineat unitatem: ut cum dicimus horas tres et cetera. Hoc autem tempus ut est mensurabile definivit ARISTOTELES dicens: "tempus est numerus motus secundum prius et posterius", et hanc definitionem volumus nunc explicare [4].

265. NUMERUS EST collectio unitatum, seu multitudo mensurata per unum, seu multitudo comparata cum unitate, ut cognoscatur quoties illa multitudo contineat unitatem. Unde apparet quomodo numerus semper contineat connotationem ad actum animae numerantis actu, vel potentis numerare.

Numerus potest esse numerans et numeratus. Numerus NUMERANS est numerus abstractus qui applicatur rebus concretis, ut tres aut centum. Numerus NUMERATUS aut MENSURABILIS est multitudo ipsa mensurata per unitatem, vel quae potest mensurari. In definitione temporis numerus non est numerans, sed numeratus aut numerabilis.

MOTUS: est res ipsa numerata. Nam sicut aliquando numerantur lapides, vel arbores, vel homines, sic nunc numeratur motus. In motu autem numerantur partes, non quidem proportionales, sed solum aliquotae; et non partes iam factae seu divisae, quia illae formarent diversa tempora, non unum tempus, sed partes in quas posset dividi. Et ita tempus erit numerus actualis vel possibilis rotationum terrae circa axin, vel numerus horarum.

266. SECUNDUM PRIUS ET POSTERIUS. Hae voces significant negative, partes motus non esse simul; positive significant, partes motus esse alias post alias sine ulla interruptione.

Dices: Si aliae partes sunt post alias, tempus definiendum ingreditur in definitione, quia "post alias", significat successive, seu tempore post alias.

Resp. 1. Secundum prius et posterius non dicitur per comparationem ad durationem aut motum, quia ita definitum ingreditur in definitionem; sed per comparationem ad partes spatii percursi, quae partes sunt proximae vel distantes a puncto spatii, quod designetur ut initium computationis.

Resp. 2. Fortasse non sit tam magnum vitium si definitum ingrediatur in definitione notionum primitivarum et notissimarum.

Duplex est ergo definitio temporis. Prima: duratio "successiva et continua", et sic definitur tempus ontologice sump-

[4] Vide ARISTOT., 4 *Phys.*, c.11; S. TH., ibid.; SUÁREZ, DM d.50 s.11 n.9; URRÁB., p.1098-1109.

tum; et secunda est "numerus motus secundum prius et posterius", et sic definitur tempus ut mensurabile.

Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum tempus physicum ontologice sumptum exsistat independenter a mentis consideratione, et utrum definitio temporis physici ut mensurabilis bene facta sit ab ARISTOTELE.

267. Sententiae. *Prima sententia* negat omnem realitatem temporis physici, sicut negat realitatem motus, ut diximus agentes de motu [5].

Secunda sententia dicit tempus non exsistere nisi dependenter ab actu animae, eo quod tempus sit numerus motus, et numerus semper est ab anima [6]. Et hoc dupliciter intelligunt: alii enim volunt tempus non esse nisi dum numeratur ab aliqua mente; alii autem dicunt tempus iam adesse, si adsit motus numerabilis, connotans mentem a qua possit numerari, licet a nemine numeretur: et hic secundus videtur fuisse sensus ab ARISTOTELE intentus [7].

Tertia sententia docet tempus exsistere independenter a mentis consideratione et independenter a connotatione omnis actus mentis nostrae.

268. *Quarta* denique *sententia,* distinguit, sicut fecimus in thesi: et docet tempus physicum ontologice consideratum et secundum quod est duratio successiva, exsistere a parte rei independenter ab omni actu mentis numerantis et a connotatione ad illum; ut vero tempus est mensurabile, dicit haec sententia non exsistere adaequate a parte rei, quia necessario includit actum mentis numerantis aut potentis numerare, sed solum fundamentaliter: fundamentum enim est duratio successiva continua, et haec est in rebus independenter a mentis consideratione et numeratione. Et haec erit etiam nostra sententia. Thesis ergo nostra habet tres partes: *prima* est tempus physicum ut est duratio successiva, exsistere a parte rei independenter ab omni actu animae; *secunda* est, tempus phy-

[5] KANT, ut notum est, dixit tempus esse repraesentationem mere subiectivam, productam a forma sensibilitatis internae, ut dictum est de motu, c.4 a.1. Similiter, BERGSON de tempore dicit idem quod de motu, et de hoc iam diximus satis, c.5 a.1 (cf n.196 et n.234).

[6] SANCTUS THOMAS aliquando dixit tempus compleri essentialiter per actum animae: in 4 *Physic.,* lect.23; aliquando vero negavit compleri essentialiter per actum animae: *Opusc. de tempore,* c.1. In primo loco videtur loqui de tempore ut mensurato aut mensurabili ut tali, et in secundo loco videtur potius loqui de tempore prout est fundamentum numerationis, non ut est iam numeratum aut formaliter numerabile.

[7] Dicunt tempus esse numerum numeratum FARGES, MENDIVE, NYS, PESCH, COTTER; dicunt tempus esse numerum numerabilem, seu fundamentum numerationis: S. ALBERTUS M., S. THOM., S. BONAVENTURA, TOLETUS, SUÁREZ, SCHAAF, HOENEN, URRÁB. (*Cosm.,* p.1107ss.)

sicum ut mensuratum aut mensurabile, solum fundamentaliter exsistere a parte rei; *tertia* pars est tempus ut mensuratum aut mensurabile bene definitum esse ab ARISTOTELE [8].

269. Probatur thesis. I P. Tempus physicum ontologice sumptum, ut est duratio successiva, exsistit in rebus independenter ab omni actu mentis [9].

Exsistit realiter et independenter ab omni actu mentis nostrae duratio successiva: *atqui* hanc durationem omnes vocant tempus; *ergo* exsistit tempus independenter ab omni actu mentis nostrae.

Maior: nam exsistit motus continuus et successivus; eius autem duratio est duratio successiva, non permanens.

Minor: a) Nam aliquod nomen est dandum huic durationi, et omnes imponunt nomen temporis. *b)* Hoc etiam patefit ex modo loquendi: quando aliquis non advertit mutationem successivam, dicitur non advertisse tempus; et quando advertit mutationem successivam, v.c. cursum horologii, advertit tempus et sentit illud esse longissimum. Item quando res est fere non mutata, dicunt homines non transisse tempus per illam; et quando res est valde detrita et mutata, dicunt homines illam rem esse vel videri vetustissimam: patet ergo homines vocare tempus illam mutationem successivam.

Dices: Si motus est successivus et transit, non permanet ideoque neque durat. *Resp.* Motus permanet in illo esse, quod est proprium eius; iam vero esse proprium motus est successivum, quia una pars exsistit post aliam sine ulla interruptione; ergo et duratio eius est successiva.

270. II P. Tempus autem physicum ut est aliquid mensuratum actu vel potentia, non exsistit extra mentem formaliter, sed fundamentaliter.

A) *Non formaliter:* nam tempus, ut est mensuratum actu vel potentia, includit actum animae comparantis illud cum unitate, ut videat quoties illud tempus contineat unitatem; *atqui* hoc includit essentialiter actum animae numerantis vel potentis numerare, qui actus non est extra mentem; *ergo* tempus mensuratum re vel potentia non exsistit formaliter extra animam.

B) *Sed fundamentaliter.* Nam tempus physicum prout est fundamentum mensurae, non est nisi duratio successiva;

[8] Multa perscrutantur hodie circa perceptionem temporis; ab hac tamen quaestione modo praescindimus; et remittimus interea ad J. FRÖBES, *Psicologia experimental*, trad. MENCHACA; LAVELLE, LOUIS, *L'expérience psychologique du temps:* RevMétMor 48 (1941) 81-96.

[9] SUÁREZ, DM d.50 s.8 n.3.

atqui duratio successiva exsistit in rebus independenter ab actu mentis; *ergo* tempus ut mensuratum vel ut mensurabile fundamentaliter exsistit in rebus independenter ab actu mentis.

271. III P. Tempus prout est mensuratum actu vel potentia, bene definitur ab Aristotele ut numerus motus secundum prius et posterius.

Nam dotes bonae definitionis sunt: ut sit brevis, clara, conveniens omni et soli definito, facta per genus et differentiam vel modo simili; *atqui* ita se habet definitio aristotelica temporis ut mensurabilis; *ergo* definitio aristotelica temporis ut mensurabilis bona est.

Maior constat. *Minor* vero probatur: *a)* Est brevis ut patet. *b)* Est clara, saltem post explicationem terminorum. *c)* Convenit soli et omni definito: nulla enim est res, cui, si non conveniat haec definitio, sit tempus ut mensurabile; vel cui, si convenit haec definitio, non sit tempus ut mensurabile.

272. Obiectiones[10]. *(Contra definitionem aristotelicam temporis.)* 1. Tempus est clarius quam definitio; ergo definitio non est recta.

Dist. antec.: Quoad an sit, *conc;* quoad quid sit, *nego.* Et *contradist. cons.*

2. Multo clarior est definitio illa: tempus est duratio successiva; ergo non est tanto conatu defendenda definitio ARISTOTELIS.

Transeat antecedens: sed per eam non definitur tempus ut mensuratum aut ut mensurabile, sicut fit in definitione ARISTOTELIS, sed ontologice sumptum. Dixi transeat, quia re vera non est rectior quam aristotelica; nam si debeas explicare quid sit duratio successiva, debes dicere esse illam quae habet partes, quae non sunt simul, sed una post aliam: et sic iterum tempus ingreditur in definitionem temporis.

273. 3. Tempus non est nisi summa vel numerus quandocationum; *atqui* quandocatio potest esse in re permanente; *ergo* tempus non est nisi summa permanentium.

Nego mai. Quandocatio enim est duratio connotans tempus absotutum cum quo coexsistit et per quod quasi mensuratur; at tempus potest esse et concipi sine ulla connotatione ad tempus extrinsecum absolutum.

4. Tempus est numerus motus; *atqui* numerus est aliquid discretum, non continuum; *ergo* tempus non est continuum (vel si est continuum, non potest definiri ut numerus).

Dist. mai.: est numerus abstractus, *nego;* concretus, *subdist.:* applicatus ad continuum, *conc.;* applicatus ad discreta, *nego,* et *contradist. min.:* abstractus, *concedo;* concretus, *subdist.:* si applicatur ad continuum, *nego;* si applicatur ad discreta, *conc.* Numerus concretus potest applicari ad continuum, sicut via habet *decem* kilometra, vel ad discreta, ut sunt *decem* homines.

---

[10] URRÁB., *Cosm.*, p.1103-1109.

274. 5. Mundus est in tempore; *atqui* non est in numero; *ergo* tempus non est numerus motus.

Dist. mai.: est in tempore ontologico, *conc.;* est in tempore mensurato, quod definit ARISTOTELES, *subdist.:* in tempore mensurato formaliter, sumpto, *nego;* fundamentaliter sumpto, *conc,;* et *concessa min., contradist. cons.:* tempus ontologice sumptum, *conc;* ut est mensuratum, *nego.*

Mundus est in tempore ontologico, vel potius habet tempus ontologicum quod est duratio successiva; sed non est in tempore mensurato formaliter tali, sed fundamentaliter tali.

6. Dies est tempus; *atqui* dies non est numerus; *ergo* tempus non est numerus.

Conc. mai.; dist. min.: dies ut est duratio simpliciter non est numerus *conc.;* ut est duratio mensurata aut mensurabilis, *subdist.:* non est numerus abstractus, *conc.; concretus, nego;* et *pariter distinguo consequens.*

7. Tempus est etiam numerus quietis; *ergo* non est numerus motus. *Antec.:* nam etiam dicimus: ille tot horas dormivit seu quievit.

Nego antec.: ad probationem, *dist. assertum;* et tunc numeratur proprie quies, *nego;* numeratur motus cum quo coexsistit illa quies, *conc.*

275. 8. *(Tempus non est duratio successiva.)* Duratio successiva implicat contradictionem; *ergo* male definitur tempus ut duratio successiva. *Antec.:* quia si est duratio, est permanentia in esse; et si est successiva, non est permanentia in esse, sed est lapsus et fluentia *tou* esse.

Nego antec.: Ad probationem *dist. assert.* Est permanentia in esse secundum indolem cuiusque esse, *conc;* est permanentia solius entis permanentis, *nego.* Iam vero est aliquod ens cuius esse est successivum, ut est motus; *ergo* eius duratio necessario erit etiam successiva.

9. Tempus constat ex instantibus indivisibilibus; *ergo* non est continuum, ut contendit definitio ARISTOTELIS. *Antecedens:* nam in tempore non est alia realitas nisi quae est aliquando praesens et transit de futuro in praeteritum; *atqui* quod est praesens, necessario est aliquod instans indivisibile (quia secus essent praesentes plures partes simultaneae, quod non est tempus sed spatium); *ergo* tempus non habet nisi indivisibilia.

Haec est gravis aporia, quae solvenda est articulo sequenti. Nunc sufficiat dicere tempus non esse *praesens* per aliquid sui, sed solum *transire* per res praesentes; ideo non constat indivisibilibus, sed fluit continuo.

Sunt aliae explicationes non probandae. Prima enim dicit tempus non esse praesens nisi per indivisibilia; quod est dicere tempus ipsum non transire per ullam sui realitatem, sed solum transire indivisibilia. *Crisis:* Si tempus non transit per praesens, sed solum indivisibilia transeunt, non exsistunt nisi indivisibilia; tempus autem numquam in exsistentia fuit neque per exsistentiam transivit.

Secunda solutio non acceptanda dicit, tempus quidem transire per praesens, non ratione sui, sed ratione indivisibilium. Nam dicunt indivisibilia esse talis indolis, ut unum indivisibile faciat exsistere

plures partes successivas temporis[11]. *Sed hoc admitti non potest.* Nam hoc esset dicere aut partes successivas esse simul praesentes, sicut est praesens ipsum indivisibile instans, et hoc est absurdum; vel esset dicere sola esse praesentia instantia, non tempus.

Solutio nostra iam est indicata: Non est *praesens* ulla pars temporis, quia nulla est pars designabilis quae possit dici facta; partes solum *fiunt, transeunt, deveniunt,* ut praeclare exposuit SUÁREZ[12].

ARTICULUS IV

QUAESTIONES ALIQUOT CIRCA DURATIONEM, TEMPUS ET MOTUM

276. 1. DISTINCTIONES ALIQUOT. Aliud est exsistere cum tempore et aliud est exsistere in tempore, et aliud est esse tempus. Exsistere cum tempore est exsistere simul cum rebus quae subiciantur tempori, licet res non afficiatur tempore. Sic Deus exsistit cum omnibus temporibus, et tamen non exsistit in tempore. Exsistere in tempore est affici intrinsece a tempore, vel a motu. Et sic substantia permanens, dum non corrumpitur, v.c. adamas, si movetur, est in tempore, ut subiectum quod afficiatur motu, seu tempore. Exsistere ut tempus est exsistere continuo et successive, quod est proprium solius motus.

277. 2. DURATIO ET EXSISTENTIA. Duratio identificatur realiter cum exsistentia non cessante. Nam licet auferamus per mentem omnia alia diversa ab exsistentia, et solum retineamus exsistentiam non cessantem, res durat; ergo duratio consistit realiter in exsistentia, et non in ulla alia re realiter distincta. Tamen duratio distinguitur secundum rationem ab exsistentia. Nam *exsistentia* solum dicit extra nihilum esse, non connotans utrum antea exstiterit an non. Et contra *duratio* est ipsa exsistentia, sed connotans rem antea iam exstitisse, vel non incipere nunc exsistere primo, cum dicitur durare.

278. 3. DE QUANDOCATIONE.

Assertum 2. Quandocatio non realiter distinguitur a re quandocata, sed solum ratione.

Notiones. QUANDOCATIO est id propter quod res dicitur esse in hoc aut illo tempore, potius quam alio, v.c. in saeculo XX aut V potius quam in saeculo XVII; vel similiter in tali hora vel tali alia. Et *quaeritur* utrum haec formalitas cui

[11] IO. A S. THOMA, *Phil. Nat.*, I q.18 a.2. Sic etiam HOENEN.
[12] SUÁREZ, DM d.50 s.9 n.21-23.

debeatur ut res sit in tali vel tali tempore, sit realiter distincta ab exsistentia seu realitate rei quandocatae.

P. DE SAN[1] ait quandocationem realiter distingui a re quandocata, ut modum eius, sicut ubicatio realiter distinguitur a re ubicata, ut modus eius. Nam sicut res ubicata est hic aut ibi per modum realiter distinctum, similiter res quandocata est in hoc aut illo tempore per modum realiter distinctum a re quandocata.

SUÁREZ[2] autem dicit quandocationem esse ipsam rei exsistentiam, in quantum connotat exsistentiam talis vel talis temporis cum quo coexsistit. Sic Cicero fuit quandocatus in saeculo I ante Christum, non per realitatem additam ad suam entitatem, sed per hoc quod cum talibus circumvolutionibus mundi exstitit. Si nunc exsisteret, esset quandocatus in hoc saeculo, non per realitatem additam ad suam realitatem, sed per denominationem desumptam ab his circumvolutionibus caeli et terrae: mutata esset ergo quandocatio, non per aliquid additum ad suam entitatem, sed per fluxum aliorum eventuum caelestium, qui sunt mensura temporis. *Atque haec sententia videtur praeferenda.*

Probatur. I P. Quandocatio non est nisi denominatio desumpta ex coexsistentia alicuius rei cum tempore quod solet assumi ut mensura. Ut autem coexsistentia duorum varietur, non necesse est mutari intrinsece utrumque extremum, sed sufficit ut varietur unum. Iam vero in quandocatione scimus necessario mutari intrinsece unum extremum, nempe circumvolutiones caelorum, solis et terrae; ergo per solam mutationem huius extremi explicatur sufficienter denominatio quandocationis, licet in re quandocata nulla immutatio pertinens ad quandocationem inducatur.

II P. Tamen quandocatio *ratione differt a re exsistente;* nam exsistens solum dicit esse extra nihil, et non dicit in quo saeculo exsistat; et quandocatio est eadem exsistentia rei quandocatae, sed connotans aliquid extrinsecum, nempe tales circumvolutiones caelorum, quae sunt mensura extrinseca temporum. Mutatur relatio quandocationis seu coexsistentiae, non per mutationem rei quandocatae, sed per mutationem extrinsecam temporis mensurantis, vel saltem fluentis.

Ad comparationem cum ubicatione, nego paritatem: nam in ubicatione, res ubicata mutat ubicationem, licet res aliae maneant quietae et immutatae et ideo ubicatio est aliquid rei

[1] DE SAN, *Cosm.*, n.596.
[2] SUÁREZ, DM d.50 s.12 n.18-20.

intrinsecum; sed in quandocatione, res quandocata potest esse in diversis temporibus, solum per hoc quod tempora illi coexsistentia sint diversa, licet ipsa res quandocata nihil habeat distinctum a sua exsistentia et realitate.

279. 4. COMPARATIO TEMPORIS PHYSICI CUM MOTU.

Assertum 3. Tempus non distinguitur a motu realiter, sed solum ratione [3].

Sententiae. *Prima* tenet tempus realiter distingui a motu, sicut modum ipsius motus: sic CAPREOLUS, COMPLUTENSES, RUBIUS, TOLETUS, DE SAN (URRÁB., 1903).

Secunda dicit non distingui realiter sed solum secundum rationem. Sic SUÁREZ, VÁZQUEZ, MASTRIUS, URRÁBURU. Atque haec erit etiam nostra sententia. SANCTUM THOMAM, utraque sententia vult esse suum.

280. Probatur thesis. I P. Tempus non distinguitur realiter a motu.

Prob. 1. Duratio non distinguitur ab esse rei durantis; *atqui* tempus est duratio motus; *ergo* tempus non distinguitur ab esse motus.

Prob. 2. Si detur motus successivus, eo ipso datur duratio successiva, etiamsi ab omni alio distincto praescindamus, ut est evidens; *atqui* duratio successiva est tempus; *ergo* eo ipso quod detur motus, datur tempus, etiamsi ab omnibus aliis distinctis ab eo praescindamus; ideoque tempus cum motu identificatur.

Prob. 3. Iuxta definitionem ARISTOTELIS, tempus non est nisi partes numeratae motus; *atqui* partes numeratae motus non sunt nisi ipse motus; *ergo* tempus non est nisi motus numeratus, et non aliud distinctum a motu.

281. II P. Tempus distinguitur a motu solum secundum rationem.

Nam tempus distinguitur aliquo modo a motu; *atqui* non realiter, *ergo* secundum rationem.

Minor constat ex parte praecedenti. Et *maior* probatur, nam: *a)* motus est via ad terminum; tempus vero est permanentia in esse succesivo; *b)* motus non dicitur longus aut brevis, et contra tempus dicitur longum aut breve; *c)* motus idem

---

[3] S. THOM. vacillat in utramque partem, ut ait IAVELLUS, *Phys.*, l.4 q.20; aiunt realiter distingui: GANDAVENSIS, CAPREOLUS, COMPLUTENSES, TOLETUS, RUBIO, SYLVESTER MAURUS, DE SAN; dicunt sola ratione distingui: SUÁREZ (DM d.50 s.9 n.1 2), IOANNES A S. THOMA, KLEUTGEN, VÁZQUEZ, NYS, SCHAAF, URRÁB. (*Cosm.*, p.1093-1098).

est velox aut tardior, et ita motus a puncto A ad B potest esse velocior aut tardior; et contra tempus, v.c. una hora aut dies non potest esse velocior ita ut transeat in minore aut longiore tempore. *d)* Motus est reversibilis; atque ita potest quis moveri a puncto spatii A ad B, vel a B ad A: quod non dicit motum a B ad A esse numerice eundem qui est ab A ad B, sed motum in illa via potuisse incipere a quolibet puncto extremo, scilicet aut ab A aut a B. Et contra tempus non est reversibile. Atque ita dies incipit a mane usque ad vesperam, sed non est possibile tempus incipere ab eadem vespera et currere usque ad mane eiusdem diei.

Quae ostendunt conceptus motus et temporis esse diversos.

282. Obiectiones[4]. 1. Idem motus est velocior aut tardior; *atqui* idem tempus non est velocius aut tardius, sed uniforme; *ergo* tempus non est motus. *Maior:* motus ab A ad B semper est idem, et tamen potest fieri lente vel velociter. *Minor:* Idem tempus non potest esse lentum aut velox, et sic una hora non potest in duabus horis vel in dimidia hora percurri.

Nego mai. Ad probationem, nego assertum. Motus ab A ad B realiter multiplicatur, si saepe fiat, et illae repetitiones non sunt idem motus; et motus velox et lentus realiter distinguuntur ut duae species motus, vel saltem, ut duo motus qui habent modos velocitatis realiter et quasi specifice diversos. Ad exemplum de hora dicimus tempus extrinsecum esse uniforme; sed tempus intrinsecum potest esse tardius aut velocius, sicut ipse motus[5].

2. Potest Deus eundem motum reproducere; *atqui* tamen non potest idem tempus reproducere; *ergo* tempus non est idem ac motus. *Maior:* si Deus iterum reproducat corpus aliquod destructum, potest facere ut moveatur ibidem ubi antea motus fuerat et cum eadem numero motione. *Minor:* quia secus posset facere ut transactum non esset transactum sed praesens[6].

Concedo mai. et *probationem.* Et *nego minorem,* et *probationem.* In casu reproductionis eiusdem temporis, verum est hoc tempus coexstitisse cum aliis temporibus et eventibus transactis; sed nulla est difficultas in eo quod idem, quod coexstitit cum aliis eventibus et temporibus transactis, coexsistat etiam cum eventibus praesentibus, et cum temporibus praesentibus. Haec coexsistentia cum diversis temporibus extrinsecis non debetur alicui rei additae ad motum qui olim exstitit, sed solum diversis eventibus cum quibus nunc coexsistit. Ex his eventibus qui modo exsistunt, et non exstiterunt olim, idem motus antiquus, qui nunc repeteretur dicitur exstitisse et olim et nunc. In hac repetitione eiusdem temporis intrinseci, habetur duplex affirmatio, nempe quod exstitit tunc, et quod exsistat nunc; sed non habetur affirmatio et negatio eiusdem de eodem sub eodem respectu. Hoc tempus exstitit olim, sed etiam exsistit nunc.

3. Tempus intrinsecum motui est mensura motus; *atqui* men-

[4] URRÁB., p.1096.
[5] SUÁREZ, DM d.50 s.9 n.3-9.
[6] SUÁREZ, DM d.50 s.9 n.10-18.

sura est realiter distincta a re mensurata; *ergo* tempus realiter distinguitur a motu. *Maior:* nam si quaerimus quandiu duravit hic motus, respondemus: duabus horis. *Minor* constat: quia metrum quo metimur arborem distinguitur realiter ab arbore.

Dist. maiorem: est mensura realiter, *nego;* secundum modum concipiendi, *conc.;* et *concessa minore; dist. pariter cons.:* tempus distinguitur a motu secundum realitatem, *nego;* secundum rationem, *conc.*

4. Tempus est accidens motus; *atqui* accidens realiter distinguitur ab eo cuius est accidens; *ergo* tempus realiter distinguitur a motu.

Dist. mai.: est accidens praedicamentale, *conc.;* est accidens physicum, seu inhaerens, *nego;* et *contradist min.:* accidens praedicamentale omne, *nego;* accidens physicum seu inhaerens, *conc.* Tempus est accidens motus, sicut relatio est accidens rei relatae, et sicut etiam actio est accidens agentis, quae tamen non inhaerent, quia vel non distinguuntur realiter a subiecto, ut relatio, vel denominant extrinsece, sicut actio denominat agentem. In hac thesi, tempus est accidens motus solum ratione distinctum ab illo, sicut relatio distinguitur a subiecto.

5. Motus fieri potest in instanti; *atqui* tempus non potest fieri in instanti; *ergo* tempus non est motus. *Maior:* sicut enim Deus potest facere motum augmenti aut calefactionis instantanee ita ut subito calor transeat ex uno ad octo gradus, vel quantitas transeat, ex metro ad duo metra, ita potest facere ut sagitta transeat instantanee a puncto A ad B.

Dist. mai.: si agatur de motu secundum quantitatem aut qualitatem, *conc.;* si agatur de motu locali, *nego;* et *concessa min.; dist. pariter cons.:* tempus non est motus quilibet, *conc.;* non est motus localis, *nego.*

283. 5. De indivisibilibus in motu et in tempore.

Assertum 4. In motu et tempore non dantur realiter indivisibilia, sed haec sunt entia rationis cum fundamento in re.

Sententiae. Quaestio haec est valde perplexa, et circa illam sunt quattuor opiniones.

Prima sententia tenet non dari nisi indivisibilia: quia nihil est realitatis in tempore, nisi quod fuit aut est aut erit praesens; *atqui* solum est praesens instans indivisibile; *ergo* tempus constat solum instantibus indivisibilibus. *Maior* patet, et *minor probatur:* nam si praesens est divisibile, haberet multas partes simul, et tunc iam tempus non esset ens successivum, sed permanens.

Crisis: haec sententia reicienda est, ex argumento supra facto ad probandum dari tempus, quod sit ens successivum et continuum. Si enim motus constaret indivisibilibus solis, aut essent contigua, aut distantia. Si contigua, coinciderent totaliter, et sic non esset motus aut tempus. Si autem essent distantia, darentur multae quietes separatae, sed non daretur

transitus per medium, neque motus aut tempus. Ad difficultatem, dico non dari aliquid praesens temporis, quia praesens stat; solum datur ipsum transire et devenire, et fieri, neque id amplius explicari potest. Haec est indoles entis successivi.

Secunda sententia tenet dari sola indivisibilia, sed tensa et inflata, ita ut singula indivisibilia habeant quandam moram: sic LEPIDI O. P. Sed haec sententia admitti non potest, quia tempus converteretur in morulas permanentes et quietas, sed non haberetur ens successivum ideoque nec motus, nec tempus [7].

284. *Tertia sententia* est tempus constare ex instantibus indivisibilibus, et ex partibus extensis et divisibilibus, quae tamen transeant per indivisibila realia et realiter distincta ab illis. Sic S. THOMAS, SUÁREZ, et plerique scholastici [8].

Crisis: Sed haec sententia est difficilis. Nam vel tempus ipsum per suam propriam entitatem transit trans illa indivisibilia, vel non transit per suam propriam entitatem, sed per sola indivisibilia. Si non transit per suam propriam entitatem, sed solum per entitatem indivisibilium, tunc tempus reale non haberet nisi indivisibilia; nam nihil est reale in tempore nisi quod transivit per praesens; sed per praesens non transivit tempus successivum per propriam entitatem ut supponitur, sed solum per indivisibilia, *ergo* non dantur nisi sola indivisibilia. Si autem transit per propriam suam entitatem continuam et in infinitum divisibilem, *ergo* non sunt necessaria instantia indivisibilia ulla ut tempus transeat per praesens, et sit in solo fluxu.

Quarta sententia est non dari realiter ulla indivisibilia realia, sed haec esse entia rationis cum fundamento in re. Et haec sententia videtur amplectenda.

285. *Probatur thesis. I P. In motu et tempore non dantur indivisibilia realia.* Nam si dantur indivisibilia, aut tempus successivum, continuum et divisibile in infinitum transit trans indivisibilia per propriam entitatem, aut solum per entitatem indivisibilium. Si non transit per propriam entitatem, sed solum per entitatem indivisibilium, non actualizantur nisi indivisibilia, et sic realitas temporis consisteret in indivisibilibus, contra dicta in thesi superiore (n.269-271). Si autem tempus transit de futuro in praeteritum per propriam entitatem continuam et successivam, *ergo* non sunt necesaria indivisibilia

---

[7] GREDT, I n.302, sic sentit: Dantur quidem indivisibilia continuantia. Praesens ratione sui est solum instans; partes sunt praesentes ratione instantium. Exsistentia instantis est exsistentia partium; et sic, licet partes non possint esse praesentes ratione sui, quia sunt semper divisibiles, tamen possunt esse praesentes ratione instantis indivisibilis: hoc est aliquid intelligibile?

[8] SUÁREZ, DM d.50 s.9 n.19-26.

ulla ut tempus continuum et successivum transeat de futuro in praeteritum.

286. *II P. Sed indivisibilia sunt entia rationis cum fundamento in re.* Nam instantia indivisibilia praesentia sunt entia rationis cum fundamento in re, si realiter non dantur, et tamen nos ea concipimus ut aliquid reale, et si adest fundamentum ad hanc conceptionem; *atqui* ita res se habet; *ergo* indivisibilia motus et temporis sunt entia rationis cum fundamento in re.

Maior constat, ex notione entis rationis fundati. Et *minor probatur* per partes. Nam *a)* Illa indivisibilia *non dantur* realiter, ut probatum est in prima parte. *b)* Tamen nos *ea concipimus* ut aliquid reale. Nam nos concipimus falso tempus constanter et continuo fieri praesens cum tamen non fiat praesens, sed solum transeat per ea quae permanent; *atqui* illud praesens non possumus concipere ut aliquid constans partibus, secus esset spatium et non tempus neque motus; *ergo* concipimus ut aliquid indivisibile quod realiter fluit. c) *Cum fundamento in re;* nam datur a parte rei occasio qua fingamus haec indivisibilia. A parte rei datur haec realitas, quod tempus constanter et continuo transeat per ea quae permanent; et haec est occasio ut illud transire per praesens, fingamus *esse* (non mere *transire* per) praesens: et illud necessario debemus concipere ut indivisibile, ut probatum est, secus conciperemus plures partes temporis esse simul.

Proprie loquendo non datur nisi divisibile transiens, fluens, et illud divisibile fluens, staticum facimus et indivisibile; sed mente confictum cum fundamento seu occasione sumpta ex realitate fluente.

287. Obiectiones [9]. *(Pro indivisibilibus.)* 1. Nihil est reale in tempore nisi quod fuit, est aut erit praesens; *atqui* praesens est indivisibile; *ergo* non dantur nisi indivisibilia. *Minor:* si enim praesens haberet partes simultaneas, esset spatium et non tempus aut motus?

Dist. mai.: nisi quod est praesens stans, *nego;* nisi quod est praesens mere ut fluens, *conc.; contradist. min.:* si esset praesens stans, *conc.;* si esset praesens ut fluens, *nego.* Continuum fluens transit per indivisibile confictum, sicut planum continuum carens indivisibilibus transiret per aristam indivisibilem. Hoc certe obscurum est, sed necessario admittendum, et amplius explicari nequit.

2. *Instabis:* sed illud quod fluit, quidquid sit, vel habet partes vel non habet partes; si habet partes, *ergo* non est ens successivum quia simul habet partes simultaneas; si non habet partes,

[9] SUÁREZ, ibid.

ergo est ens instantaneum et indivisibile: *dantur ergo* indivisibilia, et solum indivisibilia.

Nego suppositum, nempe dari aliquid temporis, quod sit praesens, stans. Haec imaginatio abolenda est: non est aliquid praesens stans, sed solum aliquid fluens. Possumus dicere ad iuvandam imaginationem et intellectum, totum tempus extensum et continuum, quod non habet ulla indivisibilia, transire tamen per indivisibilia conficta secundum rationem.

Et exemplo res illustrabitur. Supponamus per hypothesin nos habere hic planum perfectum et continuum quod non constet ex ullis indivisibilibus, sed solum partibus sine fine divisibilibus. Supponamus nos etiam habere lineam indivisibilem secundum latus et profundum, v.c. aristam alicuius prismatis: nunc ducamus illam lineam seu aristam prismatis per totum planum ita ut tota linea attingat planum: totum planum fuit praesens successive aristae indivisibili: et tamen planum nullum indivisibile habet, ex hypothesi. Similiter tempus est aliquid continuum, non habens indivisibilia, et tamen transit successive per aliquod praesens indivisibile confictum a mente.

3. *Instabis:* sed difficultas est ineffugibilis. Nam illud quod est in transitu, vel est divisibile vel indivisibile; si est indivisibile, tempus habet instantia et sola instantia; si habet partes, iam tempus non est ens successivum, sed permanens, habens partes simul.

Nego assertum. Ad *probationem,* eligo esse divisibile, non stans, sed transiens. Et recole comparationem plani tangentis aristam.

Breviter: confingimus aliquod indivisibile, per quod transeat et fluat continuum successivum, sed revera intra se nullum habet indivisibile reale.

288. 6. *Analogiae temporis cum loco et cum spatio.* Sicut corpus aliquod occupat determinatam partem spatii, et hac ratione dicitur esse in tali vel tali loco, similiter duratio aliqua occupat determinatam partem temporis extrinseci seu coexsistit cum determinata parte temporis extrinseci, et ideo dicitur esse in tali vel tali tempore. Et sicut corpus aliquod ratione suae extensionis dicitur tantam vel tantam extensionem habere, similiter res durans potest dici durare tanta vel tanta extensione, i.e. tamdiu vel tamdiu v.c. tres horas, non designando partem illam temporis absoluti cum qua coexsistit. Prima structura vocatur topologica et secunda spatialis.

ARTICULUS V

DE TEMPORE ABSOLUTO

Thesis 15. Tempus absolutum est ens rationis cum fundamento in re.

289. Nexus. Praeter tempus reale, quod in rebus verificatur, est et tempus absolutum cuius realitas nunc est investiganda.

Notione. TEMPUS ABSOLUTUM est duratio successiva, distincta et separata ab omnibus rebus mutabilibus, continua, omnino uniformis, plane necessaria et indestructibilis, sine initio et sine fine, in qua durant quaecumque durant successive vel quocumque alio modo.

Vocatur *absolutum* quia est omnino necessarium et inconditionatum. Vocatur *purum*, quia non admiscetur cum ulla re mutabili, sed est pura duratio. Vocatur *mathematicum*, quia ad usus mathematicos maxime inservit in astronomia et in mechanica.

Ab hac notione temporis absoluti, quae solo intellectu percipitur, distinguendum est *phantasma* quod concomitatur et repraesentat aliquod corpus tenue: hoc corpus tenue continuo motu translationis movetur, et quasi filum durationis concipitur: ideo tempus absolutum vocatur etiam imaginarium.

290. ENS RATIONIS, stricte loquendo est illud quod neque exsistit neque potest exsistere in rebus, sed solum obiective in intellectu, nempe ut cogitatum.

Et potest esse fundatum in rebus vel non fundatum. FUNDATUM, si est in rebus realitas aliqua quae fuit occasio vel fundamentum. NON FUNDATUM, si in rebus non adest ullum fundamentum vel occasio, sed solum adfuit virtus intellectualis potens illa entia confingere. Exemplum primi est spatium. Et exemplum secundi est v.c. circulus quadratus.

291. Status quaestionis. Nulla dubitatio est nos habere talem conceptum temporis absoluti, et quaerimus quaenam ei realitas respondeat, utrum nempe hoc tempus sit omnino reale, an fictum sine ullo fundamento, an fictum cum aliquo fundamento obiectivo, quod designandum erit.

292. Sententiae. *Prima* est realismi exaggerati: haec tenet tempus absolutum dari in rebus quale a nobis definitum

est, sed multis modis explicatur. *a)* Nam veteres atomistae putabant tempus absolutum esse aliquod corpus sui generis quod in perpetuo motu versatur: sic DEMOCRITUS, EPICURUS, LUCRETIUS. *b)* GASSENDI[1] docuit tempus absolutum esse ens incorporeum sui generis, quod non est increatum aut creatum, neque substantia neque accidens. *c)* NEWTON et CLARKE dicunt tempus absolutum esse ipsam Dei aeternitatem.

Secunda sententia est subiectivista, et tenet tempus absolutum esse plene fictum per mentem sine ullo fundamento obiectivo: et sic KANT docet illud tempus esse opus formarum a priori sensibilitatis internae; BERGSON vero ait tale tempus esse merum fabricamentum intellectus ad usum actionis[2].

Tertia sententia tenet tempus absolutum esse certe ens rationis et fictum, sed addit esse fictum cum fundamento in re, quod fundamentum est duratio successiva realis et possibilis. Unde haec sententia differt a realismo exaggerato, quia dicit tempus absolutum, secundum notas, quas eius definitio continet, non posse esse nisi in mente; et differt a subiectivismo, quia tenet a parte rei dari durationes successivas reales, et eas esse fundamentum fingendi tempus absolutum. Haec est sententia S. THOMAE et SUÁREZ, qui modo peculiari excoluit hanc doctrinam, et omnium fere scholasticorum; atque haec erit sententia nostra.

293. Probatur thesis. I P. Tempus absolutum est ens rationis.

Tempus absolutum est ens rationis si exsistit cogitatum in nostro intellectu et nullo modo potest exsistere in re; *atqui* ita se res habet; *ergo* tempus absolutum est ens rationis.

Maior constat, et *minor probatur: a)* Tempus absolutum exsistit cogitatum in nostro intellectu, secus neque loqueremur de illo, neque de illo faceremus definitiones aut declarationes. *b)* Et nullatenus potest esse in re. Tempus enim non potest esse res increata neque creata. *Non increata:* nam tempus absolutum est duratio successiva, continuo transiens et fluens, et non habens aliud attributum nisi merum durare successive; iam vero ens increatum est aliquid permanens et immutabile, et praeterea habet infinitas perfectiones. Non

---

[1] GASSENDI, *Phys.*, sect.1 l.2 c.1; NYS, *La notion de temps* (1925) p.261-264.

[2] Profitentur etiam subiectivismum in tempore absoluto LEIBNIZ, BALMES (*Fil. fund.*, l.3 c.7); DESCARTES (*Princ.*, p.1.ª § 55); LOCKE, SPENCER, BERGSON. LEIBNIZ dicit tempus esse relationem ordinis inter successiva; sed quoniam pro illo non dantur successiva, sed solum instantia quaedam separata et indivisibilia, propter hanc causam tempus est mere opus intellectus. Et aliquid simile dixit BALMES. DESCARTES dixit tempus esse modum quendam cogitandi. DE BERGSON plura dicta sunt (in c.5 a.1 nt.8, n.242-244).

est *aliquid creatum:* nam neque est substantia neque accidens. Non est *substantia,* quia substantia non consistit in mero fluere. Neque est *accidens,* quia accidens indiget subiecto inhaesionis, tempus vero absolutum est duratio successiva et abstracta ab omni re mutabili quae illi substernatur.

294 II P. Tempus absolutum habet fundamentum in realitate.

Tempus absolutum habet fundamentum in re, si in rebus datur duratio successiva, et si intellectus potest illam durationem successivam considerare abstractam ab omni subiecto durante et mobili, et abstractam a limitibus initii et finis, penitus indestructibilem, et si potest fingere esse in rebus eodem modo quo concipit; *atqui* hoc totum datur; *ergo* tempus absolutum habet fundamentum in rebus.

Maior constat, et solum in hoc sensu volumus probare tempus habere fundamentum in rebus.

Minor vero probatur: *a)* nam in rebus adest duratio successiva in motu locali et in quolibet motu successivo: quod constat ex experientia contra KANT et contra BERGSON. *b)* Quod vero mens habeat illas vires abstractivas et constructivas nulli est dubium.

295. Obiectiones. 1. *(Pro subiectivismo temporis absoluti.)* Tempus seu duratio successiva est synthesis praeteriti et futuri; *atqui* haec synthesis non datur a parte rei, sed est in sola mente; *ergo* duratio successiva est in sola mente, ideoque non datur fundamentum temporis absoluti (BERGSON). *Minor:* Quia in re non exsistit neque praeteritum neque futurum; *ergo* synthesis seu unitas temporis non est realis, sed mentalis.

Dist. mai.: tempus prout habens unitatem simultaneam, est illa synthesis, *conc.;* ut habens unitatem successivam qualis est in rebus, *nego;* et *concessa min, dist pariter cons,:* tempus seu duratio successiva, ut habens unitatem simultaneam, est in sola mente, *conc.;* ut habens unitatem successivam est in sola mente, *nego.*

Tempus seu duratio realis successiva, est in rebus formaliter; sed unitas simultanea quae ei provenit ex memoria, non est in rebus, sed in sola mente.

2. *(Pro realismo exaggerato.)* Destructis omnibus rebus realibus, adhuc remanet tempus absolutum in quo durant omnes res quae possint durare realiter; *ergo* signum est tempus absolutum esse penitus indestructibile in realitate.

Dist. mai.: concipitur remanere, *conc.;* remanet realiter, *nego.* Et *contradist. cons.*: si tempus absolutum remaneret realiter, *conc.;* si solum concipitur remanere, *nego.*

3. Deus est duratio aeterna et necessaria, et simul cum hac duratione durant quaecumque durant; *atqui* hoc est tempus absolutum, *ergo* Deus est tempus absolutum.

Dist. mai.: et est etiam duratio successiva et carens omni alia

perfectione, *nego;* est permanens et habet infinitas alias perfectiones, *conc.;* et *contradist. min.:* tempus absolutum est duratio necessaria et cum qua durant reliqua quae possunt durare, et est successiva *conc.;* est duratio permanens et habens infinitas alias perfectiones, *nego.*

Reliquae difficultates sunt eaedem. quae agitantur contra spatium absolutum (cf. n.201-204).

296. Scholium. Theoria relativitatis generalis [8]. Non possumus tractare modo technico de hac theoria. Solum dicemus eam, ut videtur, non habere significationem philosophicam circa indolem ontologicam motus aut temporis, sed solum habere significationem physico-metricam, et supputatoriam mensurarum temporis, spatii, velocitatum, etc. Proponemus aliquas conclusiones, quas defendit theoria relativitatis, ex quibus patescet nostrum assertum.

297. 1. Velocitas lucis est maxima omnium possibilium velocitatum.

2. Velocitas lucis est eadem, sive accedat sive recedat fons lucis et sive accedat sive recedat obiectum quod recipit lucem.

3. Si corpus aliquod adquireret velocitatem lucis, amitteret suam dimensionem in sensu directionis motus, et reduceretur ad superficiem.

4. In motu translationis terrae, omnia corpora deformantur et breviantur in sensu directionis motus.

5. Hinc sequitur instrumenta mensuratoria non mereri fidem, quia deformantur in rotatione et translatione terrae.

6. Cum observamus motum relativum corporum, non possumus scire quodnam ex illis moveatur vel acquirat variationes in motu. Et sic si videmus rhedam moveri velociter, non possumus scire utrum moveatur rheda an solum terra. Hoc declarant per formulam quae asserit omnem motum esse relativum. Per hoc tamen non volunt negare dari motum absolutum, receptum in aliquo corpore, sed solum negant nos posse determinare quodnam ex illis recipiat motum. Sed hoc ipsum est nimis exaggeratum. Nam cum videmus corpora moveri in diversissimas directiones, bene scimus moveri illa corpora, v.c. currus aut homines, quia secus terra deberet simul moveri motibus omnino contrariis et quidem secundum eundem locum et ubicationem.

7. Numquam possumus scire utrum duo eventus sensibiles qui nobis videntur simultanei, sint realiter simultanei an solum apparenter. Per hoc tamen non volunt negare realem simultaneitatem unius eventus cum alio, sed solum negant nos eam simultaneitatem posse observare et determinare in eventibus sensibilibus maximo

---

[8] A. Einstein, *La théorie de la relativité restreinte et généralisée* (Paris 1921); Riaza, J. M., *Ciencia moderna y Filosofía* (Madrid 1953) p.540-564; Becquerell, J., *Le principe de relativité et la théorie de la gravitation* (Paris 1922); Idem, *Exposée élémentaire de la théorie d'Einstein* (Paris 1922); Crenna, M., *La teoria di relativi e la filosofia tradizionale:* Anton 22 (1948) 296-346; Gianfranceschi, Gius., S. I., *Sulla relatività generale di Einstein:* Greg 3 (1922) 259-265; Morán, *Cosm.*, p.248; Pérez del Pulgar, S. I., J. A., *Portée philosophique de la théorie de la relativité:* ArchdePhil 3 (1925) 106-142; Pouquet, Louis, *La théorie de la relativité:* ArchdePhil 7 (1929, 1930) 527-634; Selvaggi, F., S. I., *Assoluto et relativo nel tempo:* Greg 28 (1947) 337-356; Idem, *Il significato de la relatività:* Greg 33 (1952) 418-437; Stranco, P., *La teoria de la relatività nella filosofia e nella fisica moderna:* Ant (1949) 283-314.

spatio separatis. Simultaneitas in plurimis est evidens. Nam duo homines qui nati sunt eodem die, dum durant, simultanee exsistunt, et actiones unius coincidunt simul cum actionibus alius, vel cum omissionibus alius.

298. Apparet igitur theoriam relativitatis non habere momentum metaphysicum, sed solum physicum et metricum. Non potest concludere quippiam contra realitatem temporis physici, aut contra realitatem motus, aut contra realitatem spatii et extensionis: solum docet nostras mensurationes temporis, spatii, motus et velocitatum, non esse adeo exactas sicut credebamus, quia nostra instrumenta mensoria deformantur cum motu, et nostrae observationes phaenomenorum aliquatenus modificantur per velocitatem qua movemur simul cum terra. Sic opinantur: EDDINGTON: Bulletin de la Société Française de Philosophie (oct. 1911-1912) p.30-32; DE LA VALLÉE-POUSSIN: RevQuestScient (avril 1924), p.333; METZ, *Le temps de Einstein et la Philosophie:* Rev de Philos (ian.-fevr. 1924) p.83; cf. NYS, D.: *La notion de temps* (1925) p.143, et vide ibid., p.127-145.

Haec duo tenenda sunt firmiter: dari motum localem absolutum, et nos saepissime posse cognoscere in quonam ex mobilibus corporibus recipiatur motus absolutus: cetera fortasse ad quaestiones mere mensorias pertinent.

CAPUT VI

De activitate corporum

299. Introductio. Vidimus capite praecedente quasdam mutationes quae accidunt in corporibus, et vocantur motus secundum quantitatem, secundum qualitatem et secundum motum localem. Unde etiam apparet in corporibus dari veras activitates. Nunc autem volumus quaerere indolem harum activitatum. Et in hunc finem quaeremus quaenam sint hae activitates, et quidnam sint, utrum nempe sint accidentia qualitativa an identificentur cum substantia; utrum actio harum activitatum sit in distans; utrum earum actiones subiaceant quibusdam legibus fixis et necessariis, et utrum illa necessitas permittat possibilitatem miraculi; denique utrum tum singula corpora tum complexus eorum oboediat finalitati, an potius fatalitati, aut casui, quae separatis articulis explanabimus.

ARTICULUS I

Quaenam sint activitates corporum

Thesis 16. In corporibus sunt activitates locomotrices extrinsecae et intrinsecae et aliae quae ad activitatem pure locomotricem reduci non possunt.

300. S. Th., 1-2 q.49 a.5; in 7 *Phys.*, c.3; 3 CG c.69 et 70; *De potentia*, q.3 a.11; Suárez, DM d.42 et 43; Urráb., *Cosm.*, p.1163-1192; Nys, *Cosm.*, I p.77-141; Hoenen, p.136; Io. a S. Thoma, *Physica*, q.23; Secchi, A., *La unità delle forze fisiche* (Milano); R. J. Boscowich, *Theoria Philosophiae Naturalis, redacta ad unicam legem virium in natura exsistentium* (Venetiis 1763); I. Mancini, *La metafisica dell'agire:* RivFilNeos 43 (1951) 185-196; M. Fatta, *La qualità nel mondo inorganico:* DivThom(P) 36 (1933) 594-605; Gredt, *De activitate creaturarum:* DivThom(P) 43 (1940) 339-344; E. de Rafael, *El valor objetivo de los conocimientos y teorías científicas* (Madrid 1943) § 5; Schaaf, n.177 et 333; Palmieri, th.17 et 18.

301. Nexus. Supponimus iam refutatum occasionalismum in Ontologia, ideoque et constat corpora posse agere efficienter aliquid; et solum volumus statuere indolem harum activitatum. Neque adhuc intendimus has activitates esse qualitates et accidentia realiter distincta a substantia, nam hoc in alia thesi agitabitur: solum quaerimus exsistentiam et varietatem harum activitatum.

302. Notiones. Corpora nunc intelligimus illa entia quae habent molem et resistentiam; postquam vero determinaverimus essentiam corporum, definiemus ea ut composita substantialia quae constant essentialiter ex materia prima et forma substantiali.

Activitas est idem ac potentia activa, seu principium proximum, quo causa efficiens producit per actionem suum effectum.

Activitas potest esse in actu primo et in actu secundo. In *actu primo* est activitas ut est principium actionis et nondum agit. *In actu secundo* est eadem activitas prout habens actum secundum, qui est operatio actualis.

Activitas locomotrix: est activitas productiva motus localis, et vocatur motus activus per oppositionem ad motum passivum, qui est motus mobilis. Et quoniam motus passivus non est nisi praesentia successiva mobilis in diversis locis, activitas pure locomotrix non faciet nisi praesentias successivas mobilis in spatio, et nihil amplius. Si activitas facit aliquid praeter has praesentias, iam non est pure motrix.

Activitas locomotrix est duplex, alia extrinseca, alia intrinseca. *Extrinseca* est illa, quae, licet sit affectio intrinseca mobilis, tamen non procedit ex intrinseca exigentia, sed mere ab extrinseco agente, ut est impetus, seu nisus, in corporibus

proiectis. INTRINSECA est illa quae procedit ab intrinseca exigentia moventis, ut sunt affinitates, vis gravitatoria etc.

ACTIVITATES DIVERSAE A LOCOMOTRICE sunt illae activitates, quae licet producant motum, producunt etiam alias mutationes quae non sint solum pura praesentia successiva in diversis locis.

303. Breviter in memoriam revocandae sunt aliae notiones datae in Ontologia.

CAUSA EFFICIENS est illa quae actione sua physica producit effectum adaequate distinctum a se. *Actio* est id quo formaliter effectus manat a sua causa, et quo formaliter causa efficiens est actu agens.

ACTIO potest esse creativa et eductiva aut mutativa. CREATIO est productio rei ex nihilo sui et ex nihilo subiecti, seu productio rei secundum totam rei realitatem. EDUCTIVA sive mutativa est illa quae, transmutando materiam seu subiectum, producit formam novam substantialem vel accidentalem.

ET ACTIO EDUCTIVA aut mutativa est vel immanens vel transiens. IMMANENS est ea cuius terminus postulat esse in eodem subiecto quod eam produxit, sicuti est volitio, cogitatio, sensatio. TRANSIENS est illa cuius terminus transit in subiectum extraneum ab agente, vel cuius terminus non postulat essentialiter recipi in eodem subiecto quod illam produxit.

304. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum a parte rei dentur in corporibus vires seu activitates locomotrices, a motu distinctae, tum extrinsecae tum intrinsecae, et aliae activitates quae a viribus pure locomotricibus essentialiter distinguantur. Alii quaerunt solummodo primum, nempe utrum dentur vires activae, saltem locomotrices, diversae a motibus localibus. Sed magis completa erit quaestio, si quaeramus etiam utrum dentur aliae vires quae ad vires locomotrices non possint reduci, seu quae non sint mere locomotrices.

305. Sententiae. *Prima* est mechanicismi rigidi. Haec theoria dicit in corporibus non dari nisi mutationes locales, et per eas mutationes contendit explicare omnia phaenomena mundi: et addit nullam esse vim seu activitatem distinctam a puris motibus passivis. Sic positivistae [1].

Secunda sententia est mechanicismi mitigati. Haec theoria ait dari quidem activitatem, sed solum activitatem locomo-

[1] HOENEN, *De indole metaphysica mechanicismi:* Greg 10 (1929) 210-237.

tricem, siquidem non datur nec dari potest alia mutatio, quae non sit motus localis. Hanc sententiam defenderunt in antiquitate LEUCIPPUS et eius discipulus DEMOCRITUS, et recentius DESCARTES et cartesiani plurimi, sed ob diversam rationem, ut dicturi sumus cum agamus de constitutione essentiali corporum.

Tertia sententia est dynamismi puri Hic tenet non dari atomos extensas, sed solum dari vires indivisibiles, quarum effectus sit saltem motus localis earundem atomorum, et per motus locales vult explicare omnia phaenomena mundi.

Quarta sententia est scholasticorum, quae reducitur ad tria puncta: *primum* est dari vires locomotrices extrinsecas, qualis est impetus aut nisus. *Secundum* est dari etiam vires locomotrices intrinsecas ortas ex exigentiis rerum. *Tertium* est dari etiam vires quae non sint pure locomotrices. Concedunt quidem per omnem activitatem corporum produci motum localem [2] non autem produci solum motum localem, sed alias etiam mutationes, quae ad motum localem non possint reduci.

Atque haec erit etiam nostra sententia.

306. Probatur thesis. I P. In corporibus adsunt activitates locomotrices, saltem extrinsecae, distinctae a motu locali.

Prob. 1. (*Ex refutato occasionalismo.*) Datur motus localis, ut constat experientia; *ergo* datur in corporibus causa eius, ne admittamus occasionalismum in corporibus. Iam vero illa causa non potest esse alius motus: nam motus est pura praesentia successiva in spatio; *atqui* praesentia in spatio nulla vis est [3]; *ergo* vis illa movens localiter non est aliquis motus, sed causa motus distincta a motu.

---

[2] Motus localis est conditio omnis activitatis corporeae; actio enim semper est in proximum obiectum: corpus autem non potest esse proximum alii nisi per motum localem alterutrius: ipsa intensio qualitatum, ut maior calefactio, praesupponit motum localem quo coniungantur causa et passum.

[3] *Quod motus localis passive sumptus, non sit ulla vis seu activitas, ita declaratur* (NYS, *Cosm.*, I [1928] p.165-168): nam in motu solum est mobile, motus, tendentia finalis; *mobile* est mere passivum in motu recipiendo; *motus* passive spectatus est sola positio successiva in spatio, et positio in spatio nulla est vis: si non haberetur causa movens, nempe impellens vel impulsus internus, motus moreretur in quolibet instanti; *tendentia* finalis in mobili est mere passiva, et solum venit ab impellente: unde apparet quomodo in motu passive spectato nulla sit vis.

Dices: Corpus in motu, v.c. glans bellica, exercet effectus maximos, et vincit maximam resistentiam ligni, imo et laminae ferreae; *ergo* motus est vis aliqua magna.

Resp.: dist antec.: ratione ipsius motus passive sumpti, *nego;* ratione impetus additi, *conc.*

Instabis: Massa et velocitas constituunt quantitatem motus; *atqui* illa quantitas motus est vis motrix; *ergo* motus est vis aliqua (cf. NYS, p.168 nt.319).

Resp.: conc. mai. et *min.*, et *nego consequentiam;* nam quantitas motus non est solum motus passive spectatus sed est etiam impetus, quo mobile

307. *Prob. 2.* Datur factum proiectorum [4]. Hoc consistit in eo quod, si aliquod corpus proiciatur procul vi brachii proprii aut funda aut tormento bellico, corpus prosequatur motum suum, etiam postquam cessaverunt agere in illud causae proicientes. In illo motu mobile acquirit novas relationes indistantiae ad corpora a quibus antea distabat, ideoque et acquirit nova fundamenta illarum relationum incessanter.

Hoc posito sic arguimus: In motu proiectorum datur constanter mutatio intrinseca localis; *ergo* datur causa quae incessanter causet illum motum. Iam vero illa causa non est motus ullus; quia motus est mera positio successiva in spatio, et mera positio in spatio non est ulla activitas. Neque causa sunt corpora circumstantia, nam haec potius impediunt motum; neque causa est homo proiciens, quia iam cessavit agere; est ergo aliqua causa exsistens intra corpus, quae vocatur impetus vel nisus. Illa vis locomotrix est extrinseca, in eo sensu, quod non sit in mobili ex intrinseca exigentia eius, sed mere ab extrinseco impellente.

Dices: ibi non datur vis locomotrix, sed solum conservatio motus.
Resp. 1. Si hoc dicatur, datur saltem causa conservativa motus, quae causa non est ipse motus, nam motus non est res faciens, sed aliquid quod mere fit vel conservatur ab alio. *Resp. 2.* Nego assertum: nam in singulis momentis designabilibus dantur novae relationes, ideoque nova entitas fundans illas relationes novas, quae entitas de novo fit successive: ergo datur aliqua causa quae faciat successive illam rem novam, et non solum conservans id quod iam antea erat: haec autem causa producens successive fundamentum relationum est intrinseca mobili, et vocatur nisus seu impetus.

308. II P. Dantur praeterea vires locomotrices intrinsecae.

Haec pars probatur multiplici facto, quod subicimus.

A. *Dantur vires elasticae,* quibus corpus deformatum,

---

fertur: impetus est conatus et vis magna, sed motus causatus ab impetu non est vis, sed solum positio in spatio.

[4] De impetu. ARISTOTELES docuit corpora proiecta moveri, non ex nisu recepto in corpore moto, sed ex vi intrinseca acepta ab impellente in aëre circumstante; per hanc vim aër movet corpus, et movet etiam aërem proximum, qui iterum movebit mobile. (URRÁB., p.1069); sed scholastici communiter admittunt nisum recipi in ipso corpore proiecto (ibi., 1070); DARIO tamen (p.170) et COTTER (p.261) dicunt impetum non esse distinctum a motu, sed sufficere solum motum: nam motus est *status* mobilis, nec requiritur aliquid, quod de novo fiat, ut corpus motum non desinat moveri.

Amplior informatio de nisu invenietur in: URRÁB., p.1070-1075; MORÁN, p.196-201; HOENEN, p.458-468, ubi evolvitur historia nisus; A. MATER, *Die impetustheorie, swei grundprobleme der scholatischen Naturphilosophie* (ed.2.ª, Roma 1951) 112-314; IDEM, *Die impetustheorie der scholastik* (Wien 1940); ROZWADOWSKI, A., S. I., *De motus localis causa proxima secundum principia S. Thomae:* DivThom(P) 42 (1939) 104-113. Defendit etiam impetum SUÁREZ, DM d.35 s.6 n.24; et ut videtur etiam S. TH., *De potentia,* q.3 a.11 ad 5; et q.u. *De anima,* a.11 ad 2.

recuperat suam formam; *atqui* hae sunt vires locomotrices, distinctae a motu et intrinsecae; *ergo* dantur in corporibus vires locomotivae, distinctae a motu, et intrinsecae.

Maior constat experientia quotidiana. Nam globus eburneus collisus et deformatus recuperat suam formam, extendens particulas suas dimotas a positione naturali; et gummi nimis protractum recuperat etiam suam formam, colligens particulas suas distractas et dimotas a propria positione.

Minor: a) Illud quod producit illam recuperationem formae et motum particularum est sine dubio aliqua vis seu activitas, ut patet.

b) Illa vis est distincta a motu: nam motus mere passivus non est nisi positio successiva in loco, et sola positio in loco non est ulla activitas, sed aliquid mere passivum.

c) Item illa vis est aliquid intrinsecum et distinctum ab impetu: *primo,* quia comitatur necessario corpora specialia, quae sunt elastica; *ergo* est aliquid manans ab intrinseco; et *secundo,* quia illa activitas exercetur cum iam cessavit omnis impetus, si quis impressus est ab agente, et contra directionem illius impetus: quia agens deformabat particulas versus intra, et nunc vis illa movet versus extra; *ergo* non est ullus impetus extrinsecus.

Dices. Corpuscula non deformantur per ullam compressionem, ideoque non est in illis ulla vis elastica recuperans positionem priorem. In macrocosmo datur illa deformatio; et vis recuperans priorem formam non est nisi vis electrica residens in corpusculis; quae vis repellit corpuscula cum valde per compressionem accedunt, et ita recuperant priorem positionem.

Resp. Si ita res evenit, ut dicis, tunc debemus admittere vim electricam, quae est non purus motus, ut constat ex ratiocinio facto.

309. B. *(Ex vi affinitatis.)* Datur in corporibus vis electiva, qua attrahunt ad se alia corpora determinata; *atqui* illa vis est locomotrix, distincta a motu, et intrinseca; *ergo* dantur vires locomotrices distinctae a motu et intrinsecae.

Maior constat experientia; nam ferrum combinatur cum quibusdam et non cum aliis, et cetera.

Et *minor* probatur. Nam *a)* vis illa est *locomotrix,* siquidem producit aliquem motum. *b)* Est distincta *a motu* mere passivo, quia motus mere passivus est mera positio successiva in spatio; et sola praesentia in spatio non est aliquid activum. *c)* Denique est *intrinseca:* quia comitatur semper et necessario corpora.

310. C. *Datur valentia specialis* in corporibus quae est varia pro diversis corporibus; *atqui* illa est vis locomotrix di-

versa a motu et intrinseca; *ergo* dantur vires locomotrices distinctae a motu et intrinsecae.

Maior patet experientia: sic quodlibet corpus combinatur, non solum cum determinatis aliis corporibus, sed cum tot atomis fixis hydrogenii, vel cum aequivalentibus alius corporis.

Minor: a) valentia est vis aliqua locomotrix, quia per illam attrahuntur determinata corpora et non alia, et quidem in tali proportione determinata et non alia. *b)* Est vis diversa a motu locali, quia motus est mera positio successiva in loco, et mera positio in loco non est ulla vis. *c)* Et intrinseca: quia illa valentia comitatur necessario et semper corpora, unde manat ab intrinseco et non est mere ab extrinseco.

311. D. *Dantur qualitates sensibiles,* ut color, calor, odor, sonus, sapor; *atqui* illae qualitates sunt vires aliquae locomotrices, distinctae a motu, et intrinsecae; *ergo* dantur in corporibus vires locomotrices, distinctae a motu, et intrinsecae [5].

Maior dubitari non potest. Fortasse possit dici eas qualitates non esse a parte rei formaliter sed solum virtualiter. Sed etiam si hoc solum concedatur, iam conceditur dari ibi aliquid quod producit in nobis sensationes.

Minor: a) Illae qualitates sunt vires, quia aliquid producunt; et quidem sunt vires locomotrices, quia causant motum, ut omnes dicunt: lux enim est semper cum motu, et causat motum in retina. *b)* Sunt vires distinctae a motu: nam motus mere passivus, est solummodo positio successiva in spatio; iam vero mera positio in spatio non est vis ulla, sed aliquid mere passivum. *c)* Et sunt vires intrinsecae: nam vis illa comitatur semper et necessario determinata corpora; *ergo* vis illa emanat ab intrinseco, et non est impressa solum ab extrinseco, ut impetus.

Dices: Sed illae activitates solum causant motum, sed diversum pro diversitate activitatis.

Resp.: Ergo fateris dari vires, quae sunt distinctae a motu. Item fateris illas qualitates vel principia vel activitates esse essentialiter distinctas inter se, siquidem producunt semper et necessario determinatos motus, quos non possunt producere aliae activitates.

[5] SALCEDO, L., *Philosophiae Scholasticae Summa,* t.1 (BAC, Madrid 1953) p.416-424; NOGUÉ, JEAN, *Esquisse d'un systhème des qualités sensibles* (Paris 1943).

312. III P. Dantur in corporibus activitates, quae licet producant etiam motum, sunt tamen distinctae a viribus mere locomotricibus.

Probatur iisdem fere factis quae in parte priori adduximus.

A. *Dantur activitates elasticae,* quae sunt vires intrinsecae distinctae a motu; *atqui* illae non possunt reduci ad vires solum locomotivas; *ergo* praeter vires mere locomotivas, dantur in corporibus aliae vires quae ad locomotivas reduci non possunt.

Maior constat ex parte praecedenti.

Minor probatur: nam finis illarum non est solum producere *ubi* aut positionem successivam in spatio; sed finis est recuperare propriam formam, quae est indifferens ad quodlibet ubi: nam sive hic sive alibi ponatur, conservabit tenaciter eandem formam recuperatam.

313. B. *Datur affinitas,* seu vis eligens corpora cum quibus debeat combinari, quae vis est distincta a motu, et intrinseca; *atqui* illa vis non potest reduci ad meram vim locomotricem; *ergo* in corporibus sunt vires diversae a mere locomotricibus.

Maior constat ex thesi praecedente.

Minor probatur: quia finis affinitatis non est producere meras positiones successivas in spatio, sed est constituere determinatum corpus seu determinatas aggregationes atomorum, quae aggregationes sunt penitus indifferentes ad positiones successivas, vel ad quietem in spatio.

314. C. *Datur in corporibus valentia* diversa pro diversis corporibus, quae facit ut corpus combinetur cum aliis determinatis et solummodo cum determinata proportione; quae vis est distincta a motu et intrinseca; atqui illa vis non potest reduci ad vim mere locomotivam; *ergo* in corporibus sunt vires diversae a mere locomotivis.

Maior constat ex thesi praecedente.

Minor probatur: nam finis huius activitatis non est praecise producere positiones successivas in spatio, sed constituere debitam proportionem ad constituenda diversa corpora, quae diversa corpora sunt omnino indifferentia ad positionem successivam in spatio vel ad perfectam quietem, sine translatione.

Et similia argumenta fieri possent ex *cohaesione,* qua tenentur atomi in molecula, et ex *adhaesione,* qua tenentur moleculae ne separentur, v.c., in ferro, in vitro, etc.

Dices: Contra affinitatem et valentias obici potest quod contra elasticitatem; illae vires non sunt nisi vis electrica, quae est vis electiva et vis determinans debitas proportiones corporum combinandorum.

Resp.: Esset valde mirum unam eandemque vim habere effectus tam diversos; si tamen scientifici dicant has vires non esse nisi electricitatem, tamen distinguenda est electricitas positiva et negativa, et utraque dicenda est esse vis locomotrix, quae non sit purus motus, neque vis pure locomotrix, ut constat ex probationibus.

315. D. *Dantur qualitates sensibiles propriae,* quae sunt vires distinctae a motu et intrinsecae; *atqui* illae vires non possunt reduci ad vim mere locomotricem; *ergo* dantur in corporibus vires, quae ad vim mere locomotricem reduci non possunt [6].

Maior constat ex parte anteriore.

Minor probatur: nam earum finis non est solummodo facere ut res habeant diversas positiones successivas in spatio, sed facere in nobis sensationes proprias, quae indifferentes sunt ad positiones successivas vel ad quietem sine ulla translatione, qui esset unicus effectus vis pure locomotricis. Non contendimus has qualitates sensibiles esse in rebus formaliter ut apparent; sed saltem dicendum est eas esse in rebus virtualiter, quia secus tota diversitas sensationum esset solum ex nostris sensibus, quod esset idealismus.

316. *Dices:* sensibilia sunt purus motus, sed cum diversa directione, velocitate et dispositione; et per hanc diversitatem motus causant in nobis diversas sensationes.

Nego assertum. Nam purus motus est pura positio successiva in spatio; et positio in spatio non causat quippiam, et ad minimam resistentiam, sisteretur, nisi concomitans esset vis faciens motum et causans conatum.

Instabis 1: saltem sunt vires pure motrices, et per motum diversum causant diversas sensationes.

Nego assertum: vis locomotrix non facit nisi diversas positiones successivas in spatio: hae vero non sunt sensationes coloris, aut caloris, aut saporis.

Instabis 2: causant solum motum, sed nos in reactione psychica, interpretamur illum motum per diversas sensationes.

Praetermitto ad Criticam quaestionem utrum sensibilia sint formaliter in rebus; sed saltem, sunt in rebus virtualiter, quia secus tota varietas et obiectivitas sensationum esset a sensu et non ab obiecto, quod est idealismus; sunt ergo in rebus saltem virtualiter, et hoc significat adesse in rebus activitates quae non sunt purus motus, neque vis pure locomotrix.

[6] Pro his qualitatibus vide scientificos: CALVET, *Química-Física* (Barcelona 1945) 792-804; E. LAPP, *Nuclear-radiation Physics* (1949) p.143; G. GAMOW, *Theory of atomic nucleus* (Oxford 1949) c.2-4; PUIG, I., *Ibérica* (enero 1950) 57-58.

317. E. *Etiam possemus probare thesim aliis factis:* nam dantur campi electrici et magnetici [7], circa corpora quae habent electricitatem et magnetismum; *atqui* hi campi sunt vires, intrinsecae, distinctae a motu, quae licet causent motum, non tamen possunt reduci ad vim pure locomotivam; *ergo* dantur in corporibus vires quae ad vim pure locomotivam reduci non possunt.

Maior patet experientia. Et minor probatur: *a)* sunt *vires,* quia causant motum, v.c., in pulveribus ferreis. b) *Intrinsecae:* quia non adveniunt per impulsum alienum ad electricitatem, sed semper comitantur electricitatem et magnetismum, unde ab eis intrinsece emanant. *c)* Faciunt quidem *aliquem motum:* nam pulveres ferreos ordinant in lineis sive clausis sive apertis prout agatur de electricitate aut magnetismo. d) *Sed non possunt reduci* ad vim pure locomotivam, nam earum finis non est causare positionem successivam in spatio, sed solum disponere sub quibusdam formis elementa cum quibus habent affinitatem.

318. Scholion. De aliis modis probandi activitates, quae ad vim pure locomotricem non reducantur.

Primum argumentum: a priori: Corpora sunt mobilia secundum esse, et non solum secundum aliquid eis extrinsecum; *atqui* esse rerum est diversissimum; *ergo* mutationes rerum possunt esse non solum secundum motum localem, sed etiam secundum diversos modos essendi, qui non sunt motus, ideoque et dantur vires quae non sint pure locomotrices.

Maior constat, quia corpora non sunt actus purus, aut ipsum esse; ideoque ipsa includunt potentialitatem essentialiter. Et *minor* probatur: primo quia dantur organismi diversissimi, non solum secundum motum extrinsecum, sed etiam secundum sensationes, appetitiones, vim generandi. Secundo in anorganicis, videmus diversitatem ingentem corporum quoad essentias specificas.

319. *Crisis:* In primis inter corpora organica debet admitti diversitas essentialis secundum esse, et ideo in illis dantur mutationes non pure locales, ut sunt sensationes, et generationes, et corruptiones, et consequenter admittendae sunt vires intrinsecae quae possint facere illas mutationes, et quae vocantur facultates sensitivae et facultas generativa. Sed in hoc loco agimus solum de corporibus anorganicis, et ideo facta desumpta ex organismis nihil probant.

---

[7] De campis magneticis et electricis, cf. RIAZA, *Ciencia moderna y Filosofía,* n.62-63.

Sed si agamus de corporibus anorganicis primo, non constat a priori, ut argumentum contendit, corpora esse mutabilia substantialiter, quod necessarium esset, ut essent mutabilia secundum esse et non secundum affectiones solum accidentales; et secundo non constat a priori etiam in ordine solum accidentali corpora esse capacia alius mutationis praeter motum localem: hoc debet a posteriori demonstrari sicut fecimus: unde hoc argumentum non est sufficienter probativum.

320. *Secundum argumentum: a posteriori.* Si corpora non haberent alias vires nisi locomotrices, phaenomena essent valde uniformia; *atqui* sunt valde variata; *ergo* non habent solum vires locomotrices, sed vires quae ad locomotrices reduci non possint.

Maior: quia tunc corpora non possent producere nisi positiones diversas in spatio, et hoc phaenomenum esset valde uniforme: posset variari forma motus, ut esset circularis, rectilineus, velox, tardus; sed citra has varietates intra lineam motus, non esset aliud phaenomenum.

Minor: nam dantur phaenomena elastica, affinitatis, valentiae, sensibilia propria, et campi electromagnetici; iam vero haec phaenomena sunt variatissima, ut patet.

Crisis: Hoc argumentum est optimum, sed non est diversum ab eo quod traditum est in expositione theseos; et praeterea deberet explicari quomodo illa phaenomena variatissima non sint varietates motus localis, quod factum est in nostro argumento, et hic non sufficienter explanatur.

321. Obiectiones. *(Contra activitates sensibiles.)* 1. In iis qualitatibus scientia reperit solum motum; *ergo* cetera, v.c., varietas sensationum, sunt facta a facultate sola, non ab stimulis.

Resp. Dist. mai.: methodis physicis, quae sunt mensuratio temporis et spatii et ponderis, *conc.;* methodis proportionatis, quae sunt experientia qualitativa et non solum quantitativa, *nego.* Et *pariter dist. cons.:* si solum motum reperit methodis mensoriis *nego;* si solum motum reperit post adhibitas omnes methodos debitas, ut est experientia etiam qualitativa, *conc.* Qualitates illae seu stimuli vere producunt motum, quem scientia detegit; sed praeterea habent vim, quae non est pure locomotrix.

2. Qualitates illae non sunt formaliter in rebus, sed fabricantur a sensu; *ergo* non habes ius ad dicendum eas esse qualitates speciales, quae producant sensationes speciales, sed omnes fabricantur a facultate sentiente, posito solo motu.

Dist. mai.: fabricantur a sensu solo, *nego;* a sensu cum iuvamine proportionati stimuli, *conc.* Et *contradist. cons.:* si fabricarentur a solo sensu sine iuvamine necessario quorundam stimulorum specialium, *conc.;* si fabricantur a sensu cum iuvamine ne-

cessario aliquorum corporum specialium, *nego*. Non cum quolibet corpore possumus habere sensationes saporis, aut odoris, aut coloris, aut caloris, sed quibusdam tantum, nempe cum illis quae possident illas qualitates. Secus non essent quaerenda specialia corpora, ad cibos, ad vestes, ad calefaciendum, ad gustandum, ad videndum, sed quaelibet sufficerent, siquidem solus sensus sufficit sibi fabricari colores, sapores, et cetera.

3. Ratio cur non omnia corpora producant quaslibet sensationes, non est quia carent specialibus activitatibus, sed quia carent specialibus motibus, quibus respondent determinatae sensationes; *ergo* ad explicandas diversas sensationes non necessariae sunt diversae qualitates activae, sed solum diversi motus.

Nego antecedens. Motus localis non est ulla vis; nam solum est diversa positio successiva in spatio. Neque diversitas specialis motus est activitas, quia motus intrinsece non est nisi positio successiva in locis. Si *ergo* solum adesset motus, vel vis motrix, tota varietas sensationum esset a sensu nostro, quod est subiectivismus.

322. 4. Electricitas sola, quae est uniformis, producit in diversis sensibus diversas sensationes; *ergo* sensationes diversae debentur solis sensibus et non stimulis diversis, ideoque non necesse est ponere activitates diversas inter se aut diversas a vi pure locomotrice.

Resp. 1. Illud factum explicatur quia electricitas producit in diversis organis stimulos proprios cuiuslibet ex eis. In visu producit quasdam phosphorescentias; in lingua producit electrolysim, et consequenter substantias saporis diversi. In tactu producit calorem et ideo habetur sensatio caloris, etc.

Resp. 2. Hoc argumentum nimis probat. Probaret enim sensationibus nostris non respondere aliquid obiectivum, sed haberi quoddam noumenon de quo nihil scimus, quod solum subiective interpretamur; hoc nimis kantianum est.

5. In omnibus phaenomenis mundi anorganici solum reperimus motum, et solis motibus explicari possunt omnia; *ergo* non datur nisi vis motrix. Sic lux est motus transversalis aetheris; calor est motus rotatorius et irregularis particularum; sonitus non est nisi motus vibratorius longitudinalis corporis elastici molaris; sapor est motus papillarum nervearum, electricitas non est nisi motus electronum.

Resp. Nego antec.: Ad probationem *dist. assertum:* et hoc significat cum omnibus activitatibus adesse motum respondentem unicuique activitati, *conc.;* significat non adesse nisi solum motum et non activitatem specialem, *nego*.

Si quis acceptet methodum scientiarum positivarum ut unicum medium cognoscendi realitatem, evidenter non poterit reperire nisi solum motum. Nam scientia positiva praescindit a causis stricte dictis et ab essentiis, et solum intendit mensurare phaenomena; si quid est ergo quod mensurari non possit metro, grammate aut horologio, non exsistit pro scientia. Hinc sequitur scientiam non posse reperire unquam qualitates, quia hae sunt verae causae proximae phaenomenorum. Item non potest invenire radicem ullam ultimam phaenomenorum, quia haec est essentia, et scientia praescindit ab essentia.

Accipiamus ergo conclusiones positivas et demonstratas ab scientia; sed philosophia potest quaerere ulterius per experientiam sen-

suum omnium, quae est qualitativa et non proprie mensurabilis directe, et per principium causalitatis et rationis sufficientis, radices proximas et radices ultimas phaenomenorum.

Haec non dicta sunt in opprobrium scientiarum, sed ut cognoscatur propria indoles eius, et quid possimus exspectare ex methodis solius scientiae.

323. 6. Omnes vires subiciuntur iisdem legibus reflexionis, refractionis, interferentiae; sic lux, calor, sonus, radiationes; *atqui* hoc significat has vires esse identicas, nempe motum; *ergo* non dantur vires diversae a motu, sed solum motus. (Sic ap. PICTET, *Etude critique du matérialisme* [Paris 1895] p.65.)

Concedo mai., et *dist. min.*: esse easdem quoad elementum mechanicum et commune, *conc.*; quoad elementum qualitativum, *nego*; et *dist. pariter cons.*

7. *(Contra impetum.)* Unaquaeque positio mobilis est causa positionis sequentis; *ergo* est innecessaria vis addita supra motum.

Nego antec.; si hoc esset verum, corpus quietum posset se movere: quia positiones omnes, etiam quietae, sunt eiusdem valoris.

8. Si corpus haberet impetum intrinsecum quo moveretur, moveret se et ita viveret; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non potest habere nisum intrinsecum.

Nego mai.: quia illa vis motrix non est ab intrinseco, sed venit corpori ab impellente extrinseco.

ARTICULUS II

QUAESTIONES ALIQUOT CIRCA ACTIVITATES CORPORUM

§ 1. De distinctione activitatum a substantia corporali

324. Assertum 5. Activitates corporum sunt accidentia realiter distincta a substantia corporali, et pertinent ad praedicamentum qualitatis. [1]

QUALITAS est accidens consequens formam et perficiens substantiam in essendo aut in operando. Per hanc definitionem qualitas distinguitur ab omni alio accidente. *Quantitas* enim sequitur materiam. *Relatio* praedicamentalis non perficit subiectum, sed ad summum praesupponit perfectum. *Actio* non perficit agens, nec effectum nec passum, sed est quo perfectio acquiritur. Passio reducitur ad praedicamentum rei receptae. *Quando* et *ubi* non afferunt ullam perfectionem rei sed solum determinant tempus et locum aut ubicationem. Et idem dicatur de *situ* aut de *habitu*. Sola *qualitas* sequitur formam et perficit substantiam secundum esse aut secundum operationem [2].

---

[1] ARIST., 2 *De gener. et corrup.*, c.2, et ibid., S. TH.; SUÁREZ, DM d.18 s.3 n.22.

[2] *Qualitas* sic definitur ab aliquibus negative et positive. *Negative:* est id

Omissa investigatione circa qualitatem in genere, quod in Ontologia factum est, hic solum *quaerimus* utrum activitates, de quibus egimus, sint accidentia realiter distincta a substantia et pertineant ad praedicamentum seu ad genus supremum qualitatis.

Hoc negant mechanicistae, quia negant illas vires; negant etiam dynamistae puri, qui dicunt non dari nisi entia simplicia, quae sint vires; et hae utpote a substantia non distinctae, iuxta ipsos, non sunt accidentia neque qualitates, sed vel substantiolae, vel, iuxta aliquos, sunt mera successio phaenomenorum sine ullo substrato.

Sed scholastici communiter affirmant nostram thesin, quam in asserto enuntiavimus.

325. Probatur thesis. I P. Vires praedictae corporum sunt accidentia realiter a substantia distincta.

Prob. 1. Nam substantia et activitates habent praedicata opposita et quidem ante mentis operationem; *ergo* realiter distinguuntur. *Antec.:* quia substantia consistit in indivisibili, et non habet magis aut minus, et contra activitates omnes, de quibus diximus, habent magis et minus in intensitate: et sic in eadem parte corporis electricitas, magnetismus, pondus, color, sonitus, etc., possunt habere intensitatem diversissimam.

326. *Prob. 2.* Separabilitas est signum realis distinctionis; *atqui* activitates separantur a substantia; *ergo* sunt realiter distinctae a substantia.

Maior constat et minor probatur: nam in eucharistia manent omnes activitates substantiae panis et vini, et tamen non manet substantia panis et vini. Activitates inhaerent quidem in quantitate, sed tamen manent separatae a substantia. Imo possent esse separatae a quantitate miraculose, quia sunt accidentia absoluta et non mere modalia, iuxta omnes scholasticos.

Dices: si accidentia illa qualitativa separarentur a quantitate essent universalia: nam non haberent principium individuationis seu multiplicationis, quod est quantitas et situs; *ergo* absolute non possent

---

omne quod est in substantia corporea, et non sit quantitas, motus, relatio, ubi, actio, passio, situs et habitus (vestis); et *positive* dicunt: esse id omne quod complet substantiam corpoream completam sive in esse (ut est figura), sive in operari: revera, ut apparet statim definitiones hae sunt valde deficientes.

Divisiones qualitatis: solent dividi sic. *Dividuntur 1.°* in entitativas, quibus substantia statice melius est (ut est figura et sanitas); et operativas, quibus substantia potest operari (ut calor, lux, attractiones, visus, auditus, etc.)

Dividuntur 2.°, ratione originis: in extrinsecas (si ab extrinseco adveniunt, ut impetus, vel calor in aqua); et intrinsecas (si ab intrinseco emanant, ut affinitates, valentiae, cohaesio, etc.).

Dividuntur 3.°, ratione perceptionis: in sensibiles et non sensibiles.

separari a quantitate. *Resp. Nego assertum et probationem.* Principium multiplicabilitatis est contingentia et finitudo, et principium distinctionis est tota rei entitas concreta[3].

327. II P. Et illae activitates pertinent ad praedicamentum qualitatis.

Nam qualitas est accidens consequens formam et perficiens substantiam in operando et in essendo; iam vero hae activitates sunt accidentia substantiae ut probatum est; et consequuntur formam (nam secundum diversam essentiam et indolem rerum, qualitates sunt diversae); et eam perficiunt in ordine ad operandum; ergo sunt verae qualitates.

§ 2. De mensurabilitate qualitatum[4]

328. In qualitatibus possumus discernere aspectum extensivum et intensivum. *Extensio* qualitatum mensuratur metro quadrato, ut cum v.c. campus electricus occupat superficiem metri quadrati. *Intensitas* autem directe non potest mensurari, quia gradus intensionis non sunt aliquod mensurabile, nempe non est neque extensio neque tempus, sed excedunt omnem mensuram. Tamen *indirecte* aliquo modo possumus eas mensurare per effectus aut per causas. *Per effectus,* sicut mensuramus calorem per variationes thermometri. *Vel per causas,* ut lumen mensuramus per numerum candelarum (bujías) accensarum. Sed tamen mensura haec semper est scalaris et non cardinalis, seu aliis verbis, debet exprimi per numeros ordinales et non per numeros cardinales. Et sic possumus recte dicere tertium, quartum aut quintum gradum caloris, non vero proprie loquendo tres gradus caloris: hoc enim significaret singulos gradus esse aequales, quod non est verum, iuxta legem liminis sensationum. Praeterea haec ipsa mensuratio scalaris male exprimitur numeris, quia per numeros significarentur gradus diversos et discontinuos, cum tamen variatio intensiva non sit discontinua: melius igitur exprimeretur methodis geometricis, nempe per lineas in coordinatis geometricis.

---

[3] Qualitates corporeae inhaerent in composito ratione materiae; i.e. in materia, non in forma; et non inhaerent in materia immediate, sed solum in quantitate, et mediante quantitate dicuntur inhaerere in materia. Et ideo qualitates in eucharistia inhaerent in sola quantitate, sicut cum aderat substantia panis et vini (cf. SUÁREZ, DM d. 14 s.4 n.6; URRÁB., *Cosm.,* p.1145-1162).

[4] HOENEN, p.468-478; DUHEM, *Théorie physique,* p.179; DARIO, n.92; DESCOQS, *Essai sur l'hylemorphisme,* p. 272-276; RENOIRTE, *Critique des Sciences* (1947) p.127-132; hi omnes dicunt mensuras qualitatum esse improprie dictas, et solum esse scalares et non cardinales. Quod autem qualitates habeant intensitatem, et quomodo fiat intensio, cf. SUÁREZ, DM d.46 s.1-4.

§ 3. Densitas et raritas [5]

329. *Densitas* et *raritas* sunt proprietates quibus corpus idem potest habere parvas vel magnas dimensiones seu volumen. De facto densitatis et raritatis non est ambigendum: ut apparet in dilatatione et contractione corporum per frigus et calorem, in compressione et dilatatione gasorum seu aëriformium per machinam pneumaticam; in compressione aquae in machina hydraulica. Sed explicatio danda est.

Sunt aliquae explicationes quae sine examine debent reici. Nam alii dicunt partes corporis compenetrari aut expenetrari, vel eas amittere aut acquirere quantitatem. Sed praeter has explicationes, duae merentur aliquam considerationem.

330. *Prima est mechanica.* Dicit enim atomos vel moleculas corporis esse inter se distantes; densatione autem minui illas distantias et rarefactione augeri illas distantias.

Sed haec sententia videtur minus verosimilis. Quia vel dicunt illa spatia esse vacua vel plena aliquo corpore imponderabili, v.c. aethere LORENTZ, penitus compenetrabili, vel aethere communi, incompenetrabili.

Si spatia *sunt vacua,* tunc daretur actio in distans, nempe attractiones et repulsiones. Vel secus admittendum esset illas actiones fieri per collisiones et repulsiones consequentes, et hoc significaret corpuscula esse deformabilia et habere qualitatem densitatis et raritatis, quod nolunt admittere.

Si spatia illa sunt *plena* aethere LORENTZ, penitus compenetrabili, ita evitatur actio in distans, sed EINSTEIN dicit hunc aetherem esse fictitium. Si autem spatia illa plena sunt aethere communi incompenetrabili, tunc ille deberet habere densitatem et raritatem, quod intendimus; vel deberet expelli in densatione et readmitti in rarefactione, quod non videtur multum verosimile: nam aliquando densatio fit in conditionibus in quibus non potest expelli ullum corpus, ut in machina hydraulica, et rarefactio fit in condicionibus in quibus non est verosimilis readmissio corporis incompenetrabilis, ut in machina pneumatica.

331. *Secunda explicatio* est philosophica. Dicit dari qualitatem aliquam, per quam corpus possit densari et rare-

---

[5] Densitas et raritas URRÁB., p.1280-1298; MORÁN, *Cosm.*, p.206; praesertim ARIST., 4 *Phys.,* c.9; S. TH., ibid., et 1 *De gener. et corrup.,* c.5 lect.14; MAIER, A., *Das problem der quantitas materiae in der Scholastik:* Greg 27 (1946) 89-109.

fieri, seu occupare maius vel minus volumen, non solum improprie, eo quod distantiae corpusculorum fiant maiores aut minores, sed proprie quia ipsa entitas, quae antea occupabat determinatum volumen, per densationem et rarefactionem possit occupare maius vel minus volumen.

Et haec explicatio in primis est possibilis, neque ullam includit contradictionem; nam sicut eadem substantia corporalis potest habere diversos gradus caloris aut magnetismi aut electricitatis, similiter potest habere maius aut minus volumen: nam extensio, ratione cuius habetur maius aut minus volumen, est tam distincta a substantia, sicut calor aut electricitas.

Secundo, non caret verosimilitudine, si consideremus inconvenientia vel incohaerentias explicationis mechanicae quam prius examinavimus.

§ 4. **De inertia**

332. Inertia multis sensibus accipitur. *a)* Nam primo significat carentiam omnis activitatis, et sic corpora non sunt inertia. *b)* Secundo est proprietas corporum inanimatorum, qua non possunt modificare suum statum quietis aut motus: est potius impotentia quaedam: unde si quiescunt, non possunt seipsa extrahere ex statu quietis; et si moventur, a motu numquam cessabunt, nisi impediantur positive ab aliis agentibus, quod accidit de facto: nam cum aliquod corpus proicitur, movetur aliquamdiu, sed paulatim cessat, quia impeditur a gravitate propria et a resistentia aëris [6]. *c)* Tertio potest significare resistentiam quam corpus opponit motui aut viribus conantibus movere illud, et mensuratur per vim quae necessaria est ut illam resistentiam vincat.

In sensu primo et secundo inertia est aliquid mere negativum; quia vel est carentia, vel est impotentia modificandi statum in quo res est. In sensu tertio inertia est aliquid positivum, et coincidit cum pondere, vi cohaesiva aut in quantitate motus. Nam id quod resistit motui est vel pondus rei, vel affixio alicui rei solidae et infrangibili, vel quantitas motus, quae sisti non potest nisi impendendo energiam. Iam vero hae sunt vires activae et positivae; ergo inertia in tertio sensu est aliquid positivum.

---

[6] Hoc est axioma primum NEWTONIS; cf. RIAZA, *Cienc. moderna y Fil.*, n.114.

§ 5. De massa

333. Massa etiam multis sensibus accipi potest.

a) Primo enim sumi potest ontologice, et tunc est copia realitatis substantialis corporeae, et mensuratur per volumen et densitatem: quo maior densitas in eodem volumine, maior est massa. *b)* Sumi etiam potest in sensu inertiae et physico; et tunc est idem ac pondus aut vis resistens motui, et mensuratur per vim necessariam ut haec resistentia vincatur. Quando dicitur massa creari aut annihilari non significatur nisi augmentum aut diminutio ponderis vel resistentiae; et cum dicitur massa converti in energiam significatur solum resistentiam seu pondus creare laborem mechanicum [7].

In sensu *a)* massa est aliquid substantiale materiale; et quoniam materia non potest creari aut annihilari a creatura, sed solum a Deo, idem dicendum est de massa in hoc sensu. In sensu autem secundo *b)* massa est ipsa inertia, quam antea explicuimus sub litt *c)*, scl. pondus vel vires cohaesivae et adhaesivae, quae sunt totidem qualitates, non pure motrices, sed alius generis.

§ 6. Affinitas, cohaesio et adhaesio

334. *Affinitas* est vis qua ligantur duae atomi eiusdem corporis, ut constituant moleculam, sicut duae atomi hydrogenii, vel duae atomi diversorum elementorum, ut constituant moleculam etiam compositi, ut ClNa. Evidenter haec vis, non est locomotrix, quia de facto nullum motum causat, sed alius generis: nempe est vis electiva et retentiva corporis associati et quidem in tanta quantitate et non in alia.

Vis cohaesiva est vis qua ligantur moleculae extra statum combinationis ut faciant molem: sic omnes moleculae vitri aut ferri colligantur fortissime inter se, et moleculae aëriformium minus firmiter cohaerent. Haec vis est intrinseca, seu orta ex natura rerum, et non proveniens mere ab extrinseco. Praeterea non est pure locomotrix seu mechanica, quia non producit ullum motum, sed quietem et ligamen fortissimum.

Vis adhaesiva est illa quae nectit solidum cum liquidis quae tanguntur, vel solida inter se, ut cum duo frusta ferri canden-

[7] Riaza, ibid.: ubi docet massam inertialem augeri cum velocitate, n.121; et massam converti in energiam et energiam in massam, n.122.

tis ligantur. Neque etiam haec vis potest dici pure locomotrix, quia nullum motum causat, sed est vis diversa a vi pure locomotrice.

§ 7. De energia et de aliis conceptibus cognatis

335. Cum notione activitatum et potentiae activae in sensu philosophico, habent cognationem quaedam notiones scientificae, quas oportet explanare [8].

Vis (la fuerza), est id quod actu agit aliquem effectum, praescindendo utrum ille effectus sit aliquis motus, vel pura tensio vel aequilibrium inter duos conatus oppositos: v.c., operarius qui sustinet pondus, licet illum non moveat, exercet vim.

Labor mechanicus (trabajo), est motus quidam localis, qui actu exercetur victa aliqua resistentia: v.c., si operarius movet pondus de uno loco in alium, producit laborem mechanicum. Mensuratur per vim et viam percursam. Si operarius elevat pondus trium kilogrammatum ad altitudinem duorum metrorum, producit laborem mechanicum sex kilogrammetrorum.

Energia est potestas producendi laborem mechanicum. Sic aqua elevata in loco alto, et potens cadere cum impetu, licet nihil actu moveat, est energia quaedam.

336. *Divisiones energiae.* Energia potest esse potentialis et actualis. Energia *potentialis* est ea quae potest producere laborem mechanicum, praecedente aliqua sui transformatione: et sic carbo nondum accensus est energia potentialis. Energia actualis est ea quae sine ulteriore transformatione potest producere laborem mechanicum: v.c. lux, calor, electricitas, pondus elevatum, gasum valde oppressum in vase et cetera.

Energia *actualis* potest esse energia cinetica, positionis et pressionis. *a)* Energia *cinetica* est potestas producendi laborem mechanicum, quia res est in motu: v.c. corpora proiecta funda, vel tormento bellico. *b)* Energia *positionis*, est corpus grave in alto collocatum, quod cadens potest producere laborem mechanicum. *c)* Energia *pressionis*, v.c. fluidum, quod est oppressum in vase. *d)* Est etiam energia *elastica, chimica, thermica, radians*, etc. [9]

---

[8] RIAZA, p.106.
[9] RIAZA, p.448-458.

Potentia, est energia divisa per tempus: sic kilogrammetra divisa per secunda vel horam, dant nobis potentiam illius energiae. Quando haec energia est 75 kilogrammetrorum in secundo, illa energia est unius equi vaporis (C.V.). Mensuratur etiam kilowatiis-hora, quae mensura non est propria solius electricitatis.

337. N. B. Omnis qualitas corporalis est energia, quia potest producere laborem mechanicum; sed non ideo omnis qualitas est energia pure mechanica (seu potentia seu activitas pure mechanica), producens solum motum; nam aliquae qualitates praeter motum producunt aliquid, quod ad motum reduci non potest, ut vidimus.

Hae notiones physicorum distinguuntur a notione philosophica activitatis aut potentiae activae, quia apud illos praescinditur a notione causae et productionis et actionis in sensu proprio, et solum eas considerant ut antecedentia post quae sequuntur vel possunt sequi phaenomena motus localis.

338. *Leges energiae. Primum principium thermodynamicae:* In systemate clauso pure materiali summa totalis energiae est semper eadem: quare si producitur aliquid energiae sub una forma, debuit destrui aequivalens energia alius formae, secus summa totalis non esset eadem.

Dicitur in *systemate clauso,* quod non possit recipere energiam de foris seu de alio systemate aut agente quod sit extra illud systema: si enim potest recipere aliunde energiam, summa totalis potest crescere.

Dicitur in systemate clauso *pure materiali:* quia si in illo systemate reperitur aliqua causa vel energia immaterialis, tunc quantitas energiae potest crescere: sic si adest anima vegetativa, sensitiva aut intellectiva, haec potest augere energiam actualem non consumpta aequivalente energia materiali: licet hoc fit in tam parva quantitate, ut vix possit adverti in mensurationibus physicis.

Corollarium ex hac lege: *omnis energia potest transformari in aliam in mensura aequivalente.* Quare labor mechanicus convertitur in calorem aequivalentem, et sufficientem de se ut producat eandem quantitatem laboris mechanici ex quo provenit calor.

Hoc vero non significat eandem entitatem, quae erat labor mechanicus, esse postea sub alia forma calorem; sed significat laborem mechanicum producere calorem.

339. *Secundum principium thermodynamicae.* Omnis energia subiacet legi entropiae seu degradationis. Nam omnis energia tendit ut convertatur tandem in calorem, et calor iam non potest impendi totaliter in producenda illa energia unde processit: sed impenditur in calefaciendis corporibus circum-

dantibus, donec perveniat ad aequilibrium cum illis. Unde post longissima tempora tota energia universi conversa erit in calorem, qui non possit impendi in motu ullo producendo, et totus motus cessabit: et sic eveniet mors naturalis Universi. Mortem universi per entropiam affirmant CLAUSIUS, JEANS, LORD KELVIN, HELMHOLTZ, BOLZMANN, et plerique scientifici [10]. Tamen hanc consequentiam non vult admittere NYS, D. *(La notion de temps* [1925] p.196-203.)

§ 8. **De energia nucleari**

340. Energia nuclearis est energia quae attribuitur nucleo atomi in quiete, et in fissione et in fusione. *Nam in quiete,* protones ligantur inter se fortissime, cum tamen omnes habeant electricitatem positivam, quae faceret illos dispergi et separari: cur autem non separantur aut disperguntur? Propter vim specialem nucleonicam omnino incognitam, sed quae tamen non est purus motus, quia motus non est ulla vis, ut saepe iam diximus; neque vis pure locomotrix, quia eius finalitas non est producere motum, sed ligamen et retentionem membrorum, iuxta alia membra.

Energia *fissionis* habet locum cum nucleus atomi Uranii 235 illiditur a neutrone lento, et rumpitur et discinditur, unde exoritur nucleus Krypti et nucleus Barii et tres neutrones, et ingens copia energiae, quae energiam chemicam in 2.000.000 excedit. Unde si unum Kilogramma Uranii hoc modo finditur (seu desintegratur), energiam liberam relinquit, quanta aequivalet duobus millionibus kilogrammatum carbonis.

Energia *fusionis* est energia orta ex diversis protonibus et neutronibus, qui synthesi uniuntur ad efformanda nova elementa; haec energia est millies adhuc potentior quam energia fissionis. Energia fissionis est fundamentum ad missile atomicum *(Bomba atómica, B. A.),* et energia fusionis est fundamentum ad missile hydrogenii *(B. H.)* [11]

Haec energia nuclearis non est merus motus, quia motus est mera praesentia successiva in spatio, et mera praesentia in spatio nihil potest facere, quia est aliquid mere passivum; praeterea ille motus ante explosionem erat repressus, et motus repressus non est ullus motus. Neque est vis motrix extrinseca, ad modum impetus, proveniens v.c. a detonatore:

---

[10] RIAZA: de conservatione energiae, n.111; de transformatione energiae, p.461; de principio entropiae, p.465; de morte universi, n.113.
[11] RIAZA, n.108.

nam detonator non habet illam energiam quam fissio vel fusio ostendit. Neque est vis pure motrix: nam eius effectus non est creare meras praesentias successivas in spatio, sed est producere determinatas aggregationes atomorum tum in particulis emissis a corporibus radiactivis, tum in aliis corporibus ad quae eius effectus se extendit quaeque per illas vires dissolvuntur.

ARTICULUS III

De actione in distans

Thesis 17. Actio corporum in distans est physice impossibilis, non autem ostenditur metaphysice repugnare.

341. St. Th., 3 CG c.69.70; 1 q.103 a.6; q.105; q.8 a.1; Suárez, DM d.18 s.8 (de impossibilitate physica actionis in distans); et d.30 s.7 n.12.13 (de impossibilitate metaphysica); Urráb., *Ont.*, p.1156; Schaaf, n.185-190; Palmieri, *Theol. Nat.*, p.146; Little, A., S. I.: Greg 27 (1946) 567ss.; eique respondet J. Hellín, *Inmensidad de Dios en Suárez:* EstudEcles 22 (1948) 228-234; Hoenen, p. 136-185; Nys, *Cosm.*, I p.256-260; Morán, p.267-269; Gredt, I p.275; Dario, p.197-230; Chianale, Ios., S. I., *Notae in quaestionem quam vocant "de actione in distans"*: Greg 7 (1926) 44-72; Riaza, J. M., *De existentia et proprietatibus aetheris, qui introducitur ut evitetur actio in distans:* Ciencia mod. y Filos., n. 66-68.

342. Nexus. Iam ostendimus in corporibus esse vires activas et productivas non solum motus sed etiam aliarum mutationum physicarum. Et nunc investiganda est una ex conditionibus necessariis ad operandum, quae est indistantia agentis ad passum.

Notiones. Actio est influxus causae efficientis quo causat suum effectum. Causa eficiens est principium influens esse in aliud a se adaequate distinctum per actionem, seu per impulsum physicum et non mere intentionalem, ut res de non esse transeat ad esse.

Actio potest esse creativa et eductiva. Hic solum agimus de eductiva, quia evidenter corpora creare non possunt. Et eductiva potest esse immanens et transiens: nos hic agimus solum de actione transeunte.

343. In distans. Est actio qua producitur effectus distans ab agente, ita ut hoc non sit praesens neque praesentia suppositi neque praesentia virtutis. Praesentia suppositi est indistantia agentis secundum suum esse, ut cum aliquis vehit currum, tangendo ipsum currum suis manibus. Praesentia virtutis est si agens quidem non tangit per se passum, sed tamen illud tangit aliqua virtus vel instrumentum missum immediate ab agente. Sic non datur actio in distans si aliquis trahit lapidem per funem, qui funis attingit lapidem; neque

datur actio in distans si aliquis occidit hominem glande missili; neque est actio in distans, si sol calefacit terram, nam calefacit omnia media usque ad terram, et medium proximum terrae iam calefactum, calefacit terram; vel saltem calefacit terram mittens usque ad illam particulas quae dicuntur luminicae et simul caloricae, quae immediate calefaciunt terram. Et contra esset actio in distans si sol calefaceret terram non calefacto ullo medio, neque emissis particulis luminicis aut caloricis.

PHYSICE IMPOSSIBILIS est illa actio quae esset contra aut praeter aut supra leges quibus reguntur agentia corporea, licet in se nullam haberet contradictionem: sic est actio physice impossibilis, sed non absolute impossibilis, resurrectio mortui, restitutio brachii ablati, ambulare sicco vestigio supra aquas.

METAPHYSICE IMPOSSIBILIS vel absolute impossibilis est illa actio quae implicaret in se contradictionem, ut esset v. c. facere simul et non facere.

Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum actio corporum in distans sit physice impossibilis, licet fortasse non ostendatur metaphysice impossibilis.

344. Sententiae. *Prima* tenet actionem corporum in distans esse naturaliter possibilem.

Sic *a)* inter antiquos AVICENNA et GALENUS dicebant actionem in distans esse admittendam *b)* Recentius dynamistae, ut CARBONELE et BOSCOWICH contendunt actiones in distans esse admittendas, eo quod solum dentur vires simplices, et inter se distantes, interposito vacuo. *c)* Kant sustinet repulsionem non nisi contactu immediato exerceri posse, attractionem vero in distans fieri arbitratur.

345. *Secunda sententia* dicit corpora non posse agere saltem naturaliter in distans.

a) Sic tenent scholastici communiter. *b)* Similiter sentiebat Newton, licet timebat ne forte attractio universalis fieret instantanee et sic in distans. *c)* Hodie communiter tenent scientifici actionem in distans esse impossibilem, et dicunt ne ipsam quidem gravitatem exerceri in distans aut instantanee. Sic EINSTEIN, LANGEVIN, MEYERSON, POINCARÉ, KELVIN, GASSENDI, et ceteri. Et propter hanc causam dicunt inter agens et effectum distantem intercedere medium; agens vero modificat medium et hoc medium modificatum immediate agit; vel agens remotum emittit quasdam particulas per medium vacuum, quae particulae immediate agent per contactum. Ideo etiam affirmant omnem actionem inter corpora fieri per contactum agentis aut per virtutem eius diffusam per medium.

346. *Tertia sententia* docet actionem in distans adeo repugnare ut sit metaphysice impossibilis.

a) Sic tenuit ARISTOTELES, ALEXANDER APHRODYSIUS et AVERROES et eandem sententiam tenent principes Scholae, ut ALEXANDER HALENSIS, S. ALBERTUS MAGNUS, ST. THOMAS, S. BONAVENTURA, SCOTUS et SUÁREZ. *b)* Sed SUÁREZ loquitur cum magna moderatione et distinctione. Nam in primis dicit non posse ostendi hanc repugnantiam ex terminis, sed solum inductione: ex ea enim ostenditur corpora non posse agere in distans; et quidem ostenditur eam impossibilitatem non fundari solum in eo quod agentia sint corpora, aut quia sint creata, sed simpliciter quia sunt agentia; ex quo sequitur omne agens, etiam Deum, debere servare hanc conditionem indistantiae ut possit agere. Item addit hanc impossibilitatem metaphysicam solum valere de causa principali, non autem de causa instrumentali supernaturali: et sic ait Suárez Christum distantem in caelis efficere physice et immediate, sed in distans, omnia opera gratiae et effectus sacramentorum, sed ut instrumentum supernaturale.

347. *Quarta sententia,* docet actionem in distans inter corpora esse impossibilem naturaliter, nam de spiritibus non loquimur; et addit non ostendi actionem in distans esse impossibilem metaphysice saltem per omnipotentiam Dei. *Atque haec est nostra sententia.*

348. Probatur thesis. I P. Actio corporum in distans est physice impossibilis.

Prob. 1. Omnes activitates naturae ita agunt, ut si augeatur distantia inter agens et passum, licet reliqua immutata maneant, earum intensitas minuatur; *atqui* si agerent in distans, non deberet minui earum intensitas; *ergo* non agunt in distans. (Et quoniam hic est modus agendi constans earum, *ergo* datur lex physica stabilis, qua aliter fieri non possit.)

Maior: Ita accidit in luce, calore, magnetismo, electricitate, attractione universali et in gravitate. Est factum constans in quo nulla datur exceptio.

Minor: Si enim actio esset immediate in distans, non deberet expendi in modificando medio, ideoque medium esset quasi non esset; ergo actio non deberet cum distantia decrescere.

349. *Prob. 2.* Omnes activitates corporeae ita agunt, ut tempus impendatur ut deferatur earum influxus usque ad passum; *atqui* hoc non accideret, si actio esset immediate in distans; *ergo* actio corporum non est immediate in distans.

Maior: Sic accidit in luce, calore, electricitate, magnetismo, et in ipsa attractione universali. Antea suspicabantur attractionem universalem exerceri instantanee, ideoque non impendi tempus ut medium superaretur: nunc autem omnes dicunt ipsam attractionem universalem impendere tempus in

sui propagatione, licet brevissimum, et fortasse cum tanta celeritate propagatur sicut lux aut electricitas.

Minor: Si enim non debet impendi activitas in modificando medio neque in transmittendis particulis activis, medium est quasi non esset, ideoque tempus nullum impenderetur in influxu exercendo.

350. II P. Actio in distans non ostenditur metaphysice esse impossibilis.

Prob. 1. Ex analysi actionis in distans. Nam actio in distans esset metaphysice impossibilis si includeret affirmationem et negationem eiusdem de eodem sub eodem aspectu et simul; *atqui* hoc non verificatur in actione in distans; *ergo* actio in distans non ostenditur repugnare metaphysice.

Maior constat. Et minor probatur. Nam actio in distans haec includit: agens in actu; effectum dependentem actu ab agente; et actionem agentis, quae nunquam fuit in agente neque in medio, sed solum in passo; iam vero evidenter hoc non est affirmare et negare dari agens in actu; neque est affirmare et negare dari effectum dependentem ab agente; neque est affirmare et negare simul dari actionem actualem.

351. *Prob. 2.* Percurrendo capita difficultatum, ex quibus tres considerabimus, nam reliquas in obiectionibus solvemus.

Dicunt primo: si agens ageret in distans ageret sine applicatione ad passum neque ad effectum; *atqui* est impossibile agens agere sine applicatione suae activitatis ad passum aut ad effectum; *ergo* est impossibilis actio in distans.

Resp. Dist. mai.: ageret sine applicatione per contactum, *conc.;* ageret sine applicatione per influxum, *nego;* et *contradist. min.:* est contradictorium dicere agens agere sine applicatione suae activitatis per influxum, *conc,;* sine applicatione per contactum, *nego,* quia petitur principium.

Dicunt secundo: impossibile est operari agens quod non est; *atqui* agens operans in distans, non est in loco distante; *ergo* impossibile est agens agere in distans.

Resp. Dist. mai.: quod non est simpliciter, *conc.;* quod non est ubi est effectus aut passum, *nego* (quia hoc est pure petere principium). *Et concessa min. dist. cons.:* si agens in distans omnino non esset, *conc.;* si non esset ubi est passum et effectus, *nego* (quia hoc est petere principium).

Dicunt tertio: Si agens ageret in distans, actio deberet transferri de agente ad passum et quidem sine subiecto; *atqui*

hoc est absurdum, quia actio est modus indigens absolute subiecto); *ergo* impossibile est agens agere in distans.

Resp. Nego mai.: actio deberet fieri simpliciter in passo, non autem in agente, quia actio non recipitur in agente, neque in medio, quia supponitur actio esse in distans.

352. **Obiectiones.** (*A. Pro possibilitate naturali actionis in distans* URRÁB., *Ont.*, p.1159; et SUÁREZ, DM d.18 s.8 n.3-12, et n.24-48.) 1. Corpora tangunt superficiem, non vero profundum; *atqui* tamen agunt in profundum, ut cum ignis calefacit ferrum; *ergo* agunt in distans.

Dist. mai.: non tangunt profundum immediate, *conc.; mediate, nego.;* et *contradist. min.* agunt immediate in profundum, *nego;* mediate, *conc.* Corpora agentia modificant superficiem; sed haec modificata, agit in proximum. Unde nulla est ibi actio in distans.

2. Pomum positum in alta arbore, excitat desiderium pueri; *ergo* agit in distans.

Conc. mai. et *nego consequens:* nam pomum mittit lucem ad oculos per medium, in oculo fit sensatio, et haec excitat appetitum.

3. Sed in ipso puero sensus est procul ab imaginatione et agit in illam; et imaginatio est procul ab appetitu et agit in illum; *ergo* datur actio in distans.

Dist. antec.: sed dantur debitae uniones quibus communicetur influxus, *conc.;* nulla datur talis unio, *nego;* et *contradist. cons.*

4. Corpora habent plurima interstitia et discontinuitates: *atqui* tamen corpuscula et moleculae agunt inter se; *ergo* datur inter illa actio in distans.

Conc. mai, et min., et nego cons.: nam vel illa intersticia sunt plena aethere continuo sine interstitiis, et tunc non datur actio in distans; vel agunt inter se per collisiones, et sic etiam neganda est actio in distans.

5. Magnes attrahit ferrum, et electricitas attrahit vel repellit alia corpora sine ullo contactu; *ergo* datur actio in distans.

Conc. antec., et *nego cons.:* nam agunt in quantum creant campum electromagneticum intermedium, et per hoc medium et per virtutem diffusam agunt.

6. Corpora habent sphaeram activitatis ad quam se protendunt; *atqui* corpus est solum in centro illius sphaerae; *ergo* datur actio in distans.

Dist. mai.: si activitas possit modificare medium aut mittere virtutem diffusam, *conc.;* secus, *nego;* et *concessa min.*, *contradist. cons.:* si possit modificare medium aut mittere quolibet alio modo virtutem, *conc.;* secus, *nego.*

353. 7. (*B. Pro impossibilitate metaphysica actionis in distans.*) In eductione agens debet tangere formam eductam; *atqui* nequit tangere nisi sit praesens; *ergo* agens educens necessario est praesens formae eductae, et ideo passo et effectui (HUGÓN., ap. EstEcles [1948] p.230).

Dist. mai.: debet tangere contactu indistantiae et dimensionali, *nego* (hoc enim esset petere principium); contactu virtutis seu influxus, qui est ipsa actio, *conc.;* et *contradist. min.:* contactu indistantiae, *concedo;* contactu influxus, qui est actio, *nego.*

8. Ut agens agat, oportet ut habeat passum sibi subiectum in actu; *atqui* non habet passum subiectum in actu nisi sit praesens et tangat; *ergo* agens non potest agere nisi sit praesens et tangat passum (GREDT: EstEcl, ibid.).

Dist. mai.: deberet habere subiectum passum per influxum qui est actio, *conc.;* per praesentiam et contactum dimensionalem, *nego* (quia hoc est petere principium); et *contradist. min.:* nisi tangat per contactum influxus qui est actio, *conc.;* per contactum dimensionalem et quantitativum, *nego* (quia hoc est petere principium).

9. Agens debet esse coniunctum actioni; *atqui* actio est coniuncta formae productae; *ergo* agens debet esse coniunctum formae productae seu effectui et passo (REMER: EstEcl, ibid.).

Dist. mai.: coniunctum unione influxus, *conc.;* unione indistantiae, *nego* (quia hoc est petere principium); et *concessa min.*, *dist. pariter cons.:* unione influxus, *conc.;* unione indistantiae, *nego.*

10. Instabis: agens constituitur agens per actionem; *atqui* nequit constitui actu agens per actionem separatam, sed coniunctam; *ergo* agens debet esse coniunctum immediate cum actione et ideo cum effectu.

Conc. mai., et *nego min.:* Agens est certe intrinsecum agenti per identitatem; sed constituitur actu agens per id quod ab ipso est, non per id quod ipse est, secus semper esset agens.

11. Effectus agentis est effectus *huius* agentis per aliquid reale; *atqui* non per ipsam substantiam agentis, secus semper ageret hunc effectum; neque per effectum, quia hic poterat produci per aliam causam; neque per fieri, quia

effectus in fieri potest manare a quacumque alia causa; *ergo* effectus est proprius huius causae per approximationem agentis ad hunc effectum (LITTLE, S. I.: EstEcle, ibid.).

Conc. mai., et *nego min.* et eligo eam appropriationem consistere in actione seu fieri quod manat a causa; nam fieri seu emanatio agentis ab hac causa adeo transcendentaliter refertur ad hanc causam et ad hunc effectum, ut non possit absolute esse ab alia causa neque ad alium effectum. Unde per hoc fieri appropriatur effectus ad hanc causam.

12. Agens corporeum non potest naturaliter agere in distans, sed semper in proximum; atqui haec conditio non pertinet ad agens, quia est corporeum, neque quia est creatum, sed simpliciter quia est agens; *ergo agens* in quantum agens non potest agere nisi proximum et indistans.

Conc. mai, et *nego min.* Ipse SUÁREZ qui affert hanc argumentationem, docet hanc non esse strictam demostrationem, sed aliquam fortasse coniecturam.

13. Mobile non potest transferri de loco in locum, nisi transeundo per medium; *ergo* pariter actio non potest transire de agente in passum nisi per medium, illud modificando, vel ita ut particulae activae transeant de agente ad passum.

Conc. antec. et *nego cons.*: ob disparitatem. Disparitas est in hoc, quod mobile priusquam transferatur in locum distantem, iam exsistit alibi et debet per motum transferri; sed actio, priusquam ponatur in suo termino distante, non exsistit, ideoque non indiget transferri, sed simpliciter producitur in passo vel in termino distante.

ARTICULUS IV

DE LEGIBUS NATURAE

Thesis 18. Dantur leges naturae necessariae, necessitate, non absoluta sed hypothetica

354. S. TH., 1-2 q.90 a.1-4; et q.91 a.1.2; SUÁREZ, *De legibus*, l.1 et l.2 c.1-5; URRÁB., p.370-387; MORÁN, *Cosm.*, ed.2.ª p.297-319; VAISSIÈRE, I p.110-116; HOENEN, *De valore theori. Phys.*: Congressus Cosm. (Romae 1925) p.61-74; PÉREZ DEL PULGAR, *Introducción a la Filosof. de las Ciencias*, c.2-4; TONQUÉDEC, *Conceptus legis naturae ex hodierna scientia*: Congr. Cosm., I 277-387; DARIO, *Cosm.*, p.282-296; DONAT, p.164-174; SIMON, Y., *Prévoir et Savoir* (Montreal 1944).

355. Nexus. Vidimus corpora habere activitaten efficientem qua efficiant mutationes saltem accidentales tum mechanicas tum qualitativas, et determinavimus unam ex conditionibus agendi, quae est indistantia agentis ad passum. Nunc debemus videre utrum corpora exerceant suam activitatem iuxta normam aliquam fixam, quae vocatur lex, an eorum actio sit mere contingens et variabilis sine ulla regula.

356. Notiones. NATURA potest accipi ut complexus omnium corporum, vel ut est corpus aliquod in particulari consideratum in ordine ad suam operationem. Nos hic in hoc sensu accipimus: volumus enim scire utrum singulae naturae seu corpora agant iuxta normam seu legem necessariam.

LEX a ligando venit, et praecipue dicitur de lege morali, quae est: ratio et voluntas ordinis ad bonum commune, et ab eo qui curam habet communitatis, promulgata; vel ut ait P. SUÁREZ; est praeceptum commune, iustum et stabile, sufficienter promulgatum. Latius solet definiri: Mensura seu

norma actuum secundum quam aliquis vel aliquid ad agendum inducitur vel ab agendo retrahitur, in quo sensu amplectitur et legem moralem et legem physicam naturae.

357. LEGES NATURAE, de quibus solis hic agimus, sunt inclinationes stabiles insitae rebus quae exigunt modum constantem et uniformem agendi. Hae inclinationes fundantur remote in essentia divina, proxime vero in ipsa natura specifica cuiusque agentis.

Leges possunt considerari in actu primo et in actu secundo. In ACTU PRIMO sunt ipsae inclinationes; in ACTU SECUNDO lex est exercitium constantiae et uniformitatis in operando, seu est modus constans et uniformis quo fiunt eventus cuiusque naturae ex inclinatione indita. In actu primo lex est immutabilis sicuti ipsa natura in qua fundatur; sed in actu secundo possunt esse quaedam variationes iuxta diversitatem circumstantiarum vel concausarum et dependenter ab hoc quod Deus det suum concursum vel deneget.

Possunt etiam considerari leges IN REGULANTE et IN REGULATO. IN REGULANTE est norma in mente eius qui condidit leges, qui est Deus; IN REGULATO est lex participata in natura, per hoc quod natura sit quasi liber scriptus, in quo illae leges seu inclinationes habentur per exigentias inditas.

358. *Divisio legum naturae.* Leges possunt esse singularum naturarum vel complexus totius naturae mundanae. LEX CUIUSQUE NATURAE est inclinatio iam descripta, indita rebus, quae exigit modum constantem et uniformem operandi. LEX AUTEM TOTIUS COMPLEXUS rerum mundanarum sunt potius regulae, quas Deus solet servare in gubernatione mundi, de quibus postea erit sermo. Nunc loquimur de legibus singularum naturarum.

2. Leges possunt esse rationales et empiricae. RATIONALES sunt quae deteguntur ex sola consideratione terminorum, ut sunt leges numerorum, v.c. duo et quinque sunt septem. Leges EMPIRICAE sunt illae quae fundantur in naturis rerum et per experientiam et inductionem deteguntur.

3. Empiricae possunt esse fundatae in *essentiis* rerum vel in *essentiis simul et quibusdam positionibus et impulsibus ab extrinseco datis:* et sic, quod ignis comburat est lex empirica, fundata in essentia ignis. Quod vero terra peragat circumvolutionem circa axin in 24 horis est lex fundata in lege inertiae, quae est fundata in essentiis rerum, et in positione terrae et in impulsu recepto cum separata est a massa solis.

359. 4. Leges empiricae possunt etiam esse vel mere statisticae vel etiam dynamicae.

LEX STATISTICA est propositio qua non determinat regularitatem cuiusque naturae, sed solum regularitatem multitudinis, indicans tantum pro centum, vel indicans numerum medium omnium valorum, qui dividuntur per omnes casus observatos [1].

Haec lex *a)* indicat potius modum quo *nos cognoscimus* realitatem, quam modum quem realitas sequitur in operando.

b) Respicit *eventum,* et non *inclinationem* essentialem rerum in operando.

c) Dicit *frequentiam* relativam alicuius eventus determinati per comparationem ad omnes casus possibiles, et exprimitur per formulan F / T, ubi F sunt casus favorabiles, et T casus totales; vel etiam dicit numerum ex summa omnium valorum divisa per casus omnes observatos.

d) Aequivalenter dicit circa illam rem *vel non adesse* ullam legem, vel a nobis *non cognosci.*

e) Valet solum de *multitudine,* et ideo circa singulos casus in particulari casuale est si adimpletur illa lex, neque indicatur ratio aut radix cur in tali individuo verificetur.

f) Lex statistica saepe habet locum *in legibus dynamicis,* quando volumus determinare eam exacte et quantitative, secundum omnes mensuras omnium causarum influentium: unde lex dynamica potest esse certissima, et tamen eadem lex secundum alias determinationes potest esse statistica et solum probabilis. Si dicas hominem proiectum in magnum ignem comburendum esse, est lex dynamica, qualitativa. Sed si vis determinare hominem illum moriturum esse in tali tempore, et si datur talis gradus pressionis atmosphaericae, aut si adsit talis status hygrometricus, et hoc si fiat circa polos vel circa aequatorem, etc., non poteris obtinere nisi legem statisticam: non quia desit determinatio et regularitas naturalis, sed quia tu non potes observare tot circumstantias cum certitudine: hae ulteriores determinationes solum cognoscentur cum aliqua approximatione, non cum absoluta acribia.

360. LEX DYNAMICA est ea quae determinat regularitatem cuiusque naturae; fundatur in essentiis rerum et habet fixitatem et uniformitatem, non solum in multitudine et in tanto pro centum, sed etiam in singulis casibus, ita ut nunquam accidat aliter: tales sunt omnes leges de combinatione corpo-

---

[1] De notione et valore legis statisticae: PÉREZ DEL PULGAR: EstEcles 10 p.48; MORÁN, *Cosm.,* p.301.308.311.314; et vide bibliographiam, initio, et nt.3.

rum in debitis adiunctis, et leges de velocitate lucis aut electricitatis, aut leges de angulo incidentiae et reflexionis in elasticis vel in luce, et de angulo refractionis, etc.

Haec est lex naturae stricte dicta, quae initio definita fuit, n.357.

Hae leges dynamicae possunt esse ontologicae et logicae seu verbis expressae. LEGES ONTOLOGICAE non sunt nisi inclinationes rerum ut agant modo uniformi et constanti. LEGES LOGICAE SEU VERBIS EXPRESSAE sunt propositiones quae enuntiant modum constantem operandi alicuius naturae.

Leges autem logicae possunt esse quantitativae et qualitativae. QUALITATIVAE solum enuntiant eventum et naturam eius v.c.: ignis applicatus stuppae siccae, si aliter non impediatur, illam comburet. QUANTITATIVAE autem determinant omnes mensuras singularum circumstantiarum quoad tempus, extensionem, et pondus.

Hae autem leges quantitativae possunt esse aequalitatis vel limitationis. AEQUALITATIS, si volunt determinare exacte has omnes mensuras. LIMITATIONIS si ita donant mensuras ut statuant posse dari variationem inter quosdam limites qui constituunt aream securitatis.

CURSUS NATURAE vocatur consecutio actionum et reactionum rerum mundanarum iuxta leges naturae.

361. Dicebamus dari leges naturae dynamicas quae sint stricte necessariae, unde explicanda est necessitas eiusque diversitates. Multiplex est modus necessitatis, sed hic agimus de necessitate in operando, non de necessitate in essendo aut de necessitate illationis in aliquo ratiocinio.

NECESSITAS igitur in operando est nexus inevitabilis inter causam positam in determinatis adiunctis et eius effectum.

Necessitas autem in operando potest esse absoluta et hypothetica. NECESSITAS ABSOLUTA in operando esset si adesset contradictio in omissione operationis, posita causa in debitis adiunctis. Necessitas autem HYPOTHETICA est nexus inevitabilis actionis si dentur omnia adiuncta, sed potest deficere aliquod ex adiunctis et conditionibus; praesertim ex parte Dei potest negari concursus debitus, vel potest donari indebitus, vel potest donari contrarius naturae ut videbimus agentes de miraculo.

Status quaestionis. His positis, quaerimus utrum singulae naturae regantur legibus naturae dynamicis, et utrum illae leges sint necessariae necessitate absoluta an solum necessitate hypothetica.

362. Sententiae. *Prima sententia* tenet determinismum absolutum et inviolabilem. Hoc systema vocatur *fatalismus.* Et potest esse fatalismus philosophicus et scientificus. a) *Fatalismus philosophicus* fundat necessitatem legum vel in ipsa essentia immutabili Dei, in qua leges fundantur, vel in eo quod leges sunt ipsa essentia divina vel sunt decreta immutabilia Dei. Sic SPINOZA. b) *Fatalismus scientificus* repetit absolutam necessitatem legum ex ipso facto scientiae, quia ut aiunt, scientia de se est essentialiter deterministica: sic CLAUDIUS BERNARD et E. GOBLOT; et plerique scientifici saeculi XIX

363. *Secunda sententia* est extreme contraria. Tenet nullas dari leges, eo quod negent ullum substratum seu essentiam fixam et immutabilem cum qua nectatur ulla inclinatio constans, aut modus constans operandi.

a) Sic agnostici et positivistae, ex quibus sunt AVENARIUS et E. MACH. *b)* Sic etiam KANT, qui dicit legem seu modum constantem operandi esse creationes formarum a priori *c)* Empiristae anglici qui negant valorem inductionis et realitatem essentiarum, ut sunt LOCKE, HUME, J. STUART MILL, SPENCER.

364. Quaedam variatio eiusdem sententiae. Aliqui affirmant quidem dari leges, non tamen dynamicas, sed solum statisticas. Non dantur enim essentiae immutabiles neque inclinationes fundatae in essentiis, sed solum dantur motus et phaenomena. Unde proprie habent idem fundamentum quod habebant priores, licet dicant dari leges statisticas quae valeant de magnis numeris, sed non de singulis individuis. Fundamentum autem praevisionis aiunt, non est lex aut necessitas, sed solum illud adagium commune, quod "futurum sit simile praeterito". Utraque haec theoria vocatur contingentismus vel indeterminismus.

a) Sic sentiebant in antiquitate HERACLITUS qui erat absolute indeterminista, quia omnia fluunt, πάντα ῥεῖ, neque est aliquid fixum et determinatum. *b)* Recentius autem est contingentista BOUTROUX et BERGSON: hic contendit non dari in mundo nisi *l'élan vital,* qui continue evolvitur modo omnino impraevisibili et libero: modos autem illos constantes operandi fabricatos esse ab intellectu nostro qui essentialiter fabrilis est et tendit ad actionem, non ad contemplationem. Similia docuerunt in Gallia E. LE ROY et M. BLONDEL[2]. *d)* In Anglia praecipui contingentistae sunt BALFOUR, WARD; pragmatistae WHITEHEAD, CAMPBELL, RUSSEL. *e)* Sed contingentista maxime insignis est Heisenberg, qui introduxit principium indeterminismi, de cuius theoria plura dicentur in Scholio.

---

[2] EMILE BOUTROUX, *De la contingence des lois de la Nature* (1874); IDEM, *De l'idée de la loi naturelle dans la science et la philosophie* (1893) (de cuius doctrina cf. TONQUÉDEC, CC I p. 283-285, et DESCOQS, *Theol. Nat.* I p. 273-285); BERGSON, *Evolution créatrice* (1907) ubi ait: leges naturae sunt deformationes realitatis factae a mente nostra ex fine actionis.

365. *Tertia* demum *sententia* est communis scholasticorum, et tenet dari leges dynamicas fundatas in essentiis rerum, quae sunt stricte necessariae; eam tamen necessitatem dicunt esse hypotheticam, non solum quia naturaliter possunt deficere conditiones sub quibus naturae operantur, ut debitus calor, pressio, indistantia, etc., sed etiam quia, positis omnibus conditionibus necessariis ex parte causarum secundarum, adhuc potest Deus vel negare concursum debitum vel dare superiorem quam est debitus vel dare oppositum, ex quo explicantur postea miracula quae sunt vel supra, vel praeter, vel contra naturam. *Hanc sententiam et nos tenemus.*

366. Probatur thesis. I P. Dantur in corporibus leges naturae necessariae.

(A posteriori.) Corpora agunt modo constanti et uniformi in iisdem adiunctis; *atqui* haec constantia debetur legibus seu exigentiis naturae; *ergo* dantur leges seu exigentiae naturae operandi modo fixo et constanti.

Maior patet. a) Sic corpora singula habent affinitates et valentias aliquas constantes in suis combinationibus. *b)* Calor facit suos effectus modo constanti; et sic dilatat corpora, propagatur in irradiatione solari cum eadem velocitate qua lux, habet suos angulos incidentiae et reflexionis constantes. *c)* Lux habet suas leges inviolabiles in propagatione, in interferentiis, refractione, etc.

Minor: si enim illa constantia non deberetur propriae naturae, deberetur aut casui, aut libertati, aut interventui alicuius causae necessariae extrinsecae, aut Deo, aut circumstantiis; *atqui* non *casui,* quia casus non operatur invincibiliter et constanter; neque *libertati,* quia corpora anorganica non habent rationem, ideoque neque libertatem; neque alicui causae *necessariae extrinsecae,* quia effectus sunt attribuendi causis cum quibus nectuntur, non causis alienis; neque *Deo soli,* quia hoc esset occasionalismus; *ergo* debetur naturae propriae quae inclinatur ad operandum necessario et uniformiter.

367. *Dices:* leges, quae referuntur ad multitudinem, sunt leges statisticae, non dynamicae; *atqui* leges macrocosmicae, quas tu statuisti, referuntur ad multitudinem; *ergo* sum leges statisticae.

Maior patet, quia non determinant modum agendi individuorum naturalium, sed numerum medium, convenientem multitudini atomorum.

Minor: quia leges statutae a te referuntur ad corpora observabilia, v.c. ad frustum ferri, sulphuris; et haec corpora non sunt unum per se, sed unum per accidens, seu multitudo, seu aggregatio ex moleculis, et atomis et corpusculis.

Resp. Dist. mai.: si ex modo agendi multitudinis non potest concludi natura individuorum, *conc.;* si autem potest concludi natura ind viduorum, *nego.* Et *contradist. min.:* et non potest concludi natura individuorum, *nego;* et potest concludi, *conc.*

Lex statistica non valet de individuis neque de quacumque portione massae quae experientiae subicitur; unde si aliqua lex est certissima, et sine ulla exceptione, et si praeterea verificatur in massa magna et in quacumque portione minore, non est statistica, sed dynamica.

Sic leges dynamicae a me statutae sunt qualitativae, non mere quantitativae: et hae semper in quacumque proportione verificantur sine ulla exceptione: ferrum et sulphur constituunt sulphatum ferricum, et numquam constituunt nitratum potasicum.

N. B. Aliqui volunt probare seorsim has leges esse necessarias. Sed necesse non est, quia hoc iam probatum est in argumento ipso. Si enim corpora operantur modo constanti, et hoc non debetur libertati aut casui, ergo debetur indoli ipsi naturae, et hoc est operari necessario.

368. Item alii volunt probare hanc primam partem a priori, hoc modo: dantur leges naturae necessariae in corporibus anorganicis, si corpora operantur necessario, ex determinatione naturae, et uniformiter; *atqui* ita se res habet; *ergo* dantur leges naturae necessariae in corporibus anorganicis.

Maior constat: si enim haec omnia dantur, habebuntur inclinationes naturae ad operandum modo constanti et uniformi, et hoc est lex naturae.

Minor probatur per partes. a) Corpora operantur *necessario:* nam libertas est dos entium intelligentium, corpora autem anorganica non sunt entia intelligentia. *b*) Operantur ex *determinatione naturae:* nam si non operarentur ex determinatione naturae, operarentur aut casu aut ex ratione aut ex determinatione causae alienae, quae esset aut Deus aut alia quaelibet. Iam vero non operantur *casu:* quia casus non est constans et uniformis, sicut est operatio corporum, sed rarus et non uniformis. Neque operantur *ex ratione,* quia ea carent. Non operantur ex interventu *solius Dei,* quia hoc esset profiteri occasionalismum. Non ex determinatione alius *causae alienae:* quia effectus sensibiles debent tribui illis subiectis cum quibus connectuntur; connectuntur autem cum corporibus illis quae necessaria sunt ad determinatos effectus obtinendos. *c*) Corpora operantur *uniformiter:* nam essentiae et naturae rerum sunt immutabiles, dum exsistunt; *ergo* si corpora operantur ex determinatione naturae, operabuntur necessario uniformiter.

N. B. Sed si bene advertatur haec argumentatio, licet elegans, est solum a posteriori: nititur enim in eo quod corpora operantur uniformiter et constanter, secus non refutaremus casum, et haec constantia solum scitur a posteriori.

369. II P. Haec autem necessitas non est absoluta sed hypothetica.

Necessitas legum naturae est hypothetica et non absoluta, si positis omnibus conditionibus quae exiguntur ex parte causarum secundarum ad agendum, adhuc potest Deus negare concursum ad operandum; *atqui* ita se res habet; *ergo* necessitas legum non est absoluta, sed hypothetica.

Maior constat: nam ut creaturae operentur, necessarius est concursus divinus; iam vero si hic concursus divinus potest a Deo negari, res nihil operabitur.

Minor: nam Deus dat concursum suum libere et conscie; *ergo* potest illum negare prout ipsi placuerit. Neque ideo destruuntur leges; leges enim sunt naturae rerum, et hae non destruuntur; sed solum superatur aut destruitur modus operandi in casu particulari. Neque ideo Deus agit insipienter:

Deus ageret insipienter si passim aut sine ratione posset intervenire; sed id eveniet solum raro, et praeterea solum ob rationes gravissimas.

370. Corollaria. 1. *Ergo* necessitas physica est vera necessitas, ideoque certitudo physica quae fundatur in hac necessitate, est vera certitudo, non metaphysica, sed certe physica: haec tamen potest falli aliquando, per accidens et raro et solum cum Deus habet graves rationes interveniendi.

2. *Ergo* possumus iure affirmare non posse fieri naturaliter quosdam eventus, v.c. ex O et H non posse fieri Na; semen tritici non posse germinare pomum; vocem humanam non posse repente sedare mare commotum. Haec autem exempla necessitatis negativae, vel potius impossibilitatis, fundantur in necessitate positiva: ideo enim O et H non generant Na, quia necessario generant aquam.

3. Ex argumentis theseos patet omnes vires, etiam occultas, quae adhuc nobis ignotae sunt, necessitati seu legibus physicis esse subiectas.

371. Scholium. *De principio indeterminismi G. Heisenberg*[8].

Principium indeterminationis sic sonat: *determinismus in macroçosmo vigens ultimatim est solum approximativus. Physica autem microscopica indeterminismo absoluto regitur.* Seu aliis verbis: in macrocosmo solum dantur leges statisticae, et quidem approximativae; sed in microcosmo non datur ulla lex, ne statistica quidem sed solum indeterminismus.

Argumenta autem quibus hoc principium demonstrant, proponemus in forma, et in forma etiam solvemus.

372. Obiectiones. *(A. Quae adducuntur pro principio indeterminismi Heisenberg.)* 1. Leges macrocosmi referuntur ad multitudinem; *atqui* leges quae referuntur ad multitudinem, sunt statisticae, non dynamicae; *ergo* leges macrocosmi sunt mere statisticae, non dynamicae.

Maior: quia referuntur ad moles observabiles, v.c. ad ferrum, ad sulphur quod potest observari; iam massae corporum, quae possunt

[8] Pius XII, *Indeterminismo en la física moderna. Discurso a la Academia Pontificia de Ciencias.* Introducción y traducción por J. Roig: Pens 1 (1945) 357-368; Heisenberg, W., *Les principes physiques de la théorie des Quanta* (París 1932); Idem, *Ueber des Abschaulichen Inhalt der quantentheoretischen Kinematik u. Mechanik:* Zeitschrift f. Physik 43 (1927) 172-198; Planck, Max, *¿Determinismo o indeterminismo?* (Madrid 1924); Idem, *Physikalische Gesetzllchin Lichte neurer Forschung:* Naturwis 14 (1926); Puigrefagut, Ramón, *A propósito de las leyes estadísticas de la naturaleza: sus caracteres:* Razón y Fe 124 (1941) 297-313; Idem, *Del determinismo clásico a la indeterminación cuantista:* Pens 1 (1945) 413-446; Idem, *¿Crisis del determinismo en la física contemporánea?:* Pens 5 (1948) 435-453; et 6 (1950) 63-77; Idem, *La causalidad en los escritos de Max Planck:* Pens 7 (1951) 321-354; Roig, G. J., *El indeterminismo de la moderna física cuántica examinado a la luz de la noción filosófica de causalidad:* Pens 9 (1953) 47-75; Muñiz, P., *Causalidad filosófica y determinismo científico:* Greg 27 (1946); Schaffer, Klaus, *Causalidad y física moderna:* Arbor 21 (1952) 521-528; Van Laer, P. H., *Causalité, déterminisme, prévisibilité et science moderne:* RevPhil-Louv 48 (1950) 510-526; Eddington, *Sur le problème du déterminisme* (Paris (1934); García Bacca, David, *Las nociones de causa, efecto y causalidad en las ciencias físicas modernas:* Analecta Sacra Tarraconensia (1931) 287-338; Werner Heisenberg, *Philosophic problems of nuclear science* (trad. inglesa 1934); Mullín, Carlos, S. I., *Causalidad y determinismo en la Física corpuscular:* Ciencia y Fe, n.37-38,11 (1954) 31-42.

observari, non sunt unum per se, sed unum per accidens et multitudo: quia sunt aggregationes molecularum, atomorum, corpusculorum inter se divisorum; *ergo* leges macroscomi sunt leges pertinentes ad multitudinem, non ad singulas naturas.

Minor: quia non indicant naturam individuorum, sed solum numerum medium qui resultat ex promedio multitudinis [4].

Dist. mai.: directe, *conc.;* indirecte, *nego; et contradist. min.:* si ex modo agendi multitudinis non possit deduci legitime natura singulorum, *conc.;* si autem possit deduci natura singulorum, *nego. Et eodem modo solvo probationem.*

Leges a nobis statutae ut dynamicae, sunt plerumque qualitativae, et eas constat cum certitudine etiam pro individuis esse validas. Sic v.c. Cl et Na semper dant chlorurum sodicum, et numquam, neque semel, neque in minima quantitate, dant acidum manganesicum. Si autem aliqua atomus Cl non combinata est in determinata reactione cum Na, hoc accidet quia defuit aliqua ex conditionibus ut fieret illa combinatio. Sed certo constat ex illis elementis in determinatis adiunctis semper exoriturum chlorurum sodicum, et nequaquam acidum manganesicum.

373. 2. Iuxta theoriam cineticam aëriformium (gasorum), in aëriformibus compressis in aliquo vase, moleculae moventur motu rapidissimo, et omnino irregulari, ita ut impossibile sit praevidere viam et directionem singularum molecularum; *atqui* tamen effectus compressionis contra parietes, est omnino uniformis quaquaversus; *ergo* effectus uniformis non indicat individua moveri etiam uniformiter: est lex statistica uniformis, quae non supponit ullam regularitatem et determinismum in individuis.

Resp. Nego moleculas non sequi ullam regulam: nam sequuntur leges collisionis, ita ut angulus incidentiae et reflexionis sint aequales, nisi impediantur; quando autem impediantur ex aliis causis, tunc molecula incidens, reflectetur secundum influxum causarum intervenientium: nos non possumus observare illas causas ob parvitatem et multitudinem: sed si aliquis videret, ut revera videt angelus, omnes causas intervenientes, ille posset praevidere motum singularum molecularum, et effectum pressionis uniformis quam facerent contra parietes: non deest regularitas, sed observabilitas.

Pressio uniformis non est lex statistica, sed lex mathematica certa. Nam ob mutuas collisiones gasa tendunt ad expansionem; et si impediantur expandi quaquaversus, quia inclusa sunt in vase fortissimo, tunc fiet aequilibrium inter diversos conatus; et aequilibrium inter diversos conatus singularum particularum, non est aliquid statisticum, sed est aliquid quod est summa conatuum singulorum.

Lex illa pressionis, quae est directe statistica, tamen indirecte dicit naturam molecularum esse talem ut collidantur inter se, et ex collisione faciant talem pressionem, licet ego non possim determinare positionem et conatum uniuscuiusque particulae.

374. 3. Corpusculum suspensum in liquido sequitur viam miram, omnino irregularem et omnino impraevisibilem; *ergo* saltem corpuscula, quae sunt unica individua et naturae, non subiciuntur legibus ullis dynamicis.

[4] Teoría de los cuantos de M. H. PLANCK (1858-1947): ap. RIAZA, *Ciencia mod. y Filos.*, n.69.70.

Resp. Concedo ea corpuscula sequi viam impraevisibilem. Sed *nego* non sequi ullam regulam. Ipsi scientifici explicant valde bene quomodo possint habere regularitatem et tamen haec non sit a nobis observabilis. Nam in liquido, moleculae sunt in motu vibratorio, ita tamen ut unaquaeque molecula non sit in eadem positione, neque habeat eundem rhythmum vibrationis cum aliis, propter influxus diversissimos molecularum vicinarum. Hoc posito corpusculum suspensum repercutitur a singulis moleculis iuxta legem de angulo incidentiae et reflexionis, sed in directionibus valde diversis. Unde si aliquis videret positionem omnium molecularum, et rhythmum vibrationis, et positionem initialem corpusculi, omnino posset praevidere viam illius corpusculi, et describere eam symbolice per lineam determinatam.

Hic etiam habetur impraevisibilitas, sed habetur regularitas: saltem Heisenberg non poterit demonstrare oppositum.

375. 4. In combinationibus v.c. Cl et Na coniunguntur haec corpora iuxta proportiones consuetas, sed multae atomi ex alterutro corpore non possunt combinari, quia excedunt pondus proportionale; *atqui* tamen quaenam ex illis atomis combinanda sit et quaenam non, est mere casuale, impraevisibile et indeterminatum; *ergo* corpuscula non habent legem dynamicam neque ullam aliam, sed in eis est pura casualitas.

Resp. Conc. mai. Ad min., concedo hoc esse impraevisibile nobis ob parvitatem et multitudinem corpusculorum; sed *nego* haec omnia non esse determinata in re. Si aliquis videret positionem omnium corpusculorum, et omnes causas influentes, sine dubio cerneret quaenam atomi sint combinandae et quaenam non.

Et similiter dicatur de atomis radii dissolvendis, et de moleculis aquae vaporandae.

5. Corpuscula non habent ullam legem dynamicam. Quia ut regularitas corpusculorum observetur, necesse est immittere v.c. contra electronem radios luminis; iam vero per hos radios modificatur omnino cursus proprius electronis; *ergo* non poterit observari ille cursus, sed cursus extrinsece causatus a radiis lucis [5].

Resp. Nego assert. Ad probationem, conc. mai., et *min.,* et *consequentiam.* Hinc sequitur nos non posse observare directe cursum proprium electronum, sed hinc non sequitur electronem nullam sequi legem in sua directione et motu.

376. 6. *Instabis:* si ergo corpuscula non possunt observari ita ut sciamus eorum leges, neque poterimus scire leges macrocosmi, quae non sunt nisi expressio eorum quae accidunt in microcosmo.

Resp. Nego illationem. Nam licet legem motus corpusculorum non possimus scire, poterimus scire alias leges, v.c., naturam eorum esse talem ut habeant tales valentias, talem affinitatem, denique tales vires. Nam ex lege macrocosmi possumus concludere multas proprietates microcosmi, ut saepe diximus [6].

---

[5] Cum HEISENBERG sentiunt A. EDDINGTON, J. DIRAC, J. JEANS; sed ALB. EINSTEIN et M. PLANCK non desperant posse inveniri aliquando methodum qua determinentur et positio et directio et velocitas corpusculorum sine modificatione proprii cursus illorum.

[6] RIAZA, *Ciencia moderna y Filos.:* Quid sit lex statistica, n.168.169; contingentistae dicunt omnes leges naturae esse statisticas (n.170), quia referuntur ad multitudinem seu macrocosmum (p.717-720); sed fundamentum legis statisticae in physica est lex dynamica (p.720-725).

N. B. Fatendum est *a)* nos ignorare multas leges, sed non ideo sequitur eas non exsistere, vel nos non posse cognoscere penitus ullas leges. *b)* Praeterea plurimas leges scimus qualitative expressas, quae sunt penitus certissimae, ut sunt leges de affinitatibus et valentiis et alias; sed tamen ulteriores determinationes legum physicarum, ut sunt multitudo circumstantiarum et mensura temporis, status hygrometrici, emissionis vel absorptionis caloris, nos non scimus nisi per legem statisticam, quia homo ignorat multas ex concausis quae possunt influere in has circumstantias.

377. 7. Ex principio Heisenberg multi volunt deducere *a)* omnia esse casualia in mundo; *b)* non valere principium causalitatis; nam si motus et directio corpusculorum est casualis, non est ex causa efficiente determinante, ideoque dantur effectus sine causa efficiente. *c)* Leges non habere nisi probabilitatem; ideoque quidquid accidat, erat possibile naturaliter, quia non dantur leges a quibus tale factum impediatur. *d)* Ideoque et miracula non sunt miracula, sed sunt unus e casibus probabilibus, licet minus probabiles sint quam oppositi.

Respondeo ad singula. Ad *a)* Probata est solide exsistentia legum dynamicarum, unde non omnia sunt casualia, sed ex determinatione propriarum causarum.

Ad *b)* Falsum est principium causalitatis non valere. Nam principium causalitatis dupliciter intelligi potest. *Primo* ut principium uniformitatis naturae, quod sic sonat: idem manens idem, facit semper idem. Hoc principium valet solum de causis non liberis, et est validissimum, siquidem solum enuntiat singulas res operari semper secundum propriam naturam, et modo uniformi in iisdem adiunctis, et hoc principium certissimum est. *Secundo* ut principium enuntians originem entis, et sic sonat: incipiens, vel contingens habet causam efficientem realiter et adaequate distinctam a re quae incepit aut est contingens. Et in hoc sensu non dependet ab experientia, sed ex ipsis terminis, neque ullam exceptionem patitur. Si quando facta aliqua accidunt, modo non uniformi, neque necessario, accident quidem ex causa efficiente, sed non ex causa efficiente praedeterminata.

Ad *c)* Leges dynamicae non habent meram probabilitatem, sed veram certitudinem et necessitatem, licet hypotheticam; si ergo aliquid accidit contra has leges, cum erant omnia adiuncta necessaria ut leges implerentur, intervenit aliqua causa supernaturalis, et non accidit ex mera indeterminatione causarum.

Ad *d)* Unde falsa est ultima conclusio. Dantur verae leges dynamicae; et ideo si hae non servantur in debitis adiunctis, miraculose id accidet, et non mere naturaliter [7].

378. 8. *(Difficultates aliae contra realitatem legum physicarum.)* Lex creat obligationem; *atqui* leges naturae non creant obligationem; *ergo* leges naturae non sunt leges.

Dist. mai: lex moralis *conc.;* lex physica, *nego;* et *concessa min., dist. pariter cons.:* non sunt leges morales, *conc.;* non sunt leges physicae, *nego.*

9. Leges naturae deberent esse perpetuae; *atqui* de perpetuitate legum naturae non constat certo; *ergo* non sunt vere leges.

[7] RIAZA, p.737: causalitas negatur ab indeterministis ob confusionem inter principium causalitatis et principium uniformitatis naturae. Cf. VAN LAER, P. H., *Causalité, previsibilité et science moderne:* RevPhilLouv (1950) 510-526.

Dist. mai.: perpetuae, dum mundus duret, *conc.;* si perit mundus vel elementa de quibus sunt leges, *nego;* et *contradist. min.:* dum duret mundus, *nego;* si perit, *conc.*

10. Sine ulla mutatione substantiali mundi, leges mutantur seu modificantur saepe; *ergo* non sunt perpetuae. *Antec.:* nam constanter leges enuntiantur diverso modo ac antea, ut patet in infinitis theoriis, quae sibi incessanter succedunt.

Dist. antec.: in realitate ontologica, *nego;* in cognitione nostra vel in determinatione maiore circumstantiarum et mensurarum, *conc.;* et pariter *dist. cons.* Et *ad probationem, dist. assertum:* saepe formulis diversis enuntiantur quia leges ontologicae mutatae sunt, *nego;* quia nostra cognitio earum facta est magis exacta, *concedo.*

379. 11. Si leges essent verae leges, possent praevideri et praedici certo eventus futuri; *atqui* hoc non est verum; *ergo* non sunt verae leges. *Minor:* nam in combinatione chlori cum natrio nemo potest certo praedicere talem atomum chlori de facto combinandam esse: massa certe combinabitur, sed haec atomus, fortasse non.

Dist. mai.: si constet omnes conditiones sub quibus lex enuntiatur adimpleri, *conc.;* si autem non constet omnes conditiones adimpleri, *nego;* et *contradist. min.*

Si admiscentur in debitis adiunctis chlorum et natrium, dabitur combinatio, et constat plerumque has conditiones adimpleri in tota massa communiter; utrum autem adimpleantur in una atomo particulari, fortasse non constet: sed haec ignorantia nostra non abolet legem, neque est contra cognitionem legis.

380. 12. Omnes leges microscomi sunt statisticae, ideoque et casuales quoad singula subiecta et casus particulares, utpote calculo probabilitatis enuntiatae; *ergo* non sunt leges dynamicae. *Antec.:* omnes enim leges macrocosmicae enuntiantur formulis quae minutissime describunt mensuras temporis, ponderis, extensionis, quae numquam eveniunt exacte sicut enuntiantur, sed solum sunt numerus medius, qui fortasse in nullo individuo dentur.

Dist. antec.: quoad substantiam legis, *nego;* quoad ultimas circumstantias et minutissimas mensuras, *conc.;* et pariter *dist. cons.:* quoad ultimas circumstantias et minutissimas mensurationes, *conc.;* quoad substantiam, *nego.*

Sic lex dynamica est quod chlorum combinetur cum natrio, et in hoc nulla est vel minima exceptio. Si autem tu determines et massam et tempus, et gradum caloris absorpti vel emissi, et pressionem sub qua experimentum fit, et statum electricum atmosphaerae, et statum hygrometricum, et caetera, non poteris obtinere nisi legem statisticam; non quia haec omnia a parte rei non sint determinatissima, sed quia tu non potes omnia observare nisi cum erroribus et variationibus.

13. Impossibile est ex observationibus macrocosmicis arguere ad naturam vel essentiam radicis unde procedit modus operandi; *atqui* tamen hunc processum sequuti sumus in statuendis legibus dynamicis; *ergo* leges dynamicae non habent ullum fundamentum. *Maior:* quia licet omnia procederent casu, in magno numero atomorum repeterentur tam saepe eaedem actiones, ut tu crederes illam actionem ad totam massam et ad singulas atomos pertinere, cum solum pertineant ad numerum quendam medium, vel ad numerum proportionalem illarum atomorum.

Nego mai. Ad *probationem, nego assertum.* Si enim atomi essent penitus indifferentes ad quamlibet actionem, non haberetur ratio sufficiens cur chlorum cum natrio faceret semper chlorurum sodicum et non sulphurum ferricum. Cur neque semel facit sulphurum ferricum, nisi quia in natura sua habet ut combinatum cum natrio numquam faciat nisi chlorurum sodicum?

C. *Pro necessitate absoluta legum:* (hae obiectiones proponentur in thesi de possibilitate miraculi, n.404-408).

ARTICULUS V

Quaestiones aliquot circa leges

381. Nexus. Cum legibus naturae plurima sunt connexa, quae non potuerunt in thesi ipsa de legibus declarari ut non perturbaretur ordo doctrinae, et nunc brevissime sunt indicanda.

§ 1. **De legibus cosmicis**

382. Praeter leges naturae quae pertinent ad singula corpora seu ad singulas naturas, sunt aliae leges totius universi quae potius sunt leges Divinae providentiae in agendo quam leges insitae intra ipsam essentiam rerum. Leges autem cosmicae sunt sequentes [1].

Prima est lex utilitatis quae a priscis philosophis ita exprimebatur: Natura nihil facit frustra.

Secunda est lex medii naturalis, secundum quam, quae mediante operatione causarum secundarum fieri possunt, Deus solus immediata sua operatione non facit.

Tertia est lex continuitatis, quam enuntiavit Ps. Dionysius: Supremum inferioris naturae attingit infimum superioris; eandemque legem postea Leibnitius et recentiores hoc modo efferunt: Natura non facit saltus; eaque non parum abutuntur transformistae ad lentam evolutionem specierum obtrudendam.

Quarta est lex unitatis, quae in finium subordinatione praesertim elucet.

Quinta est lex pulchritudinis: Omnia eveniunt ad pulchritudinem universi, qua lege abutitur optimista Leibniz.

Sexta est lex constantiae in operando, iuxta quam non perturbantur leges nimia interventione miraculosa.

---

[1] URRÁB., *Cosm.*, p.367.

§ 2. **De theoriis et hypothesibus scientificis** [2]

383. *a)* Aliud est lex et aliud theoria vel hypothesis scientifica. LEX est inclinatio essentialis ad operandum semper modo uniformi et constanti in iisdem adiunctis. Hae sunt certissimae et non variantur cum variatione theoriarum et hypothesium. Sic lex lucis quoad angulum incidentiae et reflexionis, et quoad angulum refractionis et leges combinationum chemicarum semper manent eaedem, licet mutentur omnes hypotheses et theoriae.

THEORIA vero vel HYPOTHESIS est quoddam antecedens quod praesumitur coniecturaliter ut verum, et proponitur ut causa vel conditio phaenomenorum. Sic in radiis RÖNTGEN sunt manifestae causae et conditiones et leges ut producantur et applicentur. Sed ut hae leges explicentur, praesupponitur illos radios esse undulationes quarum leges divinantur, et per has leges coniecturales et suppositas, explicant omnes leges manifestas circa productionem et conductionem illorum radiorum.

b) TENDENTIA hypothesium seu theoriarum non est ut sint merum symbolum algebricum, sed ut sint repraesentatio realitatis. Saepe erratur in hac repraesentatione, sed tamen tendentia est ut realitatem ut est in se repraesentent.

c) CRITERIUM ut sciamus valorem alicuius hypothesis sive theoriae est duplex. Si per hanc theoriam sive hypothesim explicantur sufficienter facta cognita, et nullum est factum oppositum huic hypothesi, haec hypothesis gaudet probabilitate; non autem gaudet certitudine, quia iuxta regulam logices, ex verificatione conditionati non sequitur verificatio conditionis, eo quod conditionatum possit etiam verificari cum aliis conditionibus. Sed si per hanc theoriam explicentur omnia facta cognita, et si probetur praeterea, sine hac theoria esse penitus impossibile haec facta explicare, tunc haec theoria et hypothesis transit in veram thesim.

§ 3. **Scientia positiva et leges**

384. Scientia positiva praescindit ab essentiis rerum et a veris causis elicitivis actionum, et solum versatur circa phae-

[2] De valore theoriarum physicarum: Acta primi Congressus thomistici internationalis (1925) p.61-74; HOENEN, *De questionibus physicochimicis cum Cosmologia coniunctis:* Greg 6 (1925) 248-253; et 8 (1927) 229-242; et 9 (1928) 417-442; MORÁN, *Cosm.*, p.306; DESCOQS, *Essai sur l'hylemorphisme*, p.326; RENOIRTE, *Critique des sciences*, p.102-170; ISAYE, GASTON, *Expérience et théorie:* RevPhilLouv 49 (1951) 446-461; RIAZA, *Ciencia mod. y Filos.*, n.172.

nomena, ut illa describat et eorum leges statuat et ut quaerat explicationem harum legum et factorum per theorias et hypotheses. Hae theoriae et hypotheses non determinant essentias rerum, sed determinant solummodo hypothetice et coniecturaliter quaedam alia phaenomena et leges generaliores, per quas explicentur a priori facta et leges cognitae et per quas detegantur nova facta et leges veluti a priori. In hoc differt scientia a philosophia. Nam philosophia intendit investigare essentias rerum et veras causas actionum, et non solum describere phaenomena, aut statuere leges et theorias.

385. Et ex hac finalitate scientiae sequuntur duo corollaria. *Primum corollarium:* postquam scientificus fecit totum suum laborem scientifici, philosophus debet investigare essentias rerum, bene usus factis et legibus, quae sunt certissimae, non autem theoriis et hypothesibus. Scientificus ipse potest philosophari et determinare essentias rerum et veras causas elicitivas actionum: sed tunc debet uti methodis et principiis, quae sunt propria philosophi, et non methodis propriis scientiae positivae, quae sunt numerus et mensura, et praesuppositio hypothetica aliorum phaenomenorum et legum magis universalium (cf. n.7).

386. *Secundum corollarium:* scientificus per suam methodum scientificam, quae consistit in mensurationibus phaenomenorum et in praecisione ab omni eo quod mensuris non subicitur, nunquam potest invenire leges dynamicas, sed solum leges statisticas.

Ratio est quia ille non intendit statuere quippiam de essentiis et de veris causis; et quoniam leges naturae fundantur necessario in essentiis rerum et in veris causis efficientibus, sequitur illum nihil posse scire de legibus naturae, sed omnes leges ad quas pervenit necessario sunt leges statisticae. Non est igitur mirum tam saepe scientificos negare leges naturae: hae enim non possunt exsistere nisi in essentiis, et illi essentias rerum ignorant methodologice, et multi etiam negant.

ARTICULUS VI

De miraculis et de eorum discernibilitate

Thesis 19. Miracula sunt possibilia et discernibilia.

387. S. Th., 1 q.105 a.6-8; q.110 a.4; 3 CG c.98-104; *De potentia,* q.6 a.1-5.9.10; Suárez, *De fide,* d.4 s.3; et *De angelis,* l.3 c.39; et *De mysteriis vitae Christi,* d.31 s.2; Dario, *Cosm.,* p.297; Urráb., *Cosm.,* p.387; De Backer, *Cosm.,* p.252; Donat, *Cosm.,* p.122; Tonquédec, J., *Introduction à l'étude du merveilleux et du miracle* (ed.3.ª, Paris 1923); Morán, *Cosm.,* p.321ss.; Nicolau, *De revelatione:* Sacrae theologiae Summa, vol.1 (ed.2.ª, BAC, Madrid 1952) p.162-177; Fonck, *I miracoli del Signore,* vol.1 p.3-44; Mir, *El milagro* (Madrid 1895); Ugarte Ercilla, E., *Los milagros del Evangelio* (Madrid 1917); DTC: *Miracle,* t.10 col.1798-1847; Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizat.,* l.4 p.1.ª c.1-7; Lépicier, *Le miracle, sa nature, ses lois* (Paris 1936); De Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons;* Liégé, P. H., *Réflexions pour une apologétique du miracle:* RevScPhilTheol 35 (1951) 249-254.

388. Nexus. Iam vidimus dari leges dynamicas, quae sunt necessariae, sed cum necessitate hypothetica, non autem absoluta. Unde iam virtualiter demonstratum est possibilia esse miracula. Cum autem res sit tam magni momenti, oportet de ea tractare seorsim, ut hac occasione et declaremus notiones miraculi et videamus etiam eius discernibilitatem. Haec quaestio est maxime theologica, nam in miraculis fundatur magna ex parte apologetica eo quod miracula sint signa Dei intervenientis, et per ea Deus confirmat missionem legati sui, per quem mundo communicat suam revelationem. Sed quoniam omnia constant terminis et principiis philosophicis, convenienter de iis tractatur in philosophia post tractatam quaestionem de legibus naturae.

389. Notiones. MIRACULUM etymologice est factum admirationem movens. Sed in realitate duplici modo definitur.

MIRACULUM STRICTISSIME loquendo est factum superans omnes vires naturae creatae et creabilis. Sed si ita definiatur miraculum, vix erit aliquod miraculum quod possimus discernere ut tale, quia nescimus quousque se extendant vires spirituum creatorum, et propter hanc causam hoc alio modo definitur ad usus apologeticos:

390. MIRACULUM PROPRIE, SED MINUS STRICTE dictum, est factum sensibile superans omnes vires activas et exigitivas naturae sensibilis, divinitus factum. Qui termini declarandi sunt.

FACTUM SENSIBILE: quia agimus de miraculis in quantum sunt signum specialis interventionis divinae in natura, et facta quae non sunt sensibilia non serviunt homini ut signa, quia non sunt magis cognita quam res quam volunt significare. Ideo transubstantiatio aut conversio peccatoris non sunt miracula in hoc sensu.

SUPERANS OMNES VIRES ACTIVAS ET EXIGITIVAS. Supponitur enim iam natura constituta et creata, et ea habere quasdam vires et quasdam exigentias essentiales. Si ergo factum non superat vires activas vel saltem exigentias naturae, non est miraculum. Et ideo creatio mundi vel angeli, non est miraculum, quia creatio non superat naturam, sed per illam natura mundi vel angeli constituitur; et similiter creatio quotidiana animarum rationalium non est miraculum, quia habet locum ad exigentiam generationis humanae.

391. NATURAE SENSIBILIS: necesse est ergo ut factum superet vires naturae corporeae seu sensibilis, sed necesse non est ut superet vires naturales angelorum, dummodo constet hoc factum esse per ordinationem specialem Dei.

DIVINITUS FACTUM. Significamus illud factum sensibile

debere esse factum sive a solo Deo immediate, sive a Deo per angelos aut homines legatos Dei. In hoc sensu intelligit definitionem miraculi Apologetica catholica et ius Canonicum in canonizatione sanctorum: non enim requirit ut factum superet omnes vires et exigentias totius naturae creatae et creabilis, sed solum ut superet naturam corpoream, et sit divinitus factum.

392. MIRACULUM DISTINGUITUR a rebus cum quibus fortasse habet apparentem cognationem. Itaque: *a)* Miraculum differt a *miro:* quod est aliquid quod admirationem movet propterea quod fiat per causas occultas ei qui admiratur, licet illae causae sint naturales. *b)* Differt a *praestigiis,* quae sunt mera illusio, occulto artificio effecta ab aliquo agente intelligente in nostris sensibus. *c)* Miraculum differt a *magia,* quae est ars faciendi mirabilia realia, sive per occultas vires naturales sive interventu diaboli. Magia differt a religione, quia religio impetrat haec mira per orationem humilem, et magia exigit haec mira, cogendo potestates superiores per signa quaedam externa. *d)* Miraculum differt a *productione entium perfectiorum seu superioris ordinis,* v.c. a productione vitae vegetativae aut animalis initio mundi organici, nam haec pertinent ad constituendam naturam, miracula autem iam supponunt naturam constitutam. Quare si Deus producat vitam vegetativam in mundo, hoc non est miraculum; sed si aliqua res sensibilis seu corporea producat vegetalia vel animalia extra viam generationis, esset miraculum magnum, quia res corporea non potest extra viam generationis producere vitam.

393. *Divisio miraculorum.* 1. Miracula *dividuntur primo* in miracula primi ordinis et secundi ordinis. MIRACULA PRIMI ORDINIS sunt illa quae superant vires totius naturae creatae et creabilis, ut est compenetratio corporum, ubicatio definitiva corporis ad modum spiritus, facere ut corpus sit gloriosum et veluti spiritualizatum. MIRACULA SECUNDI ORDINIS sunt ea ad quae dantur vires in natura creata spirituali, vel etiam in natura sensibili, sed non ut operentur eo modo. Sic angeli possunt sanare morbum repente; natura vero sensibilis potest etiam sanare morbos, sed non illo modo, v.c. repente, aut solo verbo aut per salivam.

2. *Dividuntur secundo* in miracula supra naturam, contra naturam et praeter naturam. *a)* MIRACULA SUPRA OMNEM NATURAM sunt ea facta quae superant vires totius naturae

creatae, ut sunt eadem quae iam supra enumerata sunt ut primi ordinis. *b)* MIRACULA CONTRA NATURAM sunt ea ad quae est contraria dispositio in natura, sive ratione subiecti, sive ratione exigentiarum. Sic ratione subiecti est contraria dispositio in natura, cum cadaveri restituitur vita, vel cum ei qui privatus est oculo, donatur visus. Natura quidem habet vires ut donet oculos, sed per generationem, non ei qui privatus est oculis. Item natura habet vires ut donet vitam, sed per generationem, non mortuo. Ratione exigentiae est contraria dispositio in natura, cum alicui causae naturali negatur concursus, ut si magno igni negetur concursus ut comburat hominem illuc proiectum. Vel si datur concursus contrarius, v.c. igni ad frigefaciendum vel nivi ad calefaciendum.

c) MIRACULA PRAETER NATURAM sunt illa facta ad quae est vis in natura tum ratione rei, tum ratione subiecti, sed non illo modo, v.c., repente. Sic natura habet vim ut sanet infirmitates, sed lente et cum medicinis, non vero ut eas sanet repente et sine medicinis.

3. Dividuntur tertio miracula in miracula quoad substantiam et quoad modum. *a)* MIRACULA QUOAD SUBSTANTIAM sunt illa facta ad quae non sunt vires in natura creata, et sunt ea quae diximus esse primi ordinis. *b)* MIRACULA QUOAD MODUM sunt illa facta ad quae sunt vires in natura, sed non ut operentur illo modo, quae antea diximus esse praeter naturam. In hac divisione praetermittuntur miracula contra naturam.

394. DISCERNIBILIA sunt si possunt cognosci ut miracula sub respectu historico, philosophico, theologico et relativo. Aspectus HISTORICUS consistit in eo quod factum non sit confictum sed realiter evenerit. Aspectus PHILOSOPHICUS consistit in eo quod factum revera superet vires naturae. Et aspectus THEOLOGICUS consistit in eo quod factum proveniat a Deo ut a causa particulari, sive physice, quia ipse solus effecit, sive saltem moraliter, quia ipse iussit et ordinavit ut tale miraculum patraretur, v.c. ab angelis. Si igitur possunt cognosci secundum aspectum historicum, philosophicum et theologicum, cognoscentur ut vera miracula, et discernentur a fabulis, et a factis naturalibus et a factis diabolicis. Aspectus RELATIVUS est finis cuius gratia miraculum patratum est.

395. Ut autem haec discernibilitas sit possibilis praesupponimus, ut patet: a) *veracitatem facultatum* eorum qui sunt testes. b) *Deum exsistere,* et habere providentiam mundi tum physici tum praesertim moralis, ad quem potest ordinare mi-

racula. c) Ex Critica supponimus *testimonium humanum posse gignere certitudinem*, si testes sunt scientes et veraces, et hoc, licet factum affirmatum sit praeter aut supra aut contra naturam: nam talia facta possunt esse facta tam sensibilia et cognoscibilia sicut quaelibet alia facta sensibilia. Ut autem iudicetur de excessu supra naturam, de origine divina et de finalitate miraculi ratiocinia sunt adhibenda, quae possunt gignere certitudinem.

396. Status quaestionis. His positis quaerimus utrum miracula sint possibilia adaequata possibilitate, nempe intrinseca, quia non includant contradictionem, et extrinseca, quia sit causa potens illa producere; et secundo utrum miracula haec sint discernibilia secundum tres characteres supra descriptos.

397. Sententiae. *Prima sententia* est determinismi absoluti: dantur quidem leges, sed nullam exceptionem pati possunt. Et hoc affirmant fundati in doctrina philosophica quod mundus identificatur cum Deo, et ideo est tam immutabilis sicut ipse Deus; vel quia leges sunt ex decretis Dei, et haec decreta sunt immutabilia; vel quia licet concedant dari Deum omnipotentem, tamen dicunt indignum esse Deo, ut interveniat in mundo quem ipse creavit. Sic pantheistae, athei, deistae, fatalistae.

Secunda sententia. Est contingentismi et indeterminismi: hi dicunt nullas dari leges naturae, ideoque nihil esse quod vel superet eas vel sit contra eas. Iuxta illos quilibet eventus est possibilis, licet raro accidat; et ideo, quae vocantur miracula, sunt casus, qui raro accidunt, sed continebantur intra aream possibilitatis naturalis [1].

Tertia sententia est modernistarum et aliorum, qui, praescindentes a possibilitate miraculi dicunt illud non posse discerni, quia vel constare non possit de facto ipso, vel de excessu supra naturam, vel de origine divina et finalitate miraculi: sic modernistae, et HUME, ZELLER, ROUSSEAU, HARNACK, CHARCOT, BARNHEIM, LAPLACE, STRAUSS, etc.

Quarta sententia est scholasticorum, qui docent et miracula esse possibilia et ea posse discerni secundum characterem historicum, et secundum characterem philosophicum, qui est excessus supra naturam, et secundum characterem theologi-

[1] Inter rationalistas recensendi sunt F. STRAUSS, GOBLOT PAULUS, WEISS, SCHLEIERMACHER, BARTH, RENAN, LOISY, et alii apud FONCK, *I miracoli del Segnore*, p.207; inter contingentistas, praeter alios nominandi sunt BERGSON, LE ROY, BLONDEL, ap. TONQUÉDEC, *Introduction à l'étude du merveilleux et du miracle.*

cum, qui est origo divina et finalitas. Nos hanc sententiam tenemus. Thesis est certissima in philosophia et de fide in Theologia.

398. Probatur thesis. I P. Miracula sunt possibilia.

Prob. 1. A facto ad posse valet illatio; *atqui* plura vera miracula facta sunt; *ergo* miracula fieri possunt.

Maior est clarissima, et minor probatur plurimis testimoniis, quae faciunt rem tam certam, sicut potest esse certum quodlibet aliud factum historicum. *a)* Et sic miracula Christi unanimiter testantur Evangelia authentica, scripta iudaeorum et tota traditio christiana. *b)* Miracula, quae adducuntur ad canonizationem sanctorum, plures Cardenales et Commissiones scientificae in pluribus sessionibus discutiunt, et eorum authentiam confirmant. *c)* Miracula Lapurdensia omnia accuratissimo examini subiciuntur, et plurima approbantur ut vere historica.

399. *Prob. 2. (A priori.)* Omnia miracula consistunt in eo quod aliquid fit supra naturam, aut contra naturam aut praeter naturam; *atqui* in his nulla est impossibilitas absoluta; *ergo* miracula sunt absolute possibilia.

Maior constat ex divisionibus supra factis et ex notione miraculi, nam haec omnia sunt facta superantia vires et exigentias naturae. Et *minor* probatur per partes.

400. A. *Supra naturam* sunt illa ad quae nulla est vis in natura; *atqui* evidenter Deus potest facere aliquid quod natura non potest; *ergo* possunt dari miracula supra naturam.

B. *Miracula contra naturam* sunt ea facta quae fiunt manente contraria dispositione in natura, vel ratione subiecti, vel ratione exigentiarum et aptitudinum naturae; *atqui* Deus potest vincere has dispositiones contrarias; *ergo* potest facere ea miracula contra naturam.

Minor: nam si subiectum est indispositum, potest tamen infundere formam: et sic potest dare vitam cadaveri, et potest oculos restituere ei qui privatus est illis: qui enim omnia potest creare, sine dubio poterit restituere aliquid quod perditum fuit. Et si subiectum habet contrarias exigentias potest Deus vincere eas; et sic si ignis exigit comburere hominem proiectum in furnum accensum, potest negare concursum, et ignis non comburet; et similiter poterit Deus dare concursum contrarium, et ita nix calefaciet, vel virga Moysis educet aquas de petra, etc.

401. C. *Praeter naturam* sunt illa facta ad quae est virtus in natura, sed non ut ea producat determinato modo, ut est v.c. sanare morbum repente, aut sola saliva, aut solo verbo. Et patet possibilitas absoluta horum miraculorum. Nam si natura habet potestatem ad dandam illam sanitatem, sed lente, sine dubio Deus, qui est omnipotens, et est auctor omnis sanitatis, poterit facere hoc repente, vel saliva, vel quomodo velit.

N. B. Et haec facta miraculosa enumerata sub A, B, C, poterit Deus facere vel se solo, vel utens instrumento creato; nam sicut ille est auctor concursus et potest negare si velit, similiter poterit dare concursum non debitum rei creatae, et tunc per instrumentum creatum Deus faciet miracula supra naturam, contra naturam et praeter naturam.

402. II P. Miracula sunt discernibilia[2]**.**

Miracula possunt discerni, si potest constare nobis character historicus facti, character philosophicus seu excessus supra naturam, et character theologicus, seu origo divina et finis miraculi; *atqui* de his tribus constare potest; *ergo* miracula sunt discernibilia.

Maior constat et *minor* probatur: *a)* Potest constare *veritas historica facti.* Nam cum miraculum sit essentialiter eventus sensibilis, eius veritas historica iisdem mediis atque tam certo cognosci potest, sicut reliqua facta historica: sufficit ut constet testem esse scientem et veracem, et hoc constare potest ut probatur in Critica. Quis neget v.c. posse nos scire cum certitudine et crus confractum esse et postea illud subito restitutum esse? Vel hodie vivere illum qui heri foetebat quatriduanus in sepulchro?

b) Potest constare *veritas philosophica,* seu excessus supra naturam. Sic, nemo dubitat superare naturam facta sequentia: quod homo intret in cubiculum ianuis clausis, quod caeco visus restituatur per applicationem luti, quod sanguis concretus sine ullo influxu externo proportionato liquescat, quod homo sola voce componat motus fluctus aequoris. Et ratio est quia ad iudicandum de excessu facti supra vires naturae, qui est eius character supernaturalis, necesse non est nos habere perspectas omnes vires naturae, sed sufficit scire causas, quae nunc applicatae sunt, esse insufficientes ad effectum illum explicandum.

---

[2] S. TH., *In 2,* d.7 q.3 a.1 ad 2; SUÁREZ, *De fide,* d.4 s.1 n.9; URRÁB., p.434-447.

403. c) *Veritas theologica* potest cognosci. Haec pars potius ad theologos spectat; sed ne res maneat manca, criterium generale indicabimus. Nam vel perpensis prudenter omnibus adiunctis apparet signum aliquod interventus diabolici (ex fine pravo, ex modo operandi inhonesto, ridiculo, vano, ex thaumaturgi improbitate), vel nihil huiusmodi apparet.

Si primum contingat, opus non fit volente et interveniente Deo, sed solum permittente. Si secundum, opus divinum est. Nam Deus providentissimus non potest permittere ut mali spiritus destruant sigillum divinitatis, quale est miraculum: si enim vult manifestare alicui se esse qui loquitur, debet facere aliquid quod nemo alius potest facere, quale est miraculum. Destrueretur autem valor huius signi, si non possemus discernere utrum opus sit a Deo, an non.

d) Potest constare *de veritate relativa,* seu de fine ad quem dirigitur miraculum, v.c. utrum dirigatur ad probandum aliquem hominem missum esse a Deo ut loquatur nomine Dei. Sic si factum aliquod est vere historicum, et si superat vires naturae, et si est divinitus factum, et si insuper thaumaturgus dicat se nomine Dei loqui hoc vel illud, revera Deus per ipsum loquitur hoc aut illud. Si enim in his adiunctis, adhuc legatus mentiretur, Deus privaretur medio unico ad se communicandum socialiter cum hominibus, quod est absurdum.

404. Obiectiones. *(A. Pro absoluta necessitate legum naturae.)* 1. Si leges naturae non sunt necessariae absoluta necessitate, capaces sunt exceptionis; *atqui* si sunt capaces exceptionis, non sunt constantes, ideoque neque leges; *ergo* leges sunt necessariae absolute.

Dist. mai.: sunt capaces exceptionis quoad exigentiam modi operandi constantis, *nego;* quoad exsecutionem suae inclinationis, *subdist.:* frequenter et ex vi naturae, *nego;* raro et solum per interventum divinum, *conc. Contradist. min.:* si sunt capaces exceptionis quoad ipsam inclinationem, *conc.;* si sunt capaces exceptionis solummodo quoad exercitium, *subdist.:* si hoc fieret per vires naturae, *conc.;* si fieret per interventum divinum et raro, *nego.*

2. Si leges possent pati exceptionem quoad exsecutionem, non possemus habere certitudinem de cursu naturae neque praedicere eventus iuxta normam legum; *atqui* hoc est destruere certitudinem naturalem et scientiam; *ergo* si leges possunt pati exceptionem perit certitudo et scientia.

Dist. mai.: certitudinem metaphysicam pro singulis eventibus, *conc.;* certitudinem physicam, fundatam in exigentiis rerum, quae possit falli per accidens in his casibus, *nego;* et *contradist. min.:* est destruere certitudinem metaphysicam circa singulos eventus in particulari et scientiam metaphysicam de illis, *conc.;* certitudinem et scientiam physicam de illis, *nego.*

Certitudo nostra quod cursus naturae servabitur communiter iuxta leges, est certitudo metaphysica, quae fundatur in cognitis inclinationibus essentialibus rerum et in sapientia divina, quae sine

ratione gravi non perturbat hunc ordinem; sed de facto particulari futuro iuxta leges, non habemus certitudinem metaphysicam, sed solum physicam, quae potest falli raro et per accidens, et solum cum Deus habet graves rationes perturbandi illum ordinem.

3. Leges naturae non sunt nisi ipsae essentiae rerum; *atqui* essentiae rerum sunt immutabiles; *ergo* et leges.

Dist. mai.: leges in actu primo, *conc.;* in actu secundo, *nego;* et *concessa min. dist. pariter cons.:* sunt immutabiles in actu primo *conc.;* in actu secundo, *nego.* Actus secundus est aliquid realiter distinctum a lege et ab essentiis rerum, ideoque potest permanere eadem essentia et lex in actu primo, et non servari eadem in actu secundo, in aliquo casu particulari.

405. 4. Leges divinae ultimo in essentia divina fundantur; *atqui* haec est absolute immutabilis; *ergo* et leges.

Dist. mai.: quoad suam possibilitatem et exigentiam. *conc.;* quoad exsistentiam et exercitium, *nego;* exsistentia rerum fundatur in divina voluntate, et similiter exercitium operationis secundum exigentiam rerum. Divina voluntas ordinario accommodatur indoli et exigentiis rerum, sed cum est ratio gravis Deus potest, manente essentia et lege, operari supra et contra naturas rerum et praeter illas.

5. Leges naturae sunt mathematicae; *atqui* lex mathematica est absolute invincibilis; *ergo* leges naturae sunt absolute invincibiles.

Dist. mai.: sunt leges seu formulae mathematicae abstractae *nego;* sunt leges seu formulae mathematicae applicatae ad determinatam materiam, *subdist.:* et in rigore applicantur ad exigentiam legum operandi illo modo, *conc.;* applicantur ad ipsam actualem operationem, *subdist.:* hypothetice, si Deus non contra interveniat, *conc.;* absolute, etiam si Deus velit miraculose intervenire, *nego.* Et *contradist. min.:* leges seu formulae mathematicae abstracte consideratae sunt immutabiles, *conc.;* applicatae ad determinatam materiam, *subdist.:* sunt immutabiles si indicant exigentiam operandi sic et sic, *conc.;* si indicant ipsam actualem operationem, *subdist.:* si Deus velit intervenire miraculose, *nego;* si non interveniat, *conc.*

6. Leges naturae sunt decreta divina ut creaturae operentur sic vel sic; *atqui* decreta divina sunt immutabilia; *ergo* et leges naturae sunt immutabiles.

Conc. mai. dist. min.: in eo sensu in quo prolata sunt, *conc.;* alio sensu, *nego;* et *dist. pariter cons.:* leges sunt immutabiles eo sensu quo a Deo determinatae sunt iuxta indolem rerum et proprium beneplacitum, *conc.;* alio sensu, *nego.*

Deus dedit decreta ut creaturae operentur iuxta indolem earum et iuxta proprium beneplacitum, quod beneplacitum potest esse ut in quibusdam adiunctis ipse interveniat modo miraculoso.

406. 7. Tam leges naturae quam morales procedunt a Deo; *atqui* in moralibus ne semel quidem potest dispensare; *ergo* neque in legibus naturae.

Conc. mai. et *min.*, sed *nego* consequentiam ob disparitatem. Disparitas est in eo quod dispensatio in ordine morali naturali perturbaret ordinem rationis, sed dispensatio in ordine physico non perturbat ordinem rationis, sed solum ordinem consuetum rerum inter se.

8. (B. *Inconvenientia ex miraculis.*) Deus patrando miracula mutaret sua decreta et corrigeret suum opus; *atqui* utrumque est absurdum; *ergo* non potest patrare miracula.

Minor constat et maior probatur: mutaret sua decreta, quia ab aeterno decrevisset constantiam legum, et in tempore non servaret constantiam. Et corrigeret suum opus, quia talis interventus significat suum opus non esse sufficienter aptum ad suos fines.

Nego mai. Ad probationem, nego Deum mutare decreta, quia ab aeterno decrevit constantiam cum suis exceptionibus. *Nego* etiam corrigere opus suum, quia hoc opus est valde aptum ad fines naturales suos; ad fines autem supernaturales non est aptum, sed contra ineptum, sicut omne naturale est ineptum ad faciendum aliquid supernaturale.

9. Per miracula Deus curaret de minimis, v.c. de paupere paralytico ad probaticam piscinam; *atqui* dedecet Deum curare de his minimis; *ergo* dedecet Deum facere miracula.

Conc. mai.; et *nego min.;* nam Deus est summae bonitatis, et cum vult, attendit sicut illi placet necessitatibus indigentium. Item non est adeo minima res curare miraculose paralyticum pauperem, si haec curatio dirigitur ut sit testimonium Dei, testificantis Christum esse legatum et Filium Dei.

407. 10. Deus patrando miracula, violaret iura naturae; *atqui* Deus nequit violare iura naturae; *ergo* nequit patrare miracula. *Minor:* quia hoc esset contra exigentias naturae, et sic contra iustitiam et bonitatem.

Nego mai. Natura non habet iura ulla moralia. Solum habet exigentiam entitativam datam ab ipso Deo, quae exigentia indiget Deo ut operetur secundum indolem suam: Deus autem potest pro suo beneplacito satisfacere huic exigentiae vel non satisfacere. Deus debet suae sapientiae, sed non ulli iuri alieno, ut ordinario satisfaciat exigentiis rerum; sed non debet suae sapientiae ut nunquam faciat exceptionem, etiam cum sunt rationes graves ad id faciendum.

11. Deum dedecet facere homini impossibilem scientiam; *atqui* per miraculum faceret homini impossibilem scientiam; *ergo* Deum dedecet facere miracula. *Minor:* quia si fiant miracula, non posset statui necessitas cursus mundani neque praedici eventus futuri.

Conc. mai. Dist. min.: si exceptiones fierent passim et sine causa rationali, *conc.;* si solum raro et cum causa rationali, *nego*. Et *dist. pariter min.* si miracula fierent passim et sine causa rationali, *conc.;* si raro et cum causa rationali, *nego*. Et *dist. pariter probationem.*

12. In scientiis viget principium causalitatis clausae; *atqui* si verum est hoc principium, Deus non potest facere ullum miraculum; *ergo* iuxta scientias Deus non potest facere miracula.

Dist. mai.: et hoc principium est statutum cum probatione aliqua rationali, *nego;* est statutum mere gratuito ab agnosticis et materialistis *conc.* Et *concessa min.; dist. pariter cons.:* si hoc principium esset statutum rationabiliter, *conc.;* si solum irrationabiliter assumitur ab agnosticis et materialistis, *nego*.

Principium causalitatis clausae docet nullum effectum posse fieri in mundo materiali nisi a causa eiusdem ordinis; unde affirmatur neque angelum, neque animam rationalem, neque Deum posse facere ullum effectum in mundo: et quo iure hoc dicitur?

408. 13. Quantitas energiae in mundo semper est eadem; *atqui* si fiunt miracula a Deo, introducitur in mundo aliqua energia, non consumpta aequivalente; *ergo* miracula fieri non possunt. *Maior:* quia mundus est systema clausum, et in systemate clauso quantitas ener-

giae (potentialis et actualis) semper est eadem. *Minor;* quia v.c. in resurrectione mortui haberetur energia nova, homo scilicet vivens, non consumpta aequivalente anteriore; nam Deus faceret resurrectionem illam non consumpta ulla quantitate carbonis, caloris, electricitatis.

Dist. mai.: si sibi relinquatur et non interveniat ulla causa immaterialis, *conc.;* si autem non sibi relinquatur sed interveniat aliqua causa immaterialis, *nego;* et *concessa min., contradist. cons.;* si conservatio eiusdem quantitatis energiae esset absolute necessaria, *conc.;* sed si est hypothetice necessaria, *nego.*

In hac solutione permittitur quantitatem energiae augeri, si fiant miracula. Sunt tamen qui negent minorem, et explicent omnes interventus miraculosos sine augmento aut decremento energiae. Sed haec explicatio videtur gratuita et innecessaria.

14. Sapientis est facere machinam cui non sit necessaria posterior interventio extraordinaria; *atqui* si fiunt miracula signum est Deum non fecisse machinam tam affabre factam; *ergo* non fiunt miracula.

Dist. mai.: cui non sit necessaria ulterior interventio ad finem proprium illius machinae, *conc.;* ad finem qui non est proprius illius machinae, sed ad finem superiorem, *nego.; et contradist. min.*

15. (C. *Contra discernibilitatem miraculi.)* Obiectum certitudinis naturalis sunt facta naturalia; *atqui* miracula non sunt facta naturalia; *ergo* non sunt obiectum certitudinis naturalis.

Dist. mai.: naturalia in quantum sunt sensibilia et accidunt modo sensibili, *conc.;* quae accidunt servatis legibus naturae, et quidem solum haec, *nego; contradist. min.:* non sunt naturalia, eo sensu quod non sint sensibilia aut non accidant modo sensibili et observabili, *nego;* non sunt naturalia, quia non sunt secundum leges naturae, *conc.*

409. 16. Certitudo infirmior firmiori cedere debet; *atqui* de realitate miraculi constat certitudine morali, et realitas legis physicae constat certitudine physica, quae est maior; *ergo* de realitate miraculi constare non potest certo.

Conc. mai.; nego min.; nam in primis nego constare physice certo adimpletam esse legem naturae in casu miraculi affirmati per idoneos testes. Cum enim lex de facto non est impleta, non habetur certitudo physica de illius adimpletione. Et secundo nego certitudinem fundatam in testimonio fide digno esse minoris vis quam est certitudo fundata in motivo physico desumpto ex necessitate hypothetica legis naturae.

17. Homines mentiri non est miraculum; *ergo* potius credendum est mentitos esse quam factum esse miraculum.

Resp. 1. Nego suppositum consequentis, nempe, omnia potius esse credenda praeter miraculum.

Resp. 2. Conc. antec., et *dist. cons.:* si non adsunt testes scientes et veraces, *conc.;* si autem adsunt testes scientes et veraces, *nego.*

18. Principium criticae historicae est ea esse neganda quae naturalem non admittunt explicationem; *atqui* miracula non admittunt naturalem explicationem; *ergo* miracula omnia neganda sunt.

Neg. mai. Hoc non est principium scientificum sed potius gratuitum et fundatum in atheismo vel pantheismo vel in scientia aliquo vitio maculata. Relege notiones positas initio.

410. 19. Quaedam nunc habentur ut naturalia, quae prius credebantur miracula; *ergo* miracula non sunt discernibilia. *Antec.* v.c. quaedam curationes nerveae repentinae.

Conc. antec., et *nego consequentiam,* quae latius patet quam praemissae. Transeat potuisse aliquos errare circa indolem miraculosam curationis alicuius infirmitatis nerveae; sed non ideo errant cum testes veraces testificantur aliquem habuisse cancerem, et statim post applicationem alicuius reliquiae repente sanatum esse.

20. Curationes repentinae possunt esse effectus suggestionis propriae vel alienae; *ergo* non potest constare de miraculis.

Dist. antec.: Aliquae *conc.;* sed omnia praesertim quae consistunt in restitutione alicuius membri, vel in disparitione canceris, aut in restitutione cruris iam sepulti, *nego;* et *nego consequentiam.*

21. Non callemus omnes vires naturae; *atqui* ut possemus discernere miraculum, deberemus scire quousque se extendant vires naturae; *ergo* miracula non sunt discernibilia.

Dist. mai.: non percallemus eas positive, *conc.;* negative, *nego.* Et *contradist. min.;* saltem negative, *conc.;* etiam positive, *nego.* Ego nescio omnes vires maris et gravitatis, sed scio hominem non posse ambulare super aquas; et luto non tolli cataractas oculorum, et voce non sedari mare perturbatum, et signo crucis non extirpari cancerem.

Neque iuvat invocare vires naturales occultas. Nam etsi darentur, saepe constare potest non esse applicatas, tum ex ignorantia thaumaturgi, tum ex testimonio fide digno illius. Neque dicas illas vires casu concurrisse ad vocem vel preces thaumaturgi: hoc esset invocare harmoniam praestabilitam vel casum.

22. Facta spiritismi, hypnotismi et occultismi generatim sunt simillima miraculis; *ergo* miracula non possunt discerni ab illis.

Nego mai.: quanta distantia adsit inter illa facta et miracula discere possumus ex infinitis libris qui narrant quomodo fiant facta occultismi [3].

411. Scholium. Utrum non exsistentibus ullis legibus, esset adhuc possibile miraculum [4].

Duplex est sententia. Prima tenet tunc adhuc fore possibile miraculum, et sic probant: etiam si nullae leges naturae dentur, si thaumaturgus imperaret infirmitati ut abiret, et revera cessaret, esset miraculum; quia illa concomitantia inter iussionem et factum, non potest esse casu neque per vires naturae, neque per vires thaumaturgi, *ergo* fit interventione Dei.

Secunda sententia tenet, si non darentur ullae leges physicae, nullum fore possibile miraculum. Nam miraculum est factum sensibile superans vires et leges naturae; *atqui* si non essent leges, nullum factum superaret vires naturae, quia neque vires neque exigentiae habent ullam normam fixam

[3] PALMÉS, F., *Metapsiquia y espiritismo* (Madrid 1932); UGARTE ERCILLA, E., *El espiritismo moderno* (Barcelona 1916).

[4] ECHARRI, J., *¿Milagro sin determinismo?:* Pens 5 (1949) 175-186.

procedendi, quae superari posset; *ergo* si non darentur leges non darentur miracula.

412. *Tertia sententia* distinguit, et dicit, si nullae essent leges dynamicae, possibilia esse miracula moralia, pertinentia ad ordinem prophetiae: non vero ulla miracula ordinis physici. *Possunt dari miracula ordinis prophetici.* Nam si omnia omnino sunt contingentia et indifferentia ad quemlibet eventum, sicuti est libertas, nemo nisi Deus potest scire quid accidet; quia ille eventus nullam determinationem habet in causis: eventus autem qui nullam determinationem habent in causis, solum possunt cognosci in seipsis, et ab eo cuius intuitus fertur in res quae nondum sunt, quasi iam essent: iam vero is est solus Deus; *ergo* solus Deus potest cognoscere futura illa indeterminata in causis; si ergo thaumaturgus cognoscit illud futurum, signum est loqui nomine Dei et inspiratum a Deo.

Sed non possunt dari miracula ordinis physici. Nam si nullae sunt leges, quidquid eveniat, non superabit ullas vires aut ullas leges, ideoque neque erit miraculum physicum.

Et haec sententia tertia videtur esse amplectenda, ut apparet ex argumentis.

413. *Dices 1.* Et si nullae sunt leges, tamen posset dari cursus naturae regularis; si ergo thaumaturgus imperet, et cursus naturae mutetur in aliquo, illud erit miraculum.

Resp. 1. Nego antec.: nam si nulla est lex dynamica, nulla est ratio cur naturae cursus uniformis servetur, sed omnia accident casu et sine ulla uniformitate, v.c. in ortu siderum, in combinationibus chimicis, in resistentia metallorum.

Resp. 2. Transeat antec., et *nego consequens:* licet mere casualiter daretur cursus naturae, eius mutatio per thaumaturgum nullum esset miraculum: quia illa mutatio per thaumaturgum, non esset contra ullam legem aut contra ullas vires; ideoque non erit signum speciale potestatis intervenientis, nam quilibet posset mutare cursum naturae.

2. *Instab.* Illa mutatio cursus naturae per thaumaturgum esset miraculum, quia illa coincidentia inter mandatum thaumaturgi et adimpletionem eius non potest esse casualis; *ergo* necesse est ut accidat ex interventu thaumaturgi.

Resp. Nego antec.; ad probationem, *Resp. 1.:* concedo illam coincidentiam non fore casualem, sed accideret ex mandato thaumaturgi; sed tamen illud factum non esset miraculum, quia non esset contra ullam legem aut vires, sed quilibet idem posset facere, et ideo non est signum interventus divini. *Resp. 2. Nego* illam coincidentiam non fore casualem; sed in hypothesi quod non sint leges, omnia erunt casualia et sine ratione in ullis causis determinantibus, unde non est mirum hoc etiam factum fore casuale.

Ex his ergo constat vel admittendas esse leges naturae; vel si leges naturae non admittantur, neque possibilia esse ulla miracula,

nisi ordinis mere moralis seu prophetici: facta enim nulla sunt determinata in causis, et ideo praescire quid sit futurum, solius est Dei, vel prophetae a Deo missi et inspirati.

ARTICULUS VII

DE DYNAMISMO FINALISTICO SINGULARUM NATURARUM

Thesis 20. Omnes naturae corporales agunt suas actiones proprias propter finem.

414. ARIST., 2 *Phys.*, c.7-10; S. TH., ibid., lect.12-15; 1 q.103 a.1; 3 CG c.25; SUÁREZ, DM d.23 s.10 n.1-10; URRÁB., p.292-312; MORÁN, p.280-281; PESCH, n.82-105; SCHAAF, p.152 et 277; PAUL JANET, *Les causes finales;* FRANK, K., *Die stellung der Gottesidee in der Naturwissenschaftlichen Forschunsmethode:* Greg 8 (1927) 385-422; DESCOQS, *Theol. Nat.*, I p.320-436.

415. Nexus. Iam egimus de activitatibus corporum, et vidimus eas activitates esse subiectas legibus naturae. Et nunc debemus videre utrum illas actiones, quas exercent iuxta normas legum, etiam faciant propter finem, seu verbis magis novis: quaerimus utrum dynamismus singularum naturarum sit teleologicus an non.

416. Notiones. FINIS est id cuius gratia aliquid fit, vel ob cuius amorem aliquid fit. Includit ergo cognitionem rei quae est bonum et finis, et amorem illius et effectionem alicuius effectus ob amorem illius boni cogniti. Actio propter finem solum datur proprie, ut patet, in ente intelligente; in actionibus exterioribus ordinatio finalistica solum est per denominationem a volitione interna, quae intendit finem.

417. Finis potest esse *proximus* et ultimus seu *remotus*. ULTIMUS seu remotus est ille qui iam non est ordinabilis ad aliud bonum. PROXIMUS est ille qui ulterius potest ordinari ad alium finem. Nunc loquimur solum de fine proximo, quae sunt actiones propriae singularum creaturarum.

2. Finis potest esse etiam *intrinsecus* et *extrinsecus*. Finis INTRINSECUS est ille qui conformatur cum exigentiis naturae; et finis EXTRINSECUS est ille qui intenditur ab operante, sive sit ex exigentiis naturae, sive extra exigentias talis naturae. Sic ferrum habet multas actiones proprias iuxta exigentias naturae, ut sunt: determinatum pondus, resistentia, calor specificus, gradus fusionis, affinitates; et alias actiones quae sunt extra exigentiam suae naturae: et sunt facere officia mallei, vel instrumenti bellici, vel instrumenti scriptorii vel colligare trabes ut sint firmiores. In illis prioribus actio-

nibus exercebit finalitatem intrinsecam, in his autem actionibus exercebit finalitatem extrinsecam, impositam solum ab extrinseco agente.

Quaerimus in hac thesi solum de finalitate *intrinseca*, utrum nempe actiones proprias et specificas faciant naturae propter finem an non.

418. 3. Potest agi de fine *singularum naturarum*, vel de finalitate *determinati systematis vel complexus rerum;* et nunc quaerimus solum de finalitate singularum naturarum; nam agere de finalitate systematis seu ordinis determinati, pertinet ad thesim sequentem de ordine mundano et de auctore illius ordinis.

4. Potest agi de dynamismo finalistico in entibus *rationalibus ut talibus* vel in entibus quae *non sunt rationalia*, vel quae non operantur ut rationalia, sicut sunt singulae cellulae et elementa corporalia hominis; agimus non de rationalibus, quia constat ea agere propter finem, sed agimus de agentibus quae operantur sine intellectu seu indeliberate.

5. Agens propter finem potest agere finaliter, vel *se movendo* ad finem, vel solum *ut motum ab alio ad finem:* sic, sagittans et vult finem et ad obtinendum illum finem mittit sagittam contra avim: sagittans tendit ad finem seu agit propter finem movens se ad illum, per propriam cognitionem et voluntatem; sed sagitta, licet tendat etiam in finem, solum tendit in illum ut mota a sagittante. Et dicimus res irrationales naturae agere propter finem, non quidem ut se moventia ad finem, sed ut mota et acta ad finem ab eo qui cognoscit et intendit finem. Corpora quidem agunt ab intrinseco; sed tendere ad finem est in illis per denominationem extrinsecam desumptam ab eo qui dedit tales vires ad tales fines.

419. Status quaestionis. Quaerimus ergo, ut iam est declaratum, utrum irrationales naturae singulae tendant ad fines seu agant propter finem intrinsecum et proximum, qui sunt proprii effectus et actiones earum, et quidem ut motae ab agente intelligente, non vero ut se moventia.

420. Sententiae. *Prima sententia* docet naturas corporeas non agere propter finem. Concedunt illas naturas habere connexionem cum determinatis actionibus, et habere vires quibus eas actiones exercent; illas autem actiones et effectus efficiunt quia habent tales vires, non autem habent tales vires aut actiones ut obtineant determinatos effectus. Avis non habet alas ad volandum, sed volat quia habet alas. Ferrum

non habet determinatas affinitates ut combinetur cum suis affinibus, sed e contra combinatur cum suis affinibus quia habet illas vires. Germen leonis evolvitur usque ad leonem, non quia germen factum sit ad producendum leonem, sed producit leonem quia habet vires producendi leonem. Concedunt ergo dari vires determinatas ad certas actiones quasi scriptas in ipsa natura, sed tamen dicunt eas non agere propter finem, quia nullus cognoscit illum finem neque ullus tendit ad finem; sic athei, materialistae, agnostici, evolutionistae, transformistae.

Secunda sententia. Tenet corpora agere propter fines, sed eos fines non posse a nobis cognosci, eo quod Dei consilia sint nimis occulta, ideoque hos fines proximos non esse in scientiis investigandos, quia talis investigatio esset nimis arrogans, sterilis et nociva cognitioni causarum efficientium, quae negligerentur per has investigationes. Sic Descartes [1].

Tertia sententia docet singula corpora irrationalia agere propter fines proximos, qui sunt propriae operationes et effectus, non ut se moventia ad finem, sed ut acta ad finem ab ente intelligente: sic senserunt SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES, PLUTARCHUS, SENECA, SANCTI PATRES, SCHOLASTICI communiter, denique magni scientifici, ut LEIBNIZ, NEWTON, COUVIER. Hanc et nos tenemus ut certissimam [2].

421. Probatur thesis.

Prob. 1. Res irrationales agent propter finem ut motae ab alio, si Deus non caece, sed scienter et libere voluit exsistere has naturas specificas, cum suis viribus specificis, et si voluit eas naturas et vires habere tales operationes specificas; *atqui* ita se res habet; *ergo* res irrationales tendunt seu diriguntur ad fines suos specificos, ut motae ab alio, non ut se moventes.

Maior: si enim haec omnia accidunt, tunc *a)* res tendent vel dirigentur ad finem specificum, quia illae operationes sunt ex intentione finis ut patet: nam Deus illas operationes intendit. Et *b)* dirigentur ad finem ut motae ab alio: nam res irrationales non conceperunt finem, neque illum voluerunt, sed dicuntur intendere in finem per denominationem extrinsecam ab intentione Dei. *c)* Sed movebuntur ad finem ab alio, non tamen modo extrinseco, sed intrinseco, per formas quae sunt propria natura rerum, et per vires naturales quae ex illa natura oriuntur. Unde operari operationes specificas est ab

[1] Sic etiam BACO a VERULAMIO, ROBINET, BUFFON, LAPLACE, ap. PESCH, n.84.
[2] URRÁB., p.294.

intrinseco, sed tendere ad finem est denominatio extrinseca ab intentione quam Deus habet illius finis.

422. Scholium. 1. De aliis modis probandi hanc thesin. R. PATER GARRIGOU-LAGRANGE cum multis aliis contendit hanc thesin, quae continet principium finalitatis, esse apodicticam et constare ex terminis, non autem ex ulla demonstratione stricte tali, neque ex praesuppositione exsistentiae Dei sapientissimi et auctoris rerum. En quomodo explanet thesin[3].

Prob. 1. Res omnes naturales irrationales determinatae sunt ad certas operationes et effectus; *atqui* hoc est agere propter finem; *ergo* omnia irrationalia agunt propter fines.

Maior: secus ex determinatis agentibus non prodirent determinatae actiones et effectus, sed quilibet, quia supponeretur res esse indifferentes ad quoslibet effectus et non determinatas ad actionem et effectum specialem.

Minor: si enim sunt determinatae ad certam actionem et effectum, *ergo* non prodeunt in activitatem nisi ut efficiant illam actionem et effectum; *atqui* hoc est agere propter finem, ut manifeste constat ex terminis; *ergo* res agere ut determinatas ad certam actionem et effectum, est agere propter fines.

423. *Crisis.* Dicendum tamen est: 1) Hic solum probatur dari vires quae faciant determinatas actiones et effectus ex determinatione naturae, quod concedunt materialistae et deterministae saeculi XIX et tamen finalitatem nullam agnoscunt. 2) Immo per haec non est demonstrata ulla intelligentia quae intendit tales fines: nam si supponamus res esse determinatas ad certas actiones et effectus, operarentur semper eodem modo licet nulla esset intelligentia quae intenderet illas actiones et effectus. 3) Unde per hoc argumentum non demonstratur existentia Ordinatoris supremi, sed solum dari naturas quae operantur necessario certas actiones et effectus.

424. *Prob. 2. (Paulo aliter.)* Si naturae singulae non agerent propter fines, non essent determinatae ad certas actiones et effectus; atqui sunt determinatae; ergo agunt propter fines.

Minor: est manifesta. *Maior* vero probatur; si enim non agerent propter fines, agerent indifferenter quidlibet, non autem hoc determinatum.

Crisis: Sed aliquis posset negare maiorem, et probationem eius: possent esse res determinatae ad certas actiones et effectus, eosque producere necessario et uniformiter, non quia diriguntur ad ullum finem, sed quia habent tales vires. Ut probetur tendentia finalis requiritur etiam ut aliquis intellectus cognoscat et velit illas actiones et effectus, secus agent quia habent vires, non autem habent vires ut agant sic.

425. *Prob. 3.* Datur ordo in mundo ex quo sequitur effectus valde utilis ad vitam hominum, animalium et plantarum; *atqui* hoc non potest explicari sine aliquo qui conceperit ordinem ad talem effectum consequendum; *ergo* datur ordinator talem effectum intendens, et hoc est res agere propter fines ut motas ab alio, non ut se moventes.

---

[3] GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu* (1919) p.185; *Le principe de finalité.*

Crisis: Argumentum est pulchrum, sed non huius loci. Hic non volumus demonstrare totum mundum, ut complexum rerum, habere tendentiam finalem sed singulas res operari suas actiones specificas propter finem, licet praescindamus ab hoc utrum ex combinatione multorum agentium resultet effectus qui non exigitur ab ullo illorum.

426. Scholium. 2. De appetitu innato. Res naturales tendunt ad proprias et specificas operationes appetitu innato. Nam appetitus innatus dicit duo: unum est dirigi in operationes ut in finem; et secundo ut illae operationes sint iuxta determinationem et indolem propriae naturae; *atqui* res naturales diriguntur ad operationes proprias ut ad fines, ex probatis, et praeterea illae operationes oriuntur ex determinatione et indole propriae naturae; *ergo* habent appetitum innatum ad illas. Si dirigerentur ad finem a Deo, sed non per formas intrinsecas et naturales, res operarentur propter finem, sed non haberent appetitum innatum finis [4].

427. Obiectiones [5]. 1. Ut intendatur finis, necessaria est cognitio intellectualis; *atqui* naturae irrationales non habent intellectum; *ergo* naturae irrationales non intendunt finem.

Dist. mai.: ut quis intendat finem ut se movens ad illum, *conc.;* ut motus ad illum, *nego;* et concessa minore: *contradist. cons.*

2. Si naturae irrationales non tendunt in fines suos nisi ut motae, non dantur tendentiae intrinsecae ad suas operationes ut ad fines suos; *atqui* hoc est destruere naturas et appetitus innatos; *ergo* non tendunt ad fines solum ut motae ab alio, sed ut se moventes.

Resp. *Nego mai.* Habent determinationem essentialem ad suas actiones et operationes; sed agere propter finem includit praeterea ut aliquis cognoscat finem et intendat illum, ex cuius intentione res denominantur extrinsece habere intentionem finis.

3. Si omnia in natura agerent propter finem, appeterent finem; *atqui* non omnia appetunt finem, quia illum non cognoscunt; *ergo* non omnia agunt propter fines.

Resp. *Disting. mai.:* appeterent appetitu saltem innato, *conc.;* appetitu elicito, *subdist.:* proprio, *nego;* illius qui ordinat illas naturas ad fines, *conc.;* et *contradist. min.:* non omnia appetunt finem appetitu innato, *nego;* elicito, *subdist.:* proprio, *conc.;* illius qui illas ordinat ad fines, *nego.*

428. 4. Si agentia naturalia agunt propter finem, finis exercet suum influxum in illa; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* non agunt propter finem. *Maior:* quia finis non agit nisi quia prius attraxit et movit agens ut ageret. *Minor:* quia non cognoscunt finem, ideoque non possunt attrahi ad finem.

Dist. mai.: si agerent propter finem ut se moventia ad illum, *conc.;* si agunt propter finem ut mota ab alio, *subdist.;* ut in rem quae se movet ad finem, *nego;* ut in rem quae movetur ad finem, *conc.* Finis movet vel terminat causam intelligentem ordinatricem; haec vero ordinat in fines agentia naturalia et ex hac ordinatione agentia naturalia denominantur agere propter finem.

5. Si natura ageret propter finem, intenderet semper bonum; *atqui* non semper intendit bonum; *ergo* non agit propter finem. *Mi-*

---

[4] S. TH., *De veritate,* q.22 a.1.
[5] URRÁB., *Cosm.,* p.304ss.

nor: nam saepe fiunt corruptiones, quae certo bonum non sunt saltem illi cui accidunt.

Resp. Dist. mai.: bonum proprium quod est exercere suas proprias operationes, *conc.;* bonum aliorum, *nego;* et *contradist. minorem:* non intendit semper bonum proprium, *nego;* bonum aliorum, *conc.,* vel praetermitto. Sic v.c. animal tendendo ad finem suum qui est servare vitam, destruit herbas, quod certe est bonum proprium, sed non bonum plantae.

N. B. Hic agimus de finibus singularum rerum et quidem essentialibus; et per has tendentias saepe agunt propter finem proprium non aliorum. Sed postea videbimus quomodo exercendo has finalitates proprias obtineatur alius finis qui intenditur ab Ordinatore extra essentiam cuiusque.

6. Si naturae agerent propter finem, effectus converteretur in causam et causa in effectum; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* non agunt propter finem. *Maior:* nam natura, ut patet est causa actionis; et aliunde esset effectus actionis, quia actio est finis propter quem natura est.

Dist. mai.: in eodem genere causae, *nego;* in diverso genere causae, *conc.;* et *contradist. min.:* in eodem genere causae *conc.;* in diverso ordine causae *nego.*

Natura est effectus finis, intentionaliter solum exsistentis in mente creatoris; et eadem natura est causa efficiens finis ut iam exsistens in rerum natura.

429. 7. Veteres multum investigarunt de causis finalibus naturarum, et valde neglexerunt determinare veras causas efficientes et vera antecedentia effectuum; *ergo* investigatio finium nocet verae investigationi causarum efficientium. *Maior:* sic Scotus investigans fines ventorum, ait finem esse ut arbores exerceant suam mobilitatem per illum, quoniam per se ipsae non possunt.

Transeat antec. et *nego cons.* Si veteres errarunt aliquid in hoc, ne imitemur illos; serio insistamus, quantum possimus investigationi causarum efficientium, sed non ideo negligamus investigationem causarum finalium.

8. Iuxta dicta, agentia naturalia agunt propter fines per denominationem extrinsecam a Deo, qui vere intendit fines; *atqui* hoc est facere Deum indigentem bonis extrinsecis; *ergo* est impossibile naturas agere propter finem ex denominatione a Deo intendente tales fines.

Dist. mai.: intendit fines ut bonum proprium, *nego;* ut bonum aliorum, quibus imponit fines proximos et tandem ultimum, qui est ipse Deus participandus ab illis, *conc.;* et *contradist. min.:* si intenderet fines ut bonum proprium, *conc.;* si intendit fines ut bonum aliorum, *nego.*

9. Si natura ageret propter finem, beneficentius ageret cum homine quam cum bestiis; *atqui* non ita est, *ergo* natura non intendit fines. *Minor:* nam quodlibet animal magis est instructum omnibus necessariis et sibi convenientibus quam homo, cui desunt elementa ad vestitum, ad cibum, ad instructionem intellectualem et moralem.

Haec difficultas ad rem non pertinet: tangit enim ordinationem complexus universi ad bonum totius, et non inquirit utrum singulae res particulares agant propter fines suos intrinsecos et specificos, de quo solum agit thesis.

Sed praevenientes solutionem futuram, respondemus:

Dist. mai.: beneficentius ageret cum homine, donans ei plures possibilitates ad finem altiorem et ultimum, et etiam ad fines proximos huius vitae, subordinatos tamen ultimo, *conc.;* praecise ad fines proximos huius vitae, *subdist.:* per se (et respiciendo indolem potentiarum hominis) *conc.;* etiam per accidens (ita ut tales potentiae per accidens non possint impediri), *nego.* Et *contradist. min.:*

10. In his omnibus praesupponis dari naturas et eas habere determinationes essentiales; *atqui* non dantur naturae neque determinationes essentiales; *ergo* thesis haec est infundata.

Maior constat, et *minor* probatur: quia corpora visibilia sunt aggregationes multorum corpusculorum, non natura aliqua; corpuscula vero sola indeterminatione reguntur iuxta HEISENBERG.

Conc. mai.; et *nego min.;* ad probationem, *concedo* macrocosmum esse aggregationes corpusculorum, sed *nego* corpuscula carere ulla lege et determinatione essentiali, ex thesi de exsistentia legum naturae.

ARTICULUS VIII

DE DYNAMISMO MUNDI COMPLEXIVE SUMPTI

Thesis 21. Est in mundo ordo formalis.

430. ARIST., 2 *Phys.,* c.5-9; S. TH., ibid., et *De potentia,* q.3 a.15; 1 q.2 a.3; SUÁREZ, DM d.19 s.12, ubi de casu; et d.23 s.10, de finalitate; et d.29 s.2 n.7-27, ex ordine mundano probatur Deus; URRÁB., *Theod.,* I p.124-142; et *Cosm.,* p.53-61; PAUL JANET, *Les causes finales* (Paris 1882); H. DEHOVE, *Une théorie recente de la finalité: RevApolog* 38 (1924) p.203-223; GARRIGOU-LAGRANGE, *Le réalisme du principe de finalité* (Paris 1932; MARTÍNEZ DEL CAMPO, *¿Determinismo o finalismo?* (México 1934); ROIG GIRONELLA, *Los magnos problemas de la finalidad:* Pens 2 (1946) 295-321; DONAT, p.309-321; MORÁN, p.271-279; BALMES, contra casum, *Fil. elemental, Teodicea,* c.8.9; de infinite parva probabilitate casus, cf. PESCH, n.87; et DESCOQS, *Theol. Nat.* I p.383-385; PIERRE LECOMTE DU NOUY, *Human Destinity* (hisp. Mexici 1949) p.54.

431. Nexus. Haec thesis poterat enuntiari dicendo *dynamismum* mundi complexive sumpti esse *teleologicum;* vel corpora mundi etiam complexive sumpta operari propter finem, non essentialem, sed qui resultat ex cooperatione eorum.

Differt hic articulus a praecedente: nam in praecedente quaerebamus utrum singulae naturae agerent suas actiones specificas propter finem; nunc autem quaerimus utrum corpora etiam complexive sumpta operentur propter finem qui ex cooperatione resultat, et qui non est essentialis singulis corporibus. Sic oxygenium et nitrogenium semper facient suas operationes quasi specificas propter finem essentialem; sed quod oxygenium et nitrogenium tam apte misceantur inter se ut mixtio sit apta ad respirationem animalium, non est ex exigentia illorum corporum, sed debetur agenti qui intendit illud gasum esse aptum respirationi animalium.

Alia est ergo actio quasi specifica et essentialis, de qua egimus in articulo praecedenti, et alia est actio quae resultat ex cooperatione, et ex recta dispositione multorum, ex qua obtinetur bonum valde appetibile. De hac dispositione rerum et de actione quae resultat ex illa ordinatione agimus nunc, et dicimus dispositionem corporum in

mundo factam esse propter finem seu propter bonum valde appetibile, quod est exsistentia vitae in mundo.

432. **Notiones.** MUNDUS, non accipitur hic pro collectione omnium entium creatorum, neque pro collectione omnium entium corporeorum; nam inter corporea sunt etiam centum mille trilliones stellarum de quibus parum scimus, et quorum finem et ordinationem divinare non possumus; sed mundus hic intelligitur systema nostrum solare in quantum amplectitur solem et planetas et tellurem et mineralia et plantas et animalia et hominem.

433. ORDO est dispositio seu collocatio rerum corporearum ad finem aliquem obtinendum. Unde ordo continet duo: primum est *dispositio* rerum ex qua resultet aliquod bonum vel finis; secundum est *intentio* finis cum qua illa dispositio facta est; primum elementum est ordo materialiter consideratus, et secundum elementum est ordo formaliter consideratus.

Unde ordo *materialiter* consideratus est dispositio rerum corporearum in suis locis ex qua bonum aliquod resultat. Ordo *formaliter* consideratus est intentio finis cum qua ille ordo seu dispositio fit.

434. Diximus alio etiam modo aequivalente posse enuntiari thesin, sic: dynamismus mundi est teleologicus. DYNAMISMUS est activitas, seu series actionum et effectuum qui resultant ex viribus corporum sic collocatorum. Et affirmamus illum dynamismum corporum complexive sumptorum esse teleologicum. Teleologicum, a telos, est idem ac finalisticum, tendens in finem.

Ordo potest esse *staticus* et *dynamicus*. STATICUS est si finis intentus per illum ordinem, est aliqua structura vel figura, v.c. symmetria. DYNAMICUS est, si id quod intenditur per illam collocationem est aliqua actio et aliquis effectus ex rebus ordinatis seu collocatis.

435. Similiter hic debemus explicare breviter notiones finalitatis et finis. Finalitas est intentio finis vel etiam series actionum quae ex intentione finis ponuntur.

1. FINIS est bonum quod intenditur et amatur propter se, et cetera propter ipsum. Includit ergo et bonum quod obtinetur per activitatem, et praeterea intentionem illius boni. Et ideo etiam finis, sicut ordo potest considerari *materialiter et formaliter*. Finis MATERIALITER consideratus est bonum

quod intenditur. Finis FORMALITER consideratus est illud bonum in quantum per voluntatem intenditur.

436. 2. Finis potest esse *intrinsecus* et *extrinsecus*. INTRINSECUS est ille qui est iuxta exigentiam rerum; pertinet ad singula agentia in particulari, et iam supra probatum est singulas res habere tendentiam finalem seu agere propter finem, ut motas, non ut se moventes ad finem. EXTRINSECUS est ille qui intenditur ab intelligente, ultra exigentiam rerum. Et sic oxygenium et nitrogenium faciunt suas operationes iuxta speciem suam; sed quod misceantur in tali proportione, sicut sunt in aëre, ut apta sint respirationi, hoc non fit ex exigentia illorum, sed ex ordinatione divina. Et sic de ceteris agentibus; omnia agunt secundum indolem cuiusque, sed quod disponantur sic vel sic ut obtineatur ex cooperatione effectus aliquis bonus viventibus, hoc est ex ordinatione extrinseca intelligentis.

437. 3. Finis potest esse *ultimus* et *proximus*. ULTIMUS est ille qui iam ulterius non potest ordinari ad alium finem; non ultimus est ille qui potest ulterius ordinari ad alium finem. Finis ultimus totius mundi, et quidem intrinsecus seu ex exigentiis rerum est gloria obiectiva Dei. FINIS VERO PROXIMUS essentialis et intrinsecus sunt operationes quasi specificae agentium singulorum, extrinsecus vero est bonum viventium quod ex cooperatione omnium corporum obtinetur.

Nos loquimur de fine proximo extrinseco, nempe, non de illo qui est secundum exigentiam singularum naturarum, sed qui est ex cooperatione corporum et est bonum seu utilitas ad vitam.

4. *Habitudo inter ordinem et finem.* Ordo est dispositio seu recta collocatio rerum; et finis est bonum quod per illam collocationem seu dispositionem obtinetur: unde ordo se habet ad finem, sicut medium ad finem; utrumque intenditur ab intelligente, sed cum subordinatione: nam finis in se intenditur, et ordo seu dispositio et collocatio intenditur sicut medium ad illum finem.

438. *Contra ordinem et finalitatem est casus.* 1. CASUS potest dici de causa et de effectu. Casus *dictus de causa* est causa quae producit effectum aliquem praeter intentionem, i.e. praeter appetitum innatum vel elicitum. Et vicissim casus dictus de effectu est ille effectus qui producitur praeter intentionem causarum, i.e. praeter appetitum innatum aut praeter appetitum elicitum. *Effectus* casualis numquam dicitur de

effectu aliquo simplici, nam facta simplicia semper sunt a causa aliqua per se; sed dicitur de effectu aliquo, qui est summa duarum actionum et effectuum per se, quae summa a nemine fit.

Sic si tegula cadens occidit hominem transeuntem subtus illam, dantur duae actiones per se; nam et tegula attracta a gravitate per se cadit, et homo transit per illum locum per se, ex intentione faciendi tale iter; sed quod tegula cadat transeunte homine, hoc est mera summa duarum actionum per se: haec vero summa a nemine fit, quia, ut summa, non est aliquid distinctum a summandis, quae fiunt per se a singulis causis seorsim.

439. 2. Casus potest esse *respectu intellectus,* vel *respectu effectuum ipsorum.* Respectu intellectus, casus est aliquod factum impraevisum intellectui, cuius causa ignoratur; respectu rei effectae, est actio illa quae fit ex cooperatione duarum causarum, praeter intentionem et praevisionem illorum agentium.

3. Casus potest esse *absolutus* et *respectivus.* Absolutus est si est impraevisus respectu omnis intellectus; et respectivus si est impraevisus respectu intellectus particularis: ut si duo servi mittantur seorsim in eundem locum per diversas vias a domino: occursus ille erit casualis servis, sed non domino, qui moraliter ordinavit talem occursum, et praevidit. *Casus datur realiter* respectu causarum secundarum et respectu intellectus creati, non autem respectu intellectus divini.

440. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum si respiciamus mundum solarem, qui respectum dicit ad vitam mundi, dicendus sit ordinatus esse et operari propter finem, an casu et fataliter coaluisse et operari. Et eadem quaestio fieri potest circa singulos organismos, et circa apparatus anatomicos quibus organismi constant.

441. Sententiae. *Prima sententia* negat mundum habere dynamismum ordinatum teleologice ab ulla intelligentia.

a) Sic docent materialistae casualistae, qui dicunt non dari nisi atomos increatas et earum motum sine ullis viribus aut legibus: unde omnia fiunt ex mero casu. Sic DEMOCRITUS, LEUCIPPUS, EPICURUS, LUCRETIUS, et quidam materialistae saeculi XVIII, ut HELVETIUS, DIDEROT, TOLAND, etc. *b)* Sic etiam docent fatalistae materialistae, qui tenent non dari nisi materiam cum viribus et legibus inviolabilibus: iuxta quos prima formatio systematum utilium debetur casui, sed postea iam conservantur et propagantur per vires naturae inviolabiles: sic MOLESCHOT, VOGT, BUCHNER, STRAUSS, FEUERBACH, LANGE. *c)* Sic etiam docent fatalistae metaphysici, qui identificant Deum

et mundum, et aiunt mundum evolvi necessario et secundum immanentem necessitatem inviolabilem, non autem ex finalitate ulla: sic arbitratur SCHOPENHAUER, qui tenet mundum non esse nisi voluntatem caecam se necessario evolventem, et HARTMANN, qui tenet mundum non esse nisi voluntatem et ideam inconsciam sese necessario evolventem. *d)* Sic etiam subiectivistae. Hi admittunt finalitatem, sed dicunt eam esse solum subiectivam ortam ex formis a priori: sic KANT.

442. *Secunda opinio* admittit finalitatem realem, sed dicit illam non esse investigandam, quia talis investigatio esset valde arrogans, eo quod velit scrutari occulta consilia Dei; et praeterea quia est inutilis ad scientiam, imo et nociva, siquidem per hanc investigationem causarum finalium negligeretur investigatio causarum efficientium quae maxime pertinent ad scientiam. Sic putant DESCARTES, BACON.

443. *Tertia sententia, quae est nostra,* dicit dari ordinem formalem in mundo, i.e., eam dispositionem corporum quae est in mundo, et ex qua resultat bonum valde appetibile, esse ordinatam et intentam ab intelligentia praeclara. Corpora quidem exercent suam activitatem finalisticam per formas intrinsecas et essentiales; sed quod illae naturae et vires sint collocatae ita ut ex illarum cooperatione resultet bonum valde appetibile, hoc non est exigentia rerum, sed ex voluntate illius intelligentiae.

Thesis haec est certissima in philosophia et de fide in Theologia, quia non est aliud nisi dogma Providentiae divinae.

444. Probatur thesis. In mundo datur ordo complicatissimus (et constantissimus et mirabilis) ex quo resultat effectus valde utilis ad vitam, et constans ex elementis, quae sunt indifferentia ut collocentur modo inepto ad vitam; *atqui* talis ordo est intentus ab aliqua intelligentia praestantissima; *ergo* ordo mundi ab intelligentia praestantissima intentus est. (Et hoc est dicere sub alia forma, corpora, prout sunt in complexu mundi, operari finalistice, non ut se moventia, sed ut mota ab alio ad finem.)

445. *Maior* probatur per partes.

A. *Datur in mundo ordo complicatissimus (constantissimus et mirabilis).* Haec pars datur ab omnibus scientiis.

a) Et sic *Astronomia* docet solem et lunam esse in debita distantia ut habeatur calor et lux sufficiens ad vitam.

b) Ex *Chimica* constat aëris compositionem esse valde temperate proportionatam, ut possint animalia respirare; et eam esse plantarum et animalium dispositionem, ut aër nun-

quam sit nimis plenus oxydo carbonico aut aliis gasis nocivis.

c) Ex *Biologia* scimus organismos habere talem dynamismum ut iam a cellula germinali ordinent suas operationes tali modo ut ex singulis germinibus evolvatur vivens propriae speciei: in qua evolutione attrahunt alimenta profutura, eiciunt iam detrita, ex multis corporibus quae sunt circa ipsa, eligunt id quod est magis accommodatum indoli cuiusque, restaurant vulnera, progignunt semper alia individua eiusdem speciei.

Et hic tam mirabilis processus biologicus cernitur eo melius quo magis in particulari examinantur singula. Sic examinemus conditiones complicatas quas debet habere *apparatus visivus,* et quam accurate natura eas servet.

446. *d)* Ut possit dari visio necessariae sunt fibrae nerveae connexae cum cerebro; debent terminari contextu valde modificabili per lumen, et collocari in fundo camerae obscurae, in distantia a foco quae sit proportionata cum indice refractionis aëris et mediorum dioptricorum; et in distantia focali quae possit variari ab infinito usque ad quindecim centimetra ab oculo. Debet esse diaphragma seu iris quae permittat quantitatem convenientem lucis et impediat dispersionem radiorum (irisación); debent esse elementa quibus sentiantur, non solum lumen, sed etiam varietates chromaticae; debet esse duplex organum ut volumen et distantia recte aestimetur; debent esse musculi quibus oculus moveatur asymmetrice quoquoversus, et convergant ita ut imago collocetur in loco maioris claritatis; debet adesse magna extensio campi visualis ad quaerenda utilia, vitanda pericula et eligendum inter aptiora, et tamen imago nitida debet solum collocari in loco centrali ut attentio non dispergatur; debet adesse humor lacrymosus, qui mundet corneam eamque diaphanam conservet; debet esse defensio organi per ossa durissima, et per cilia et supercilia, etc. Et haec omnia apprime verificantur in structura oculi nostri, ut constat.

447. *e)* Ex *Mineralogia* constat etiam quam apte sint disposita mineralia ad vitam plantarum: si enim composita mineralia essent alia vel in aliis conditionibus, non servirent ad vitam plantarum; item constat quam apte sint dispositae plantae ad vitam animalium, et quam bene disposita sint animalia ad utilitatem et necessitates hominum.

Et per hoc iam est probatum primum, scilicet in mundo dari dispositionem seu ordinem dynamicum valde mirabilem et complicatissimum.

448. B. Constat etiam ex illa collocatione obtineri *effectum valde utilem* viventibus, ut est posse evolvi, usque ad typum proprium speciei, et facere operationes valde necessarias, ut videre, audire, etc.

C. Constat etiam elementa ex quibus coalescit mundus, esse indifferentia ut collocentur modis valde ineptis: v.c. sol et luna et astra potuerunt collocari modo inepto ad vitam; aër potuit componi diverso modo inutili; elementa chimica ex quibus constat corpus viventium, et quae tam apte collocantur ut organismus fabricetur, et singuli apparatus viventis recte conformentur, ut sunt oxygenium, hydrogenium, calcium, etc. potuerunt aliis modis collocari, qui essent omnino inutiles ad vitam.

Minor autem principalis, nempe hunc ordinem intentum fuisse ab intelligentia praeclara, iam probanda est.

449. A. Haec dispositio et collocatio rerum *explicatur optime* si supponamus intelligentiam intervenisse: illa enim concepit finem et ordinavit media et ita obtinetur id quod intendebatur.

B. *Non autem explicatur* sine clara intelligentia ordinatrice. Nam si non datur intelligentia ordinatrix, ratio sufficiens huius ordinis tam complicati, constantis et utilis, esset aut casus, aut singulae res quae ordinandae sunt, aut collectio earum. Iam vero:

a) *Casus* non est ratio sufficiens illius ordinis. *Primo* quia casus est rarus et solum accidit in rebus non complicatis neque facit effectum utilem, sed quemlibet. *Secundo* ex analogia, et a fortiori. Nam constat homines referre omnem ordinem alicui intelligentiae, sicut horologia, domus; imo et quodlibet frustulum tegulae coctae statim dicunt esse productum alicuius intelligentiae. Unde a fortiore debemus referre ad intelligentiam opus tam ingens, et constans et adeo complicatum in sua simplicitate sicuti est ordo mundanus. *Tertio* simile quid concludimus ex consideratione mathematica. Nam mathematice rem considerando poterat remanere infinitesimalis aliqua probabilitas ordinis per casum, sed practice pro nulla reputanda est. Sic si octo litterae 40.320 positiones diversas possunt accipere; decem vero litterae 3.629.800, viginti quatuor litterae 620 sextilliones; quantus erit numerus combinationum possibilium in innumerabilibus atomis universi! Ex his combinationibus paucissimae erunt utiles ad vitam in comparatione innumerabilium quae sint inutiles. Ergo practice probabilitas ut verificetur casu ea combinatio quae est utilis, est nulla.

450. *b)* Neque ratio sufficiens illius ordinis potest esse *aliquod ex elementis aut collectio eorum* quae ordinanda sunt.

Nam tam singula membra quam tota collectio est omnino indifferens ut collocetur alio modo: et sic elementa chimica quae sunt in organismis vel in apparatibus singulorum organismorum potuerunt ordinari alio modo inepto ad vitam, et sol et luna et astra potuissent habere aliam dispositionem in qua non haberet locum possibilitas vitae.

Si ergo ratio sufficiens ordinis non est casus neque singula membra aut tota collectio membrorum ordinandorum, sequitur eum deberi intelligentiae.

451. *Dices 1:* Ille ordo accidit necessario, non contingenter; ergo non debetur causae intelligenti et liberae, sed viribus essentialibus naturae.

Nego antec. Nam est evidens corpora, quae recte sunt collocata ita ut ex illis oriatur effectus utilis ad vitam, potuisse alio modo inepto collocari; *ergo* ille ordo non accidit necessario, sed contingenter: et ille ordo contingens, debetur intelligentiae, ut probatum est.

452. *Dices 2:* Dispositio illa membrorum mundi debetur ipsi entitati mundi, qui est ens necessarium vel mere materiale, ad mentem HAECKEL, vel mere spirituale ad mentem idealistarum, vel constans duplici facie, spirituali nempe et corporali, in sua simplicitate, ad mentem Spinozae, vel denique quia anima quaedam mundi informat totam materiam mundi, unde mundus erit ad modum ingentis animalis, ad mentem Platonis, Aristotelis et aliorum.

Nego assertum secundum omnes eius partes.

Nam *a)* Solutio monistica materialista aut solutio pantheista admitti non potest ex sua absurditate, ut patebit in Theodicea.

b) Solutio desumpta ex anima mundi, discutienda est. Nam vel illa anima mundi habet intelligentiam et per suam intelligentiam facit hunc ordinem tam admirabilem, vel illa anima mundi nullam habet intelligentiam. Si *habet intelligentiam,* tunc fateris ordinem mundi deberi intelligentiae, licet erres credens illam intelligentiam esse animam mundi, nam nulla est anima mundi universi, ut demonstratur in Psychologia. Si autem illa anima mundi est *caeca,* tunc non est ultima ratio ordinis: nam in mundo sunt infinitae res indifferentes ad alias positiones inutiles, quae unificandae sunt in hunc ordinem et in hanc unitatem: illa autem anima non habet hanc unitatem in scientia, qua caret; neque in sua eminentia perfectionis, quia res ignorans non potest esse eminentior quam intelligentia, sed inferior ut patet. Insuper, si illa forma est *caeca,* est *contingens,* secus esset sciens; et si est contingens, accepit inscriptam in sua essentia rationem ordinis ab ente sapientissimo, a quo accepit essentiam.

453. *Instabis:* Iuxta hanc argumentationem non concludis intelligentiam ordinatricem ex ordine mundano, sed ex contingentia illius formae caecae, quod videtur alienum ab hoc argumento, in quo ex solo ordine volebas concludere intelligentiam.

Nego assertum; nam ego demonstravi ex sola consideratione ordinis necessitatem ponendi intelligentiam ordinatricem; si autem tu ponis ut originem ordinis animam mundi, necesse est ut dicas vel illam animam esse intelligentem, et ita admittis thesim; vel si dicas

illam non esse intelligentem, necesse est ut dicas illam non esse rationem ultimam ordinis et unitatis, sed accepisse rationem ordinis et unitatis ab intelligentia sapientissima.

454. Scholia. 1. *De exsistentia Dei.* Per hoc argumentum demonstratum est exsistere intelligentiam ordinatricem mundi. Sed ulterius concluditur illam intelligentiam esse Deum, vel dependere a Deo: nam si est a se, est Deus. Et si non est a se, producta est tandem ultimo a Deo, et sic necesse est affirmare exsistentiam Dei.

2. *Finalitas mundi.* Mundus quidem operatur propter finem, non tamen ut se movens ad finem, sed ut motus ad finem a Deo.

3. *Haec thesis valde differt a praecedente.* Nam in praecedente probavimus singulas res tendere ad suos fines essentiales, qui sunt iuxta indolem et exigentiam essentiarum: et hoc posset accidere etiam si non omnia agentia disponerentur speciali modo ut obtinerent effectum utilem ex cooperatione; sed in hac thesi docemus singulas naturas collocari modo apto ut per cooperationem uniuscuiusque cum aliis obtineatur finis aliquis, qui est extra exigentiam rerum, licet sit iuxta propositum intendentis finem.

455. Obiectiones. 1. *(Contra ordinem intelligentem in mundo complexive sumpto,* J. H., *Theol. Nat.*, p. 188.) In mundo sunt infinita mala, ut frigora, siccitates, inundationes, productio tot seminum quae frustra pereunt, bella iniusta, furta sacrilega, oppressio debilium a fortioribus; *atqui* haec non sunt ordinata; *ergo* non datur in mundo admirabilis ordo.

Nego dari in mundo solum illa mala; praeter haec mala datur infinita propemodum moles factorum ordinatorum, in systemate astronomico, in dispositione elementorum ad vitam, in tanta subordinatione inferiorum ad superiora: *atqui* haec explicari non possunt sine intelligentia ordinatrice; *ergo* ponenda est intelligentia ordinatrix ad explicanda ea quae sunt ordinata.

Ea autem quae apparenter sunt inordinata, explicantur post probatam exsistentiam Dei, ex eo quod mala moralia potuit Deus permittere in hominibus pravis quia occasione illorum potuit producere bona, et aliunde non est causa illorum neque directe neque indirecte.

Mala autem physica possunt intendi a Deo et ordinari ad bona maiora tum physica, tum praesertim moralia, in qua subordinatione est mirus, licet valde amarus, ordo.

2. Hic ordo mundanus est una ex possibilibus combinationibus; ergo non mirum si post infinita saecula inutilium positionum, tandem obtenta est solo casu haec dispositio quae erat possibilis.

Dist. mai.: est una ex possibilibus combinationibus per intelligentiam, *conc.;* sine intelligentia, *nego* esse possibilem, iuxta demonstrata. Et *contradist. cons.:* si erat possibilis solo casu, *transeat;* si erat possibilis solum per intelligentiam, *nego.*

456. 3. Non minus difficile est ut eveniat casu determinata dispositio inutilis praesignata in antecessum, quam dispositio utilis ad vitam; *atqui* illa inutilis de facto evenit casu; *ergo* et haec utilis ad vitam potuit evenire casu.

Prob. antec.: Si proicias multas litteras casu, aliqua dispositio inutilis resultabit, ut est evidens; nunc photographice conserves illam dispositionem, et proicias iterum ac iterum litteras casu; sine dubio licet millies et millies proicias litteras, non obtinebis eandem illam

dispositionem quam per photographiam conservas; *ergo* tam difficile est ut obtineas dispositionem inutilem, quam utilem ad vitam; et tamen de facto illa dispositio inutilis evenit; *ergo* pariter potuit evenire casu illa dispositio utilis quam nunc habemus.

Nego antecedens. Nam inutiles dispositiones ad vitam vel ad alium finem, possunt casu accidere et ideo non est mirum aliquam ex his semel evenisse. Sed dispositio apta ad vitam et ad fabricationem quotidianam organismorum et apparatuum qui sunt in organismo, non est possibilis per casum, sed solum per intelligentiam, ideoque non potest evenire casu neque difficulter neque faciliter.

Arguens credit totum pondus probationis nostrae positum esse in *infinite parva probabilitate* quam offert calculus probabilitatum pro casu favorabili; sed haec consideratio fuit mere adiuvans, non demonstrans. Demonstratio desumpta est *ex evidentia:* nam ordo complicatus, constans et valde proficuus debet habere rationem sufficientem, et illa ratio sufficiens talis determinationis non est in casu, neque in singulis membris, neque in collectione, neque in forma informante caeca.

457. 4. Licet nulla esset intelligentia, semper obtineretur dispositio aliqua mirabilis et constans et complicatissima et subiecta legibus, et sapientissima, quia quicumque sciret aliquam vel minimam legem cui oboediret illa dispositio, magnus sapiens haberetur; ergo etiam haec dispositio actualis, licet mirabilis, potuit evenire sine ulla intelligentia.

Dist. mai.: et illa dispositio esset apta ad finem aliquem valde appetibilem, qualis est praesens, *nego;* non serviret ad ullum finem determinatum, *conc.* Et *nego cons.,* ob disparitatem propositam.

5. (*Contra ordinem in system. viventibus seu in organismis:* J. H., *Theol. Nat.,* p.197.) In organismis sunt multi defectus ut laesiones innatae, monstra, morbi; *atqui* haec non sunt ordinata; *ergo* non est tam mirus ordo in organismis.

Dist. mai.: et hi casus sunt per se et ordinarii et ex vi dispositionis ineptae, *nego;* sunt per accidens, ex interventu aliarum causarum, et quidem ita ut retineant tam magnum ordinem ut non possit explicari nisi per intelligentiam *conc.;* et *transmissa min., dist. pariter cons.:* deest ordo per se ordinario, *nego;* per accidens, et solum per interventum aliarum causarum, et ita ut remaneat tam magnus ordo ut non possit explicari nisi per intelligentiam, *conc.*

Cogita leprosum, siphiliticum, phtisicum, monstrosum. Hi casus accidunt, non quia dispositio interna organismorum sit male excogitata, sed quia invaserunt alia animacula quae sub quodam respectu sunt fortiora organismo. Praeterea in illis infirmis servantur ordinationes apparatus respiratorii, irrigatorii, nervei, digestivi, quae non possunt explicari nisi per intelligentiam. Tandem illa mala, si accidunt homini, sunt ordinabilia ad meliora bona moralia.

458. 6. In organismis dantur plura organa quae carent ulla finalitate et ordinatione, ut sunt appendix, mammae in viro, glandulae quaedam quarum officium non apparet; ergo non est tam mirus ordo in organismis.

Resp. 1. Nego mai.: nam quotidie cognoscuntur melius finalitates horum organorum.

Resp. 2. Dist. antec.: et praeter has res, quarum fines non capimus, est tam magnus ordo in reliquis, ut non possit explicari casu, sed per

solam intelligentiam, *conc.;* ille reliquus ordo potest explicari casu, *nego.* Et *dist. pariter cons.*

459. 7. Ibi non praesidet intelligentia, ubi plures sunt casus defectuosi quam apti; *atqui* ita se res habet in organismis; *ergo* non est tam magnus ordo in organismis. *Antec.:* nam infinita grana seminum non maturescunt in plantis, imo et in animalibus, et in homine ipso plura semina frustrantur quam ea quae perveniunt ad producendum individuum vivum.

Conc. mai. et *nego minorem,* et probationem *dist.:* et illa abundantia seminum, quae non maturescunt, indicant impraevisionem ordinatoris, *nego;* indicat potius eius praevisionem, *conc.* Multae sunt causae corrumpentes illa semina, et ideo ut multa maturescant, necesse est multa creare.

8. Dantur instinctus male ordinati; *ergo* instinctus non arguunt intelligentiam ordinatricem. *Antec.* Mantis religiosa semper devorat masculum post coitum.

Nego antec. Ad probationem, dico: et hic instinctus est valde mirus, *conc.;* est male ordinatus, *nego:* nam non obstante hoc facto, species semper propagatur et manet post tot saecula.

9. Difficultates Kantii sunt cognitae, neque iterum sunt referendae. Probat enim valde bene ordinem non posse dari casu aut fataliter, sed per intelligentiam ordinatricem. Sed postea dicit hanc conclusionem non esse obiectivam, sed mere subiectivam, ortam ex formis aprioristicis.

Admittimus argumentationem, qua probat ordinem non deberi casui aut determinismo fatalistico, sed negamus eius subiectivismum fundatum in formis aprioristicis, iuxta ea quae dicta sunt in Critica.

LIBER III

De essentiali corporum constitutione

460. Introductio. Quaerimus essentiam physicam corporum. ESSENTIA est id quo primo et formaliter res constituitur in suo gradu aut ordine entitatis. Et essentia potest esse *metaphysica* et *physica.*

ESSENTIA METAPHYSICA est essentia expressa per duos conceptus, alterum communem, qui obtinetur per similitudinem cum omnibus aliis quae non sunt ipsa res, et per conceptum differentialem, qui obtinetur per id quo res differt ab aliis omnibus. Et in hoc sensu essentia metaphysica corporis definitur: substantia creata integraliter composita et radicans quantitatem et vires cum motu coniunctas in suo exercitio. Ubi *substantia creata,* est genus in quo convenit etiam cum angelis. *Integraliter composita,* est differentia specifica in qua differt a spiritibus. *Radicans quantitatem et vires cum motu coniunctas* sunt proprietates, quae, etsi sunt extra definitionem essentiae metaphysicae, indicant tamen indolem illius essentiae ex qua derivantur veluti a priori. Non in hoc sensu quaerimus essentiam corporum, sed quaerimus essentiam physicam.

461. ESSENTIA PHYSICA est, essentia prout reperitur in rebus independenter a mentis considerationibus et comparationibus, et constat principiis intrinsecis et ultimis unde res sunt.

PRINCIPIUM est illud unde aliquid est, fit aut cognoscitur. PRINCIPIUM INTRINSECUM est illud unde res intrinsece constituitur in suo ordine vel gradu entis. PRIMUM, est illud quod non derivatur ex alio principio intrinseco. ULTIMUM, dicitur hoc ipsum principium primum in ordine ad cognitionem, quia est ultimum quod cognoscitur in re: primo enim cognoscuntur effectus et proprietates, et ex his postea cognoscimus principia prima quibus res constituitur. Quaerere ergo essentiam

physicam est quaerere principio prima et intrínseca quibus corpus constituitur.

462. Sed cum quaerimus de constitutione corporis, *quaerimus de illo corpore, quod est ens per se, et non entia.* Corpus autem quod est ens per se, non est moles corporis nec molecula, sed fortasse sola atomus aut sola corpuscula. Quaerimus ergo in concreto *de essentia atomorum aut corpusculorum,* quia reliqua non sunt ens corporeum, sed aggregationes entium corporeorum.

Et responsio data ad hoc problemma est multiplex, sed praecipue considerandae sunt tres solutiones, quae sunt: *atomismus philosophicus, dynamismus* et *hylemorphismus.* Sed priusquam agamus de his solutionibus, tractabimus de atomismo chimico, qui est admittendus. Unde tota haec materia tribus capitibus constabit; quae sunt VII, VIII et IX totius operis; caput VII agit de solutionibus insufficientibus; caput VIII agit de solutione scholastica seu de hylemorphismo. Caput IX aget de ulteriore explanatione theoriae scholasticae.

CAPUT VII

Solutiones insufficientes

463. Ad problema de essentiali constitutione corporum, plures sunt datae solutiones insufficientes, ex quibus utile erit examinare sequentes: prima est atomismus scientificus; secunda est mechanicismus philosophicus, rigidus et mitigatus; tertia est dynamismus: quas theorias tribus articulis explanabimus: Primus articu'us erit de atomismo scientifico; secundus autem de atomismo philosophico; tertius erit de dynamismo.

ARTICULUS I

De atomismo scientifico

Thesis 22. Atomismus scientificus admitti potest ut theoria scientifica, non vero ut explicatio philosophica.

464. A. d'Abro, *Decline of Mechanism;* Idem, *From Newton to Einstein;* J. M. del Barrio, S. I., *Las fronteras de la Filosofía y la Física,* vol.2 (Santander 1945); Mieli Aldo, *La teoría atómica química moderna* (Bs. As., México 1947); Zimmer, Erns, *Una revolución en el concepto físico del mundo* (hisp. Barcelona 1944); A. Bethe, *Elementary nuclear theory* (N. Y. 1954); L. de Broglie, *Introduction à l'étude de la Méchanique ondulatoire* (1929); Idem, *La Physique nouvelle et les Quanta;* Idem, *Materia y luz* (hisp. Bs. As. 1939); E. Gamow, *Física* (ed.2.ª Barcelona 1945); Perrín, *Traité de chimie physique* (Paris 1903); Idem, *Les atomes* (Paris 1914); Idem, *Les preuves de la realité moleculaire* (Paris 1913); G. Urbain, *Les notions fondamentales d'élément chimique et d'atome* (Paris 1925); M. Planck, *La nature de la lumière* (Paris 1927); Gianfranceschi, *Fisica dei corposculi* (ed.3.ª Roma 1932);

IDEM, *Capitoli di Fisica contemporanea* (Roma); GRÉGOIRE, S. I., *Leçons de Philosophie des sciences* (Namur 1950); HOENEN, *Inquisitiones criticae in theoriam atomicam physico-chimicam eiusque valorem pro Philosophia Naturali:* Greg 8 (1927) 229-242; RENOIRTE, *Eléments de Critique des sciences* (Louvain 1947); PUIG, I., *Materia y energía* (Bs. As.) c.4.6.9.17; VITORIA, E., S. I., *Los vaivenes de la atomística:* I. *El átomo clásico y el átomo actual:* RazFe 120 (1940) 323-356; II. *Los bombardeos nucleares y sus efectos:* ibid., 121 (1940) 119-130; III. *La Filosofía escolástica y la atomística:* ibid., 121 (1940) 341-352; IV, 122 (1941) 133-142; CAPRON, P., *Quelques données récents sur les neutrons:* RevQuestScientif 114 (1938) 29-48; DOPP, H., *L'anisotropie optique et la structure des molécules:* RevQuestScientif 11 (1937) 23-46; OLIVERAS CAMINAL, J. (Barcelona 1949) (contra la discontinuidad de la materia).

465. Notiones. Duplex est atomismus scientificus: primus est atomismus DEMOCRITI, LEUCIPPI et EPICURI, qui sunt omnino casualistae. Hi dicebant non esse in mundo nisi atomos increatas, infinitas numero, omnino inaequales in figura, agitatas motu velocissimo, ita ut possent collidi: et ex casuali collisione illarum atomorum fieri omnia corpora. Hic atomismus reiciendus est, propter suam impietatem, et quia nititur in philosophia omnino erronea [1]. Hic est potius atomismus scientifico-philosophicus.

Alius est atomismus scientificus, qui excultus est saeculis XVIII et XIX et qui maxime floret nunc. Hic ordinario non construit metaphysicam neque proprie loquendo philosophiam ullam, sed solummodo intendit bene describere phaenomena, eorum leges detegere, et explicare phaenomena et leges aliis phaenomenis et legibus universalioribus; haec autem phaenomena et leges universaliores exprimuntur in theoriis seu hypothesibus, et dicuntur causae proximae phaenomenorum quae observantur et legum quae deteguntur. Hic atomismus continet sequentia puncta, quae explanabimus nonnihil [2] scilicet:

---

[1] Vocantur *neomechanicistae* illi qui in proposito voluntatis volunt praescindere ab essentiis et a causis elicitivis actionum, et tamen in re postea negant omnem substantiam et causas, et solum aestimant et defendunt phaenomena antecedentia et consequentia: tales sunt PERRÍN, LANGEVIN, BOUTY, KIRCHOFF, HELMHOLTZ, LORENTZ.

Sed aperte *falluntur, nam omni modo affirmanda est realitas substantiae in scientiis.*

In corporibus enim datur triplex tendentia invincibilis in debitis adiunctis. *Prima tendentia* est in atomis ad propriam structuram ex protonibus, electronibus, neutronibus, etc. *Secunda tendentia* est ad propriam conservationen contra omnes vires chimicas, ita ut atomi resurgant integri post tot combinationes cum aliis corporibus. *Tertia tendentia* est ad propriam finalitatem, seu ad exercendas suas proprias vires affinitatis et valentiae. *Iam vero* hae tendentiae debent habere aliquam rationem sufficientem: ratio vero sufficiens non sunt facta ipsa quae explicanda sunt, neque vires ullae sine ultimo substrato, secus perirent, ergo est substantia propria singulorum.

Neque potest dici illa substantia essentialiter esse penitus homogenea: quia datur immensa varietas in illa triplice tendentia ad structuram, ad propriam conservationem et ad finalitatem exercendam, et ideo numerantur centum corpora diversa; *atqui* talis varietas debet habere rationem sufficientem, et ratio sufficiens non potest esse series ipsa factorum quae explicanda est, neque vires ullae sine substrato, *ergo* ratio sufficiens est varietas ipsa substantiarum.

[2] Ut haec melius intelligantur, consulatur interea duplex tabella elementorum, alia ex ordine symbolorum, et alia ex ordine numeri atomici, quae ponentur in fine theseos sequentis.

Corpora elementaria, et mixta tum perfecta tum imperfecta, moleculas, atomos, corpuscula.

466. *Corpora elementaria* sunt ea quae neque resultant ex combinatione diversorum corporum, neque possunt resolvi in alia corpora diversa: v.c. oxygenium, hydrogenium, ferrum, sulphur, etc. Numerabantur hucusque 92, sed iam nunc numerantur centum, quae in catalogis ordinantur iuxta numerum atomicum, incipiendo ab hydrogenio, quod habet unum electronem, et ascendendo usque ad uranium, quod habet 92 electrones. Ex his apparet antiquatam esse theoriam EMPEDOCLIS, qui ponebat quatuor elementa, quae erant terra et aqua, aër et ignis, ex quorum combinatione omnia corpora mundi resultabant [3].

467. CORPORA MIXTA sunt ea quae resultant ex mixtione duorum aut plurium corporum elementarium. Sed corpora mixta possunt esse mixta perfecta et imperfecta, quae aliis nominibus dicuntur combinationes vel mixtiones; vel etiam mixta chimica et mixta physica.

MIXTA PERFECTA sunt illa quae procedunt ex mixtione plurium corporum elementarium, sed ita ut combinatio fiat cum productione aut absorptione energiae, v.c. caloris, lucis, sonitus, et elementa non sint separabilia nisi per electricitatem aut per reactionem cum alio corpore; neque possunt inter se misceri in qualibet proportione, sed in proportionibus determinatis et fixis, quae proportiones possunt esse simplices vel multiplae.

MIXTUM AUTEM IMPERFECTUM est illud quod procedit ex mixtione plurium corporum elementarium, sed ita ut ea mixtio fiat sine productione aut consumptione energiae, et elementa sint separabilia mediis physicis, ut magnete, evaporatione, congelatione, et ita ut componentia possint misceri in qualibet quantitate et proportione: sic v.c. miscentur nitrogenium et oxygenium in aëre, aqua et saccharum, pulveres ferri et pulveres sulphuris.

468. DE MOLECULIS. Tam corpora elementaria quam corpora mixta perfecta constant moleculis inter se separatis. *Molecula* autem est minima pars corporis quae potest exsistere separata, servans naturam totius corporis elementaris vel mixti perfecti. Molecula *corporis elementaris* constat duobus vel pluribus atomis eiusdem classis; molecula autem *corporis*

[3] Systema periodicum elementorum describitur et fundamenta eius ostenduntur ap. RIAZA, n.29-34.

mixti constat pluribus atomis diversae classis. Sic molecula hydrogenii constat duabus atomis hydrogenii; molecula vero aquae constat duabus atomis hydrogenii et una atomo oxygenii, H_2O. Aliquando etiam una molecula corporis elementaris constat una sola atomo elementari, ut accidit, in gasis nobilibus, quae sunt Helium, Argon, Kryptum, Neon, Xenon.

Moleculae sunt divisae in se, quia constant atomis spatialiter separatis, licet ligatis per *affinitatem*. Moleculae sunt etiam divisae ab aliis moleculis spatialiter, licet ligantur inter se per *cohaesionem*. Consequenter multum dubitatur utrum molecula sit unum per se, informatum unica forma substantiali, an unum per accidens.

469. De atomis. Atomus secundum *etymologiam* est minimum naturale, quod iam est naturaliter indivisum et indivisibile, licet mathematice et ut extensum possit in infinitum dividi. Sed *realiter* atomus est minima particula corporis elementaris, quae potest combinari cum alio elemento, licet intra se habet divisionem. Antiqui etiam scholastici admittebant atomos separatas, sed solum in momento combinationis et in momento resolutionis: eas vocabant minima naturalia, et concipiebant ut aliquid indivisum in se, non constans ulterioribus corpusculis: nunc autem atomus concipienda est ut habens intra se divisionem aliquam.

470. De corpusculis. Exponemus theoriam discontinuitatis materiae etiam intra ipsam atomum, iuxta experimenta facta a Perrin, Mosely, Rutherford, Sommerfeld, Langmir, licet haec theoria negetur a quibusdam, ut ab Heisenberg, E. Mach [4].

Atomus non est aliquid indivisum intra se, ut ex nomine conici poterat, nam atomus significat indivisum; sed realiter est divisa in multa corpuscula quae continentur in nucleo et involucro. Nucleus atomi constat protonibus et neutronibus; involucrum autem constat solummodo electronibus, et aliis fortasse corpusculis.

[4] De nucleo haec habet P. Vitoria: "El núcleo aparece como una entidad compleja en la que se hallan todas las partículas antes citadas, menos los negatrones, que andan emplazados en sus órbitas periféricas determinadas. Y como a dichas partículas se les atribuye en general carga eléctrica, masa, energía estática, una longitud de onda asociada, un momento de rotación o espín, resulta que el estudio de tal conjunto se ha hecho en extremo difícil y expuesto por lo mismo a mil contingencias y variaciones, que dejan el ánimo del observador presa de la inseguridad, del recelo y de la desconfianza." (*Los vaivenes de la atomística:* RazFe 120 [1940] 339). Et Donat: Haec atomi structura, si non solum imaginem quamdam aspectabilem rei nondum satis perspectae, sed rei veritatem exprimere intendit, a multis (Helsenberg, Schrödinger) impugnatur (e.9 p.164).

471. PROTONES sunt minimae particulae intra atomum onustae electricitate positiva. Singuli protones omnium corporum elementarium habent eandem massam et electricitatem positivam, sicut proton qui constituit nucleum hydrogenii, et ideo omnes protones vocantur atomi hydrogenii.

In nucleo sunt etiam aliqui NEUTRONES seu particulae eiusdem magnitudinis et ponderis ac protones, sed nulla electricitate onustae et ideo in nucleo adest tantum electricitas positiva. In atomo hydrogenii unicus est proton, sed in aliis atomis sunt plures protones, tot scilicet qui sufficiant ut cum electronibus constituant aequilibrium electricum; nam atomus integra est neutra electrice propter aequalitatem oneris electrici positivi, quod est in nucleo, et negativi, quod est in involucro.

472. ELECTRON est minima particula separata intra atomum quae est onusta electricitate negativa. Electrones circumaguntur circa nucleum atomi cum velocitate intensissima et in distantia proportionaliter maiore quam est inter solem et planetas. Propter hanc causam structura atomi comparatur cum systemate nostro planetario. Electrones sunt tot, quot necessarii sunt ut cum protonibus habeatur aequilibrium electricum seu status electricus neuter. Distribuuntur in circulis et orbitis (órbitas y pisos) concentricis circa nucleum.

Quantitas electricitatis (onus electricum, la carga eléctrica) tam in protonibus quam in electronibus semper est exacte multipla unitatis et nunquam est numerus fractionarius. Sic si sumatur ut unitas quantitatis electricitatis positivae, proton hydrogenii, reliquae atomi habent onus electricum positivum, quod est exacte numerus multiplus huius unitatis. Et si pro electricitate negativa sumatur etiam ut unitas, quantitas electronis hydrogenii, quantitas electricitatis negativae reliquarum atomorum est exacte numerus multiplus huius unitatis.

473. Electricitas igitur constat *quantis* seu *granulis*, seu quasi *atomis* electricitatis. Et quod accidit in onere electrico, postea repertum est verificari in omnibus transformationibus energiae, nempe omnes energias constare veluti atomis energiae, quae atomi semper sunt in numero integro, non fractionario.

Praeter haec corpuscula reperta sunt alia multa, sive intra atomum, sive extra atomum, ut neutrini, mesones, photones, et cetera [5].

[5] RIAZA, *Ciencia mod. y Filosof.*, p.126-134.

474. Haec theoria vocatur *atomismus,* quia defendit exsistentiam atomorum discontinuarum inter se in corporibus in fieri et in facto esse. Vocatur *chimicus,* quia deducitur ex phaenomenis chimicis. Vocatur etiam theoria electronica, quia omnes activitates atomorum explicantur per electricitatem et quidem per *quanta* electricitatis. Vocatur theoria *discontinuitatis,* quia licet corpuscula omnia habent massam et volumina, contra id quod docet dynamismus, sed tamen dicit illas particulas minimas esse inter se separatas spatialiter, licet dynamice sint ligatae per affinitatem aut per alias vires.

475. Admitti potest. Dicebamus in enuntiato theseos hanc theoriam admitti posse: non quidem ut thesim certam, sed ut opinionem bene fundatam, quae tamen opinio non impedit ulterius examen philosophicum essentiae corporum. Et ratio est quia theoria vel hypothesis scientifica non potest dare ex natura sua certitudinem. Modus enim quo procedit est semper ut ex affirmatione conditionati, concludat veritatem conditionis, quod semper est illegitimum.

Coniecturaliter enim efformat aliquam hypothesim, et statim dicit: Si daretur haec hypothesis, talia phaenomena et leges darentur; *atqui* talia phaenomena dantur; *ergo* haec theoria seu hypothesis est vera: sicut si dicerem: si est aquila, habet alas; *atqui* hoc animal habet alas, *ergo* est aquila. Neque haec hypothesis transit in thesim, nisi quando praeterea probetur, phaenomena et leges certas explicari posse si ponatur talis hypothesis, et non explicari posse per ullam aliam hypothesim. Sed hoc scientiae ordinario non solent facere nisi in paucissimis rebus.

476. Ut theoria scientifica. Proprium theoriae seu hypothesis scientificae est, *primo* ut non possit dare certitudinem, nisi transeat in thesim; *secundo* ut non det essentiam intimam rerum, neque causas ultimas in suo ordine, neque causas proximas in sensu stricto, sed solum in sensu positivistico, nempe quodnam sit antecedens necessarium ut detur tale phaenomenum. Et in hoc sensu, si non neget possibilitatem ulterioris investigationis philosophicae, dicimus posse admitti atomismum scientificum.

Non ut explicatio philosophica. Nam explicatio philosophica quaerit essentiam intimam rei, et causas efficientes veras, iam vero hoc non facit atomismus scientificus, ut patet, quia solum dat quaedam phaenomena universaliora ex quibus

explicari possint alia phaenomena posteriora et magis particularia.

477. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum atomismus scientificus admitti possit saltem ut theoria scientifica, quae explicat facta per phaenomena magis universalia, non vero ut explicatio philosophica ultima.

478. Sententiae. *Prima sententia* est mechanicismi sive rigidi sive mitigati, qui admittit solum massam et motum et ad summum vires solummodo motrices, et inter hos possunt numerari DEMOCRITUS, DESCARTES, et plerique scientifici moderni; hi dicunt per hunc atomismum iam dari totum quod investigari potest circa corpus, neque quaerendam esse aliam essentiam praeter moleculas, atomos et corpuscula et onera electrica.

479. *Secunda sententia* est frequentissima inter antiquos scholasticos [6] et aliquos etiam recentiores. Dicit haec sententia admittendas esse atomos separatas in fieri corporum, non in facto esse; in facto esse corpora etiam magna sunt continua, et unum per se, licet pori non negentur. Illas autem lucubrationes scientificas de moleculis et atomis et corpusculis dicunt solum posse admitti ut symbolum mathematicum, ad faciendas supputationes et ad scribendas formulas mathematicas: a parte autem rei dicunt corpus esse continuum. Ad summum concedunt admitti posse in continuo varietatem heterogeneitatis, quae consistat in hoc quod in continuo dentur partes densiores et minus densae, cum intensiore vel minus intensa qualitate electricitatis. Sed addunt, si admitteretur illa discontinuitas scientificorum, non posse explicari quomodo corpus v.c. animalis sit unum per se, et quomodo consequenter possit informari anima rationali unica, vel anima canina, et cetera. Sic inter alios acerrime hanc positionem defendit P. HOENEN [7] et GREDT.

480. *Tertia sententia* est scholasticorum recentiorum qui tenent sine dubio admittenda esse omnia facta vulgaria et etiam ea quae ab scientia comprobentur, et omnes leges certas horum factorum: posse etiam admitti omnes conclusiones scientificas, et nominatim discontinuitatem per moleculas, atomos, corpuscula et onera electrica, dummodo haec admittan-

---

[6] URRÁBURU adhuc firmiter impugnat discontinuitatem materiae: *Cosm.*, p.513-534.

[7] HOENEN, P., S. I., *Utrum propter recentiora experimenta in crystallis admittenda sit vera discontinuitas:* Greg 6 (1925) 248-265.

tur ut causae proximae phaenomenorum et nequaquam ut essentia intima et ut explicatio philosophica [8]. Atque haec erit etiam nostra sententia [9].

481. Probatur thesis. I P. Atomismus chimicus admitti potest, ut factis satis comprobatus.

Prob. 1. (Indicando solummodo brevissime memoriae causa probationes singulorum elementorum quae in eo atomismo continentur.)

I. *De realitate molecularum separatarum* [10].

A. Unum idemque corpus potest esse in statu solido, liquido et gaseo seu aëriformi; hoc vero optime explicatur si supponamus in statu solido dari moleculas in minima distantia et ideo cum magna vi cohaesionis; inde explicatur cur corpus solidum tam difficile rumpatur, discindatur aut modificetur. In statu liquido moleculae, ob maiorem calorem quem absorbent, sunt magis separatae, et ideo cohaesio est minor, unde tam facile liquida modificantur quoad figuram, non vero quoad volumen. In statu gaseo moleculae, ob maiorem calorem absorptum, sunt magis distantes, unde et cohaesio vix locum habet, et ideo moleculae magis inter se distant, et tendunt constanter ut maius et maius spatium occupent.

482. B. *Ex consideratione magis particulari theoriae cineticae gasorum* [11]. 1) Nam gasa expanduntur ita ut pressionem magnam faciant in sensu perpendiculari contra parietes vasis: quod explicatur, si moleculae sunt separatae, si colliduntur inter se et magno impetu repercutiuntur contra se invicem et contra parietes vasis continentis ita ut tendant semper maius spatium occupare. 2) Gasa cum maiore pressione occupant minus spatium, et cum minore pressione occupant maius spatium: hoc autem optime explicatur si supponamus moleculas esse separatas, unde et pressione minuitur eorum distantia et minus spatium occupant; et diminuta pressione augetur distantia, unde et maius spatium occupabunt. 3) Ponamus duo gasa diversa in duobus globulis bene clausis; postea coniungantur globuli per fistulam communem: erunt ergo gasa in contactu; et non multo postea duo gasa erunt aequabiliter mixta cum mixtione physica; quod optime explicatur si supponamus gasa habere moleculas separatas, tendere

---

[8] P. Hoenen, in sua *Cosm.*, p.321, late examinat atomismum scientificum, et dicit discontinuitatem posse admitti in corporibus generatim, non vero in crystallis.

[9] Riaza, n.102-105.

[10] Riaza, n.35-47.

[11] Hoenen, *De theoria moleculari cinetica:* Greg 9 (1928) 417-442.

ad maiorem adhuc separationem et expansionem, et relinquere magna intervalla quae possint occupari a moleculis alius gasi. 4) *Idem probari potest ex motibus brownianis.* In liquidis sunt particulae microscopicae quae sunt in perpetuo motu satis irregulari: quod optime explicatur si supponamus moleculas liquidi esse inter se separatas et habere quendam motum vibratorium, unde et repercutiunt illam particulam microscopicam de una ad aliam moleculam, et ideo illa movetur motu tam continuato et irregulari.

483. II. *De realitate atomorum discontinuarum*[12].

A. *(Ex lege proportionum simplicium et multiplarum.)* Nam combinationes non fiunt in quacumque quantitate corporum combinatorum, sed in proportione fixa, quae per numeros exacte integros significatur; haec proportio est simplex, si unum corpus cum alio unicum mixtum facere potest; vel est multipla, cum unum corpus potest facere plurima mixta cum alio; in hoc casu proportiones diversae alius corporis semper significantur per numerum multiplum ponderis primae combinationis. Sic N et O faciunt plurima mixta perfecta; cum hoc ordine: N_2O; N_2O_2; N_2O_3; N_2O_4. Hoc bene explicatur si supponamus dari particulas quasdam minimas quae possint facere combinationem perfectam cum aliis corporibus. Sic in casu proposito datur minima particula oxygenii (N_2O) quae possit facere combinationem cum nitrogenio; iam vero minima particula quae potest inveniri in combinatione cum alio corpore vocatur atomus; *ergo* dantur atomi et quidem separatae, secus non possent tam celeriter quaerere atomum sociam cum qua habent affinitatem.

484. B. *(Ex radioactivitate.)*[13] Elementa radioactiva, v.c. radium, emittunt radios α, qui componuntur ex Helionibus, seu particulis habentibus electricitatem positivam et magnam velocitatem. Ceterae substantiae quae ex dictis elementis componuntur, habent eandem proprietatem, v.c. Chlorurum radii (Cl_2Ra) et Sulphatum radii (SO_4Ra). Hoc significat in moleculis horum corporum dari minimam particulam radii, quae combinatur cum aliis corporibus, quae minima particula formaliter permanet et est causa horum phaenomenorum; iam vero minima particula quae est in compositione cum alio corpore et manet in illa compositione formaliter, vocatur ato-

[12] JOHN DALTON primus theoriam atomicam sub forma moderna descripsit: cf. MIELI, ALDO, *La teoría atómica química moderna* (Bs. As. 1947) p.28-39. Et vide de exsistentia atomi: RIAZA, n.12-16.

[13] RIAZA, n.87-89.

mus; *ergo* datur atomus radii, et quidem formaliter permanens, ideoque et discontinua ab atomo chlori, et difficile alio modo explicabitur factum.

485. C. *(Ex diffractione radiorum X in crystallis.)* Particulae, ex quibus constant crystalla, habent hanc proprietatem, ut declinent radios X incidentes in illas in quodam angulo, qui metiri potest per imaginem quae proicitur in abacum (pantalla). In crystallis autem mixtorum perfectorum observantur duae species particularum, quae diverso angulo declinant radios X. Iam vero hae particulae non possunt esse moleculae homogeneae, quia secus non daretur illa varietas declinationis anguli refractionis; et contra factum optime explicatur si supponamus in moleculis manere formaliter et distinctas minimas particulas componentium; iam vero minimae particulae elementi quae intrant in compositionem cum alio corpore vocantur atomi; *ergo* factum optime explicatur si dicamus dari atomos permanentes formaliter et distinctas in composito.

486. III. *De corpusculis. Eorum realitas comprobatur diversis modis* [14].

A. *(Primo ex radiis cathodicis detectis a Crookes in suis tubis.)* Efficitur vacuum satis perfectum; postea cursus electricus immittitur et tunc verificantur haec phaenomena. In directione opposita cathodo observatur quaedam fluorescentia; si ponitur in ea directione lamina quaedam, proicitur umbra illius in parietem ultimum tubi; si in via iterum ponitur rotula facile mobilis, movetur cum ingenti celeritate. Hoc bene explicatur si supponamus, facto vacuo, relinqui in tubo aliquos iones positivos gasi anterioris: Iones sunt atomi relictae ex gaso quod prius in tubo continebatur, quae atomi amiserunt aliquem electronem, et ideo nunc atomi habent electricitatem positivam. Hi iones cum magno impetu moventur contra cathodum qui habet campum electricum negativum; ex atomis metalli cathodi solvuntur electrones negativi, qui immittuntur impetu celerrimo in directione opposita cathodo; et in ea directione producunt fluorescentiam in vitro tubi quae magis patescit si interponitur quoddam corpus, quod causet umbram; vel si ponatur in eadem directione rotula mobilis, quae per impetum illorum electronum negativorum movebitur etiam celerrime.

[14] La corona del átomo, RIAZA, n.76-79.

487. B. *(Ex radiis Röntgen, seu X.)* Faciamus idem experimentum superius quo producebantur radii cathodici. In tubo factum est vacuum non perfectum, sed satis magnum; immittitur cursus electricus et fit campus electricus in cathodo et in anodo. Tunc producuntur radii cathodici, et per hos, radii X, sequenti modo.

Si ponatur in directione opposita radiis cathodicis anticathodus seu corpus quod non facile liquefiat, detinentur radii cathodici, et producuntur ex anticathodo duo radii: alius minus durus seu penetrativus trans corpora opaca, et alius magis durus seu penetrativus trans corpora opaca. Hoc bene explicatur si supponamus atomos anticathodi habere in involucro electrones, qui sunt in orbitis concentricis exterioribus, et alios electrones qui sunt in orbitis profundioribus circa protones: illi radii minus duri, qui proveniunt ex anticathodo, constant ex electronibus involucri exterioris, et radii magis penetrativi, qui vocati sunt radii Röntgen et radii X, constant electronibus magis intimis, qui sunt circa nucleum [15].

488. C. *(Ex radioactivitate.)* Sunt corpora radioactiva, ut radium, thorium, actinium, uranium, palladium: haec corpora sponte et sine ulla vi extrinsecus immissa, emittunt ex se quasdam radiationes quae vocantur radii α, β, γ. Hae radiationes optime explicantur per corpuscula hoc modo.

Radii α sunt atomi Helii; radii β sunt radii cathodici electricitatis negativae; radii γ sunt iidem radii Röntgen: sed insuper emittitur "emanatio" quae vocatur niton, quae etiam est radioactiva; haec emanatio emittit radium diversae gradationis, donec tandem remanet atomus plumbi. Haec omnia bene explicantur si supponamus atomos horum corporum constare protonibus positivis et electronibus negativis in magna quantitate; in radiatione spontanea hae atomi rumpuntur, et emittunt tum protones tum electrones, admixtos in proportionibus quae sunt in atomo helii et in atomo plumbi; emittunt praeterea multos electrones negativos ex involucro exteriore, qui sunt radii cathodici, et electrones negativos ex involucro profundiore, qui sunt radii Röntgen.

489. *Prob. 2. (Ex auctoritate scientificorum.)* Nam peritis in arte credendum est, si laborant intra materiam suae scientiae et cum methodis suae scientiae. Iam vero plerique nunc scientifici, sincere laborantes in materia suae scientiae physico-chimicae, et cum methodis propriis suae scientiae,

[15] Corpuscula describuntur ap. RIAZA, 17 n.17-28.

dicunt se pervenisse ad has conclusiones; *ergo* hae conclusiones debent admitti.

Maior constat, et *minor* posset comprobari illustribus testimoniis: sufficiat tamen adducere testimonia PATRUM P. DEL PULGAR et J. ORLAND in opere *Introducción a la Filosofía de las ciencias físico-químicas,* p.298-9: "En resumen, la viscosidad de los gases, la composición espectral de la radiación en equilibrio en un recinto de temperatura dada, la difusión de las materias disueltas, la repartición por alturas de emulsiones en equilibrio, la actividad del movimiento browniano de traslación o de rotación, la difusión lateral de la luz en los flúidos, la discontinuidad de las cargas eléctricas transportadas por electrólisis, la numeración de los proyectiles emitidos en ciertas transmutaciones, en fin, la medida directa del espesor de hoja elemental de un cristal líquido o sólido, no solamente se explican por la existencia de las moléculas y átomos, sino que, en los límites de precisión de las experiencias, determinan en perfecto acuerdo las magnitudes y las masas de estos elementos materiales. Esta convergencia maravillosa apenas puede dejar dudas sobre la realidad objetiva de las moléculas y de los átomos." (Cf. *Ciencia moderna y Filosofía,* de JOSÉ MARÍA RIAZA, S. I., p.155-156.)

490. *Prob. 3.* Theoria atomismi chimici admitti potest si bene fundatur et non opponitur ulteriori investigationi philosophicae circa constitutionem corporum; *atqui* bene fundatur et non opponitur investigationi philosophicae; *ergo* admitti potest.

Maior patet, et *minor* probatur: quod bene fundetur, ex probationibus superioribus constat; et quod non opponatur ulteriori investigationi philosophicae, declaratur, quia atomismus scientificus solum statuit structuram molecularum, atomorum et corpusculorum, non vero statuit essentiam harum particularum; et contra Philosophia non negat hanc structuram, sed ulterius quaerit essentiam corporum; iam vero haec sibi non adversantur; *ergo* theoria atomismi chimici non adversatur ulteriori investigationi philosophicae.

491. II P. Non tamen potest admitti ut explicatio philosophica essentiae corporum.

Nam atomismus chimicus solummodo statuit discontinuitatem materiae et dispositionem corpusculorum inter se: *atqui* hoc non est statuere essentiam corporum; *ergo* atomismus

chimicus non potest admitti ut explicatio philosophica donans essentiam corporum.

492. Obiectiones. *(Contra discontinuitatem;* cf. Donat, p.145.) 1. Si tanta est discontinuitas materiae, corpus animalis aut hominis non potest esse unum per se; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non potest admitti illa discontinuitas theoriae atomicae. *Maior* quia ubi est divisio, non est unitas; *atqui* in corpore viventis iuxta atomismum scientificum, datur divisio, *ergo* non datur unitas. *Minor:* si enim non datur unum per se in corpore, neque hoc poterit informari ab una anima.

Dist. mai.: non poterit esse unum per se materialiter, *conc.;* formaliter, *nego* Et *contradist. min.:* est absurdum corpora viventia non esse unum per se formaliter, *conc.;* materialiter, *nego.*

Corpus viventis debet dici unum per se, sed ratione formae quae informat totum corpus et illud redigit ad unitatem finalitatis et cooperationis: sed non debet dici unum per se in eo sensu ut negetur omnis divisio actualis materiae: potest enim concedi ea divisio materiae, intra eos limites, quos permittat experientia, et non iuxta determinationem a priori. Experientia non permittit separationes visibiles, sed certe separationes proprias corpusculorum.

In anorganicis unum per se quaerendum est, non in magna mole, sed vel in molecula, vel in atomo, vel fortasse in solis corpusculis. At in organicis unum per se est quaerendum in tota illa mole quae informatur per unam animam communem toti organismo.

493. 2. Sensatio v.c. frigoris vel tactus in manu, sentitur ut aliquid unum; *atqui* si corpus non esset continuum, non sentiretur ut aliquid unum; *ergo* corpus est continuum, neque habet illam divisionem actualem in se. *Maior* constat, et *minor probatur:* nam multiplex esset corpus affectum frigore, multae nempe moleculae, atomi, corpuscula.

Dist. mai.: Sentitur ut aliquid unum assertive, ad quod sufficit unitas animae, *conc.;* sentitur ut aliquid unum exclusive seu negando discontinuitatem in materia, *nego. Contradist. min.:* si sentiretur unitas cum exclusione discontinuitatis in corpore, *conc.;* si sentiretur unitas mere assertive, ad quod sufficit unitas animae, *nego.*

3. Si ultimae particulae corporum distarent inter se proportionaliter sicut sol et planetae, et eo magis ut dicit theoria atomica, daretur actio in distans inter illas particulas; *atqui,* actio in distans admitti non potest; *ergo,* non adeo distant illae particulae.

Negatur antec.: nam si ponatur aether continuus inter illas particulas, iam non erit actio in distans; vel si non ponatur aether continuus, agent inter se per collisiones, non in distans; vel denique, explicetur illa actio sicut explicatur actio inter solem et planetas.

4. *Instabis:* Actio per collisiones conducit ad processum infinitum; *ergo* admitti non potest. *Antec.:* nam collisio explicatur per elasticitatem; et elasticitas seu compressibilitas corporum explicatur iterum per hoc quod particulae sint separatae; et si sint separatae, iterum agent non in distans sed per collisiones; et collisiones iterum per elasticitatem, et elasticitas iterum per particulas separatas; in quo datur processus infinitus in compositione rerum ex particulis.

Nego antec.; ad probationem, nego antec.; explicatur illa elasticitas per hoc quod illae ultimae particulae habent qualitatem quae

vocatur densitas et raritas, de quibus iam dictum est superius (n.329-331).

Resp. 2: ne igitur admittas actionem in distans aut per collisiones, sed per aetherem interiectum.

494. 5. Si moleculae, atomi et corpuscula adeo inter se distant, potius viderentur interstitia, quam materia, quia plus erit spatii vacui materia, quam pleni; *atqui* non ita accidit; *ergo* non adeo distant illae particulae.

Dist. mai.: si interstitia eodem modo agunt in sensus sicut massa, *conc.;* si autem diverso modo agunt in sensus, *nego.* In cinematographo longiora sunt tempora in quibus nulla est imago coram oculis, quam illud in quo est praesens, et tamen tempora illa vacua imagine non advertimus, et advertimus imagines quae durant brevius.

ARTICULUS II

De atomismo philosophico

Thesis 23. Atomismus philosophicus seu mechanicismus non bene explicat essentiam corporum.

495. Notiones. Atomismus est theoria eorum qui dicunt corpora constare ex particulis minimis, extensis, incompenetrabilibus, praeditis motu, et ex aggregatione harum particularum explicari omnia phaenomena. Atomismus potest esse *chimicus* seu scientificus, et *philosophicus.*

Atomismus chimicus seu scientificus intendit probare realitatem harum particularum minimarum, et virium electromagneticarum; et ex recta dispositione earum explicat omnia phaenomena et leges tamquam ex causa proxima, vel ex antecedente quo proxime fiunt intelligibilia phaenomena vel leges; non vult autem explicare essentiam intimam et substantialem corporum, neque de se vult negare ea quae possint statui per bene fundatam philosophiam circa essentiam corporum [1].

Atomismus autem philosophicus est theoria eadem, in quantum dicit illa corpuscula et vires, esse intimam essentiam rerum, neque aliud esse quaerendum ut cognoscatur essentia

---

[1] Defendunt atomismum scientificum: H. Poincaré, *La science et l'hypothèse;* Idem. *Valeur de la science;* Delbet, *La science et la realité* (Paris 1913); Henriquez, *Les concepts fondamentaux de la science* (Paris 1913); et praeterea: Perrin, Lange, Maxwell, Lorentz, Picard; Rey, E.. *La théorie de la Physique chez les physiciens contemporains* (Paris 1907); et Idem, *La philosophie moderne* (Paris 1911); cf. Nys, D., *Cosm.,* I p.183-184.

Licet dicant se colere scientiam praecisive ab essentiis et causis et a substantia corporea, tamen periculum est negandi has rationes philosophicas, et de facto multi eorum negant, et non admittunt nisi pura phaenomena, ut iam prius est dictum.

et ut explicentur plene phaenomena. Hic atomismus vocatur etiam mechanicismus.

496. Atomismus philosophicus est duplex: prior est *pure mechanicus,* secundus est *mechanicus moderatus* seu dynamicus.

A. Atomismus PURE MECHANICUS seu rigidus dicit atomos, quibus constant corpora, esse corpuscula increata et extensa, impenetrabilia et naturaliter indivisibilia; omnia sunt eiusdem speciei, et solum differunt directione motus: alia enim moventur in perpendiculum et alia in obliquum, ut possint collidi et formare eas aggregationes quas vocamus corpora naturalia. Sunt numero infinito, et admittitur vacuum in quo moveri possint. Non habent aliam mutationem nisi pure localem quam vocant mutationem extrinsecam iuxta placita Parmenidis [2].

Hunc atomismum mechanicistam professi sunt in antiquitate LEUCIPPUS, DEMOCRITUS, LUCRETIUS, EPICURUS. Fundamentum sumpserunt ex theoria PARMENIDIS valde modificata.

497. *a)* PARMENIDES dicebat ens esse unum et esse immutabile. Est *unum* quia si essent plura, vel differrent ente, vel non ente. Non possunt differre ente quia in ente conveniunt: neque possunt differre non ente seu nihilo, quia differre non ente est non differre. Ens est *immutabile:* quia si mutaretur, aliquid de novo fieret: hoc vero repugnat. Nam vel fieret de ente vel de non ente; non fit de ente, quia ens iam est ens, et non debet neque potest fieri; neque fit de non ente, quia ex nihilo nihil fit. Item si fieret aliqua mutatio, tunc ens esset idem et non esset idem; esset idem quia secus non esset aliquid quod mutaretur et transiret de uno statu in alium; et non esset idem, quia mutatum est. Denique non debemus admittere nisi quod intellectu comprehendi potest: iam vero mutatio est aliquid intellectu non apprehensibile; *ergo* non est admittenda.

b) Et ZENO eleatensis, ut demonstraret non posse ens moveri localiter, docuit non dari vacuum, quia vacuum est non ens, et non ens non est.

---

[2] Hunc mechanicismum defendebant in saeculo XIX plerique scientifici. Sic: SECCHI, A.; TYNDALL, TAIT, BALFOUR-STEWART, HELMHOLTZ, TAINE, HERBERT, SPENCER, BÜCHNER, BERTHELOT, DU BOIS-REYMOND, WUTZ, CLERK. MAXWELL, W. THOMSON, DE THIÈRY, A. DITTE; cf. NYS, D., *Cosm.,* I p.71-73; nt.120. Criticam huius atomismi vide: ARIST., 1 *Phys.,* c.4; et 1 *Metaph.,* c.3 4; S. TH., ibid.; et 2 CG c.39-41; *De potentia,* q.3 a.16; HOENEN, *De indole metaphysica mechanicismi:* Greg 10 (1929) 210-237.

498. *c)* DEMOCRITUS admisit ex theoria PARMENIDIS immutabilitatem intrinsecam entis, et solum admisit extrinsecam, quae iuxta illum est motus localis: in reliquis discessit a PARMENIDE. Admisit pluralitatem atomorum, ut posset explicare multitudinem realem rerum; admisit motum localem in plures directiones ut posset dari collisio et cohaesio in unitates quae vocantur corpora; admisit vacuum, ut explicaret quomodo posset dari motus localis.

d) Hunc mechanicismum sequutus est etiam DESCARTES, sed nisus solo fundamento ultimo PARMENIDIS, quod est gnoseologicum. Dicit nos non debere admittere nisi quod exhibetur in idea clara et distincta; iam vero idea clara et distincta exhibet solum extensionem, divisionem huius extensionis in particulas et motum: unde omnes qualitates locomotrices vel non locomotrices sunt abiciendae. Etiam, ut par est, admittit creationem materiae a Deo.

499. B. ATOMISMUS MECHANICISTA MITIGATUS seu dynamicus, admittit atomos et motum et praeterea vires, saltem locomotrices extrinsecas et intrinsecas, ut nisum et affinitates, non autem ullas alias vires. Omnia corpora fiunt ex diversa dispositione et numero et distantia horum corpusculorum. Sic TONGIORGI et alii [3].

Status quaestionis. Nos igitur asserimus omnem mechanicismum philosophicum, qui velit explicare ultimo essentiam corporum solum per massam seu extensionem et per vires pure motrices, esse falsum et insufficientem ad explicandam essentiam corporum.

500. Probatur thesis.

Talis debet statui essentia corporum, ut explicetur quomodo corpora possint habere, non solum motum localem, et vires motrices extrinsecas, sed etiam vires motrices intrinsecas, et vires intrinsecas, quae ad vires pure locomotrices non reducantur; *atqui* hoc non facit atomismus philosophicus rigidus aut mitigatus; *ergo* atomismus philosophicus tam rigidus quam mitigatus est falsus.

Maior patet: nam supra demonstratum est, non solum dari

---

[3] Inter atomistas dynamicos est dissensio in viribus mechanicis quae admittendae sunt. Sic H. MARTIN (in *Philosophie spiritualiste de la nature,* t.2 c.20) ait dari vires attractivas et repulsivas intrinsecas, nisum vel impulsum ex collisionibus et ex proiectione, et inertiam, quia res nequit mutare suum statum quietis vel motus. GASSENDI, JAHR, BOUCHER (in *Essai sur l'hyperespace,* Paris 1905) dicunt illam unicam vim esse pondus. TONGIORGI (*Cosm.,* l.1 c.3 a.2) dicit illam unicam vim esse vim resistendi; NEWTON admisit duas, nempe attractivam et repulsivam.

motum mere passivum, sed etiam vires locomotrices extrinsecas, ut est nisus proiectorum, et vires locomotrices intrinsecas, et tandem vires intrinsecas quae ad vires pure locomotrices non reducantur; *ergo* talis debet statui essentia corporum, ut haec facta bene explicentur (n.306-317).

Minor. Nam atomismus philosophicus rigidus negat omnes vires motrices etiam extrinsecas ut est nisus; et atomismus phillosophicus mitigatus, admittit quidem vires pure motrices extrinsecas et intrinsecas ut est v.c. vis attractiva, sed negat vires intrinsecas quae ad pure locomotrices non reducantur.

501. Scholium. Posset excogitari alius *atomismus philosophicus,* qui consisteret in eo quod corpora haberent vires, non solum pure motrices, sed etiam ex materia et forma. sed essent essentialiter simplicia: diversitas vero essentialis corporum deberetur toti entitati corporum, non parti alicui realiter distinctae ab alia.

Resp. Haec theoria est possibilis, ut ait P. SUÁREZ, neque ullo modo posset refutari si non valeret argumentum ex mutationibus substantialibus, vel ex duplici proprietate activa et passiva: de quo inferius agemus (cf. SUÁREZ, DM 13,10,8).

Obiectiones. Supra solutae sunt cum ageremus de realitate activitatum c.6 a.1.

ARTICULUS III

DE DYNAMISMO PURO

Thesis 24. Dynamismus purus non bene explicat essentiam corporum.

NYS, D., *Cosm.,* I (1928) p.243-260; URRÁB., *Cosm.,* p.538-548.

502. Notiones. DYNAMISMUS PURUS est sententia eorum qui docent corpora constare ex entibus simplicibus, quae sunt vires attrahendi et repellendi. Non igitur datur *extensio* in minimis particulis, quia solum dantur entia simplicia: et ex aggregatione et diversa dispositione spatiali talium virium, omnia corpora explicantur. Neque datur ulla *mutatio intrinseca,* sed solum extrinseca, nempe localis; multi dicunt etiam non dari ullam diversitatem essentialem inter illas particulas simplices. Generationes vel corruptiones, vel in sermone recentiore, combinationes et resolutiones, seu analyses et syntheses non sunt nisi diversa dispositio localis particularum, sine ulla mutatione magis intrinseca. Sed haec theoria diversis modis exponitur a suis auctoribus, et ideo aliquas expositiones in particulari recensebimus [1].

[1] Defendunt dynamismum: LEIBNIZ, *La monadologie,* n.7; KANT, *Kritik der urteilkraft;* BOSCOWICH, *Philosophiae naturalis theoria* (Viennae 1759); CAR-

503. *a)* Pythagorici docuerunt illas vires simplices esse solummodo numeros.

b) LEIBNIZ illas entitates simplices ultimas vocavit monadas, quae sunt in quocumque corpore infinitae actu; non occupant locum aut spatium, licet in nobis faciant phaenomenon spatii; habent activitatem immanentem, quae est perceptio et appetitio; illa autem activitas transiens quae a nobis observatur, est solummodo apparens, et debetur solummodo harmoniae praestabilitae seu activitati Creatoris quae ad desiderium immanens cuiuslibet monadis, movet proportionaliter monadas externas. Combinatio est solummodo aggregatio infinitarum monadarum sub una monade principe quae vocatur monas regina. Monades differunt essentialiter inter se, pro diverso gradu perfectionis in perceptione et appetitione.

WULF, discipulus LEIBNIZII sequitur magistrum cum aliquibus modificationibus essentialibus. Nam monades non habent activitatem immanentem, sed transeuntem.

c) KANTIUS dicit essentiam corporum constare duplici vi simplici, nempe attractiva et repulsiva: attractiva, ne corpora dissipentur in spatio immenso; et repulsiva, ne vires confluant in unum punctum et aboleatur extensio. Diversa corpora sunt solum aggregationes diversae secundum spatium harum virium simplicium. Advertit tamen, has assertiones esse veras, non de re in se seu de noumeno, quod penitus incognitum latet, sed de fabricamentis nostrae mentis ex vi formarum a priori.

504. *d)* BOSCOWICH ait vires illas simplices ornatas esse unica vi, quae cum particulae sunt nimis proximae, convertitur in repulsivam, ne confluant in unum punctum et aboleatur extensio; et cum particulae sunt valde distantes, vis illa convertitur in attractivam, ne forte diffluant in spatio immenso. Agunt in distans inter se, quia nullum medium est interpositum inter particulas. Diversitas corporum debetur diversae dispositioni locali harum particularum, non autem mutationi ulli intrinsecae, neque extensioni corporum quae formaliter non datur.

CABONELLE imitatur satis proxime PATREM BOSCOWICH, licet etiam in nonnullis ab eo dissideat.

e) PALMIERI ait illas particulas simplices esse virtualiter extensas, eo quod sint totae in toto et totae in singulis partibus spatioli sui ad modum spirituum. Sunt inter se contiguae

---

BONELLE, *Les confins de la science et de la philosophie* (Paris, Palmé) t.1 l.1 c.2; PALMIERI, *Cosm.*, c.16 (Romae 1875); HERBERT (1776-1841); FECHNER (1801-1887); LOTZE (1817-1881); ULRICI (1806-1884).

et non agunt in distans. Solas vires locomotrices admittit; negat omnia accidentia et modos realiter distinctos a particulis, et ideo in re illae particulae sunt penitus immutabiles, sicut eas excogitabant DEMOCRITUS et illius sectatores.

Status quaestionis. Nos dicimus dynamismum purum esse falsum et male explicare essentiam corporum.

505. Probatur thesis.

Talis debet statui essentia corporum ut explicet et extensionem formalem, quae debet admitti in corporibus, et motum localem et vires locomotrices extrinsecas ut nisum, et intrinsecas, ut attractionem; *atqui* theoria dynamica partim negat haec et partim male explicat; *ergo* theoria dynamismi puri est falsa et male explicat essentiam corporum.

Maior constat: nam haec omnia, facta et phaenomena dantur; ergo theoria quae haec vel neget vel non explicet est falsa, et male explicat essentiam corporum.

Minor. Nam dynamismus negat extensionem formalem et plerique negant omnes vires praeter pure motrices extrinsecas et intrinsecas.

506. Scholium. *De energetismo*[2]. Energetismus est systema docens dari energias variatissimas, et non solum locomotricem; imo ait omnia posse explicari per energias: ipsa extensio non est nisi energia quae impedit ne alia ingrediatur ubi iam erat aliqua prior; et massa non est nisi energia quae mensuratur per vim necessariam ut ei detur velocitas aliqua vel modificetur.

Energetismus praescindit a determinandis essentiis rerum, et a causis veris, imo et a theoriis quae intendant determinare quaenam sit realitas ontologica phaenomenorum: solum intendit describere facta et leges phaenomenorum. Haec theoria *differt magnopere a mechanicismo,* quia admittit omne genus virium quae rationabiliter probentur. *Differt etiam a dynamismo,* quia non asserit dari solum vires cum exclusione extensionis, sed solum vult describere facta et explicare illa per vires et energias, non excludendo neque affirmando extensionem.

Hoc systema *legitimum est,* dummodo se contineat in praecisione quam statuit ut methodum. Sed periculum est ne praecisionem convertat in negationem, et dicat realiter non dari nisi vires inextensas, imo non dari nisi phaenomena, non vero essentias neque causas, et tunc cadet in phaenomenalismum, sicut revera multi inciderunt[3].

507. Obiectiones. 1. Prima corporum elementa debent esse simplicia; *atqui* hoc docet dynamismus; *ergo* dynamismus bene explicat

[2] De energetismo vide NYS, *Cosm.*, I p.268-310.

[3] Defendunt energetismum: OSTWALD, *L'énergie* (Paris 1910); IDEM, *Die Ueberbindung des wissenschaftlichen Materialismus;* BRUHNES, *La degradation de l'énergie* (Paris 1908); DUHEM, P., *L'évolution de la méchanique* (Paris 1903); IDEM, *La théorie physique, son objet et sa structure* (Paris 1906); MACH, E., *La mécanique* (Paris 1904); LEBON, *L'évolution des forces* (Paris 1908).

elementa corporum ultima. *Maior:* si enim non sunt simplicia, deberent resolvi in alia; et ideo non essent ultima (URRÁB., 548).

Dist. mai.: simplicia saltem essentialiter, quia non ex aliis elementis essentialibus constant, *conc.;* simplicia integraliter, ut asserit dynamismus, *nego.* Et *contradist. min.:* ponit elementa simplicia essentialiter ultima et etiam integraliter, *conc.;* solum essentialiter, *nego.* Elementum saltem materiale in corporibus debet esse integraliter compositum, et habere extensionem formalem.

2. Corpora non explicantur sine viribus attractivis et repulsivis; his vero positis bene explicantur; *ergo* elementa ultima corporum sunt vires et solum vires.

Conc. primam partem *antecedentis,* et *nego secundam.* Non sufficit ponere vires attractivas ut explicentur corpora; necesse est ponere etiam vires alias, et extensionem, quod negat dynamismus.

3. Corpora habent vim agendi; *atqui* vis agendi est simplex; *ergo* et corpora quae sunt subiectum illarum virium, sunt simplicia vel ex simplicibus constant. *Minor:* nam definiuntur sine ulla mentione extensionis.

Conc. mai.: et *dist. min.:* abstracte considerata, *conc.;* prout in tali subiecto, seu concrete, *nego.* Et *contradist. cons.:* si essent simplices in concreto et prout in tali subiecto sunt, *conc.;* si mere abstracte, *nego.* Et *probationem dist.* similiter.: definiuntur abstracte sine ulla mentione extensionis, *conc.;* concrete, *nego.*

4. Corpora cognoscuntur solummodo per actiones; *atqui* hae non postulant subiectum extensum; *ergo* sufficit ut habeant subiectum simplex.

Dist. mai.: per actiones abstracte sumptas, *nego;* per actiones in concreto sumptas, *conc.;* et *contradist. min.:* si sumantur in abstracto *conc.;* si in concreto, prout est actio talis subiecti extensi et compositi et prout terminatur ad talem modificationem subiecti extensi, *nego.*

508. 5. In processu resolutionis (desintegrationis) radioactivae, pondus elementorum resultantium minus est pondere corporis radioactivi resoluti (desintegrati) duabus decimis (0,2); *atqui* hae duae decimae conversae sunt in energiam radiantem; *ergo* materia est energia.

Conc. mai. Dist. min.: in energiam radiantem corpuscularem, *conc.* In vim, vero sensu philosophico, quae sit verum accidens et non substantia, *nego.:* et *contradist. min.:* si converteretur in energiam proprie dictam, quae est accidens et vis, *conc.;* si in energiam radiantem, quae est corpuscularis, *nego.*

Haec resolutio (desintegratio) fit eo quod radium, v.c. emittat ex se electrones solos, vel etiam electrones mixtos cum protonibus et quidem in proportione apta ut formentur atomi integrae helii et plumbi. Si apparet pondus corporis radioactivi desintegrati imminutum in duabus decimis, hoc significat illas emanationes corporis non potuisse mensurae subici. Corpus radioactivum dissolvitur in particulas habentes molem et massam non autem in puras vires.

6. In quibusdam experimentis massa electronis minuitur; *atqui* hoc explicatur eo quod electron partim in energiam convertitur; ergo massa in energiam converti potest, ideoque est solum energia; secus non posset converti in aliam energiam.

Dist. mai.: minuitur massa inertialis seu vis resistendi (et ideo

etiam vis necessaria ut illi detur quidam motus vel acceleratio), *conc.;* massa quae sit quantitas materiae, *nego;* et *contradist. min.:* si minuitur sola massa inertialis, *nego;* si etiam massa quae sit quantitas materiae, *conc.*

7. Si elementa ultima sunt moles aliqua formaliter extensa, daretur continuum; *atqui* continuum repugnat; *ergo* non datur massa extensa formaliter, sed solum entia simplicia. *Minor:* ob infinitas difficultates contra continuum.

Resp. Difficultates ortae ex continuo iam supra solutae sunt c.1 a.2 et 3.

CAPUT VIII

Systema hylemorphicum

509. Introductio. Accedimus iam ad solutionem traditionalem, quae vocatur systema scholasticum et etiam systema hylemorphicum. vel systema aristotelicum. *Scholasticum,* quia ab scholasticis fuit valde excultum. *Hylemorphicum,* ex hyle quod est materia, et morphe, quae est forma, quia corpora constituuntur ex materia et forma. Et *aristotelicum* seu peripateticum, quia ab ARISTOTELE inventum est ut responderet aporiis PARMENIDIS et HERACLITI, et ut explicaret mutationes substantiales quas videbat in mundo. *Systema* autem dicitur, quia constat propositionibus quae omnes sunt inter se ligatae et ordinatae ad respondendum problemati proposito.

Circa hoc problema de constitutione corporum quaeruntur quatuor: *primum,* de expositione systematis; *secundum,* de differentia substantiali inter corpora elementaria; *tertium,* utrum corpora elementaria constent materia prima et forma substantiali; *quartum,* utrum in mixtis perfectis maneant elementa formaliter, et utrum praeter formas elementares acquiratur nova forma substantialis totius mixti; quae omnia quinque articulis explanabimus.

ARTICULUS I

ORIGO ET EXPOSITIO SYSTEMATIS SCHOLASTICI

510. ARIST., 1 *Phys.*, c.1; 1 *Met.*, c.3; 1 *De gener. et corrupt.*, c.1ss.; 3 *De caelo*, c.7; S. TH., in haec loca; SUÁREZ, DM d.13-16; URRÁB., *Cosm.*, p.549-555; ECHARRI, J., *Autocrítica histórica del hilemorfismo:* Pens 8 (1952) 147-186; DUBARLE, D., O. P., *L'idée hylémorphiste d'Aristote et la comprehension de l'univers:* RevScPhTh 36 (1952) 3-29.205-230; et (1953) p.3-23; BRAUN, *Hylesystemismus oder hylemorphismus:* DivTh (Fr) 16a(1938) 420-258; NYS, *Cosm.*, II p.

511. Nos in hoc articulo sex praestabimus: *primo,* agemus de origine historica systematis aristotelici; *secundo,* exponemus in quo consistat doctrinaliter hoc systema; *tertio* designabimus quaenam sint essentialia et quaenam non sint essentialia in hoc systemate; *quarto,* dicemus de habitudine huius systematis ad theoriam de actu et potentia; *quinto,* de

influxu huius systematis in reliquas partes Philosophiae, et in Theologiam et in sermonem vulgarem; *sexto,* quid nos tenebimus.

512. I. *De origine historica huius systematis.* PARMENIDES observavit sicut omnes, in mundo dari pluralitatem rerum et ex alia parte advertebat dari etiam miram unitatem secundum quam omnia conveniunt in ente. Observavit etiam diversitatem eiusdem rei sub diversis illis statibus: habebat ergo coram se et pluralitatem et unitatem seu problema de uno et multiplici. Non valens haec duo conciliare, maluit dicere in rebus dari perfectam unitatem et immutabilitatem, pluralitatem vero et mutabilitatem esse meras illusiones.

Et quidem a) *pluralitatem* negavit, quia si essent plura, vel differrent ente vel non ente: ente non poterant differre, siquidem in ente omnia conveniunt; neque non ente, nam differre in non ente est non differre. b) *Mutationem* vero negavit, quia si daretur mutatio, aliquid de novo fieret, et hoc est impossibile: nam vel fieret ex ente vel ex non ente seu ex nihilo; et quidem ex ente non potest aliquid fieri, quia iam est ens et non indiget nec potest fieri; neque ex non ente, quia de nihilo nihil fit. Addidit praeterea argumentum gnoseologicum: quod non est facile apprehensibile menti, non est admittendum; sed mutatio eiusdem rei non est facile apprehensibilis, ergo non est admittenda.

513. HERACLITUS etiam animadvertit ex una parte pluralitatem et ex alia parte unitatem omnium in ente; item mutabilitatem rerum et identitatem rerum quae mutantur sub diversis mutationibus. Similiter atque PARMENIDES non potuit conciliare utrumque, et ideo maluit dicere unitatem et permanentiam sub diversis mutationibus esse meras illusiones, et contra in rebus admittendas esse solum *pluralitatem* et *mutationem,* quod est dicere omnia consistere in puro fieri, aut devenire, aut mutari; illud vero quod facit omnia et ex quo omnia fiunt *est ignis,* cuius natura est perire dum alitur. Identitatem subiecti sub mutationibus negavit, quia si res mutatur non est eadem, vel si est eadem non mutatur. Unde non datur nisi pura pluralitas.

514. Duplex modus unitatis et pluralitatis est explicandus. Primus modus est unitas plurium entium sub ratione communi entis, et tamen vera pluralitas individuorum entium; secunda est unitas seu permanentia rei quae mutatur sub di-

versis mutationibus et tamen vera pluralitas mutationum eiusdem.

Hoc vero Aristoteles praestitit ingeniose per duplicem theoriam, quarum alia est de analogia entis, et alia est de actu et potentia; et per has theorias dissolvit sophismata PARMENIDIS et HERACLITI.

Dicit ergo ARISTOTELES dari *unitatem* entium in ratione entis, quia omnia conveniunt in ratione entis; sed asserit dari etiam *pluralitatem* entium, quia haec datur ab experientia et quae dantur ab experientia neganda non sunt. Nec impeditur haec pluralitas per unitatem logicam entis nam ens est analogum, et ideo, licet omnia conveniant in ente, possunt etiam differre in ente, quia differentiae sunt etiam ens.

Similiter admittit *mutationes* rerum, quia hae dantur ab experientia, et quae dantur ab experientia neganda non sunt; admittit item *identitatem* alicuius subiecti permanentis sub mutationibus, quia secus nulla esset res quae mutaretur et transiret de uno statu in alium. Mutationes autem cum permanentia subiecti sunt possibiles, quia res constant ex actu et potentia. Datur in rebus *potentia,* quia datur subiectum capax multarum mutationum, et ideo permanet idem sub omnibus illis. Datur *actus,* quia illa capacitas determinationum realizatur per aliquam realitatem distinctam a potentia, et illa realitas per quam realizatur illa capacitas determinationum vocatur actus. Datur *compositum* unum ex potentia et actu. Nam cum aliqua capacitas realizatur, habetur actualiter aliqua res quae est potentia et aliqua realitas quae est actus actualizans potentiam; et haec duo elementa non sunt mere vicina aut mere compenetrata, sed constituentia unum valde intimum, quia non potest dari unum ex pluribus resultans, magis intimum quam quod resultat ex eo, quod est potentia seu possibilitas alicuius rei et ex realizatione illius possibilitatis.

515. Consequenter *a)* potest dari *mutatio in rebus;* quia potest dari aliquid permanens quod transeat de uno statu in alium, et hoc est potentia seu materia; et aliquid quod in illo subiecto sit aliud et aliud, et hoc est actus. *b)* Potest consequenter dari *productio novi actus* aut mutationis. Nam illa mutatio efficitur non de ente completo et actuato per realitatem quam affert mutatio (tunc enim esset impossibilis mutatio); neque fit de non ente, hoc enim esset creare, quod non est in potestate ullius creaturae; sed de *ente in potentia fit ens in actu.* Habebatur nempe subiectum capax multarum determinationum, seu actualizationum; et causa efficiens, transmu-

tans subiectum producit, per eductionem, novam formam seu actum.

Omnis igitur antinomia PARMENIDIS et HERACLITI superata est per theoriam de potentia et actu. Et theoria de potentia et actu est quae explicat etiam essentiam corporum, siquidem in corporibus potentia est materia prima, et actus est forma substantialis.

516. II. *Elementa doctrinalia theoriae hylemorphicae.* Theoria ergo hylemorphica dicit corpora in facto esse constare materia prima et forma substantiali, in fieri autem constare ex materia prima et forma substantiali et ex privatione. Quae iam explicantur.

CORPORA: sunt entia extensa, divisibilia et impenetrabilia; et possunt esse elementaria et mixta perfecta. Et hylemorphismus dicit tam corpora elementaria quam corpora mixta perfecta constare ex materia prima et forma substantiali.

IN FACTO ESSE, sunt corpora cum iam sunt in suo esse quieto et stabili; corpora autem in fieri sunt corpora in momento transmutationis unius corporis in aliud.

CONSTANT ESSENTIALITER (seu essentia eorum constat). *Quaerimus enim* essentiam physicam corporum, seu illa ultima principia intrinseca, quibus positis, ponitur corpus, et quibus non positis, non ponitur corpus, et ex quibus explicentur phaenomena. *Non quaerimus* aliquid quod nobis explicet *a priori* leges secundum mensuras proprias: hoc enim a sola experientia disci debet, et etiam veluti a priori, ex causis suis proximis, quae sunt theoriae scientificorum. Solum quaerimus illud quod explicet cur habeantur talia corpora diversa essentialiter et radicantia diversas proprietates.

517. MATERIA PRIMA definitur tripliciter, mere negative, positive per connotationem ad fieri et ad resolutionem, et statice per ordinem ad compositum constituendum.

NEGATIVE DEFINITUR MATERIA PRIMA: id in corpore quod non est neque quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum ex quibus ens determinatur, neque ens, addunt thomistae. *Non est quid,* quia non est essentia ulla corporis, et proinde neque est corpus, sed potentia ad hoc ut cum alia comparte sit corpus. *Neque quantum;* quia licet sit radicans quantitatem, tamen non est quantitas, sed aliquid diversum et prius quantitate. *Neque quale;* quia non dat specificationem ulli corpori. *Neque aliquid eorum quibus ens determinatur:* i.e. non est ullum genus entium completorum quae sunt in praedicamentis, et quae sunt determinationes entis vel modi

determinati entium. Materia quidem est materia seipsa, sed non est ullum corpus determinatum seipsa. *Sed neque ens:* hoc dicunt thomistae, significantes materiam primam realiter distingui ab exsistentia et totam suam exsistentiam recipere a forma. Sed hoc est disputatum, neque ad substantialia hylemorphismi pertinet.

518. Positive autem per connotationem ad synthesin et resolutionem sic definitur materia prima ab Aristotele: "Materia prima est primum subiectum ex quo tamquam ex elemento intrinseco aliquid fit per se et non secundum accidens, et ultimum in quo resolvitur compositum cum corrumpitur." Dicitur *subiectum,* quia subicitur formae seu realitati novae quae per mutationes substantiales acquiritur. *Primum subiectum,* quia illud iam non habet aliud subiectum in quo sustentetur aut sit. *Ex quo,* quia per transmutationem materiae producitur forma, seu educitur forma de potentia materiae per actionem innixam in ipsa materia. *Ut ex elemento intrinseco seu cum insit,* quia est pars intrinseca compositi, sed determinabilis: non igitur fit aliquid ex illo subiecto ut a causa efficiente aut finali aut exemplari, sed ut ex elemento intrinseco potentiali et indifferente et determinabili per aliud. *Aliquid fit per se:* i.e. fit unum per se, quod est una substantia aut essentia aut natura. *Et non secundum accidens.* Unum secundum accidens est illud quod coalescit ex pluribus quae, licet valde intime coniungantur, ut substantia et accidens, non tamen constituunt unam naturam aut essentiam aut substantiam. *Et est ultimum in quod resolvitur compositum cum corrumpitur:* nam si compositum corrumpitur, disparet forma si est materialis, non vero disparet illud subiectum, sed remanet in omnibus sequentibus mutationibus.

Positive vero et statice per ordinem ad compositum in quo est, materia definitur: "substantia incompleta, quae ut pars determinabilis constituit compositum substantiale materiale". *Est subtantia,* ut *quo,* siquidem est pars constitutiva substantiae, et pars constitutiva substantiae non est accidens sed est substantia saltem ut *quo. Incompleta,* quia si est pars totius compositi substantialis, ex natura sua numquam potest esse totum aliquid, sed essentialiter est pars ideoque est substantia incompleta. *Constitutiva totius ut pars determinabilis:* nam materia est indifferens ad quamlibet formam, et ideo ipsa non dat determinationem et speciem corpori, sed formam.

Materia ergo non est corpus, sed constitutivum corporis, sicut pars eiusdem potentialis et determinabilis.

519. MATERIA SECUNDA est aliquod corpus, quod iam est constitutum secundum suam speciem, v.c. ferri, aquae, et tamen manet adhuc in potentia ad aliquas determinationes accidentales: sic ferrum est in potentia ad combinationes, ad figuras, ad statum solidum, liquidum, gaseum, etc.; imo si aliquis contenderet corpora esse iam in sua specie constituta, sed manere adhuc in potentia ut substantialiter determinarentur ad speciem superiorem, illa corpora non vocarentur materia prima, sed materia secunda perfectibilis substantialiter.

520. FORMA SUBSTANTIALIS hoc loco est illa realitas, quae determinat indifferentiam et potentialitatem materiae, intrinsece afficiendo illam; seu est illud quod actuat (realizat) possibilitatem materiae in ordine substantiali. Sic anima canina est forma substantialis canis, quia materia habebat potentialitatem ut esset canis, et haec possibilitas realizatur seu actuatur per animam caninam. In composito *ratio diversitatis* corporum et diversitatis operationum et proprietatum corporis est forma, non vero materia quia haec de se est indifferens et pura potentia. Forma autem *non efficitur per se,* quasi ipsa crearetur et postea uniretur, sed generatur per accidens, quia agens transmutando materiam, facit hanc transmutationem producendo formam unitam.

521. COMPOSITUM est illud quod resultat per unionem materiae et formae. Haec autem unio non est mera iuxtapositio materiae et formae, neque est mera compenetratio, licet haec requiratur, sed est talis communicatio formae ad materiam, ut per hanc communicationem actuetur illa potentialitas quae erat in materia ad tale compositum, et determinetur eius indifferentia ad talem naturam et essentiam compositam constituendam. Hoc compositum est nova natura, nova essentia et nova substantia et novum suppositum.

522. FUNDAMENTUM absolute necessarium ad statuendum hoc systema erat factum quod praesupponebatur certum, nempe mutationes substantiales. Mutantur enim substantialiter tum corpora elementaria in alia elementaria, tum corpora elementaria in mixta perfecta, tum mixta in corpora elementaria ex quibus orta fuerunt.

In his transmutationibus datur *generatio* et *corruptio* et *privatio.* Datur *generatio,* respectu formae novae quae producitur, cum unum elementum transmutatur in aliud, vel constituit mixtum perfectum. Datur *corruptio* respectu formae veteris, quae destruitur adveniente alia opposita. Et datur

privatio respectu illius formae novae ad quam materia iam est disposita per causam efficientem, prius natura quam veniat illa forma ad quam materia est disposita. Et ideo dicebatur corpora *in fieri* constare ex materia prima quae recipit formam, ex forma substantiali quae recipitur, et ex privatione formae quae recipienda est, quae privatio est in materia iam disposita et exigente novam formam.

523. III. **Quaenam sint essentialia systemati hylemorphico scholastico.** Essentiale est systemati scholastico prout est commune scotistis et thomistis et SANCTO ALBERTO MAGNO defendere has propositiones. *Prima:* corpora elementaria constant materia prima et forma substantiali; ita ut materia prima sit pura potentia saltem in ordine ad formas, licet non sit pura potentia ad exsistentiam, eo quod ipsa habeat suam propriam exsistentiam. *Secunda:* forma substantialis est realitas substantialis realiter distincta a materia, qua materia actuetur et determinetur in ordine substantiali et specificativo. Reliqua autem erunt propria alicuius scholae, sed non communia omni systemati scholastico.

524. Quare *negaret systema scholasticum* qui haec teneret: *a)* corpora inorganica non constant materia prima et forma substantiali, sed massa et viribus; *b)* sed tamen manent in potentia substantiali ut informentur per animam; *c)* in hoc composito ex corpore et anima, corpus bene dicitur materia (non prima), quia est quid perfectibile per animam, et anima bene dicitur forma substantialis. Qui haec teneret non negaret fidem definitam in Concilio Viennensi, quod declarat animam rationalem esse formam corporis, sed tamen non teneret ullo pacto systema scholasticum.

525. Et contra, *non negaret systema scholasticum quoad fundamentalia,* qui haec teneret: *a)* Corpora elementaria constant materia prima (quae sit potentia in ordine ad formam, non in ordine ad exsistentiam), et forma substantiali, quae esset actuatio illius possibilitatis substantialis. *b)* Elementa manent in mixto, sive dicatur advenire nova forma superior, sive dicatur nulla nova adesse forma propria mixti. *c)* Haec mixta perfecta, sive sint unum per se, per novam formam, sive sint unum per accidens, quia sunt solum aggregatio atomorum et molecularum, manent in potentia substantiali ratione materiae primae, ut informentur nova forma substantiali vivente. Qui haec teneret, non quidem esset thomista, sed admitteret materiam primam et systema quod professus est

SANCTUS ALBERTUS MAGNUS, Doctor Ecclesiae, et multi alii doctores scholastici.

526. IV. **De habitudine huius systematis ad theoriam generalem de actu et potentia.** Theoria de materia prima et de forma substantiali est casus particularis theoriae magis generalis de actu et potentia. Nam theoria generalis de potentia et actu dicit omne ens creatum constare potentia et actu, nempe aliqua parte determinabili et indifferente ad ulteriorem actualitatem, et alia parte determinante et actualizante illam possibilitatem. Theoria sic enuntiata est certissima et fundatissima in ratione. Non tamen omnes eius applicationes sunt verae aut certae, ut apparebit si recenseamus praecipuas applicationes.

Prima applicatio est ad ens contingens ut tale; et haec applicatio dicit omne ens constare ex potentia et actu realiter distinctis, quae sunt essentia et exsistentia. Haec applicatio negatur a multis scholasticis ut impossibilis, et nequaquam est fundamentalis in Philosophia.

Secunda applicatio est ad ens corporeum; et dicit omne ens corporeum constare materia prima et forma substantiali; haec applicatio admittitur ab omnibus scholasticis, licet cum multis varietatibus.

Tertia applicatio est ad substantiam et accidens, et dicit: omne ens creatum constare ex potentia, quae est substantia, et actu, quod sit accidens; seu omnem substantiam creatam naturaliter habere accidentia realiter distincta: hoc ab omnibus tenetur ut certissimum et fundatum in ratione.

527. V. **Influxus huius theoriae in reliquas partes Philosophiae et in Theologiam et in sermonem vulgarem.** Haec theoria quoad modum concipiendi et loquendi habet influxum extensissimum in reliquas partes Philosophiae et in Theologiam et in sermonem vulgarem. Nam omne illud quod est aliquo modo determinabile et indifferens vocatur materia, et omne illud, quod est determinatio illius potentialitatis, vocatur forma.

Et sic in *Logica,* constant materia et forma: conceptus universales, propositio et iudicium, discursus et ratiocinium. In *Ontologia* agitur de causa materiali et formali; quia intelligitur ut materia omne determinabile ontologice, ut est intellectus et voluntas respectu suorum actuum; et ut forma, omne illud per quod haec potentialitas actuatur, ut sunt omnes actus intelligendi et volendi respectu intellectus et voluntatis. In *Cos-*

mologia suam sedem propriam habet haec theoria. In *Psychologia* anima est forma substantialis corporis, ut definitum est in Concilio Viennensi. In *Ethica,* virtutes constant materia et forma, societas constat materia et forma, contractus matrimonialis constat materia et forma.

In *Theologia,* sacramenta constant materia et forma; et anima et gratia se habent ut materia et forma accidentalis. In *sermone vulgari* Sanctus Ignatius dat methodum meditandi, et loquitur de materia, quae est res meditanda, et de forma, quae est methodus meditandi illam materiam.

528. VI. **Quid nos tenebimus.** Nos defendemus systema scholasticum proprie dictum, nempe corpora elementaria constare ex materia prima et forma substantiali. Illa autem materia prima *non* necessario erit *pura potentia* in ordine ad exsistentiam, quia materia ex se (non a se) habet exsistentiam, sed in ordine ad formas; quia ex se non est ulla forma, sed pura capacitas recipiendi omnes formas.

Probamus theoriam in primis argumento speculativo, quia nempe est possibilis et verosimilis, siquidem explicat bene essentiam corporum, cum reliquae theoriae hucusque constructae eam non bene explicent. Etiam argumento experimentali, ex mutationibus substantialibus probabimus dari formas substantiales, et aliquo modo etiam innui materiam primam.

In *mixtis* anorganicis elementa manent formaliter sine ulla nova forma substantiali; et in organicis haec mixta manent formaliter, et informantur formis substantialibus viventibus

ARTICULUS II

Differentia essentialis corporum elementarium inter se

Thesis 25. Corpora elementaria differunt essentialiter inter se.

529. S. Th., 1 q.47 a.1; 2 CG c.45, ubi a priori hanc thesin demonstrat; Urráb., *Cosm.,* p.455-463; Morán, p.359-367; Schaaf, n.315; De Backer, p.166-179; Barrio, J. M., S. I., *¿Es única la materia de los cuerpos?:* Pens 4 (1948) 153-166; Dario, p.377-392; Puigrefagut, *A la constitución de la materia por el éter cósmico:* Pens 8 (1952) 493-508; Gredt, 1 n.238-242; Le Prince-Ringuet, *Les constituants de la matière:* RevMetMor 41 (1934) 235-252; Vaissière, I n.90ss; Maquart, M., *Espèce ou individu?:* RevQuestScient 11 (1937) 232-251.

530. Nexus. Systema hylemorphicum praesupponit ut certissimum dari corpora anorganica essentialiter diversa; nam si non dantur corpora anorganica essentialiter diversa nulla esset ratio quaerendi et statuendi duo elementa, unum commune seu non differentiale, et aliud elementum realiter distinctum, quod esset ratio diver-

sitatis essentialis. Quaerendum est igitur utrum corpora elementaria sint essentialiter diversa inter se: et non quaerimus nunc utrum differant essentialiter a mixtis, quia dubium et controversia non mediocris est utrum corpora mixta sint essentiae aliquae an aggregatio per accidens multorum corporum.

531. Notiones. CORPUS, priusquam probemus thesin de essentiali constitutione, possumus describere ut ens extensum et activum cum motu, divisibile et impenetrabile.

ELEMENTARE est illud quod non componitur ex corporibus diversae speciei, neque per analysin resolvitur in plura diversae speciei. Contra MIXTUM est quod componitur ex pluribus corporibus diversae speciei, non per simplicem mixtionem sed per combinationem.

DIFFERUNT ESSENTIALITER INTER SE. *Essentia* est id quo res est id quod est, vel quo res primo et formaliter constituitur in suo gradu vel ordine entitatis. Essentia autem *specifica* est illud quod praedicatur de multis ut integra eorum essentia. Differunt ergo essentialiter et specifice, ea quae differunt, non solo numero, sicut una gutta aquae ab alia gutta aquae, neque sola diversitate additiva, sicut quantitas ut quatuor et quantitas ut sex, sed diversitate primaria, quae scilicet non potest vinci per solam additionem aut per magis et minus in eodem ordine.

Nam proprietates aliae sunt *additivae* et aliae sunt *constitutivae*. PROPRIETATES ADDITIVAE sunt illae quae resultant ex additione aut substractione: sicut accidit in ponderibus, voluminibus, et in electricitate, in qua positivum et negativum neutralizantur. PROPRIETATES AUTEM PRIMARIAE seu constitutivae non resultant ex mera summa aut substractione, sed sunt modi diversi essendi.

INTER SE. Corpora elementaria modo numerabantur 92 et iam numerantur 100. Et fortasse possit fieri ut aliqua ex his non adeo differant ut constituant species diversas: sed tamen dicimus pleraque ex illis adeo inter se differre ut sint species distinctae.

Status quaestionis. Et quaeritur utrum haec omnia corpora sint eiusdem speciei, an vero plura differant essentialiter inter se.

532. Sententiae. *Prima* sententia est mechanicista, et dicit essentiam omnium corporum esse eandem, et ex sola diversitate quantitatis aut dispositionis particularum exoriri omnem diversitatem corporum quam cernimus. Haec sententia multis modis propugnata est a suis defensoribus.

a) Nam Ionici multi dicebant omnia corpora constare ex quatuor elementis, quae sunt terra, aqua, aër, ignis; sed quoniam elementa ipsa constabant ex atomis essentialiter homogeneis, ideo omnia corpora tandem constant ex elemento homogeneo, et ideo non differunt essentialiter. *b)* atomistae dixerunt omnia constare ex atomis homogeneis et solum mutabilibus quoad locum: sic LEUCIPPUS, DEMOCRITUS, EPICURUS, LUCRETIUS, et recentius DESCARTES, SECCHI, TYNDALL, BERTHELOT. *c)* Electronistae dicunt elementum ultimum ex quo omnia constant esse atomum hydrogenii; omnia igitur corpora componuntur ex atomis hydrogenii dispositis in diverso numero et positione: et ideo dicunt omnia corpora habere pondus atomicum quod est exacte multiplum atomi hydrogenii: ut docuit W. Prout [1], quod, licet olim controversum, nunc recipitur. *d)* Dynamistae tandem dicunt corpora constare ex viribus simplicibus et homogeneis, et ex mera aggregatione diversa quoad numerum et positionem particularum oriri omnia corpora quae cernimus (cf. n.495-508).

533. *Secunda sententia* tenet pleraque corpora ex his quae numerantur ut elementaria differre essentialiter inter se. Non dicit haec sententia omnia omnino elementa esse specifice diversa, sed saltem plurima, et omnino non potest dici omnia illa posse reduci ad unum.

a) Haec sententia admittit corpuscula, et electricitatem positivam et negativam et massam characteristicam: sed asserit radicem ultimam cur habeatur haec diversitas electricitatis et massae et motuum tam constantium esse essentiam, quae proinde non erit homogenea in omnibus corporibus elementaribus. *b)* Admittit corpuscula congregari in atomos: sed ait atomos habere diversitates non mere additivas quae resultent ex corpusculis mere additive, sed et alias quae sunt primariae et constitutivae; et radicem ultimam earum proprietatum esse etiam essentiam intimam atomi.

Hanc et nos tenemus.

534. Probatur thesis. Corpora simplicia habent proprietates omnino diversas, et quidem modo fixo et invincibili; *atqui* proprietates diversae, postulant essentiam essentialiter distinctam; *ergo* corpora simplicia differunt essentialiter.

Maior: praemittamus quandam divisionem proprietatum. Hae proprietates omnes dividi possunt in physicas, chimicas et organolepticas.

Proprietates physicae sunt eae quae deteguntur in corpore in facto esse; ut sunt densitas, calor, color, elasticitas, electricitas, index

[1] Quod pondera atomica essent exacte multipla atomi hydrogenii, affirmavit W. PROUT (1785-1851); postea hanc affirmationem reiecit STASS (1865); sed postea iterum scientifici admittunt doctrinam PROUT; si quando videntur pondera atomica non esse exacte multipla atomi hydrogenii, hoc debetur mixtioni isotoporum, quae habent diversa pondera atomica, et quantitas media est fractionaria. Sic dantur duo chlora, unum ponderis at.35, et aliud ponderis atomici 37, et quantitas media est 35,46. Vel etiam numerus fractionarius aliquando debetur transmutationi massae seu ponderis in energiam ligaminis (cf. RIAZA, p.506-507).

refractionis, punctum fusionis et ebullitionis, figura crystallina; status liquidus, solidus, aut gaseus.

Proprietates chimicae sunt illae quae deteguntur in corporibus in fieri; sunt autem: *a)* affinitates chimicae corporum, quae sunt vires electivae ut combinentur cum his corporibus et non cum aliis, et in tali proportione simplici aut multipla et non in alia; *b)* valentia, quae est vis, per quam corpus unum ad se attrahit determinatum numerum atomorum hydrogenii, vel corporis alius in pondere aequivalenti cum atomis hydrogenii.

Proprietates organolepticae sunt illae quae organa sensitiva excitant, ut sunt color, calor, sapor, odor, asperitas, levitas.

535. Praemissa autem hac divisione proprietatum, *probanda est maior,* nempe dari magnam *diversitatem* in iis proprietatibus inter corpora elementaria, quae diversitas *non sit mere additiva,* sed constitutiva.

Datur magna diversitas proprietatum inter corpora elementaria: sufficit inspicere tabulam MENDELEJEFF, et videbimus quam diversa sint omnia in numero atomico, pondere atomico, in valentia, oxydatione, hydrogenatione, in puncto fusionis, ebullitionis, in densitate, in colore, in forma crystallina. Sine dubio alia corpora habent proprietates aliquas similes cum aliis corporibus: sed typus seu complexus proprietatum est valde diversus in diversis corporibus, et characteristicus singulorum.

Quod autem hae proprietates non sint mere additivae, patet: nam si essent mere additivae, crescerent aut minuerentur proportionaliter cum elementis additivis, v.c. cum pondere atomico, vel cum numero atomico, aut cum numero stratorum et orbitarum in quas distribuuntur electrones, quod tamen non contingit.

Examinemus tabellam MENDELEJEFF, ordinatam per numerum atomicum, et per periodos horizontales et columnas verticales, quam tabellam subicimus in fine huius theseos [2].

Si consideremus columnas verticales, videbimus singulas habere eundem gradum oxydationis et hydrogenationis, et eandem valentiam, licet sint diversa et strata electronum, et numerus atomicus et pondus atomicum: ergo illae proprietates non pendent ex elementis additivis. Et si consideremus periodos horizontales, videbimus eas servare eundem numerum stratorum, et tamen pondus atomicum, valentiae, oxydatio et hydrogenatio sunt diversissima: ergo illa proprietas quae consistit in numero stratorum et orbitarum non pendet ex elementis additivis, sed aliunde.

[2] RIAZA, p.137-142.

Item si collocemus corpora secundum ordinem elementorum additivorum, v.c. secundum numerum atomicum, et secundum pondus atomicum, quod non multum a numero atomico discedit, et secundum ordinem orbitarum electronum, videbimus quam diversa sint et valentia, et punctum fusionis, et ebullitionis, et densitas, et color, et systema crystallinum [3]; ergo signum est has proprietates non pendere ab elementis additivis. Unde diversitas proprietatum non est mere additiva, sed constitutiva, seu characteristica singulorum elementorum.

536. *Minor,* nempe, eam diversitatem et fixitatem deberi essentiis diversis, sic probatur: nam ea diversitas et fixitas proprietatum debet habere rationem sufficientem; illa autem ratio sufficiens, aut est casus, aut est positio, aut est numerus elementorum componentium atomum; *iam vero* casus non est admittendus, et aliunde, visum est in maiore diversitatem et fixitatem non deberi elementis additivis; *ergo* debentur solummodo essentiae diversae.

537. *Dices:* Iuxta haec deberes dicere atomum unius elementi debere esse diversam essentialiter ab atomo alius corporis elementaris; hoc vero admitti non potest; *ergo* falsum est corpora essentialiter differre. *Maior:* nam magnae moles non sunt essentiae, sed aggregata per accidens ex particulis minoribus: unde si statuenda est essentia corporis, statuenda est ad summum in atomo. *Minor:* nam atomus est aggregatum per accidens, ex multis corpusculis separatis et distantibus; *ergo* atomus non potest esse aliqua essentia neque differre essentialiter ab alia atomo.

Concedo maiorem, et *nego minorem.* Ad probationem dicendum esset atomos quidem constare ex corpusculis distinctis et discontinuis; sed tamen illa aggregatio est invincibilis, nam etiam post omnes combinationes cum aliis corporibus, iterum apparent omnino immutatae. Et praeterea singulae atomi radicant proprietates diversissimas ab aliis atomis ut iam diximus: *ergo* signum est ibi adesse

[3] Hoc cernetur ad oculum in tabella quam addimus:

Num. atom.	Elementa	Pondus atom.	Punctum fusionis	Punctum ebullitio.	Densitas	Color	Valentia
1	Hydrogenium	1,008	—259	—253	0,069	incolorum	1
2	Helium	4,003	—271	—268,7	0,15	incolorum	0
3	Lithium	6,940	186	1400	0,6	album	1
4	Beryllium	9,02	1280	—	1,6	cinereum	2
5	Borum	10,82	2200—2500	3500	2,45	varium	3
6	Carbonium	12,01	3600	—	3,5	varium	4,2,-4
7	Nitrogenium	14,008	—210	—195,7	0,97	incolorum	-3,2,5
8	Oxygenium	16	—218	—182,8	1,11	incolorum	2
9	Fluorum	19	—223	—187	1,26	flavum-viride	-1
10	Neon	20,183	—253	—	0,69	incolorum	[illegible]
11	Natrium	22,997	97,5	877	0,97	album	1
12	Magnetium	24,32	651	1120	1,47	album	2

principium aliquod quod non sit mera massa et quod sit radix illius invincibilis aggregationis et illarum proprietatum; et illa radix ultima est essentia peculiaris atomi.

538. *Instabis:* atomi illae diversorum corporum elementarium non possunt esse essentialiter diversae. Nam atomi non constant nisi protonibus et electronibus, quae in omnibus atomis sunt specifice eaedem, nam non sunt nisi parvae massae onustae electricitate positiva aut negativa, in maiore et minore numero, et cum hac vel illa dispositione spatiali; iam vero ex particulis essentialiter iisdem seu homogeneis non potest resultare diversitas essentialis; *ergo* atomi non possunt differre essentialiter.

Nego assertum. Ad probationem, *nego maiorem:* nam si elementum materiale, est specifice idem et tamen adest illa diversitas essentialis in proprietatibus et in fixitate atomi, signum est adesse aliud elementum quod sit radix talis fixitatis et diversitatis in proprietatibus, et illud elementum erit forma substantialis.

Unde praecise ex solutione harum obiectionum probatur exsistentia formae substantialis.

539. Scholium. Quodnam est individuum naturale in corpore elementari? *a)* Aristoteles credebat individuum et suppositum in corpore naturali esse molem integram magnam, quam credebat esse continuam; et similiter docuerunt scholastici, et adhuc ita sentit P. Hoenen. *b)* Inter reliquos scholasticos est magna varietas: nam aliqui dicunt esse moleculam, alii solam atomum, et alii dicunt esse corpuscula singula. *c)* Sed nos credimus: cum corpuscula sunt soluta ab atomo, singula esse individuum et unum per se; cum autem sunt collecta in atomum, tunc atomus est individuum, et quidem essentialiter diversum ab atomo alius elementi. Molecula autem mixtorum non est essentia aut unum per se, quia in mixtis non acquiritur forma diversa a formis singulorum elementorum.

540. Obiectiones[4]. 1. In artificialibus diversitas specifica desumitur solum ex diversa figura, numero et dispositione partium; *ergo* pariter in naturalibus.

Conc. antec., et *nego cons., ob disparitatem:* artificialia specificantur ex forma quam homo libere dat, et per illam formam non creatur radix stabilis proprietatum diversissimarum et activitatum; at in naturalibus habetur radix proprietatum fixarum et tenacissimarum et diversarum in singulis typis corporum naturalium; et ideo structura artefactorum debetur causae libere agenti, et proprietates naturales debentur essentiae cuiusque corporis.

2. Una eademque causa potest producere diversissimos effectus; sic homo facit innumerabiles species rerum, et magis adhuc Deus; *ergo* a pari una sola essentia naturalis est radix omnium illorum effectuum et proprietatum quas videmus in corporibus naturalibus.

Dist. mai.: si sit causa libera, *conc.;* si sit causa necessaria, *nego;*

[4] URRÁB., *Cosm.,* p.459-463.

et *nego consequentiam, ob disparitatem.* Corpora naturalia non sunt entia libera sed entia necessaria quae in iisdem adiunctis eadem operantur, et in diversis diversa.

3. Scholastici passim dicunt ex figura cognosci essentiam rerum; *ergo* diversae species corporum possunt non differre nisi ex figura, non autem in alio magis intimo.

Dist. mai.: ex figura simpliciter, *nego;* ex figura prout est aliquid fixum et tenacissimum et per haereditatem transmissum, *subdist.:* ita ut figura sit constitutivum essentiae, *nego;* ita ut figura sit proprietas quae indicat diversam essentiam distinctam a figura et ex qua derivatur figura, *conc.* Et *dist. pariter cons.:* ex figura sola mutabili et accidentali, *nego;* ex figura v.c. crystallina, *subdist.:* et hoc erit constitutivum essentiae, *nego;* erit indicium essentiae diversae ab alia essentia et ex qua derivatur talis proprietas fixa et tenacissima, *conc.* (In hoc casu figura erit una ex proprietatibus ex quibus dignoscitur essentia.)

541. 4. Corpora possunt habere diversissimas proprietates et tamen non habere ullam differentiam specificam, sicut v. c. vitrum et arena, vel charta et linteum; *ergo* ex proprietatibus non potest concludi ulla diversitas essentiarum.

Dist. mai.: si proprietates illae novae possunt explicari solum per diversum statum physicum aut per summam aut substractionem, *conc.;* si autem non possint explicari his modis, *nego.*

5. Sicut ex diversitate proprietatum, concludis diversitatem essentiarum similiter ex similitudine proprietatum deberes concludere similitudinem seu identitatem specificam essentiarum; *atqui* omnia corpora habent proprietates similes; *ergo* et naturam identicam. *Min.:* omnia corpora habent figuram, affinitates, dilatabilitatem per calorem, valentias, etc.

Dist. mai.: ex quacumque diversitate concludo, *nego;* ex diversitate proprietatum quae non explicantur per meram additionem, *conc.; dist. etiam min.:* habent proprietates similes generice, *conc.;* etiam specifice, *nego;* et *dist. pariter cons.:* naturam identicam generice, *conc.;* etiam specifice, *nego.*

6. Omnia corpora sunt in pondere atomico multipla exacta atomi hydrogenii: *ergo* signum est solum adesse naturam hydrogenii, et ex variata dispositione et quantitate huius haberi diversa corpora, non autem ex diversa natura aut essentia atomorum.

Resp. 1. Aliqui negant maiorem, quam credunt esse falsam ex sola inspectione tabulae Mendelejeff [5]. *Resp. 2.* Etiam si concederemus antecedens, non sequeretur quod intenditur: nam reliquae proprietates non habent proportionem aut parallelismum cum quantitate, pondere atomico aut cum dispositione, sicut deberent habere, si diversitas proprietatum solum deberetur additioni aut substractioni.

542. 7. Solis 24 litteris tam magna multitudo verborum formatur in diversis linguis; *ergo* a pari per parvam varietatem corporum, formabuntur ingens numerus corporum naturalium quae cernimus.

Resp. 1. Transeat totum; sed sicut admittuntur 24 litterae quae specifice inter se distant, similiter concedas saltem 24 elementa quae essentialiter inter se differant, et ex illis formabitur tota diversitas corporum naturalium. *Resp. 2. Nego parit.:* valor litterarum est om-

---

[5] Sed haec maior videtur immerito negari. Cf. notam 1.

nino conventionalis et libere impositus; at proprietates corporum naturalium et elementarium ex quibus formabuntur cetera, non dependent ab ulla libertate creata, neque sunt accidentales ita ut libere possint mutari, sed sunt necessariae, fixae et tenacissimae ita ut reappareant statim atque corpus liberatur per resolutionem a ligatione mixti.

8. Allotropa habent penitus eandem essentiam, et tamen habent proprietates chimicas omnino diversas; ergo proprietates diversae possunt explicari per eandem omnino essentiam, et non requiritur diversitas specifica. *Ant.:* sit exemplum phosphorum rubrum et flavum.

Resp. 1. Si proprietates sunt adeo diversae, tunc illa phosphora sunt specifice diversa. *Resp. 2.* Sed tamen P. VITORIA *(Manual de Química,* p.109) dicit illas proprietates utriusque phosphori non esse specifice diversas, sed analogas et intensiores in flavo.

9. Aliquae proprietates diversae corporum naturalium, possunt explicari mere quantitative, ut pondus atomicum; ergo non per naturam diversam.

Distinguo antec.: omnes *nego;* aliquae, *concedo;* et *contradistinguo cons.*

543. Differentia essentialis corporum elementarium illustratur tabellis chimicis quas adicimus.

Prima tabella continet elementa ordine alphabetico symbolorum quibus insigniuntur. In ea tamen recensentur et terrae rarae et corpora ultrauranica.

Secunda tabella continet systema periodicum elementorum composita primo a MENDELEJEFF et I. MEYER, et correcta a MOSELY et CANNIZZARO. Vide RIAZA, p. 136-142. Atque haec fuit origo tabellae:

Cum iam cognita esset multitudo magna elementorum, voluerunt chimici investigare utrum inter diversos coetus eorum adesset cognatio et similitudo talis, ut posset fieri divisio in diversos coetus corporum similium inter se. Haec divisio et classificatio tentata est a diversis auctoribus, sed praesertim a MENDELEJEFF (1843-1907) in Russia et a J. L. MEYER (1830-1895) in Germania, qui sine dependentia unius ab alio eandem fere tabellam confecerunt.

Hi *primo* ordinaverunt elementa iuxta numerum ponderis atomici crescentis ab hydrogenio usque ad uranium. *Secundo* hunc catalogum diviserunt in periodos seu series octo membrorum, quas series scribebant in lineis horizontalibus: et adverterunt periodos horizontales habere inter se quasdam proprietates identicas et alias valde similes, sed diversas ab aliis periodis horizontalibus; et similiter adverterunt columnas verticales habere inter se quasdam proprietates identicas et alias valde similes, sed diversas ab aliis columnis verticalibus immediatis.

544. Illud fuit mirabile in hac tabella, quod MENEDELEJEFF, videns aliqua pondera atomica immediata in suo catalogo nimis distare inter se, suspicatus est exsistere quaedam corpora adhuc incognita, quae haberent pondera intermedia quae deerant, et reliquit locum pro illis: et revera postea inventa sunt illa corpora, quae ipse praevidit, sive exsistentia in natura sive obtenta artificialiter per ciclotrones.

Sed MOSELY vidit quasdam anomalias in ordinatione elementorum facta iuxta numerum qui significaret *pondus atomicum*, et ea ordinavit iuxta *numerum atomicum*, qui fere coincidit cum ordine ponderis atomici, sed non omnino. Et animadvertit, ut servaretur illa identitas et similitudo intra periodos horizontales et intra columnas verticales plerumque dividenda esse corpora in series octo membrorum; sed aliquae periodi debuerant esse octo membrorum, aliae 18 membrorum, aliae triginta duorum membrorum, et una series constat solum duobus membris, nempe prima.

Nunc addimus sequentes notas ut intelligatur tabella.

545. *Notae ad Systema periodicum elementorum in Tabella II.*

1. Prima series horizontalis quae non computatur inter periodos, indicat maximam quantitatem oxygenii et hydrogenii, quae potest combinari cum corporibus quae sunt in columna verticali; et apparet oxygenationem crescere continuo, excepta ultima columna quae est iners; et hydrogenizationem decrescere etiam gradatim.

2. Secunda series horizontalis continet numeros romanos quibus columnae verticales solent insigniri, I, II, III... 0.

3. Tertia series horizontalis et sequentes continent septem periodos horizontales. In singulis rectangulis sunt quinque signa hoc ordine: superius est numerus atomicus, symbolum elementi, et valentiae; et inferius pondus atomicum, et isotopi.

Sed notetur periodum secundam et tertiam continere solum octo membra; reliquas periodos habere 18 membra aut plura, scripta in duplici serie: superior series habet electroaffinitatem positivam, et inferior electroaffinitatem negativam. Et ultima series habet triginta duo membra.

4. Singulae periodi horizontales habent identica strata electronum, sed non eundem numerum electronum neque eodem modo distributos.

5. *Veniamus iam ad columnas verticales.* Prima continet

numerum stratorum (de capas) electronum qui circumdant nucleum.

6. Secunda columna verticalis continet numerum ordinis quo solent insigniri periodi horizontales, quae periodi etiam insigniuntur litteris maioribus K, L, M, N, O, P, Q.

7. Tertia columna verticalis et sequentes continent rectangulos in quibus sunt quinque signa, quae iam sunt explicata.

8. Ultima columna verticalis continet aëriformia inertia seu nobilia, quae, quia non habent combinationes cum aliis, seorsim ponuntur.

9. In tabella parva addita quae est ad pedem prioris, continentur terrae, quae vocantur rarae. Haec corpora, propter numerum stratorum, deberent poni in periodo horizontali sexta, et propter valentias deberent collocari in columna verticali tertia; sed quia omnes deberent collocari in eodem quadriculo, ne perturbaretur ordo cum reliquis, exempta sunt in tabellam separatam.

10. In ultima tabella parva addita, continentur corpora radioactiva ultrauraniana; illa, propter strata electronum pertinent ad septimam periodum horizontalem; sed valentiae non coincidunt cum columnis superioribus, et praesertim ipsa corpora sunt valde instabilia: et ideo etiam exempta sunt ex tabella generali.

TABELLA 1

ELEMENTA

(ordine alphabetico symbolorum)

Symb.	Nomen	Num. atom.
A	Argon	18
Ac	Actinium	89
Ag	Argentum	47
Ah	Athenium	99
Al	Aluminium	13
Am	Americium	95
As	Arsenicum	33
At	Astatinium	85
Au	Aurum	79
B	Borum	5
Ba	Barium	56
Be	Beryllium	4
Bi	Bismutum	83
Bk	Berkelium	97
Br	Bromum	35
C	Carbonium	6
Ca	Calcium	20

Symb.	Nomen	Num. atom.
Cd	Cadmium	48
Ce	Cerium	58
Cf	Californium	98
Cl	Chlorum	17
Cm	Curium	96
Co	Cobaltum	27
Cr	Chromium	24
Cs	Cesium	55
Ct	Centurium	100
Cu	Cuprum	29
Dy	Dysprosium	66
Er	Erbium	68
Eu	Europium	63
F	Fluorum	9
Fe	Ferrum	26
Fr	Francium	87
Ga	Gallium	31
Gd	Gadolinium	64
Ge	Germanium	32
H	Hydrogenium	1
He	Helium	2
Hf	Hafnium	72
Hg	Hydrargyrum	80
Ho	Holmium	67
I	Iodium	53
In	Indium	49
Ir	Iridium	77
K	Kalium	19
Kr	Krypton	36
La	Lanthanium	57
Li	Lithium	3
Lu	Lutetium	71
Mg	Magnesium	12
Mn	Manganesium	25
Mo	Molybdenium	42
N	Nitrogenium	7
Na	Natrium	11
Nb	Niobium	41
Nd	Neodymium	60
Ne	Neon	10
Ni	Nickelium	28
Np	Neptunium	93
O	Oxygenium	8
Os	Osmium	76
P	Phosphorum	15
Pa	Protoactinium	91
Pb	Plumbum	82
Pd	Palladium	46
Pm	Prometium	61
Po	Polonium	84
Pr	Praseodymium	59
Pt	Platinum	78

Symb.	Nomen	Num. atom.
Pu	Plutonium	94
Ra	Radium	88
Rb	Rubidium	37
Re	Rhenium	75
Rh	Rhodium	45
Rn	Radon	86
Ru	Rhutenium	44
S	Sulphur	16
Sb	Stibium	51
Sc	Scandium	21
Se	Selenium	34
Si	Silicium	14
Sm	Samarium	62
Sn	Stannum	50
Sr	Strontium	38
Ta	Tantalum	73
Tb	Terbium	65
Tc	Technetium	43
Te	Tellurium	52
Th	Thorium	90
Ti	Titanium	22
Tl	Thallium	81
Tm	Thulium	69
U	Uranium	92
V	Vanadium	23
W	Wolframium	74
Xe	Xenon	54
Y	Yttrium	39
Yb	Ytterbium	70
Zn	Zincium	30
Zr	Zirconium	40

TABELLA II

SYSTEMA PERIODICUM ELEMENTORUM

STRATA ELECTRONUM	PERIODI HORIZONTALES	OXYGENII ET HYDROGENII MAXIMUM										
		M_2O	M_2O_2	M_2O_3	M_2O_4 RH_4	M_2O_5 RH_3	M_2O_6 RH_2	M_2O_7 RH	M_2O_8 R_2H			
		COETUS VERTICALES										
		I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII			O
(1)	1	1 H 1 1,00785 2										2 He 0 4,003 2
(2)	2	3 Li 1 6,940 2	4 Be 2 9,02 1	5 B 3 10,82 2	6 C 4,2,-4 12,010 2	7 N -3,2,5 14,008 2	8 O 2 16,00 3	9 F -1 19,00 1				10 Ne 0 20,183 3
(3)	3	11 Na 1 22,997 1	12 Mg 2 24,32 3	13 Al 3 26,97 1	14 Si 4 28,06 3	15 P 5,3,-3 30,974 1	16 S 6,4,-2 32,006 3	17 Cl -1,7,5,1 35,457 2				18 A 0 39,944 3
(4)	4	19 K 1 39,096 3	20 Ca 2 40,08 6	21 Sc 3 45,10 1	22 Ti 4,3 47,90 5	23 V 5,4,2 50,95 1	24 Cr 3,2,6 52,01 4	25 Mn. 2,7,3,6,4 54,93 1	26 Fe 3,2 55,85 4	27 Co 2,3 58,94 1	28 Ni 2,3 58,69 5	
		29 Cu 2,1 63,542 2	30 Zn 2 65,377 5	31 Ga 3 69,72 2	32 Ge 4 72,60 5	33As 3,-3,5 74,91 1	34 Se 4,-2,6 78,96 6	35 Br -1,1,5 79,916 2				36 Kr 0 3,7 6
(5)	5	37 Rb 1 85,48 2	38 Sr 2 87,63 4	39 Y 3 88,92 1	40 Zr 4 91,22 5	41 Nb 5,3 92,91 1	42 Mo 6,5,3 95,95 7	43 Te (99) 1	44 Ru 3,4,8,6 101,1 7	45 Rh 3,4 102,9 1	46 Pd 2,4 106,7 6	
		47 Ag 1 107,88 2	48 Cd 2 112,41 8	49 In 3 114,76 2	50 Sn 4,2 118,70 10	51 Sb 3,5 121,76 2	52 Te 4,6,-2 127,61 8	53 I -1,5,7 126,92 1				54 Xe 0 131,3 9
(6)	6	55 Cs 1 132,81 1	56 Ba 2 137,36 7	Terrae rarae	72 Hf 4 178,6 6	73 Ta 5 180,89 1	74 W 6 183,92 5	75 Re 7,4,-1 186,71 2	76 Os 4,6,8 190,2 7	77 Ir 3,4,6 193,1 2	78 Pt 4,2 195,23 5	
		79 Au 1,3 197,2 1	80 Hg 2,1 200,61 7	81 Tl 1,3 204,39 2	82 Pb 2,4 207,21 4	83 Bi 3,5 209,00 1	84 Po 2,4 210,00 1	85 At (211) 1				86 Rn 0 222,04 1
(7)	7	87 Fr 1 (223) 1	88 Ra 2 226,05 1	89 Ac 3 (227) 1	90 Th 4 232,12 1	91 Pa 5 231,06 1	92 U 6,4 238,07 3					

(6)	6	57 La 3 138,92 1	58 Ce 3,4 140,13 2	59 Pr 3 140,92 1	60 Nd 3 144,27 7	61 Pm (3) 147 1	62 Sm 3 150,38 7	63 Eu 3,2 152,00 2	64 Gd 3 156,9 7	TERRAE RARAE
		65 Tb 3 159,2 1	66 Dy 3 162,46 6	67 Ho 3 164,94 1	68 Er 3 167,2 6	69 Tm 3 169,4 1	70 Yb 3,2 173,04 7	71 Lu 3 174,99 2		
(7)	7	93 Np 5,6,4,3 (238) 2	94 Pu 4,6,3,5 (239) 2	95 Am 3 (241) 1	96 Cm 3 242 1	97 Bk 3 243 2	98 Cf 244	99 Ah 246	100 Ct 248	TRANSURANICA

ARTICULUS III

PROBATUR HYLEMORPHISMUS IN ELEMENTIS

Thesis 26. In elementis admittendae sunt formae substantiales; imo in eis etiam rationabiliter admittitur compositio hylemorphica stricte dicta, seu ex materia prima et forma substantiali.

546. ARIST., 1 *Phys.*, 1, et 2 *De gener. et corr.*; 7.11.12 *Met.*; S. THOMAS, in haec loca; *De potentia*, q.3 a.18; q.4 a.11; *De ente et essentia*, c.2; SUÁREZ, DM d.13-16; URRÁB., p.549ss.; MORÁN, p.384-412; DESCOQS, *Essai sur l'hylémorphisme* (Paris 1924); PÉREZ DEL PULGAR, *Transcendencia filosófica de las investigaciones de la Física matemática sobre la constitución de la materia:* EstEcles 9,10 (1930-1931); NYS, *Cosm.*, II p.166-225; SCHAAF, *Cosm.*, p.231ss.; F. BUDDE, *Der Hylemorphismus, ein ueberholter Standspunkt?*: DivTh (Fr) 29 (1951) 35-64; innumerabilis multitudo scholasticorum, quorum catalogum texit NYS, *Cosm.*, II p.213-215.

547. Nexus. Iam vidimus expositionem systematis hylemorphici, et postea statuimus corpora elementaria convenire quidem in ratione generica corporis, et differre substantialiter in ratione specifica. Nunc autem quaerimus utrum fundamentum intrinsecum et ultimum talis convenientiae et talis differentiae sit compositio hylemorphica, an vero illa differentia essentialis servari possit per solam compositionem rationis ex genere et ex differentia.

548. Notiones. Supra, cum exponeremus systema hylemorphicum, dedimus notiones quae iterum hic recolendae sunt. Et breviter repetemus definitiones materiae primae et formae substantialis.

MATERIA PRIMA est substantia incompleta, quae ut pars determinabilis, constituit compositum substantiale corporeum. Quare de ratione materiae primae est ut sit substantia, incompleta, et non sit ullum corpus specifice constitutum, sed solum pura potentia ut determinetur per aliam compartem ut sit tale corpus: et ideo qui concipit materiam primam ut aliquid specifice completum in sua linea, sed quod possit compleri substantialiter per aliquam realitatem perficientem, non concipit materiam primam quam defendimus, sed materiam secundam aptam ut perficiatur per aliquam formam supervenientem.

FORMA SUBSTANTIALIS est substantia incompleta, quae ut pars determinans, constituit compositum substantiale corporeum. Quare de ratione formae substantialis est ut sit substantia, incompleta, et realiter distincta ab alia comparte compositi, et ut det composito specificationem et differentiam essentialem ab alio composito. Et ideo qui conciperet formam ut aliquid completum substantialiter, continens in se rationem totius essentiae, non conciperet formam substantialem infor-

mantem, de qua hic agimus, sed ad summum conciperet formam substantialem separatam, ut est Deus aut Angelus.

COMPOSITUM ex utraque realitate non consistit in mera iuxtapositione aut compenetratione, licet haec sint necessaria, sed in mutua communicatione, per quam potentia materiae realizetur et actuetur per formam, et forma actuet potentialitatem materiae.

Loquimur solummodo de anorganicis, non de organicis; et de corporibus simplicibus seu elementaribus, non de mixtis.

Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum corpora anorganica elementaria constent essentialiter ex materia prima et forma substantiali, ut ex partibus realiter distinctis.

549. Sententiae. *Prima sententia* negat compositionem ex materia et forma et omnem differentiam essentialem inter corpora ulla. Hi sunt mechanicistae et dynamistae de quibus iam saepe dictum est. Nam mechanicistae admittunt atomos extensas et motum, et ad summum aliquas vires pure motrices; et dynamistae dicunt non dari nisi entia simplicia quae sunt vires solum attractionis et repulsionis: et ex numero et dispositione harum particularum explicari omnia corpora et omnia phaenomena. Haec sententia admitti non potest, quia vel negant vires, quae ad pure motrices reduci non possunt, ut mechanicistae, vel negant extensionem formalem, ut dynamistae.

550. *Secunda sententia posset esse* alicuius qui diceret dari formas substantiales, sed non materiam primam. Dantur quidem formae substantiales, quia alia elementa mutantur in alia, et hoc non potest explicari sine forma substantiali quae amittatur et acquiratur. Sed non datur materia prima, quia subiectum transiens de uno statu in alium sunt protones et electrones, et hi habent suam propriam specificationem seipsis, quam numquam amittunt aut acquirunt: acquirunt formam huius aut illius atomi specificae, sed non acquirunt aut amittunt statum talis protonis et electronis.

551. *Tertia sententia* est scholasticorum communiter. Hi tenent corpora elementaria constare ex materia prima et forma substantiali unitis tamquam ex potentia substantiali et actu. Scholastici quidem valde dissentiunt in ulterioribus determinationibus materiae et formae et compositi, sed conveniunt in substantialibus, nempe, in eo quod corpora constent ex

materia prima et forma substantiali tamquam ex potentia et actu realiter distinctis [1].

Nos sequemur sententiam scholasticorum. Sed ut cum maiore claritate procedamus, duo demonstrabimus. *Primo demonstrabimus* admittendas esse formas substantiales in corporibus elementaribus. Licet enim aliquis dicat substratum ultimum esse protones et electrones et hos non amittere unquam suam specificationem, tamen debet fateri in mutationibus, quas adducemus, admittendas esse formas substantiales. Et agimus solum de corporibus anorganicis: nam corpora organica seu viventia habere formas substantiales vitales constat certo ex psychologia. *Secundo demonstrabimus* etiam rationabiliter admitti in corporibus elementaribus compositionem hylemorphicam stricte dictam, in qua non solum dentur formae substantiales, sed etiam materia prima, quae ex se nullam specificationem habeat, sed sit pura potentia quoad talem vel talem specificationem corporis habendam.

Hanc thesin defendimus ut satis rationabilem. In qua censura tam tenui non sumus soli. Nam P. Lepidi, O. P., ait [2]:

"Peripateticam sententiam ut verosimiliorem propugnamus, utpote quae rationabilius tutiusque respondet animo quaerenti de modo quo mutationes et compositiones substantiales in natura fiunt. Eam tamen ut sententiam omnino certam, quae animum ab omni formidine liberet, defendere non audemus".

552. Probatur thesis. I P. In corporibus elementaribus admittendae sunt formae substantiales.

In corporibus elementaribus datur transmutatio substantialis unius elementi in aliud; *atqui* talis transmutatio non potest intelligi non admissis saltem formis substantialibus; *ergo* in corporibus elementaribus dantur formae substantiales.

Maior probatur. A. *In elementis dantur transmutationes unius in aliud.* Hoc probatur ex factis novis. Nam per potentissima instrumenta, ciclotrones, rumpitur atomus aliqua et dissolvitur in sua corpuscula, scilicet in protones, electrones, deutones, neutrones. Haec corpuscula accelerantur fere usque ad velocitatem lucis, et illiduntur contra nucleum aliarum atomorum. In hac illisione atomi percussae cessant esse quod erant, et convertuntur in alia elementa isobara vel in alia

---

[1] P. Echarri ait nostrum hylemorphismum, in quo admittitur theoria discontinuitatis et atomismus scientificus, esse essentialiter distinctum ab Aristotelico. Aristoteles enim fundat hylemorphismum inter alia in impossibilitate discontinuitatis atomicae. Ideo dicit hunc hylemorphismum nostrum esse quamdam concordiam inter atomismum et aristotelismum. Haec autem concordia revera hodie est communissima, et eam admiserunt Fabri (1607-1683), Zanchi (1710-1786), Hauser (1713-1762) et Liberatore (1810-1892).

[2] Lepidi, O. P., *Elementa Philosophiae christianae*, vol.3 p.80.

diversa (RIAZA). Sic ex hydrargyro obtinetur aurum et hydrogenium (p.396); platinum convertitur in aurum (p.397); aluminium convertitur in helium et in phosphorum (p.399); item aluminium convertitur in radionitrogenium (p.400); nitrogenium convertitur in radiofluor, carbo convertitur etiam in radionitrogenium (ibid.). FERMI Romae obtinuit sexaginta elementa nova radioactiva (p.401), et nunc haec corpora radioactiva, artificialiter obtenta per ciclotrones, sunt plura centena (p.404). Debemus igitur dicere dari in corporibus duo genera transmutationum: alias in quibus corpora combinantur vel resolvuntur sine mutatione essentiali elementorum; et alias in quibus unum elementum convertitur in aliud novum, vel in aliud ex elementis cognitis.

B. *Illae autem mutationes sunt substantiales.* Nam elementa substantialiter distinguuntur; ergo si mutatur unum in aliud, mutatio est substantialis.

553. *Minor: haec transmutatio non potest intelligi sine forma substantiali nova.* Nam in his transformationibus acquisita est nova specificatio, et amissa est anterior specificatio; *atqui* specificatio essentialis provenit ex forma substantiali; *ergo* datur nova forma substantialis et amissa est prior.

Dices: omnino probata est etiam exsistentia materiae primae per mutationes substantiales alius elementi in aliud. Nam tu admittis alias atomos converti in alias, et sic acquirere novam formam substantialem; *atqui* est impossibile subiectum suscipere formam substantialem novam, si materia non amittat totam suam specificationem; ergo cum unum elementum convertitur in aliud, materia quae remanet amittit totam suam specificationem, ideoque est materia prima.

Resp. 1. Argumentum non videtur contemnendum.

Resp. 2. Nullo argumento efficaci demonstratur unum per se non posse habere duas formas seu determinationes essentiales, ut ostendetur in solutione difficultatum, articulo 5, ubi agetur de organismis viventium (cf. n.590, 595, 10ss).

554. II P. Imo in corporibus elementaribus rationabiliter admittitur compositio hylemorphica stricte dicta, ex materia prima et forma substantiali.

Illa theoria est admittenda ad explicandam essentiam corporum elementarium, quae et non ostendatur impossibilis, et quae respondeat rationabiliter problemati proposito, praesertim si aliae theoriae rationabiliter non respondeant; *atqui* talis est theoria hylemorphica stricte dicta, asserens corpora elementaria componi ex materia prima et forma substantiali;

ergo corpora elementaria componuntur ex materia prima et forma substantiali.

Maior constat, quia continet conditiones bonae theoriae. *Minor* probatur per partes.

555. A. *Theoria scholastica non ostenditur impossibilis.* *a)* Ex eo quod bene solvat difficultates, ut facto ostendemus in obiectionibus.

b) Praeterea, contradictio habetur solummodo cum affirmatur et negatur simul idem de eodem sub eodem respectu; sed affirmare ultima constitutiva corporum esse materiam primam et formam substantialem realiter distincta, non est affirmare et negare simul idem de eodem sub eodem respectu, sed est solum affirmare hanc compositionem; *ergo* haec compositio essentialis non includit contradictionem.

c) Ex auctoritate eorum qui semper defenderunt hylemorphismum. Nam illam theoriam defenderunt ARISTOTELES, SANCTUS THOMAS, SCOTUS, SUÁREZ, cum infinitis ingeniis clarissimis et acutissimis: et hi numquam viderunt contradictionem in ea.

d) Ex confessione eorum qui impugnant theoriam scholasticam. Et sic DRESSEL (*Natura et revelatio,* p.201) scribit: "Hoc liceat nobis animadvertere, veram absurditatem per speculationem aprioristicam hucusque in doctrina scholastica non esse probatam". Immo ipse appellat hoc systema "maxime sanum omnium systematum philosophicorum". Et TONGIORGI: "Absurdam non dico doctrinam scholasticam, quia id verum non est". Et PALMIERI: "Non negamus huic systemati probabilitatem, quae potissimum ex duplice capite exsurgit: primo ab extrinseco, secundo ab intrinseco". Et LAMINNE: "Non affirmamus quod aliquod factum scientificum contradicat doctrinae peripateticae".

556. B. *Theoria scholastica respondet rationabiliter problemati proposito.* Quaeritur enim de essentia corporum, quae sufficiat dare rationem et extensionis et diversitatis qualitatum activarum, de quarum exsistentia constat: et dicit essentiam corporum consistere in compositione ex materia et ex forma; hinc bene explicat quomodo in materia fundetur quantitas et extensio, et in forma substantiali fundentur diversae activitates.

557. C. *Et contra ceterae theoriae non respondent rationabiliter quaestioni.* Nam vel non designant essentiam corporum, vel male designant. *Non designat essentiam corpo-*

rum atomismus scientificus: nam hic mere describit phaenomena, et designat alia phaenomena priora et universaliora, quae explicent veluti a priori et proxime alia phaenomena magis particularia et restricta. *Atomismus philosophicus* seu mechanicismus, designat essentiam corporum, sed male: quia eam describit ita ut possit esse solum ratio activitatum mere motricium, non autem et aliarum activitatum diversarum a vi locomotrici. *Dynamismus similiter describit essentiam corporum,* sed male, quia dicit eam non habere extensionem neque esse radicem extensionis.

Si ergo hylemorphismus non ostenditur impossibilis, et bene respondet problemati proposito, et reliquae theoriae non tam rationabiliter respondent, hoc systema prae omni alio eligendum est.

558. *Dices:* Necesse non est admittere compositionem ex materia prima et forma substantiali realiter distinctis, sed solum ratione distinctis. Corpora enim constant ex parte communi, in qua conveniunt inter se, et illa concipitur ut pars determinabilis et materia prima; et ex parte differentiali, quae concipitur ut forma substantialis et specificativa.

Resp. Obiciens bene recedit a mechanicismo et a dynamismo, et *eius positio non potest reici a priori,* quia nulla contradictio potest in ea reperiri, iuxta Suárez [3]. Solum posset refutari *a posteriori,* si supponantur dari transmutationes substantiales, et si hae transmutationes substantiales perveniant usque ad materiam primam: de quo multum disputatur, ut vidimus in parte priore, et videbimus statim in sequenti articulo. Ideo nostram theoriam hylemorphicam solummodo defendimus ut possibilem, et ut valde rationabilem, non autem ut unicam theoriam possibilem contra mechanicismum et contra dynamismum.

559. Scholion. Novissima demonstratio hylemorphismi ex mutationibus substantialibus.

P. Zeno, Bucher O. S. B. in articulo *Utrum dentur mutationes substantiales (Philosophisches Jahrbuch* [1951] p.36) ait protones converti in electrones, et electrones in neutrones, ita ut amittatur ipsa specificatio et acquiratur nova; *atqui* materia quae transit de uno statu in alium et amittit totam suam specificationem et acquirit novam est materia prima; *ergo* datur materia prima.

Maior declaratur ab auctore sic: nucleus atomicus constat solis protonibus et neutronibus; sed in radioactivitate Beryllii emittuntur ex nucleo electrones; *ergo* electrones producuntur de novo; ex statu potentiali, quem habebant in nucleo, transierunt in statum actualem, amissa specificatione protonis aut neutronis et acquisita specificatio-

[3] Suárez dicit aperte non clare implicare contradictionem exsistere aliquam substantiam completam corpoream, quae non constet ex materia prima et forma substantiali, sed sit essentialiter simplex: "Posterior sententia ex quantitate molis infert compositionem ex materia, quae consecutio videtur incerta... Propter quod non est mihi evidens implicare contradictionem fieri substantiam *simplicem* et *completam quantitatis capacem* (DM d.13 s.10 n.8; et cf. n.3-5). Nihilominus admittit ut congruentias rationes quae solent afferi a priori (ibid., n.8).

ne electronis. Item, si Beryllium apprehendit unum electronem et subsumit in nucleum, hic convertit electronem in neutronem, amissa priore specificatione electronis et acquisita specificatione neutronis: unde iterum arguimus: materia quae transit de electrone in neutronem, amittit totam suam specificationem priorem et acquirit novam; *ergo* illa est materia prima; ideoque materia prima est admittenda.

560. *Crisis:* Hoc argumentum est dignum consideratione. Sed quoniam et facta et interpretatio factorum sunt obscura, potius thesin demonstramus duplici gressu, ut fecimus: primo enim demonstravimus admittendas esse saltem formas substantiales, ex transmutationibus quibusdam substantialibus; et secundo demonstravimus hylemorphismum strictum esse compositionem ex materia et forma argumento quodam speculativo, quia nempe non ostenditur impossibilis et bene explicat essentiam corporum, cum reliquae theoriae hucusque constructae non bene illam explicent.

561. Obiectiones. (A. *Contra possibilitatem hylemorphismi traditionalis.)* [4]

1. Fundamentum totius systematis sunt mutationes substantiales usque ad elementum pure determinabile in ratione corporis; *atqui* hae mutationes non admittuntur ab scientificis neque a plerisque scholasticis; *ergo* totum systema caret fundamento. *Minor:* Nam licet plures admittant mutationes substantiales, per quas corpora anorganica fiant viventia, et corpus vivens iterum fiat anorganicum, sed tamen multi dicunt hanc transmutationem substantialem non explicandam esse ex eo quod corpus anorganicum amittat suam speciem et essentiam, sed per hoc quod corpus anorganicum completum in suo ordine, sit adhuc potentiale ut perficiatur in alio ordine per formam viventis: quod non sufficit ut probetur materia prima.

Dist. mai.: hoc est fundamentum historicum in plerisque defensoribus classicis huius systematis, *conc.;* hoc est fundamentum absolute necessarium, *nego. Et permissa min., contradist. cons.:* si hoc fundamentum historicum est unicum fundamentum systematis, *conc.;* si datur etiam aliud argumentum, quod scilicet nos tradidimus, *nego.* Ad probationem respondeo: et ideo nos usi non sumus hoc argumento ex mutatione substantiali, *conc.;* et ideo debet totum systema reici, quasi careret omni alia ratione, *nego.*

562. 2. Materia est pura potentia; *atqui* pura potentia est nihilum actuale; *ergo* corpora constarent ex nihilo actuali et ex forma, quod vere est chimaericum.

Dist. min.: est pura potentia obiectiva vel etiam physica in ordine ad esse, *nego;* est pura potentia physica et quidem in ordine tantum ad formam *conc.;* et *contradist. min.:* pura potentia obiectiva et in ordine ad esse est nihilum actuale, *conc.;* pura potentia in ordine ad formam est nihilum actuale, *nego.*

Materia dicitur pura potentia, non obiectiva, quasi esset purum possibile, neque est pura potentia physica in ordine ad esse, quasi illa esset actualis et tamen non esset exsistens seipsa; sed dicitur pura potentia per ordinem ad formam, quia illa nihil habet de forma quam debet recipere.

[4] URRÁB., *Cosm.*, p.608-617.

3. In experimentis physicis aut chimicis numquam pervenimus ad hanc materiam primam et ad formam substantialem; *ergo* non exsistit.

Dist. antec.: per media physica, *conc.;* per intellectum, *nego. Contradist. cons.:* si non perveniremus neque mediis physicis aut chimicis neque per intellectum, *conc.;* si non pervenimus mediis chimicis, pervenimus autem per intellectum, *nego.*

4. Theoria hylemorphica traditionalis deberet habere fundamentum in factis chimicis; *atqui* nullum habet fundamentum in illis; *ergo* theoria hylemorphica traditionalis nullum habet fundamentum. *Minor:* omnia enim in chimica explicantur nulla mentione facta theoriae hylemorphicae.

Dist. mai.: fundamentum negativum (eo quod nulla facta chimica sint opposita theoriae hylemorphicae), *conc.;* etiam fundamentum positivum, *subdist.:* unice deberet fundari in factis chimicis, *nego;* etiam in illis, *conc. Et contradist. min.:* non habet in illis fundamentum negativum, *nego;* positivum, *subdist.:* in illis solis, *conc.;* in illis et in ea ratione, quod aliae theoriae non explicant bene essentiam corporum, et haec theoria bene illam explicat, *nego.*

563. 5. Materia dicitur indifferens ad singulas formas; *atqui* hoc est contra experientiam; *ergo* falsum est systema eam defendens. *Minor:* nam hoc semper intenderunt sapientes ut unum elementum mutarent in aliud et numquam potuerunt; *ergo* signum est non dari substratum aliquod indifferens ad quamlibet formam.

Dist. mai.: indifferens, in quantum est ex se, *conc.;* ex parte causarum, quasi affirmaremus causas naturales posse denudare materiam primam a forma substantiali quam primo accepit, *nego.* Et *contradist. min.:* est contra experientiam dari aliquod substratum quod sit ex se indifferens, *nego.;* est contra experientiam dari causas naturales potentes denudare unam materiam a prima forma quam semel illa accepit, *transeat.* Ad probationem *dist. antec.;* et hoc significat non dari substratum de se indifferens ad pluras formas, *nego;* est contra experientiam dari causas naturales sufficientes ad denudandam materiam a forma quam primo accepit, *conc.;* vel *transeat.* Nam in radioactivis dantur tales transformationes, ut videatur in illis dari destructio formae prioris et productio alius, vel aliarum multarum.

Materiam primam strictam non probavimus per experientiam, sed a priori, licet solum verosimiliter.

6. *(Contra formam.) a)* Forma est aliquid quod neque est a se, neque generatur neque fit; *atqui* quod est tale, non est ens; *ergo* forma substantialis non est ens.

Dist.: non generatur neque corrumpitur per se, *conc.;* per accidens, *nego;* et *contradist. min.* Id quod agens intendit est producere ens novum transmutando prius; sed transmutando prius, fit compositum per formam quae vere fit, sed per accidens.

7. Forma materiae inhaeret; *atqui* quod inhaeret alicui non est substantia sed accidens; *ergo* forma non est substantia, sed accidens.

Nego mai.: Forma non inhaeret materiae, quia inhaerere est proprium accidentis; sed in materia sustentatur, quod bene cadit in formam substantialem.

564. 8. *Instabis:* Quod est in subiecto, inhaeret; *atqui* in subiecto est forma; *ergo* inhaeret. *Dist. mai.:* si est in subiecto sustentatio-

nis, est accidens, *nego;* si est in subiecto inhaesionis, *conc.;* et *contradist. min.*

9. Forma substantialis dicitur produci a causis secundis; *atqui* illa productio est vera creatio; *ergo* systema scholasticum attribuit causis secundis creare de nihilo.

Dist. mai.: per eductionem de potentia materiae, quod solum sibi vult causas secundas producere formam substantialem per actionem innixam in materia, *conc.;* per creationem, *nego;* et *contradist. min.*

10. Tu posuisti materiam primam ut radicem passivitatis et quantitatis, et formam substantialem ut principium activitatis; *atqui* hoc est ponere duo entia, non vero est explicare unum ens; *ergo* theoria hylemorphica non explicat unitatem entis, quam debebat explicare.

Dist. mai.: ut essent talia principia postquam constituant ens, *conc.;* non constituendo prius ens unum, *nego;* et *contradist. min.:* si prius quam sint radix ultima non constituant ens unum, *conc.;* si prius constituant ens unum, *nego.*

Materia et forma non sunt principia passivitatis et activitatis, nisi in quantum prius constituunt unum ens: quod fieri potest, quia materia est possibilitas ut sit corpus, et forma est realizatio illius possibilitatis per intimam communicationem ad materiam et non per meram iuxtapositionem aut compenetrationem, licet haec etiam requiratur. Praeterea haec difficultas impugnat quoddam argumentum allatum a quibusdam ad probandum hylemorphismum petitum ex duplici principio activitatis et passivitatis, quod nos non attulimus.

11. Substantia est in indivisibili; *ergo* vel complete est substantia, vel omnino substantia non est.

Dist. antec.: logice, seu quoad impletionem definitionis in qualibet substantia, *conc.;* etiam physice stat in indivisibili, *subdist.:* si agitur de substantia simplici, ut est substantia angeli, *conc.*; si agitur de substantia composita, ut est corpus, *nego;* et *contradist. cons.:* logice, quia tota definitio impletur in qualibet substantia et in qualibet eius parte, *conc.;* physice, *subdist.:* si agitur de substantia simplici, *conc.;* si autem agatur de substantia composita, *nego;* in hoc casu potest dari substantia, et tamen potest non esse completa: erit enim pars substantiae, et pars substantiae est substantia, non tamen completa.

565. 12. Ex materia et forma debet resultare unum per se; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* non datur compositio ex materia et forma. *Maior* constat, et *minor* probatur: nam si utraque res est unum quid, una pars debet identificari cum alia vel converti in aliam quod est impossibile.

Dist. mai.: per identitatem, *nego;* per unionem duorum, quae non destruuntur, *conc.;* et *contradist. min.:* esset impossibile unum per se per identitatem utriusque partis aut per conversionem materiae in formam et vicissim, *conc.:* per unionem duarum partium, quae non destruuntur, *nego.*

13. Materia et forma habent praedicata opposita, ut esse puram potentiam et esse actum; *atqui* quae habent praedicata opposita non possunt esse constitutiva unius entis; *ergo* materia et forma non possunt esse constitutiva corporis.

Dist. mai.: opposita ut potentia et actus, *conc.;* opposita sine relatione potentiae et actus, *nego,* et *contradist. min.:* quae sunt opposita ut potentia et actus, *nego;* quae sunt opposita sine hac habitu-

dine, *conc.* Leo et asinus non possunt uniri in substantiam aut naturam per se unam, quia habent praedicata opposita, et non se habent ut potentia et actus; sed quae sunt opposita ut potentia et actus, se habent ut determinabile et determinans, et haec possunt uniri in unum ens per se, in unam naturam completam.

14. Materia et forma sunt sibi invicem causae; *atqui* causalitas mutua repugnat; *ergo* materia et forma non possunt esse constitutiva unius entis. *Maior:* nam materia causat formam, et forma causat materiam, quia sine forma materia exsistere non potest, et vicissim.

Nego mai.: Materia causat formam, ut causa materialis, non autem efficiens, quia est id ex cuius potentia educitur forma ab agente; et forma in nullo sensu est causa materiae, sed est solum conditio a posteriori ut materia possit conservari: quia materia indiget informari per aliquam formam, et secus periret naturaliter.

ARTICULUS IV

DE ALIIS PROBATIONIBUS HYLEMORPHISMI [1]

566. *Primum argumentum:* Ex mutationibus substantialibus in organismis seu in viventibus.

In viventibus dantur mutationes substantiales corporum anorganicorum, cum haec convertuntur in substantiam viventem: quae mutatio fit per amissionem propriae determinationis specificae, et per acquisitionem formae viventis; item habetur mutatio substantialis cum vivens moritur, et elementa, amissa forma viventis, recuperant suas proprias determinationes antiquas; *atqui* in his mutationibus datur materia prima et forma substantialis; *ergo* admittenda est materia prima et forma substantialis in anorganicis.

Maior patet: nam si anorganica non amitterent suas proprias determinationes substantiales, non possent efformare unum per se cum corpore viventis; et similiter in morte recuperant suas formas proprias, secus darentur corpora, quae essent sine ulla determinatione specifica, quod est contra experientiam.

Minor constat etiam: datur enim materia prima, quia datur subiectum permanens et identicum et indifferens ad diversas formas, et hoc est materia prima. Et datur forma substantialis: quia dantur determinationes specificativae realiter distinctae, et hae sunt formae substantiales [2].

[1] Vide de his argumentis SCHAAF, *Cosm.*, p.289-316; DESCOQS, *Essai critique sur l'hylemorphisme,* qui liber totus examinat valorem argumentorum pro hylemorphismo.

[2] URRÁB., *Cosm.*, solum adhibet argumentum desumptum ex mutationibus substantialibus, p.549-562; SCHMIEDER, L. R., *Substantial changes in organic mater:* RevNeosc 18 (1944) 209-251; GENY, PAOLO, *Metafisica ed esperienza nella Cosmologia:* Greg 1 (1920) 91-116.

567. *Crisis:* Neque hoc argumentum videtur certo concludere thesin. Nam in *maiore* certe admittendae sunt mutationes substantiales per quas in nutritione materia non vivens fit vivens, et in morte materia vivens fit non vivens. Sed ad minorem dicunt in nutritione corpora anorganica fieri materiam vivam, non per amissionem ullius determinationis specificae, sed per acquisitionem novae formae viventis; et in morte corpora viventia fieri non viventia, non per amissionem omnis determinationis substantialis, sed solum per amissionem formae viventis. Et quando affirmatur in nutritione amitti omnem determinationem substantialem corporis anorganici, quia secus non daretur unum per se, respondetur, certe non dari *unum per se,* quod concipiunt thomistae, sed dari unum per se, quod datur ab experientia; ad quod unum per se sufficit, ut corpus iam specificatum, non amissa ulla determinatione substantiali, sit capax alius determinationis superioris per formam distinctam. Et si ita respondetur, non demonstrata est exsistentia materiae primae, quae de se non habeat ullam determinationem specificam, sed materia secunda, quae sit capax ulterioris determinationis specificae per formam superiorem.

568. *Secundum argumentum:* Ex oppositione passivitatis et activitatis [3].

Corpora elementaria, in atomis et in corpusculis (protonibus, electronibus, photonibus, etc.), habent proprietatem stricte passivam, ut est quantitas et extensio; et proprietates activas; et ita ut proprietas passiva semper habeat comitem extensionem, et proprietates activae exerceantur cum motu physico; *atqui* hae proprietates necessario fundantur in principio substantiali ultimo, et quidem duplici et realiter distincto; *ergo* corpora elementaria constant duplici principio substantiali realiter distincto, quorum unum sit principium passivitatis et aliud principium activitatis, et haec sunt materia et forma.

Maior constat, et minor probatur: nam proprietates illae sunt omnino irreductibiles et diversae (non dico absolute oppositas, secus non possent esse in uno ente). Proprietates

[3] Hoc argumentum admisit S. THOMAS, 1 q.66 a. 2, et passim, et plerique scholastici, qui se profitentur de schola S. THOMAE. SUÁREZ tamen non admittit illud ut certum, sed solum ut verosimile (DM d.3 s.10 n.8). Sed hoc argumentum non admisit ARISTOTELES. Et ideo, licet admitteret astra habere quantitatem seu extensionem et activitates, tamen dixit ea non constare ex materia et forma, sed esse quintam quandam essentiam supra quattuor elementa nota.
Similiter *hoc argumentum reiecit* S. ALBERTUS MAGNUS, SCOTUS cum sua schola, et multi alii quorum centena nomina vide ap. TEDESCHINI, *Quaestio historica de corpore simplici quoad substantiam,* quae impressa est ap. P. PALMIERI, *Institutiones Philos.,* vol.3 p.321. Hinc apparet modum probandi hylemorphismum *apud recentiores esse contrarium modo aristotelico.* Recentes solent probare ex duplici principio passivitatis et activitatis, et dicunt non probari ex mutationibus substantialibus; ARISTOTELES, contra, dixit probari ex mutationibus substantialibus, et non probari ex duplice principio passivitatis et activitatis.
Notandum est etiam aliquos ex his, qui utuntur argumento sumpto ex duplice principio passivitatis et activitatis, candide confiteri argumentum non esse certum, quia non apparet contradictio in eo quod tam passivitas quam activitas procedant ex uno principio ultimo reali, licet distincto secundum rationem. Cf. SCHAAF, p.305.

autem diversae et irreductibiles inter se, postulant etiam principia distincta et irreductibilia, secus idem principium esset et passivum et activum, quod concipi nequit, praesertim si passivitas est cum extensione et activitas exerceatur cum motu physico seu corporeo. (Concedunt quidem defensores huius argumenti idem ens posse esse et activum et passivum sub diverso respectu, sicut anima potest esse passiva gratiae et activa suorum actuum; et voluntas potest esse passiva habituum et actuum volitivorum, et activa eorum; sed tamen in his casibus activum et passivum identificantur, quia haec passivitas et activitas exercentur sine extensione et sine motu physico; et contra in corporibus, passivitas exercetur cum extensione, et activitas cum motu physico seu corporeo).

569. *Crisis:* Neque hoc argumentum videtur certo concludere thesim. Nam conceditur quod dicitur in maiore de duplici proprietate passiva et activa. Conceditur etiam has proprietates debere fundari ultimo in substantia. Sed negatur hoc principium ultimum debere esse realiter duplex et distinctum. Unum idemque principium potest esse radix et passivitatis et activitatis. Et sic spiritus creatus, qui est simplex substantialiter, est radix passivitatis et activitatis. Anima enim humana habet capacitatem passivam recipiendi suas potentias, et capacitatem activam producendi actus vitales; anima est mere passiva in recipiendis speciebus impressis intellectualibus (quae iuxta thomistas fiunt ab intellectu agente et mere passive recipiuntur in intellectu possibili), et habet capacitatem activam faciendi actus intellectuales. Hoc principium unicum passivitatis et activitatis fundat distinctionem rationis adaequatam, per quam anima concipitur ut mere passiva et ut activa, sed non fundat duplex principium ultimum realiter distinctum passivitatis et activitatis. Et aliquid simile dicendum est in corporibus.

570. *Dices:* non est paritas inter corpus et spiritum. Nam corpus habet passivitatem, quae radicat aliquid quod est mere passivum et non activum ut est quantitas; et aliquid mere activum, ut est vis attractiva aut affinitates.

Resp. 1. Haec disparitas non sufficit ad concludendum in corpore dari principium ultimum duplex realiter distinctum: quomodo probatur haec consecutio? *Resp. 2.* Non est tanta disparitas: nam quantitas non est aliquid mere passivum; illa enim exigit extensionem localem, et radicat extensionem; radicare autem extensionem non est aliquid mere passivum; item extensio exigit et radicat impenetrabilitatem, et exigere et radicare impenetrabilitatem non est adeo mere passivum.

Instabis: Datur alia disparitas inter corpora et spiritum. Nam corpora exercent activitates cum motu physico, et spiritus radicat et exercet activitatem sine motu physico aut corporeo.

Resp. Haec disparitas non sufficit ad concludendum in corpore dari duplex ultimum principium, activitatis et passivitatis: quomodo probatur haec consecutio? Unde constat, si activitas exercetur cum

motu physico, debere dari ultimum principium activum, quod sit realiter distinctum a principio passivo? Id videtur dici voluntarie.

Instabis: Per haec non probas directe, argumentum ex duplice proprietate non probare, sed solum affirmas non probare. *Resp.* Concedo meam responsionem aliquatenus esse negativam, sed talis est ut defensor argumenti non possit rationabiliter subsumere, et proinde non potest assumere suum argumentum ut positive validum, de quo praecise agitur.

Ex hoc argumento videtur solum probari duplex ultimum principium substantiale, distinctum secundum rationem, non autem distinctum secundum realitatem.

571. *Tertium argumentum:* Ex pluralitate individuorum in eadem specie.

Sub eadem specie corporea videmus dari plura individua; *atqui* pluralitas individuorum sub eadem specie non potest explicari sine compositione ex materia prima et forma substantiali; *ergo* corpora constant ex materia prima et forma substantiali.

Maior constat experientia: et sic videmus plura frusta ferri, sulphuris, quae sub eadem specie, solo numero distinguuntur.

Minor probatur. Nam essentia, quae est in singulis individuis, est actu finita, siquidem caret perfectione quae est in aliis individuis; atqui actus (ut est essentia) non potest finiri nisi per potentiam realiter distinctam in qua recipiatur; ergo intra essentiam datur aliquid, quod est pura potentia in ordine ad essentiam et aliquid quod est actus illius essentiae; iam vero pura potentia in ordine ad essentiam est materia prima, et actus determinans et actuans essentiam est forma substantialis; *ergo* multiplicatio individuorum explicanda est necessario per materiam primam et formam substantialem.

Crisis: Neque hoc argumentum valet ad intentum probandum. Nam primo totum fundatur in principio quod est infundatum et a multis reputatur ut falsum. Principium enim multiplicationis individuorum sub eadem specie est solummodo contingentia et finitudo, sive habeat materiam, ut corpora, sive non habeant materiam, ut sunt angeli. Secundo hoc principium male applicatur. Nam tota essentia corporis consideratur hic ut actus qui de se est infinitus et qui debet finiri per potentiam realiter distinctam; *ergo* tota essentia corporis, seu compositum ex materia et forma deberet recipi in alio principio substantiali realiter distincto a materia et a forma, quod ipsi omnino nolunt.

572. *Quartum argumentum:* Ex divisibilitate et cohaesione.

In corporibus datur proprietas divisibilitatis et proprietas cohaesionis; *atqui* divisibilitas petitur ex materia prima et

cohaesio ex forma substantiali realiter a materia distincta; *ergo* corpora constant ex materia prima et forma substantiali realiter distinctis.

Maior constat, et *minor* probatur: divisibilitas pertinet ad materiam, quia corpus est per se quantum, et hoc definitur ut divisibile. Cohaesio debetur formae substantiali, quia divisibilitas tendit ad dispersionem entis in suas minimas particulas, ideoque ad destructionem entis corporei et continui; *ergo* ut non dispergatur et evanescat ens, debet habere vinculum cohaesivum realiter a principio divisibilitatis distinctum, ut patet, et substantiale, quia facit ut substantia corporis sit corpus et non evanescat.

Crisis: Neque hoc argumentum valet. Nam principium divisibilitatis et cohaesionis possunt distingui ratione, et necesse non est ut distinguantur realiter; neque ulla difficultas est in eo quod una eademque realitas sit principium divisionis et cohaesionis, et sit per se continua et tamen apta dividi: quaenam est in hoc contradictio?

573. *Quintum argumentum:* Ex oppositione corporis anorganici cum ente intellectuali.

Nam corpora non sunt potentia pura, quia secus non possent agere; neque sunt actus purus, seu subsistens, quia secus essent entia intelligentia; ergo sunt composita ex potentia pura et ex actu, quod est componi ex materia prima et forma substantiali.

Crisis: Neque hoc argumentum valet. Nam posset responderi corpora esse aliquid quod est simul potentia et actus sub diverso respectu, sicut etiam substantia angelica est simul potentia et actus; potentia quia recipere potest actuationes; et actus, quia est realitas determinatae perfectionis; sed potentia et actus seu activum et receptivum sola ratione distinguuntur in angelis, non autem realiter. Neque inde sequitur corpus fore ens intellectivum. Esset ens intellectivum si esset spirituale et indivisibile, non vero si est corporeum et divisibile.

574. *Sextum argumentum:* Ex mobilitate corporis.

Corpus, utpote spatiale, est essentialiter mobile secundum locum, licet actu non moveatur; ergo constat essentialiter ex materia prima et forma substantiali. Probatur consequentia: nam ut aliquid sit mobile, necessarium est illud habere aliquid quod moveatur et aliud quo moveatur; illud autem quod movetur est potentia, et illud quo movetur est actus; ergo necessario constat ex potentia et actu, seu ex materia et forma. RENOIRTE dicit hoc esse argumentum validum et quidem unicum quod sit validum.

Crisis: Negatur illatio, nempe, quod si aliquid est mobile secundum locum, constet ex materia et forma substantiali. Mobile, cum nondum movetur, constat ex substantia et capacitate motus passivi, quae realiter non distinguuntur, sed solum secundum rationem, ut est patentissimum. Mobile, cum iam est in motu, constat ex substantia quae movetur, et ex motu, realiter distincto, qui est accidens modale, et nequaquam est forma substantialis. Per hoc probatur optime mobile in motu constare ex potentia et actu, sed ex potentia quae est aliquid substantiale, et ex actu qui est aliquid accidentale; sed nequaquam probatur compositio ex materia prima et forma substantiali.

ARTICULUS V

De natura mixti anorganici

Thesis 27. In mixto permanent elementa formaliter, sine productione novae formae substantialis.

575. Arist., 2 *De gener.*, c.7-10; S. Th., ibid.; et 4 CG c.35; *Opusc. De mixtione elementorum;* S. Albertus M., *De gener. et corr.*, 1.1 tr.5 c.6; 1.2 tr.2 c.1, 8; Suárez, DM d.15 s.10 n.40-65; Urráb., *Cosm.*, p.474-512; Morán, p.413-436; Hoenen, *Cosm.*, p.294; Idem, *Congr. Cosm.*, II p.173; Descoqs, *Essai...*, p.33; Nys, *Cosm.*, 11 p.161; Schaaf, p.387; Puig, I., *Materia y energía*, c.3; Idem, *Congr. Cosm.*, I p.89; Del Barrio, J. M., *La molécula* (Santander 1949); Titone, L. M., S. D. B., *About the Misunderstanding that gave Rise to Theory of Hylemorphism:* Salesianum 12 (1950) 421-431 (de mixtis).

576. Nexus. Exposuimus systema hylemorphicum in elementis, et nunc indagare oportet utrum etiam in mixtis habeat locum eadem compositio hylemorphica ex materia prima et forma substantiali.

577. Notiones. Mixtum est corpus quod resultat ex commixtione intima diversorum corporum. Mixtum potest esse *perfectum* et *imperfectum*. Perfectum fit secundum proportiones determinatas et fixas, sive simplices sive multiplices, cum productione vel absorptione energiae, et componentia non separantur nisi mediis chimicis. Mixtum imperfectum fit in quacumque proportione componentium sine productione aut absorptione energiae, et componentia separantur per media physica. Haec autem mixtio imperfecta potest esse vel usque ad particulas, ut fit in mixtione pulverum solidorum, vel usque ad moleculas, ut fit in liquidis vel aëriformibus (gasis).

Elementa sunt corpora quae neque resultant ex compositione cum aliis neque in alia corpora diversa possunt ullo modo resolvi, et continentur in tabula Mendelejeff-Mosely.

Manent formaliter, si manent secundum proprias suas formas substantiales et secundum proprias suas determina-

tiones specificas. Manent tamen valde alterata quoad exercitium suae activitatis, quia vel unum neutralizatur per aliud, vel habetur additio aut substractio.

NON PRODUCTA FORMA NOVA SUBSTANTIALI. Nam licet advertantur proprietates diversae, hae explicantur aut per additionem aut per modificationem, aut per neutralizationem, licet hoc non semper fiat cum plena evidentia; et si aliquando mixta in resolutione habent ingentes vires, ut aqua regia, vel nitroglicerina, vel cyanogenum, hoc non debetur novae alicui energiae distinctae ab atomis, sed evenit quia atomi componentes habent specialem quandam vim ex seipsis in statu nascente, ut videbimus in difficultatibus.

578. Ex his colligitur mixtum perfectum esse UNUM PER ACCIDENS, quia constat multis entibus in se completis; sed est unum per accidens intentum a natura, quia fit et resolvitur secundum leges fixas, et quia ex eo resultant modo fixo operationes et proprietates characteristicae: sed quia hae proprietates non sunt constitutivae, seu omnino novae, sed additivae, quae resultant ex additione, substractione, neutralizatione aliarum per alias, ideo compositum non est unum per se, seu nova essentia, sed unum per accidens.

VIRTUALITER SOLUM PERMANERENT, si elementa amitterent in composito suas formas substantiales et specificas, et servarent sub nova forma mixti virtualitates similes illis quas habebant in statu independentiae. Hae virtualitates explicarent quomodo possent produci novae formae elementorum in resolutione mixti.

Status quaestionis. Quaerimus utrum in mixtis perfectis serventur elementa secundum suas formas et determinationes substantiales, et quidem sine ulla productione novae formae mixti.

579. Sententiae. *Prima sententia* est traditionalis, et tenet elementa non manere in mixto formaliter, sed solum virtualiter. Quare iuxta hanc sententiam:

In ortu mixti producitur nova forma totius, et pereunt formae elementorum manentibus sola materia prima eorum et virtutibus, per quas in resolutione possint produci iterum formae elementorum. In *corruptione* mixti destruitur forma mixti per dispositiones contrarias ei, et producuntur de novo formae illae substantiales quae specificabant elementa ante mixtionem. *Causa autem productrix* talium formarum substantialium sunt vel astra, vel Deus, vel dispositiones acci-

dentales quae remanserunt in mixtione, vel denique ipsa forma mixti quod perit.

Et *probatio huius sententiae* petitur ex eo quod mixtum est unum per se et nova essentia, quod non esset possibile nisi destruerentur formae specificae elementorum et produceretur nova forma totius. Sed cum aliunde in mixto remaneant elementa aliquo modo, secus non reapparerent in resolutione, ideo debent permanere saltem virtualiter, quia manent virtutes elementorum, per quas possint produci formae antiquae.

Haec theoria defenditur a S. THOMA, SCOTO, SUÁREZ, DE BACQUER, NYS, URRÁBURU, DE MUNNYNCK, LAHOUSSE, REMER-GENY, HOENEN, COTTER, MAQUART [1], etc.; de mente Aristotelis videtur esse aliqua dubitatio.

580. *Secunda sententia* tenet elementa manere formaliter in mixto, sed producta nova forma substantiali. Quare iuxta hanc sententiam:

In ortu mixti, elementa exercent suas vires, et producunt novam formam substantialem totius mixti; elementa autem manent ibidem, non tamen cum independentia, sed subiecta finalitati formae communis, quae est superior formis elementorum. *In corruptione* destruitur forma totius mixti, et elementa retinent suas formas, sed recuperata libertate et independentia, quia iam non subiiciuntur finalitati formae superioris. *In facto esse* corpora non habent plenam homogeneitatem, sed heterogeneitatem respondentem atomis diversis: illae tamen partes heterogeneae, non debent dici atomi hidrogenii vel oxygenii, sed partes aquae.

Et *probatio huius sententiae* petitur ex eo quod formae elementorum reapparent in resolutione; et cum non sit ulla causa proportionata quae possit illas producere, signum est eas ibi mansisse, sed subiectas finalitati formae superioris. Sed ex alia parte apparent in mixto novae proprietates et unitas specialis; ergo debet ibi esse nova forma quae sit principium illarum proprietatum et illius unitatis.

Hi aperte defendunt unum per se posse habere plures formas substantiales, subordinatas tamen. Et quamvis elementa sint substantiae completae, sunt tamen substantiae completae solum in suo ordine, et non absolute, quia retinent capacitatem ulterioris determinationis et specificationis per formam aliquam superiorem.

Hanc sententiam defendunt S. ALBERTUS MAGNUS,

[1] NYS contexit longissimum catalogum auctorum qui defendunt hanc sententiam, *Cosm.* II p.213-215; et ipse adhaeret huic sententiae, p.280.

SANCTUS BONAVENTURA, RICHARDUS A MEDIAVILLA, LUGO, TOLETUS, PESCH, DONAT, M. DEL CAMPO, etc.[2]

581. *Tertia sententia* tenet elementa permanere formaliter in mixto et non produci ullam formam substantialem. Unitas autem quae resultat ex hac unione elementorum in mixto, est naturalis, seu secundum leges naturae, non autem artificialis; sed tamen non est unitas per se, sed per accidens, quia est unitas dynamica per coordinationem virium, non entitativa aut essentialis[3]. Quare iuxta hanc sententiam:

In ortu mixti elementa combinantur secundum leges chimicas, non producta ulla forma substantiali; *in corruptione,* dissolvitur intima colligatio quae erat inter elementa et haec recuperant libertatem, non destructa ulla forma substantiali. *In facto esse* datur perfecta homogeneitas molecularum, quia omnes eodem modo componuntur, sed non datur perfecta homogeneitas atomorum, quia permanent secundum suas proprias formas.

Probatio petitur ex eo quod manent eaedem proprietates elementorum, et aliunde apparent eadem elementa in resolutione, quod signum est ibi permansisse, ut patebit ex argumentis. Hanc tenent multi neoscholastici, ut Schaaf, Dario, Frank. Palmieri, Descoqs, et omnes physici. *Haec quoque erit nostra sententia.*

582. Probatur thesis. I P. Elementa manent formaliter in mixto.

Prob. 1. Si elementa manerent in mixto solummodo virtualiter et non formaliter, deberet dari ratio cur producantur formae elementorum in resolutione mixti; *atqui* illa ratio non datur; *ergo* elementa non manent in mixto solummodo virtualiter, sed formaliter. *Maior* constat et *minor* probatur. Nam eas formas elementorum, et quidem in eadem proportione in qua erant ante synthesim, vel produceret Deus, aut producerent astra, aut motores astrorum, aut produceret forma substantialis mixti, aut vires accidentales quae causant resolutionem. *Non Deus,* quia actio solius Dei solum invocanda est in

---

[2] PESCH, *Institut. Philos. Natural.* (Frib., Br. 1897) p.303-5; WILLEMS, *Institut. Philos.*, vol.2 p.116 (Trevir. 1906); DONAT, *Cosm.*, p.148; DOMET DE VORGES, *Abregé de Métaphysique*, t.1 p.304 (Paris 1906).

[3] Sic LAMINNE, *Les quatre éléments* (Bruxelles 1904) p.91ss; CHAROUSSEL, *Le problême métaphysique du mixte:* RevPhil (1903) p.544-680; SCHAAF, *Cosm.*, p.346: vacillat, sed magis inclinat in merum aggregatum; MORÁN, p.413 et 420-429; DARIO, p.410, ait novam formam substantialem legitime non probari; DESCOQS, *Essai,* p.46; THEOD. WULF, *De relatione inter scientias experimentales et philosophiam naturalem:* Congr. Cosm. I p.3-26; RIAZA, *Ciencia mod. y Filos.*, p.439-441 (ubi affert decem rationes pro permanentia formali atomorum in mixto, et iudicat hanc sententiam probabiliorem).

miraculis vel in creatione ex nihilo. *Non astra* aut motores astrorum, quia haec theoria est obsoleta. *Non forma mixti;* nam vel produceret illas formas cum adhuc exsistit, vel cum non exsistit; si producit cum iam non exsistit, dicitur absurdum; si eas producit cum adhuc exsistit, tunc ponuntur simultanee duae formae substantiales in eadem materia, nempe forma corporum elementarium quae producitur, et forma mixti quae simul exsistit dum illas producit; quod maxime volunt evitare qui defendunt elementa permanere solum virtualiter in mixto. *Non denique formae accidentales* quae excitant resolutionem, quia accidens non potest producere aliquid substantiale.

583. N. B. 1. Nos antea admisimus dari transmutationes substantiales, unius elementi in aliud, et produci formas substantiales. Sed ibi erat sufficiens causa productrix illarum formarum, nempe substantia electronum illidentium qui non amittunt suam propriam determinationem essentialem, et simul cum illis est concausa vis ingens per ciclotrones applicata. Sed in ortu aut interitu mixti non habetur ulla causa vere sufficiens productrix formae mixti aut formae elementorum: nam ut producatur nova forma, debet prius perire omnis forma prior, et sic manet pura potentia, quae est omnino incapax producendi ullam formam substantialem, ut patet ex argumento.

584. 2. P. HOENEN[4] dicit duplicem assignandam esse causam formae elementorum in resolutione mixti: *una* est causa materialis, quae retinet dispositiones elementorum, et haec est materia ipsa mixti. *Alia* est causa efficiens, et haec est aether, determinatus per dispositiones elementorum, quae dispositiones servantur in mixto.

Nam dicit: aether est causa efficiens universalis omnium effectuum qui procedunt a causis corporalibus. Determinatur autem per dispositiones elementorum hoc modo: nam corpus mixtum conservat easdem dispositiones quas habebant elementa, et necessario generat in aethere vicino campum dispositionum similium; et ideo aether, qui est causa universalis, determinatur ad producendas formas elementorum ex dispositionibus elementorum quas in suo campo habet.

Crisis: a) Non videtur admittendum aetherem esse causam universalem omnium effectuum causarum corporalium. *b)* Neque credibile est in aethere generari campum qui habeat easdem dispositiones quas habet mixtum (quae sunt eaedem dispositiones quas habebant elementa). *c)* Et si aether semper haberet easdem dispositiones elementorum, et haec est causa cur aether producat formas elementorum, mixta non permanerent, sed statim atque formata sunt, perirent; quia aether, habens semper dispositiones proprias elementorum, produceret statim formas elementorum.

585. Et simili modo dicit Hoenen formam mixti produci ab aethere ut a causa universali, determinato a dispositionibus elemen-

[4] HOENEN, *Cosm.*, p.308-321.

torum. Nam dicit: aether est causa universalis; determinatur autem ad producendam formam mixti, a dispositionibus elementorum: nam elementa causant in aethere circa se campum dispositionum earundem quas elementa habent, et aether per has dispositiones determinatus, producit hanc formam mixti.

Crisis: Sed praeter ea quae dicta sunt sub *a)* et *b)* nunc addo: incohaerenter loqui auctorem: nam si aether onustus dispositionibus elementorum est causa cur solvantur mixta et producantur formae elementorum, cur nunc aether onustus dispositionibus elementorum producit formam mixti, et non contentus est formis elementorum quae iam sunt elementa?

586. *Prob. 2. (Ex permanentia proprietatum elementorum in mixto.)* Nam in mixto permanent eaedem proprietates elementorum saltem maxime characteristicae; si quae autem cernuntur variationes, hae possunt explicari per additionem, substractionem, moderationem aut neutralizationem aliarum proprietatum per alias; *atqui* si permanent in mixto proprietates elementorum, permanent etiam elementa; *ergo* in mixto permanent formaliter elementa.

Minor est clara. *Maior* autem est declaranda.

A. *Manent in mixto omnes proprietates elementorum.* Nam eaedem sunt affinitates et eaedem valentiae. Et sic explicatur quomodo kalium et natrium, quae adeo amant oxygenium, illud rapiunt ab aqua, non obstante intima ligatione mixti; ergo signum est manere proprietatem oxygenii. Et radium et omnia radioactiva, habent eandem activitatem radioactivam in mixtis quam in independentia. Manent similiter lineae spectographicae elementorum.

587. B. *Si autem aliqua novitas apparet in proprietatibus vel in summa proprietatum characteristicarum,* haec explicatur sufficienter per additionem, aut per moderationem aut neutralizationem aliarum per alias, aut ex speciali activitate quam habent elementa cum sunt in statu nascente. Sic in aqua apparent sat novae proprietates quae non sunt in oxygenio et hydrogenio solutis. Nam oxygenium est in statu liquido, et non potest exercere suam vim comburendi: hoc vero debetur constrictioni et moderationi quam exercet in oxygenium aliud elementum associatum, quod est hydrogenium. Et similiter nitroglycerina habet maximam potentiam destructionis, quam non habet ullum ex elementis cum sunt in statu separato, aut in compositione. Formula enim est $C_3H_5(ONO_2)_3$. Tamen eam vim maximam habet nitrogenium in statu nascente sub quibusdam circumstantiis, quas non habet nisi in resolutione nitroglycerinae. Item cyanogenum (radical NO)

est maxime nocivum organismo, cum tamen eius elementa in statu soluto non sint nociva. Sed tamen eam nocivitatem habet nytrogenium in statu nascente sub quibusdam circumstantiis, quae solum dantur dum resolvitur cyanogenum.

588. *Prob. 3. (Ad hominem.)* Modus loquendi eorum qui negant formalem permanentiam elementorum, fere concedit manere formaliter. Sic *a)* De Munnynck (RevThom [1897] p.595-6) ait in composito permanere "distinctiva quasi substantialia atomorum", et atomos servare "heterogeneitatem sicut diversa membra organismi"; hoc vero est fere admittere formalem permanentiam elementorum in mixto. *b)* Nys (II p.241-2) admittit quamdam topographiam proprietatum in molecula, ita ut sint inaequaliter distributae in regionibus antiquarum atomorum, ex quo fit ut hae atomi habeant "quamdan superviventiam" et ita possint reapparere in resolutione mixti: hoc item est fere dicere elementa permanere formaliter in mixto. *c)* Gredt *(Elementa Philos.* ed.4.ª, I n.256.407-408) concedit aliquam microstructuram in molecula quae debetur specificationi veteri atomarum. *d)* Hoenen (p.346 n.308): "proprietates quae re vera singulis atomis et quidem ut primarie tribui debent, videntur etiam conservari in molecula mixtorum"; iam vero si conservantur proprietates, videntur debere conservari etiam formae elementorum.

589. II P. In mixto non producitur nova forma substantialis.

Prob. 1. Si in mixto produceretur nova forma substantialis, deberet dari ratio sufficiens seu causa proportionata illius; *atqui* nulla est causa proportionata producens illam; *ergo* in mixto non producitur nova forma substantialis.

Maior constat, et minor probatur. Nam vel illam formam produceret Deus aut astra vel motores astrorum, aut formae elementorum aut vires accidentales quae excitant synthesim. *Non Deus,* quia actio Dei invocanda solummodo est in miraculis vel in creatione ex nihilo. *Non astra* aut motores astrorum, quia haec theoria est antiquata. *Non formae elementorum:* nam hae producerent formam mixti dum adhuc exsistunt, vel cum pereunt et non sunt. Si cum non exsistunt, dicitur absurdum. Si cum adhuc exsistunt, tum ponuntur simultanee duae formae substantiales in eadem materia, nempe forma elementorum quae producunt formam mixti, et forma mixti quae producitur: quod maxime volunt evitare defensores huius

theoriae. *Non vires accidentales* quae excitant synthesim, quia accidens non potest producere aliquid substantiale.

590. Scholia. 1. **De pluralitate formarum in organismis.** In organismis permanent formaliter elementa sicut etiam in mixto, quod eodem argumento probatur quo in anorganicis. Sed quoniam praeterea certum est adesse ibi formam substantialem viventem, sequitur in organismis esse multas formas in eadem materia. Directe etiam probatur thesis. Quia in organismo elementa habent affinitates quae eis inerant cum essent independentia. Praeterea in corruptione organismi apparent eadem elementa quae intrarunt in eius compositionem; et cum non possit signari ulla causa quae illas formas producat, dicendum est eas formas fuisse etiam in organismo. Unde antiquata manet theoria de unicitate formae substantialis in vivente. Sic etiam sentiunt plurimi neoscholastici, ut SCHAAF, DARIO, DESCOQS, MORÁN, etc.

591. 2. **De continuitate et de uno per se in organismis.** Patet organismum esse unum per se, quia ibi non datur nisi una essentia, substantia, natura, suppositum. Sed aliunde constat in organismis non dari continuum: quia in atomis corpuscula sunt discontinua; et in moleculis, atomi sunt etiam inter se discontinuae; et in toto organismo moleculae sunt etiam discontinuae. Hinc sequitur ad unitatem per se non requiri continuitatem materiae, sed eam indistantiam vel distantiam quae per experientiam determinanda est et non a priori. Unum per se exsurgit ex unitate formae substantialis informantis totam materiam, etiamsi haec sit discontinua. Proinde debet dici antiquata illa opinio quae tenet ad unitatem per se in organismis requiri continuitatem materiae quam requirunt GENY, HOENEN, BOLLAND.

592. Obiectiones. 1. (A. *Pro eductione novae formae in mixto.)* Mixtum est unum per se; *atqui* admissa permanentia formali elementorum in mixto, non datur unum per se; *ergo* non permanent formaliter, ideoque nova forma mixti producitur. *Maior,* quia est unitas intenta a natura. *Minor:* nam si sunt actu plura, et si sunt specifice completa, dabitur unum per accidens, et unum dynamicum per cooperationem virium; et ea unitas non differret ab unitate artificialium.

Nego maiorem; ad probationem, concedo intendi et fieri per naturam, et nego omne, quod intenditur a natura, esse unum per se; unio animae et potentiarum accidentalium intenditur a natura; et tamen in his non datur unum per se, sed per accidens. Similiter unio elementorum in mixto intenditur a natura, et tamen est unio per accidens; sed differt ab artificialibus unitatibus, quia artificialia

uniuntur in qualibet proportione, sine productione aut consumptione energiae, et separantur quibuslibet mediis mechanicis.

2. Mixtum agit propter finem; *atqui* quod agit propter finem est unum per se; *ergo* mixtum est unum per se (ideoque et nova essentia, ideoque et nova forma producitur). *Maior:* nam mixtum tendit ad exercendas quasdam activitates fixas et characteristicas.

Conc. mai., et *nego min.;* nam horologium etiam agit propter finem, et tamen non est unum per se; mundus agit propter finem, et tamen non est unum per se; sed habent unitatem ex cooperatione virium, sicut etiam et mixtum.

593. 3. Mixtum perfectum differt essentialiter ab imperfecto; *atqui* si non esset unum per se, non differret essentialiter, sed accidentaliter; *ergo* mixtum perfectum est unum per se. *Minor,* quia ibi non esset ulla nova essentia.

Dist. mai.: differt ab imperfecto essentialiter, quia mixtum sit nova essentia, *nego;* essentialiter quia fit viribus chimicis et non solum physicis, *conc.;* et *contradist. min.* Non differret essentialiter quia mixtum non est nova essentia, *conc.;* non differret quia mixtum perfectum non fieret viribus diversis, *nego.*

4. In hoc casu tam mixtum perfectum quam imperfectum sunt unum per accidens; *ergo* non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter.

Dist. antec.: sunt unum per accidens eiusdem modi, *nego;* diversi modi, *conc.;* et *contradist. cons.* Unum per accidens est multiplicis generis. Nam datur unum per accidens naturale, sicut ex anima et potentiis, et unum artificiale ut horologium. Datur unum per accidens ex duobus quae se habent sicut actus et potentia ut materia et quantitas, et unum per accidens ex iis quae sunt coniuncta mere per vicinitatem in spatio, ut acervus lapidum, et haec diversissima sunt in unitate.

5. In mixto datur maxima mutatio proprietatum; *ergo* datur nova forma, peremptis prioribus. *Maior:* sic maxima est differentia inter aquam et sua componentia hydrogenium et oxygenium quoad statum liquidum et non aëriformem, et in affinitatibus: nam oxigenium cremabat, nunc autem extinguit ignem, et hydrogenium comburebatur et nunc non, et similiter in aliis mixtis: sic sal commune valde differt a natrio et chloro.

Dist. mai.: ita ut veteres proprietates maneant, licet aliquatenus ligatae, et novae possint explicari per additionem, modificationem aut neutralizationem mutuam, *conc.;* ita ut non maneant veteres vel novae non possint explicari modo dicto, *nego.*

594. 6. Isomera habent proprietates valde diversas; *atqui* tamen illa diversitas non debetur diversitati atomorum, quia constant iisdem atomis et in eadem proportione; *ergo* debentur novae formae substantiali, quae producitur. *Maior:* Isomera sunt mixta quae habent eadem elementa et in eadem proportione, et tamen habent diversissimas proprietates; sic cognoscuntur 135 mixta quae habent eandem formulam ($C_{10}H_{13}O_2N$). *Minor* constat ex exemplo adducto.

Conc. mai. et *min.* et *nego consequentiam:* datur tertium; non debetur illa diversitas diversitati atomorum, neque novae formae, sed diversae dispositioni atomorum. Propter hanc causam isomera dicuntur habere eandem formulam condensatam, sed non eandem formulam structuralem.

7. Mixta habent, si non affinitates novas, sed tamen certam summam et typum proprietatum quae sunt characteristicae et fixae. *Atqui* typus novus et fixus proprietatum postulat essentiam diversam; *ergo* mixta habent diversam essentiam quam elementa, ideoque novam formam substantialem.

Conc. mai.; et *nego min.:* ille typus novus et summa characterum est talis ut bene possit explicari per additionem, vel per modificationem vel per neutralizationem mutuam.

8. Elementa dicuntur differre essentialiter et specifice, non quia habent proprietates quas non habent alia, sed quia habent summam et typum et gradum characteristicum proprietatum; *atqui* etiam mixta inter se habent typum et summam characteristicam proprietatum diversam a ceteris mixtis et a componentibus; *ergo* mixta differunt etiam inter se et ■ mixtis essentialiter, ideoque habent essentiam suam propriam, ideoque et formam substantialem novam.

Dist. mai.: elementa differunt quia habent proprietates chimicas diversas inter se, ut sunt affinitates et valentiae, *conc.;* quia habent diversas quaslibet alias proprietates, *nego. Et contradistinguo min.:* habent proprietates diversas quae sunt affinitates et valentiae, *nego;* quae sunt typus proprietatum quae possint explicari per additionem, modificationem et neutralizationem, *conc.*

595. 9. Saepe differentia inter mixta est maior quam inter aliqua elementa inter se; *ergo* si haec differunt essentialiter, et mixta differunt essentialiter (ideoque habent essentiam novam et formam substantialem novam).

Dist. antec.: et hoc debetur elementis chimicis diversis quibus constant, *conc.:* debetur alicui formae substantiali novae, *nego;* et *contradist. cons.:* si in mixtis illae proprietates diversae ab aliis mixtis non deberentur diversitati atomorum quibus constant illa mixta, *conc.;* si autem debentur diversitati atomorum quibus constant, *nego.*

10. Elementa, cum assimilantur ab organismo, mutantur substantialiter, et similiter quando separantur ab organismo; *atqui* si manent formaliter in organismo, non mutantur substantialiter; *ergo* non manent formaliter in organismo. *Maior:* quia de non viventibus fiunt viventia, vel e contra ex viventibus fiunt non viventia, quae profecto est mutatio substantialis.

Dist. mai.: mutantur substantialiter mutatione substantiali maiore, *nego;* mutatione substantiali minore, *conc.;* et *contradist. min.:* non mutantur mutatione substantiali maiore, *conc.;* mutatione substantiali minore, *nego. Et eodem modo distinguo probationem.*

Mutatio substantialis maior consistit in eo quod elementa et amittant suam determinationem substantialem et specificam, et acquirant aliam; mutatio autem substantialis minor consistit in eo quod elementa non amissa propria determinatione substantiali, vel acquirant novam formam cui subordinentur, vel amittant eam quam acquisierunt in assimilatione ad organismum. Et haec mutatio substantialis est quae datur in elementis quae assimilantur ab organismo vel ab eo separantur, non illa maior. At talis mutatio substantialis minor non probat *mixta* anorganica habere specialem formam substantialem.

11. Elementa manent eodem modo sub organismo et separata ab organismo; *atqui* hoc est negare mutationem substantialem; *ergo* negas dari mutationem substantialem in elementis cum adveniunt vel recedunt ab organismo.

Dist. mai.: in eo sensu quod retinent suam propriam formam, *conc.;* in eo sensu ut non recipiant ullam novam determinationem substantialem superiorem, *nego;* et *contradistinguo min.:* si diceremin assimilatione vel separatione ab organismo non amittere vel acquirere ullam determinationem substantialem, *conc.;* si autem dico non acquirere vel amittere propriam determinationem substantialem, *nego.*

596. 12. (B. *Contra pluralitatem formarum in organismis.)* Si elementa sunt formaliter in mixto, organismi constant pluribus formis substantialibus; *atqui* hoc reputatur absurdum; *ergo* non manent formaliter in mixto, sed solummodo virtualiter. *Maior:* nam elementa manerent etiam formaliter in organismis; et quoniam aliunde informantur forma vivente, sequitur eandem materiam habituram esse plures formas. *Min.* quia per suam formam elementa sunt substantiae completae; et substantia completa iam non potest ulterius substantialiter perfici, sed solum accidentaliter.

Conc. mai.; et *dis. min.:* si non sunt subordinatae, *conc.;* si sunt subordinatae, *nego;* et *contradist. cons.:* si non possent esse subordinatae, *conc.;* si autem possunt esse subordinatae, *nego.* (Nam formae elementorum sunt in organismo sed subordinatae in suis activitatibus ad servitium formae superioris quae est anima.)

Ad probationem minoris, dist. mai.: elementa per formam substantialem sunt substantiae completae in sua linea, *conc.;* in omni linea, ita ut non possint perfici adhuc in linea substantiali, *nego;* et *contradist. min.:* quod est completum in suo ordine non potest ulterius perfici substantialiter, *nego;* quod est ultimo et absolute completum substantialiter, *conc.*

Dicere quod forma substantialis dat esse substantiale completum et incomplebile ulterius, est praeiudicium aprioristicum, sine ullo fundamento in realitate. Ex realitate scimus posse dari formas substantiales, quae determinant speciem corporis; sed quoniam corpus anorganicum, etiam cum est specificatum in se, est semper aliquid valde potentiale et imperfectum, semper manet in ulteriore potentia ut perficiatur per alias formas substantiales superiores, quae non contineant formaliter inferiores; ideo carbo, ferrum possunt informari per animam rationalem; canis vero non potest ab anima rationali informari, quia anima rationalis est formaliter sensitiva.

597. 13. Una eademque substantia nequit constitui in duabus speciebus ultimis; *atqui* corpora per formam substantialem constituuntur in specie ultima; *ergo* corpus informatum per unam formam substantialem non potest per aliam informari.

Conc. mai., dist. min.: si advenit alia forma superior, *nego* constitui in specie ultima; si non advenit alia superior, *subdist.:* in specie relative ultima, in suo ordine, *conc.;* in specie absolute ultima, quae non possit compleri per formam ulteriorem, *nego* ob potentialitatem propriam corporis.

14. Si unum ens haberet plures formas substantiales esset unum et non unum; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* unum ens non potest habere plures formas substantiales simul. *Maior:* esset unum ex hypothesi; et non unum quia unaquaeque forma constitueret suum esse substantiale.

Dist. mai.: eodem sensu, *nego;* diverso sensu, *conc.;* et *contradist. min.:* eodem sensu, *conc.;* diverso sensu, *nego.*

Mixtum vel organismus in quo essent plures formae substantiales, esset unum ratione unius formae substantialis vitae quae in unitatem redigit totam materiam et omnes formas; sed esset non unum, quia constaret pluribus partibus toti enti unico subordinatis. Esset unum compositionis et non esset unum simplicitatis, ut multi putant.

15. Forma inferior ante adventum superioris et subordinantis, specificabat materiam; *atqui* per adventum novae formae superioris nihil amisit; *ergo* adhuc specificat, et sic ens haberet duas species.

Dist. mai.: specificabat ultimo de facto et respective, quia nulla alia erat quae eam sibi subordinaret, *conc.;* etiam de iure et absolute, quasi repelleret de iure omnem aliam subordinantem, *nego;* et *contradist. min.;* nihil amisit de entitate, *conc.;* de independentia, *nego.*

Forma inferior eadem manet ante et post subordinationem ad aliam superiorem; sed adveniente superiore, inferior ligatur ut serviat finalitati superioris, ideoque iam non specificat totum ens, sed partem illius per quam bene dicitur partem hominis esse ferrum, vel sulphur informatum anima rationali.

598. 16. Actus non potest actuari ab alio actu; *atqui forma* est actus; *ergo* si iam corpus habet unam formam, non potest informari per aliam formam.

Dist. mai.: ab alio actu inferiori vel aequali, *conc.;* ab alio actu superiori, *nego;* et concessa *min., dist. pariter cons.:* ab alia forma aequali vel inferiori, *conc.;* ab alia superiore, *nego.*

17. Ex duabus substantiis completis, non potest resultare unum per se, sed per accidens; *atqui,* si manent elementa in mixto et in organismo, tot erunt substantiae completae quot elementa et quot moleculae elementorum; *ergo* organismus non erit unum per se.

Dist. mai.: si illae substantiae completae sint absolute completae, et non ulterius perfectibiles per aliam superiorem, quae complectatur et subordinet omnes illas inferiores *conc.;* sed si sint completae solum respective, in sua linea, et maneant cum potentialitate ulterioris perfectionis et subordinationis, *nego;* et *contradist. min.:* tot erunt substantiae absolute completae, quot sunt elementa et formae elementorum, *nego;* relative completae et ulterius perfectibiles per aliam superiorem quae subordinet omnes illas, *conc.*

18. Quidquid advenit enti substantialiter completo, advenit accidentaliter et non substantialiter; *atqui* elementa per suas formas substantiales sunt substantiae completae; *ergo* anima quae super elementa advenit, advenit accidentaliter et non substantialiter. *Maior,* patet: nam quod advenit supra complementum, iam non complet, ideoque est accidentale.

Dist. mai.: si advenit enti substantialiter completo absolute, *conc.;* completo relative, *nego;* et *contradist. min.:* sunt substantialiter completae absolute, *nego;* sunt substantialiter completae relative, retinentes quamdam potentialitatem ut ulterius perficiantur, *conc.*

N. B. Confer de his *Allocutionem* Pii XII habitam die 24 Aprilis 1955 *ad Pontificiam Academiam Scientiarum.* In illa oratione plurima utilia continentur; et inter alia dicit philosophos (scholasticos) nimis adhaerere quibusdam positionibus formalibus, quas potuissent derelinquere, eosque hortatur ne determinent veritates quas sola experientia et observatio detegit. Et quaenam sunt illae *positiones formales* quibus nimis adhaeserunt? Et quaenam sunt illae veritates quas *non debet determinare philosophus,* sed scientificus per experientiam

et observationem? Fortasse designat notionem nimis systematicam materiae primae, unicitatem formarum, continuitatem macroscopicam materiae, indolem unius per se quae debet resultare ex materia et forma (?). Hucusque tamen non potuimus videre originale, sed versionem hispanicam, ap. "Ecclesia", 7 mai 1955 p.5-8.

CAPUT IX

Ulterior explicatio hylemorphismi

599. Introductio. Hucusque tradita sunt quae maxime fundamentalia existimantur in systemate scholastico, ut sunt notiones materiae et formae et earum realitas saltem in elementis, licet non in mixtis. Nunc declarabimus ea quae sunt reconditiora, ut habeatur notitia controversiarum, et possint intelligi libri scholasticorum. Addemus ergo quasdam explicationes primo de *materia;* secundo de *forma;* tertio de *unione* materiae et formae; quarto de *composito,* quod est natura, substantia et suppositum; quinto de *generatione* et *corruptione;* quae totidem articulis explanabuntur.

ARTICULUS I

DE MATERIA[1]

600. 1. Notiones de materia iam tradidimus. Nunc de reliquis quae sint scitu digna (cf. n.517-518).

1. Materia prima est pura potentia, intellige passivam. Potentia est illud quod potest esse aliquid quod non est ex se formaliter. Et dividitur in *obiectivam* seu logicam, et *physicam.*

Potentia OBIECTIVA est propria rei pure possibilis, quae non est, sed potest exsistere. PHYSICA est potentia rei iam exsistentis.

Et haec potest esse *activa* et *passiva.* POTENTIA ACTIVA est capacitas faciendi, et tamen se ipsa non est actio; et sic datur potentia aedificandi, potentia scribendi, etc. POTENTIA PASSIVA est capacitas recipiendi aliquam perfectionem.

Et haec potest esse *accidentalis* et *substantialis.* POTENTIA PASSIVA ACCIDENTALIS est capacitas recipiendi aliquam perfectionem quae non compleat rem in essentia aut in substantia

[1] ARIST., 1 *Phys.*, c. 9; et 7 *Met.* c.3; S. TH., ibid.; S. AUGUSTINUS, *Confess.*, l.12 c3 et c6; SUÁREZ, DM d13 s.1-13; URRÁB., *Cosm.*, p.562-589.

aut in supposito: et sic aqua habet potentiam passivam accidentalem ut calefiat; intellectus habet potentiam passivam recipiendi actus suos intellectuales. POTENTIA PASSIVA substantialis est capacitas recipiendi intrinsece perfectionem aliquam per quam compleatur in ratione essentiae aut substantiae, aut in ratione suppositalitatis.

His notionibus praemissis, materia prima est potentia, non obiectiva, sed physica, non activa, sed passiva; non accidentalis solum, sed etiam substantialis respectu formae substantialis.

601. Sed *quaeritur* utrum materia sit adeo pura potentia ut nullum habeat ex se actum.

Et quidam thomistae dicunt materiam esse puram potentiam, quia ex se non habet nec quidditatem materiae, neque actualitatem ullam neque exsistentiam, sed haec omnia recipit formaliter per formam substantialem.

Sed SUÁREZ cum plurimis aliis dicit materiam habere ex se (non a se) et essentiam, et actualitatem, et exsistentiam, quae proinde non debent recipi a forma; unde et materia est actus quidam, entitativus, non formalis. Est *actus entitativus,* quia habet ex se (non a se) et quidditatem materiae, et actualitatem seu exsistentiam. Non est autem ACTUS FORMALIS, quia non destinatur ut informet; SED EST PURA POTENTIA FORMALIS, quia non est ulla species seu determinatio corporis, sed pura capacitas ut recipiat formam per quam fiat et corpus et tale corpus. Cui sententiae favet SANCTUS THOMAS, cum dicit materiam servare "similitudinem quamdam divini esse" [2].

Est igitur materia pura potentia, non in ordine ad exsistentiam, sed in ordine ad formam.

602. 2. *Materia est purum ens quo.* Hoc significat materiam primam essentialiter esse *partem,* et non habere aliud esse neque aliud constitutivum nisi ut referatur essentialiter ad formam ut actuetur per illam, et ad compositum ut illud constituat; non tamen significat materiam non esse *aliquid in se;* sicut etiam quantitas est *purum ens quo,* et tamen habet

---

[2] S. THOMAS bene dicit materiam habere ex se *quidditatem* materiae, et ideo ait dari diversas materias, caelestem et terrestrem, quae quidditative differant (1 q.66 a.2; et 1-2 q.49 a.4). Etiam S. THOMAS dicit materiam habere ex se *quoddam esse,* licet valde tenue: "Licet materia recedat a similitudine Dei secundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet, similitudinem quamdam habet divini esse" (1 q.14 a.1 ad 3). Et "licet materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primae formae; quantumcumque enim debile *esse* habeat, illud tamen est imitatio primi entis *(De veritate,* q.3 a.5 ad 1). Cf. etiam SUÁREZ, DM d.13 s.4 n.9-15; et s.5 n.8-12.

aliquod esse quod possit retinere miraculose in separatione a substantia.

603. 3. *Inter proprietates materiae* numerabimus sequentes. Materia est ingenerabilis et incorruptibilis. *Est incorruptibilis.* Nam corruptibile per se est quod potest resolvi in partes, et corruptibile per accidens est quod dependet a subiecto et potest perire. *Iam vero* materia neque constat partibus, neque est aliquid dependens a subiecto; *ergo* non est corruptibilis. *Est ingenerabilis.* Nam generabile per se est compositum quod fit per eductionem formae de potentia materiae, et generabile per accidens est forma quae educitur de subiecto. *Iam vero* materia neque est compositum, neque est forma educibilis: *ergo* materia prima est ingenerabilis [3]. *Est tamen creabilis ex nihilo,* et etiam est annihilabilis, licet tamen Deus non annihilabit.

4. Materia prima est *simplex* essentialiter, quia non componitur ex alia materia et ex forma. Sed tamen ex se est integraliter composita et divisibilis, ut demonstratum est superius (n.102-106).

5. Materia est *principium passivum:* nam eius officium est constituere ens per meram receptionem formae et per meram determinabilitatem ut sit quodlibet corpus [4].

6. Materia prima est *radix quantitatis:* nam quantitas essentialiter comitatur materiam primam etiam in corruptionibus omnibus, et est penitus ab ea inseparabilis naturaliter; *ergo* signum est esse proprietatem emanantem ab illa; et quoniam emanatio est vera actio, saltem instrumentalis, sequitur materiam primam habere aliquam actionem respectu quantitatis, saltem instrumentalem [5].

7. Materia prima omnium corporum sublunarium est *una specifice* [6]; quia omnis materia est pura potentia ut recipiat quamlibet formam, et hoc impletur in materia omnis corporis sublunaris. Nunc constat etiam corpora caelestia seu astra

---

[3] ARIST., 1 *Phys.* c.9; et S. TH., 1 q.46 a.1 ad 3; SUÁREZ, DM d.13 s.13 n.16.17.

[4] Materia mutatur *intrinsece,* seu *afficitur* intrinsece per formam substantialem; non quidem acquirendo aliquid de materia aut amittendo, sed solummodo acquirendo vel amittendo formam. Et in hac acquisitione, illud quod de novo acquirit, non est ex parte sua, sed solum ex parte formae et unionis formae ad materiam, quia hoc est unice quod de novo fit (SUÁREZ, DM d.13 s.9 n.13); et vide quam absurde id interpretetur GIACON, *La seconda scolastica,* serie II,3 p.273.

[5] Materia est *radix* quantitatis et *inseparabilis* ab illa: SUÁREZ, DM d.13 s.14 n.15.

[6] Materia sublunarium est una; materia astrorum diversa essentialiter et nobilior terrestri: SUÁREZ, DM d.13 s.11 n.13; et ibid., s.12 n.6, cum S. THOMA et multis aliis.

habere eandem materiam quae est in terra, ut apparet ex aerolithis, et ex spectris luminosis.

604. 8. Materia prima *non potest cognosci nisi per relationem ad formam:* nam cum ex sua essentia sit susceptiva formae, nisi haec concipiatur, non concipitur materia. Sed hoc idem accidit in forma: non potest scilicet concipi nisi per materiam; quia essentialiter refertur ad materiam ideoque nisi cognita materia, forma non potest cognosci. A nobis autem non magis proprie cognoscitur forma quam materia: utraque enim cognoscitur per discursum et per quamdam analogiam cum materia et formis artificialibus [7]: primum quod cognoscitur a sensu et ab intellectu non est materia aut forma substantialis, sed concretum accidentale: album, resistens, dolens, volens, etc., in quo intellectus apprehendit subsistens.

9. Materia appetit formam *appetitu innato* [8]. Nam appetitus innatus est coaptatio intrinseca et connaturalitas respectu bonorum propriorum; *atqui* bonum essentiale materiae primae est forma substantialis; *ergo* materia habet appetitum innatum ad formam substantialem.

605. 10. Materia prima *non potest naturaliter exsistere sine ulla forma.* Nam tota finalitas materiae est ut sit subiectum formarum; ergo si auferatur ab illa omnis forma, maneret sine ulla finalitate intrinseca et ideo deberet perire. Anima etiam humana respicit materiam ut subiectum suum naturale; sed quoniam tota finalitas eius non est informare, sed etiam per se ipsam intelligere, ideo separata a materia servat principalem finalitatem, et ideo non perit.

11. Sed tamen *miraculose materia potest conservari sine ulla forma* [9]. Unica enim difficultas quae contra hoc affertur est quia materia ex se non habet exsistentiam; sed hoc fundamentum est falsum, nam materia actualis identificatur cum propria exsistentia. Item a fortiori potest concludi assertum. Nam quantitas est debilioris entitatis quam materia, siquidem est accidens, et tamen per Dei omnipotentiam potest servari separata a subiecto.

Obicit De Maria: materia separata a forma nihil posset operari, ideoque nullam finalitatem habere potest; *atqui* si non habet ullam finalitatem non potest exsistere; *ergo* mate-

---

[7] S. Th., *In 1 Phys.*, lect.13; Suárez, DM d.13 s.6.

[8] S. Th., *In 1 Phys.*, lect.15; Suárez, DM d.13 s.4 n.11; et s.8 n.6.

[9] Sic sentit Suárez, DM d.15 s.9 n.6; et Dominicus Soto, O. P., qui dicit sic sentire non derogare auctoritati S. Thomae, *In Phys.*, l.1 q.6 a.2 concl.2.ª. Et Cosmas Alamannus, qui sentit hoc non esse contra S. Thomam, in 1-2 q.3 a.2 ad 2.

ria separata a forma non potest exsistere (MONACO, n.26; SCHAAF, n.110).

Resp. 1. Dist. mai.: non posset operari naturaliter, *concedo;* supernaturaliter et ut instrumentum Dei, *nego.* Et *concessa min., contradist. cons.:* si nihil posset operari naturaliter neque supernaturaliter, *conc.;* si non potest operari naturaliter, potest tamen supernaturaliter, *nego.*

Resp. 2. Etiam si nihil posset operari, potest a Deo retineri in exsistentia, saltem ut ostendat contradictori se habere potentiam ad hoc, et quidem potest servare separatam, dum necessarium sit ad hunc finem.

606. 12. Materia *causat formam materialem,* non efficienter, sed solum ut causa materialis: quae consistit in eo quod materia sit subiectum in quo recipitur et sustentatur actio productiva formae et ipsa forma. Causat etiam compositum [10], non efficienter, sed solum materialiter, in quantum se communicat totam composito, ut pars determinabilis, et ut subiectum sustentativum formae.

ARTICULUS II

DE FORMA SUBSTANTIALI [1]

607. Notionem formae iam suo loco dedimus: nunc de reliquis (cf. n.520).

1. Forma *non est tota essentia compositi,* sed solum pars eius determinans: neque dat materiae quidditatem materiae, aut actualitatem, aut exsistentiam, sed solam determinationem qua compositum specificetur.

2. Forma substantialis est *purum ens quo,* quia tota essentia formae materialis est informare materiam et esse partem compositi substantialis: hoc tamen non impedit eam habere esse in se, sicut quantitas est purum ens quo, et tamen habet esse suum proprium, quod miraculose potest servare separatum a substantia. Non tamen est purum ens quo *ut modus,* sed ut *ens absolutum.*

3. Forma est *essentialiter simplex,* seu non datur alia forma per quam forma sit id quod est. Potest tamen adesse nova forma informans compositum, quae non det formae inferiori quod est, sed quae subordinet finalitati propriae formam inferiorem.

[10] SUÁREZ, DM d.13 s.7 n.7.
[1] SUÁREZ, DM d.15 s.1-10; URRÁB., *Cosm.,* p.589-602.

608. 4. Forma est *principium activitatis.* Non quia ipsa forma sola aliquid agat, sed quia est ratio cur compositum sit potens agere. Quod ab scholasticis non uno modo explicatur. Dicam quod nobis rationabilius videatur.

In composito est materia, quam semper concomitatur quantitas, et numquam ab ea separatur etiam in corruptionibus. De potentia materiae educitur forma ab agente proportionato. Ex composito, ratione formae, emanant potentiae et in eodem composito remanent. Actiones eliciuntur a composito ratione potentiarum, ita ut substantia ipsa non eliciat actiones, sed sola potentia, si agatur de actionibus accidentalibus et non consciis. Si autem agatur de actibus consciis aut de productione alicuius rei substantialis, tunc concurrit immediate etiam forma substantialis.

5. Forma *educitur de potentia materiae* [2]. Forma non est in materia actualiter et postea educitur foras, quasi moneta de crumena; neque est in materia virtualiter active, sicut effectus in causa efficiente; sed est in ea solum potentialiter passive, in hoc sensu quod adest ibi capacitas receptiva actionis qua producitur forma, et ipsius formae quae producitur ab agente. *Eductio* ergo est productio formae per actionem innixam in materia. Agens intendit transmutare subiectum, et ei applicat suam actionem; et in hac transmutatione subiecti producitur forma, siquidem est impossibile transmutari subiectum nisi producta forma in subiecto. *Aliter:* agens non producit formam materialem et postea eam infundit in materiam, sed producit formam unitam, et eam producit transmutando subiectum.

609. 6. Hinc dicitur forma *non produci per se sed per accidens.* Sed melius diceretur formam produci *ut quo,* et compositum *ut quod.* Nam producitur ut quod illud quod potest subsistere in se, et hoc est solum compositum; sed agens non potest producere compositum si non producit illud quo compositum est talis vel talis speciei, et hoc est forma [3].

7. Forma *non potest conservari naturaliter separata a materia* (de forma materiali est sermo [4]); nam tota eius finalitas est informare materiam et sic constituere ens compositum; unde si separetur ab hoc munere informandi, iam carebit omni finalitate, et ideo perire debet.

---

[2] SUÁREZ, DM d.15 s.2 et 3.
[3] SUÁREZ, DM d.15 s.4 n.4.
[4] SUÁREZ, DM d.15 s.8 n. 16.

8. Sed tamen *supernaturaliter potest conservari separata*[5] a materia; nulla enim in hoc apparet contradictio, et habemus argumentum a fortiori: nam si Deus potest conservare supernaturaliter quantitatem separatam a substantia, cum sit debilioris entitatis, siquidem est accidens, a fortiori poterit conservare separatam formam a substantia, cum sit substantia, licet incompleta.

610. 9. *De unicitate aut pluralitate formarum. a)* THOMISTAE et SUÁREZ[6] dicunt unicam esse in quolibet composito formam substantialem. Et ideo dicunt in organismo perire omnes formas elementorum, quae assimilantur per nutritionem: et in corruptione produci iterum omnes formas elementorum, et formas cytodynamicas quae in cadavere vel in membro separato apparent. *b)* AVICENNA dixit in compositis semper esse saltem duas formas, unam qua corpus constituatur in ratione corporis et aliam per quam constituatur in ratione talis corporis. *c)* SCOTISTAE docuerunt in animali et in homine solummodo dari duas formas, aliam corporeitatis, qua constituatur corpus, et aliam qua constituatur tale animal. *d)* SANCTUS ALBERTUS M. posuit tot formas quot sunt elementa in composito et insuper aliam superiorem, quae subordinet sibi finalitates omnium reliquárum formarum. *e*) Haec sententia magis conformis est cum scientia moderna. Nam si agamus de anorganicis, *in atomo sunt corpuscula* specificata, ut sunt protones, et electrones et neutrones, et ideo unumquodque habet iam suam formam substantialem. *Atomus habet suam essentiam specialem* et ideo habet formam substantialem, quae subordinat suo fini formas corpusculorum. Molecula in anorganicis est unum per accidens, neque habet novam formam substantialem, sed solum formas elementorum. Si autem agamus de organicis, in eis etiam sunt plures formae: formae electronum, et formae atomorum, et formae cytodynamicae, et insuper forma totius viventis, quae subordinat suo fini omnes formas inferiores.

611. 10. *Forma causat compositum per suimetipsius communicationem ad materiam et ad compositum.* Haec communicatio ad materiam non consistit in eo quod forma det materiae quidditatem ipsam materiae, aut actualitatem aut exsistentiam, nam haec omnia materia habet seipsa (non a se); sed solummodo dat ei determinationem substantialem ad quam

[5] SUÁREZ, DM d.15 s.9 n.3-6.
[6] TH., 1 q.76 a.4; SUÁREZ, DM 15 s.10 n.61-69; HOENEN, p.293-296, historia quaestionis de unicitate formarum.

erat indifferens et in potentia: quod certe fit modo inimaginabili; nam non est per meram iuxtapositionem, neque per meram compenetrationem, neque per quamdam coniunctionem virium, sed quia actualizat et realizat illam possibilitatem quae erat in materia.

11. Forma non inhaeret in materia, sed in ea sustentatur. a) *Non inhaeret.* Inhaeret enim illa forma quae dependet a materia et cum hac non efformat novam naturam; sed forma efformat novam naturam cum materia; ergo non in ea inhaeret. b) *Sed sustentatur.* Nam illa forma sustentatur in materia, quae dependet ab illa in exsistendo, et cum ea constituit novam naturam; atqui forma (materialis) dependet a materia, et efformat novam naturam cum ea; ergo sustentatur in illa.

ARTICULUS III

De formali unione inter materiam et formam [1]

§ 1. **De realitate modi substantialis unionis**

Thesis 28. Unio formalis inter materiam et formam consistit in modo substantiali, qui tamen non facit unionem mediatam.

612. Nexus. Iam satis est dictum de materia et de forma, et explicatum est quomodo eae uniantur inter se substantialiter ita ut ex duabus fiat unum; nunc quaeritur de realitate illa per quam formaliter fiat unio. Et ut melius intelligatur status quaestionis, dicemus breviter notiones unionis et postea referemus diversos modos qui excogitati sunt ad explicandam huiusmodi unionem.

613. Notiones. Unio generatim est nexus aut vinculum inter duo vel plura.

Et unio potest esse moralis et physica. Moralis consistit in mutuo amore vel in conspiratione multorum ad unum finem. Physica autem est nexus realis et non intentionalis.

Unio autem physica potest esse *extrinseca* et *intrinseca.* Unio extrinseca est, si extrema non se habent sicut actus et potentia, et tantum iunguntur ratione loci, ut grana tritici in area; aut ratione alicuius dependentiae physicae, ut systema planetarium et sol.

Intrinseca autem unio est si res unitae se habent ut po-

[1] Arist., 8 *Met.*, c.6; S. Th., ibid., lect.5; Idem, q.u. *De anima; De veritate,* q.13 s.1 ad 4; 2 CG c.70; q.76 a.6 et 7; Suárez, DM d.13 s.9 n.9-16; et d.15 s.6 n.6-10; Urráb., *Cosm.*, p.617-635.

tentia et actus, aut ut partes continuae, aut ut natura et suppositum.

Unio physica intrinseca potest esse *substantialis* et *accidentalis*. SUBSTANTIALIS si compositum resultans ex unione est unum substantiale. Et hoc iterum potest esse essentiale, integrale, et suppositale. *Essentiale,* si ex duobus una essentia composita resultet. *Integrale,* si ex pluribus partibus integralibus unum continuum resultet. *Suppositale,* si ex duabus partibus exsistat suppositum unicum. ACCIDENTALIS erit unio, si ex duobus extremis non resultet unum per se, sed unum per accidens: ut est unio ex materia et quantitate, vel ex anima et potentiis, vel ex potentiis et actibus suis immanentibus.

614. Constat, neque hoc disputatur, materiam et formam uniri physice, et intrinsece, et substantialiter, per modum actus et potentiae, ita ut ex duobus extremis resultet una essentia et una substantia et unum suppositum. Constat vero hanc unionem non esse mere localem per iuxtapositionem aut per compenetrationem, neque per conspirationem virium, sed per modum potentiae et actus, quia materia habet potentialitatem ut sit quodlibet corpus, et forma dat materiae, non efficienter, sed per suimetipsius communicationem, actualitatem et realizationem illius ad quod erat in potentia: ex quo resultat unum per se quia unumquodque extremum est solummodo complementum substantiale alius. Sed *quaeritur* quomodo illa unitio verificetur in re.

615. MODUS est formalis ultima determinatio capacitatis alicuius entis ad aliquod munus vel denominationem accipiendam. Unde modus non habet entitatem quae debeat uniri, sed est *solummodo purum ens quo,* est mera unitio formalis. Neque per illam unionem fit unio *mediata,* quia unio non est res intermedia inter extrema, sed est formalis determinatio ut illa extrema, sint in exercitio actuali informandi immediate vel recipiendi informationem immediate. Modus ergo unionis solum *ponit formaliter in exercitio* id ad quod materia et forma sunt aptae; *atqui* sunt aptae ad unionem immediatam; *ergo* ille modus, si datur, constituit extrema formaliter *unita immediate.* Non est veluti gluten interpositum, sed exercitium unionis immediatae.

Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum unio formalis et actualis sit ipsa essentia extremorum, an contra extrema de se sint indeterminata ad hanc unitionem, et determinatio

illius indifferentiae fiat per statum actualis unitionis, qui sit modus realiter ab extremis distinctus [2].

616. Sententiae. *Sunt quaedam sententiae, quae vix ullam considerationem merentur,* et sunt sequentes [3].

Prima sententia tenet unionem consistere mere in coniunctione virium, sicut cum duo equi trahunt currum. Haec reicienda est, quia materia non habet vires quas coniungat; et per hanc unionem non fieret unum ens compositum, sed cooperatio duorum entium.

Secunda sententia tenet unionem consistere in simultanea exsistentia materiae et formae. Sed hoc reiciendum est, quia potest manere in exsistentia et eadem materia et eadem forma, et tamen non esse unio, sicut cum moritur homo: tunc enim manet et eadem anima et eadem materia simul exsistentes et tamen non sunt unitae.

Tertia sententia tenet unionem consistere in simultanea exsistentia materiae et formae in eodem loco per quamdam compenetrationem. Sed haec reicienda est. Nam licet haec compenetratio requiratur, sed tamen haec non sufficit. Unio enim substantialis exigit hanc compenetrationem, sed actualis compenetratio non exigit unionem substantialem; et ideo anima mortui potest exsistere in eodem corpore, et tamen non esse unita. Praeterea in hac hypothesi, si duo homines A et B compenetrarentur, anima hominis A unita esset substantialiter cum corpore hominis B et vicissim, anima hominis B cum corpore hominis A, siquidem sunt compenetratae cum corpore alius.

617. *Quarta sententia* docet consistere in dispositionibus materiae ad unionem. Sed hoc est falsum, quia dispositiones praecedunt ipsam actualem unionem sicut causae vel conditiones ad illam. Et si dicas illas dispositiones esse formalem unionem, asseris unionem realiter distingui ab extremis, quod contendebamus.

Quinta dicit unionem formalem consistere solummodo in entitatibus materiae et formae unitis. Sic Caietanus, Io. a S. Thoma. Sed vel haec unio addit aliquid ad extrema vel non; si addit, ergo realiter distinguitur ab extremis, quod contendimus. Si nihil addit, ergo unio est ipsa essentia et entitas extremorum; ergo non possunt exsistere haec extrema nisi ut unita, quia essentia est inseparabilis ab eo quod est eius constitutivum. Hoc vero est falsum: nam in morte hominis manent eadem materia et eadem forma, et tamen non manent unitae.

Sexta est unionem consistere in decreto divino ut maneant unita extrema. Sed haec sententia falsa est. Nam unio debet esse aliquid intrinsecum creaturae et aliquid creatum; decretum vero neque est aliquid intrinsecum afficiens creaturam, neque est aliquid creatum. decretum est causa efficiens unionem, non vero est formalis unio.

Septima sententia docet unionem esse entitatem aliquam absolutam, non modalem, quae entitas concipienda sit ad modum glutinis inter animam et corpus. Sed haec sententia est falsa. Nam unio esset mediata, quia extrema non coniungerentur immediate inter se, sed cum illo glutine, et praeterea non solvit quaestionem: quia

---

[2] Haec quaestio est valde necessaria ad construendam metaphysicam de uno per se composito, utrum nempe fiat per essentiam partium, an per aliquid diversum ab essentia ipsa partium.

[3] Urráb., *Cosm.*, p.625-628.

manet investigandum quomodo illud gluten uniatur cum extremis: utrum alio glutine, et sic abimus in infinitum; an immediate seipso, et tunc anima et corpus poterant uniri immediate seipsis.

618. B. *Sed omissis his sententiis, duae sunt speciali consideratione dignae.*

Prima est generatim thomistarum. Negato omni modo unionis, dicit unionem substantialem consistere in actuatione materiae per exsistentiam formae. Quod ita explicant. *a)* Facta corruptione substantiali, agens, de potentia materiae, educit formam substantialem, prius natura quam exsistentia tribuatur formae, et prius natura quam exsistentia communicetur materiae. Postea (posterius natura) agens infundit exsistentiam formae et per formam exsistentia communicatur materiae; et quia exsistentia materiae est eadem ac exsistentia formae, ideo per exsistentiam forma unitur formaliter cum materia.

Sed hic sunt plura obscura. Facta corruptione, et denudata materia prima omni accidente et omni exsistentia priore (non omni actualitate), agens producit ex ea formam substantialem, sine dubio unitam materiae, et hoc prius natura quam adveniat exsistentia ad formam aut ad materiam.

Sed hoc posito, *a)* exsistentia quae superveniat (ordine naturae), iam non est unio substantialis, neque est ratio unitatis compositi, quia et unio iam facta supponitur et unitas compositi constituta. *b)* Praeterea: quomodo est possibile materiam primam prius (ordine naturae) quam habeat exsistentiam, transmutari ab agente et indui sua forma substantiali? *c)* Insuper, dicunt prius natura quam adveniat exsistentia iam formam esse eductam de potentia materiae et unitam substantialiter cum materia: sed quomodo fit ea unio substantialis? Dicunt: per actuationem materiae per formam. Quod non est ulla explicatio: nam omnes fatemur unionem substantialem fieri per actuationem materiae per formam: sed ulterius quaeritur in quo consistat haec actuatio: aut consistit in entitate et essentia extremorum, et tunc, permanente essentia extremorum, dabitur unio, quod est falsum, ut iam videbimus; aut in aliquo alio, quod non explicant [4].

619. *Secunda sententia* tenet unionem formaliter fieri per modum substantialem unionis qualis descriptus est: est solummodo formalis ultima determinatio formae, ut actu sit informans, et materiae ut actu sit recipiens informationem; hic vero modus non est entitas aliqua intermedia, neque facit unionem esse mediatam, quia est purum ens quo, cuius officium est determinare extrema ut mutuo et immediate [5]

[4] Sic GREDT, I (1929) n.263ss.
[5] Unio modalis non facit unionem esse mediatam (SUÁREZ, DM d.13 s.9 n.12).

forma sit informans et materia sit informata, siquidem ex se et ex sua essentia illae non sunt ipsa actualis unio.

Hanc sententiam tenent COMPLUTENSES, BÁÑEZ et CABRERA apud COMPLUTENSES, maxima pars doctorum S. I., ut SUÁREZ, VÁZQUEZ, LUGO et SCOTISTAE. *Hanc et nos sequemur ut probabiliorem* [6].

620. Probatur thesis. Unio est aliquid reale et independens a mentis consideratione, realiter distinctum ab extremis unitis, cuius totum officium sit actuale exercitium unionis immediatae, ad quam extrema sunt in potentia; *atqui* haec entitas est modus substantialis; *ergo* unio est modus substantialis.

Maior: a) Est aliquid reale et independens a mentis consideratione, secus dicendum esset unionem esse aliquid fictum, et in re animam et corpus non uniri. *b)* Realiter distinctum ab extremis; quia possunt dari haec extrema, v.c. haec anima et haec materia, et tamen non esse unitae. *c)* Cuius totum officium est exercitium actuale unionis immediatae. Nam unio ponitur ut exercitium illius ad quod extrema erant in potentia; atqui erant in potentia ad unionem immediatam; ergo unio habet pro unico officio ut sit actuale exercitium unionis immediatae.

Minor. a) Illa entitas est modus, quia modus est ultima formalis determinatio alicuius indifferentiae, et unio est formalis ultima determinatio extremorum ut sint immediate unita. *b)* Est substantialis: quia per unionem constituitur ultimo unum compositum substantiale, non ut quod unitur, sed ut quo uniuntur partes.

621. Obiectiones [7]. 1. Forma informat immediate materiam; *atqui* si daretur modus unionis forma non informaret immediate; *ergo* non datur ille modus.

Minor: quia mediaret inter illas entitas modi.

Conc. mai., et *nego min.* Ad probationem, *nego assertum.* Unio non est ens quod mediet inter extrema, sed est solummodo status et exercitium informationis immediatae, sine quo statu possent esse extrema. Est purum ens quo uniuntur immediate actu ea quae erant in potentia ut unirentur.

2. Materia et forma proportionantur inter se ita apte ut seipsis possint uniri; *ergo* non requiritur ullus modus substantialis additus.

Dist. mai.: ut seipsis habeant aptitudinem ad unionem immediatam, *conc.* ut seipsis habeant actuale exercitium unionis immediatae, *nego; et contradist. cons.*

[6] Negant modum unionis, nominales et plerique thomistae cum CAIETANO, IO. A S. THOM. et aliis. SANCTUM THOMAM utraque opinio dicit esse suum.

[7] URRÁB., p.630.

3. Si datur modus substantialis unionis, tunc ipse modus deberet uniri alio modo et ita in infinitum; atqui hoc est absurdum; *ergo.*

Dist. mai.: si ille modus esset ens quod, *conc.;* si est purum ens quo, *nego.* Et *contradist. min.* Modus unionis seipso est actuale exercitium unionis extremorum, consistens solummodo in actuali et immediata informatione materiae per formam.

§ 2. **Quaestiones aliquot circa modum unionis** [8]

622. 1. *Quotuplex sit unio in composito.* Aliqui putant esse duas: unam qua materia unitur cum forma, et aliam qua unitur forma cum materia. Suárez autem dicit dari unicam unionem, quae ligat materiam ad formam [9].

2. *In quo subiecto est ille modus unionis?* Denominative est in materia et in forma, quia utramque denominat unitam. Sed est in sola forma ut in subiecto; quia hoc modo forma ligatur ad materiam, ideoque et materia ad formam [10].

3. *In homine, illa unio est spiritualis an materialis? Resp.* Est spiritualis entitative, quia sustentatur in sola forma, sed est materialis connexive quia connectit animam spiritualem cum materia.

4. *Utrum distinguatur realiter eductio a modo unionis.* Est duplex sententia: SUÁREZ potius dicit distingui realiter [11]; sat vero communiter dicunt esse eandem rem: quia eductio est receptio formae in materia; *atqui* etiam unio est receptio formae in materia; *ergo* videntur esse idem.

5. *Utrum per productionem novae formae et unionis, transmutetur intrinsece materia, an solum extrinsece.* Aliquis posset dicere materiam non mutari, quia agens per suam actionem solum producit formam et unionem quae est in sola forma; ergo materia intacta manet. Sed melius diceres materiam non mutari *in hoc sensu,* quod aliquid amittat vel acquirat de sua entitate, sed certe mutari eo quod afficiatur per formam, et per eam actuetur, modo inimaginabili, potentialitas quae erat in illa.

---

[8] URRÁB., p.637-649.

[9] Non sunt duo modi unionis, sed unus, qui residet in forma, quia agens tendit producere aliquid novum ex parte formae, non ex parte materiae (SUÁREZ, DM d.13 s.9 n.11-13).

[10] SUÁREZ, DM d.13 s.9 n.13.

[11] Unio in fieri distinguitur ab unione in facto esse, seu a modo unionis, sicut actio et terminus; et ita si daretur compositum, quod a nullo penderet in fieri, sed solum in facto esse, adhuc haberet suum modum substantialem unionis (SUÁREZ, DM d.13 s.9 n.16).

ARTICULUS IV

De composito et de natura

§ 1. De composito corporeo [1]

623. Compositum hylemorphicum est illud quod resultat ex intima unione materiae cum forma. Quaerebant antiqui scholastici utrum compositum distingueretur realiter aliquo modo a partibus unitis et simul sumptis. Scotistae contendebant realem aliquam distinctionem esse, quia totum habet partes, et tamen omnes partes simul sumptae et unitae non habent partes, sed sunt partes. Sed ad salvandam veritatem huius locutionis sufficit sola distinctio in modo magis vel minus expresso loquendi, non autem requiritur ulla distinctio realis aut rationis stricte dictae. Et ideo thomistae et Suárez dicunt totum non distingui neque re neque ratione a partibus simul sumptis et unitis, sed ad summum est distinctio penes expressionem, quia totum dicit actu *compositum* ex partibus, et partes simul sumptae et unitae dicunt componentia actu.

§ 2. De natura [2]

De natura quatuor possunt investigari: *primum,* de diversis sensibus nominis naturae; *secundum,* de natura physica; *tertium,* de natura et arte; *quartum,* de naturali et violento.

624. A. *De diversis sensibus nominis naturae* [3]. *a)* Natura est saepe idem ac Deus ut cum dicimus: natura bene omnia ordinavit. *b)* Natura idem est ac vires activae et passivae et idem ac exigentiae fundatae in natura: et sic miraculum est opus divinitus factum, superans naturam, i.e. omnes vires activas et passivas et exigitivas naturae. *c)* Vel est indoles et complexio individui. *d)* Vel est idem ac essentia cuiusque rei per ordinem ad operationes suas et proprietates; et sic omnis res habet suam naturam, sive Deus, sive creatura, sive substantia, sive accidens, et sive substantia completa sive incompleta. *e)* Vel natura, per oppositionem ad suppositum,

[1] S. Th., 4 CG c.81; Suárez, DM d.36 s.3 n.6; Urráb., p.640-662; Mastrius, *Phys.,* d.5 q.12 a.2 n.146.

[2] Arist., 2 *Phys.,* c.1; S. Th., ibid.; Io. a S. Thoma, *Phys.,* q.9 a.2; Urráb., p.662-708; Gredt, I n.268; Paniker, R., *El concepto de la naturaleza. Análisis histórico y metafísico de un concepto* (Madrid 1951).

[3] Urráb., p.662.

est substantia completa exigens subsistere in se, licet actu non subsistat in se, ut est humanitas Christi.

625. B. *De natura in sensu physico*[4]. Iuxta ARISTOTELEM natura est principium et causa motus et quietis eius in quo est primo et per se et non secundum accidens (ARIST., 2 *Phys.*, c.1). Explicantur verba.

Dicitur *principium*, quia est id unde est motus aut quies. Et *causa:* quia natura est principium, non quodlibet, sed est causa physica sive efficiens sive materialis sive formalis. *Motus*, intelligitur mutatio quaelibet corporalis. Et *quietis:* est idem ac receptio formae ex aptitudine intrinseca ad illam recipiendam et retinendam. *Eius in quo est:* quia motus et quies debent esse in illo ente in quo est principium et causa illius: quare natura est principium motus physici proprii, sive mere passivum, sive etiam activum et passivum. *Primo et per se et non secundum accidens*, significat illud principium non debere esse accidens commune neque proprium rei quae movetur, sed debere esse substantiam rei quae movetur et quiescit.

Brevius, natura in sensu physico est principium ultimum et radicale passivum aut activum illius, motus qui est in re in qua est principium.

Ex hac definitione intelligitur naturam in sensu physico solummodo convenire corporibus; quia natura est principium motus physici proprii, sive passivum sive activum.

626. Hinc colliguntur sequentia: *a)* Materia est natura: quia est principium passivum recipiendi et retinendi formam substantialem cum iam habet dispositiones; item est principium passivum et recipiendi et retinendi actus accidentales physicos qui ei imprimantur. *b)* Forma est etiam natura, respectu specificationis dandae, et etiam respectu motuum quos facit corpus et recipit, ut sunt motus elastici. *c)* In corporibus viventibus maxime verificatur definitio naturae physicae: nam haec viventia sunt principia eliciendi motus physicos proprios, et retinendi illos, v.c. sibi dant motum localem, positionem, saltum, et cetera. *d)* Corpus seu compositum non est natura in sensu physico: nam natura est principium ultimum et radicale motus aut quietis seu actionis immanentis, et etiam passionis receptae ab extrinseco; corpus vero ut totum compositum non est principium ultimum et radicale, sed quod resultat ex unione principiorum ultimorum et radicalium motus

[4] ARIST., 2 *Phys.*, c.1; 5 *Met.*, c.4; S. TH., ibid.; et 1 q.29 a.1 ad 4; 1-2 q.10 a.1; 3 q.2 a.1; SUÁREZ, DM d.15 s.11; URRÁB., p.449, et 662-680; MÓNACO, n.214.

et quietis, quae sunt materia et forma. Et ita expresse dicit ARISTOTELES: "Quod autem ex his (nempe ex materia et forma, seu compositum) natura non est, sed constat natura; et idem asserit S. THOMAS in hunc locum. *e)* Tamen compositum vere est natura in sensu metaphysico aut dialectico quia est essentia aliqua apta ad operandum et recipiendum, et hoc vocatur natura.

627. C. *De natura et arte* [5]. *Ars* est cognitio practica et directiva operationis quae transit in exteriorem materiam; artefactum est opus exterius quod fit sub directione cognitionis practicae.

a) *Quomodo differunt intrinsece natura et ars?* Differunt, quia natura est principium ultimum passivum aut activum motus physici qui recipitur in eo quod habet tale principium, unde est aliquid essentiale ipsi rei. Ars vero est quidem principium agendi aliquid exterius, sed est accidens, non substantia neque principium substantiale.

b) *Forma artefacti quid est?* Forma artefacti consistit in ubicationibus partium, cum negatione alicuius materiae, quod apparet magis in sculptura: nam figura artefacta in marmore non est nisi ubicationes extremae superficiei, cum remotione multarum partium, ex qua remotione resultat illa figura. Similiter pictura aliqua sunt ubicationes colorum.

Dices: forma artefacti non sunt ubicationes partium extremarum, sed aliquid quod exigit tales ubicationes distantes et proximas, et ideo est aliquid prius iis ubicationibus. Et hoc probatur quia quocumque feratur imago sculpta, servat eandem figuram, seu easdem ubicationes relativas; sed hoc fundatur in ipsa indole sculpturae et picturae quae exigit illas ubicationes respectivas, non vero est formaliter illa ubicatio actualis, quam nunc habet res.

Resp. Forma vel figura consistit solum in ubicationibus partium; quod vero conserventur illae ubicationes relativae eaedem, hoc provenit ex cohaesione, quae proinde dici potest causa conservativa formae aut figurae, non vero causa *ipsa formalis artefacti.*

c) *Ars non potest facere opus naturae, sed solum imitari.* Et ita ars non potest facere leonem vivum et qui habeat vim generandi alios leones; at potest facere horologium, sed non horologium quod moveatur a principio intrinseco et essentiali, et quod generet alia horologia, sed *solum potest facere* horologium quod constet aggregatione accidentali partium, quarum una moveat aliam propter violentiam factam in chorda chalybis.

---

[5] ST. TH., 2-2 q.96 a.2 ad 2; URRÁB., p.681-690.

628. D. *De naturali et violento*[6]. 1. *Naturale. a)* Ut oppositum supernaturali, est quod non superat vires aut exigentias ullius naturae creatae aut creabilis. *b)* Ut oppositum libero est quod necessario operatur vel necessario evenit. *c)* Per comparationem ad vires naturae, et ut oppositum artificiali, est quod fit secundum vires aut exigentias naturae. *d)* Per oppositionem ad violentum, est illud quod est conforme propensioni et non illi oppositum.

629. 2. Violentum est quod est a principio extrinseco, passo non conferente vim, i.e. passo renitente per appetitum innatum aut elicitum. Et violentia potest esse contra principium activum et contra principium passivum. Violentia contra principium activum: ut si quis cogatur ambulare nolens, vel deglutire nolens; vel si quis accipiat manum tuam et per illam percutiat matrem tuam. Violentia contra principium passivum esset si materiae iam praeparatae ad recipiendam formam aliquam, ea non daretur, vel si alicui tollatur vita cum resistit occisori, vel si inferatur vulnus nolenti.

Et quaeritur utrum Deus possit inferre violentiam alicui. Et videretur negandum, quia omnes res habent propensionem ut subiciantur Deo, et ideo quidquid Deus faciat, erit secundum propensionem illarum. Sed respondendum est Deum posse inferre violentiam, non contra illum appetitum innatum quo omnia subiciuntur Deo, sed certe contra appetitum particularem accommodatum indoli et naturae suae. Et ita si Deus privet rem bono quod innate appetit, vel moveat physice ut currat contra suam voluntatem, facit illi violentiam, non contra appetitum universalem rerum, sed contra appetitum particularem proprium et specificum huius rei[7].

ARTICULUS V

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE[1]

630. Notiones. *Generatio biologica* est origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae; et corruptio biologica est mors viventis. Sed nos volumus hic definire generationem et corruptionem in sensu magis generali, qui conveniat omni enti corporeo, quodcumque illud sit.

---

[6] ARIST., 3 *Ethic.*, c.1; ST. TH., ibid.; URRÁB., p.690-706.
[7] ST. TH., *De verit.*, q.13 a.1 ad 2; GOUDIN, *Phys.*, I d.2 q.1 a.2.
[1] ARIST., *De gener et corruptione, libri duo:* S. TH., ibid.; URRÁB., p.1192-1242.

Quare generatim *generatio* est productio rei ex praesupposito subiecto; *corruptio* autem est desitio rei permanente subiecto. *Generatio distinguitur* a creatione, quia haec est productio rei ex nihilo sui et ex nihilo subiecti, id est secundum totam entitatem. *Corruptio differt* ab annihilatione, quia annihilatio est desitio rei non permanente neque forma neque subiecto constitutivo rei.

631. *Divisio generationis.* Generatio potest esse substantialis et accidentalis. *Generatio substantialis* est, si res producta est substantialis, ut est v.c. canis vel anima canina. *Accidentalis,* si res quae generatur est accidentalis, ut est calidum, vel calor.

Generatio potest esse etiam per se et per accidens. *Generatio per se* est propria compositi; et *generatio per accidens* est propria formarum dependentium in esse a subiecto. Sic productio calidi et productio canis est generatio per se; et generatio animae caninae aut caloris est generatio per accidens.

Similiter corruptio potest esse substantialis et accidentalis. *Corruptio erit substantialis* si res corrupta est substantialis, ut est corruptio canis aut animae caninae. *Corruptio erit accidentalis* si res corrupta est accidentalis, ut est desitio calidi et caloris.

Etiam corruptio potest esse per se et per accidens. *Corruptio per se* est propria compositi, ut est corruptio canis aut calidi. *Corruptio per accidens* est propria formae dependentis a subiecto, ut est desitio animae caninae et desitio caloris.

632. 2. *De realitate generationis et corruptionis.* De realitate generationis et corruptionis accidentalis nulla est dubitatio: sic aqua fit calida et desinit esse calida; in quo exemplo calidum generatur et corrumpitur per se; et calor generatur et corrumpitur per accidens.

De realitate generationis et corruptionis substantialis, loquendum erit cum distinctione.

a) Si agatur de *corpore vivente,* sine dubio datur generatio et corruptio substantialis in eius productione, et in eius morte: canis generatur et corrumpitur per se et anima canina generatur et corrumpitur per accidens. Sed corpora elementaria corporis viventis videntur non corrumpi neque generari, quia permanent formaliter in vivente, sicut in omni mixto.

b) Si autem agatur de anorganicis, iuxta antiquos in omni synthesi chimica dabatur generatio novae formae mix-

ti et corruptio formarum elementorum; et in omni resolutione chimica dabatur corruptio formae mixti et generatio tot elementorum quot erant virtualiter in mixto. Sed iuxta theoriam quam exposuimus de natura mixti, in synthesi anorganicorum nulla datur generatio substantialis, et in resolutione nulla datur corruptio substantialis, eo quod elementa maneant formaliter in mixto et nulla in eo producatur forma substantialis.

c) In corporibus vero elementaribus, datur quaedam corruptio substantialis in destructione atomi radii, et generatio substantialis in formatione atomorum helii aut plumbi quae locum habet in destructione eadem radioactivorum. Et similiter in multis casibus in quibus unum elementum convertitur in aliud, ut supra vidimus.

633. 3. *Processus generationis et corruptionis.* Hic processus exponitur diversis modis a diversis scholis. Omissis aliis sententiis, exponemus duas celebriores theorias, quae sunt thomistica et suareziana. Hic processus uterque praesupponit elementa non manere formaliter in mixto, sed solum virtualiter, et unicam dari in composito formam.

Iuxta sententiam *thomisticam* hic est processus generationis et corruptionis. *Primo* ab agente proportionato fit alteratio corporis praecedentis, usque ad productionem ultimae dispositionis formae sequentis. *Secundo,* materia prima nudatur forma substantiali priore, et exsistentia et quantitate et omni accidente. Hoc est instans corruptionis. *Tertio,* de potentia materiae sic nudatae agens educit formam substantialem, et hoc est instans generationis, quod coincidit cum instanti cessationis formae prioris. *Quarto,* sed ita producitur forma ut ultima dispositio, quae praeparat materiam ad formam, sit conditio praerequisita ut producatur forma, et tamen efficienter non exsistat nisi producta a forma ad quam praeparat. *Quinto,* semel atque forma est educta de potentia materiae, agens producit exsistentiam in forma, quae exsistentia ratione formae advenit materiae et toti composito; et quia una est exsistentia, unum est ens. *Sexto,* ex composito iam constituto emanat quantitas ratione formae et inhaeret in sola materia. *Septimo,* dimanant etiam a composito, ratione formae, aliae qualitates et vires accidentales, quae inhaerent in materia, media quantitate. *Octavo* activitas numquam exercetur a substantia, sed solum a potentiis seu qualitatibus; et si agitur

de vivente sensitivo, sensationes recipiuntur in sola facultate sensitiva quae inhaeret in quantitate [2].

634. *Crisis:* Haec explicatio reicitur a Suárez ob multa inconvenientia quae in ea reperiuntur. Nam *a)* materia non denudatur unquam in ulla corruptione a sua quantitate, quia haec est proprietas materiae ab ea inseparabilis. *b)* Neque materia permanens potest denudari a sua exsistentia, quia exsistentia identificatur cum essentia, ideoque si destruatur exsistentia eius, destruitur totaliter eius entitas, et sic non haberetur corruptio, sed totalis annihilatio rei. *c)* Dicunt formam educi de potentia materiae et ei uniri substantialiter prius natura quam materia aut forma donentur exsistentia, quod est impossibile. *d)* Dicunt essentiam compositam, esse unum per se, quia una est exsistentia materiae et formae. et tamen docent essentiam compositam iam esse unam prius natura quam adveniat exsistentia: nam exsistentia datur composito ratione formae quae iam informat materiam. *e)* Dicunt eandem penitus entitatem dispositionum *exsistere* prius natura quam adveniat forma, quia sunt conditiones quae praeparant materiam ad formam; et aliunde dicunt easdem dispositiones *exsistere* solum posterius natura quam adveniat forma, quia producuntur efficienter a forma, quod est contradictorium [3].

635. Quare SUÁREZ alium proponit processum corruptionis et generationis.

Primo, ab agente proportionato fit alteratio corporis praecedentis usque ad ultimam dispositionem formae sequentis [4]. *Secundo,* materia prima nudatur forma praecedente, non autem quantitate, quae est inseparabilis a materia in diversis corruptionibus: hoc est instans corruptionis [5]. *Tertio,* de potentia materiae sic nudatae, educitur forma sequens: et hoc est instans generationis, quod coincidit cum instante corruptionis. *Quarto,* sed ita producitur forma, ut ultima dispositio quae praeparat materiam ad formam, fiat ab agente, prius natura quam producat formam, forma tamen non dat exsistentiam materiae, quia materia sua propria exsistentia non fuit privata. Compositum autem est ens *unum per se,* non quia habeat unam simplicem exsistentiam, sed quia materia et forma se habent ut potentia et actus respectu eiusdem essentiae consti-

[2] Hic processus dicitur processus corruptionis usque ad materiam primam nudam. Et hunc defendunt: S. THOMAS, 1 *De gener. et corrupt.*, lect.10; IO. A S. TH., *Phys.*, p.2.ª q.1 s.6; SUÁREZ autem cum multis aliis dicit hunc processum corruptivum non esse usque ad materiam primam nudam, quia semper remanet quantitas et aliqua accidentia in corpore corrupto (DM d.14, s.3 n.15ss).

[3] Mutua prioritas inter formam et dispositionem ultimam refutat SUÁREZ (DM d.14 s.3 n.27-30).

[4] Generationem praecedit alteratio et productio ultimae dispositionis (URRÁB., p.1198-1204); SUÁREZ, DM d.18 s.4 n.11.12. Et fortasse tota ratio erroris IO. A S. TH. circa mutuam causalitatem fundetur in definitione ultimae dispositionis (de quo in textu aliquid dicimus) et theoria de pura potentialitate quasi obiectiva materiae.

[5] Quantitas et alia accidentia permanent cum materia prima in omnibus corruptionibus (SUÁREZ, DM d.14 s.3 n.44-51).

tuendae. *Quinto,* ex composito, non emanat quantitas, quia quantitas non fuit separata a materia, sed emanant, ratione formae, ceterae potentiae et proprietates. *Sexto,* activitas exercetur a solis facultatibus et non a substantia, cum producendum est *accidens* non sensitivum aut appetitivum: si autem sit producendus terminus *substantialis,* cum potentiis operatur etiam substantia, ratione formae; et similiter cum producitur sensatio aut appetitio, licet sint accidentia, operatur etiam substantia animae, ob intimitatem talium operationum.

636. *Crisis:* Hic processus evitat omnia incommoda et impossibilitates sententiae praecedentis, sed quia supponit elementa permanere solum virtualiter in mixto, fortasse est antiquata, et tota haec doctrina renovanda esset: utile tamen est cognoscere has duas theorias, ut intelligantur libri veterum.

637. Scholium. De habitudine inter ultimam dispositionem et formam. De hac diversimode sentiunt auctores, quae diversitas pendet ex modo quo illam definiunt.

Io. a S. Thoma *(Phil. Nat.,* p.3.ª q.1 a.7) tenet ultimam dispositionem esse aliquem gradum determinatum qualitatis, v.c. caloris, qui sit *incompossibilis* cum forma priore et exigit formam sequentem. Haec dispositio non potest esse in corpore *quod corrumpendum* est, quia est incompossibilis cum eius forma. Neque potest esse *in sola materia prima,* quia materia prima est pura potentia, ideoque incapax aliquid recipiendi ante formam. *Est igitur in corpore quod gignitur;* et in illo est ut dispositio ad formam, ex hypothesi, et ut dependens efficienter ab illa, quia quidquid est characteristicum alicuius compositi, a forma efficienter emanat. Datur ergo *mutua causalitas* in ordine exsistentiali inter dispositionem et formam: dispositio exsistit prius forma, quia praeparat materiam ad formam, sed simul non exsistit prius forma, quia dependet efficienter ab illa.

Et hanc theoriam thomistae et Vázquez transferunt *ad iustificationem impii* per contritionem. Contritio exsistit prius natura quam gratia, quia est praeparatio ad illam; sed simul non est prior gratia, quia dependet ab illa efficienter. Haec theoria statim apparet impossibilis et contradictoria.

638. P. Hoenen vocat illam theoriam errorem, et se liberat ab illo hoc modo *(Cosm.,* p.494-502): Ultima dispositio est gradus maximus qualitatis qui sit compossibilis cum forma priore. Haec dispositio recipitur in corpore quod corrumpendum est, et non adducit formam sequentem nisi agens pergat

agere post productum illum gradum. Ita nulla datur aporia, quia non est illa mutua prioritas in ordine exsistentiali quae erat in theoria Io. a S. Th., neque necesse est eam recipi in materia prima, sicut necesse erat in priore sententia. Habet tamen *hoc incommodum*, quod forma sequens non producitur ad exigentiam materiae dispositae, sed solum ex determinatione agentis, ideoque neque datur ulla privatio formae sequentis in materia, quia materia illam non exigebat.

639. P. Suárez (DM d.14 s.3 n.27.30) definit ultimam dispositionem sic: est ille gradus qualitatis qui est incompossibilis cum forma priore, et necessario dat materiae primae exigentiam formae sequentis, eamque producit ut instrumentum agentis. Recipitur in materia prima in eo instanti in quo discedit forma prior et advenit forma sequens; unde idem est *instans* in quo producitur dispositio et forma sequens, et cessat forma prior. Sed secundum *intentionem* agentis, prius est producere dispositionem et formam sequentem, et posterius intentione et per accidens est ut recedat forma prior. In hac theoria *nulla est aporia*, quia dispositio est prior forma producenda; et si dependet a forma producenda, est solum in conservatione illius, sed non in prima productione ipsius.

640. 4. *Habitudo generationis et corruptionis:* generatio unius est corruptio alius, et vicissim, *corruptio unius est generatio alius* [6]. Hoc significat eandem actionem, qua fit generatio seu productio novae formae, esse actionem per quam cessat conservatio formae praecedentis. Et totum fundamentum huius principii est duplex: primum est elementa non manere formaliter in mixto; et secundum, non posse manere materiam nudatam omni forma. Hoc posito, in synthesi, generatur mixtum et corrumpuntur formae elementorum; et in resolutione mixti corrumpitur mixtum et generantur formae elementorum.

Tamen hoc principium non admittunt qui tenent elementa manere formaliter in mixto; et sic in assimilatione alimenti per nutritionem, non habetur haec corruptio elementorum, sed solum habetur generatio compositi vel augmentum compositi; et in morte viventis datur corruptio compositi, et formae viventis, sed non datur generatio elementorum, quia haec erant in composito ligata, et recuperant suam libertatem.

[6] Arist., 1 *De gener.*, c.4; 3 *Phys.*, c.8; 12 *Met.*, c.2; S. Th., 3 CG c.6; Urráb., p.1204-1208.

Hoc in viventibus. Nam in anorganicis, si agatur de mixto, nulla datur generatio et corruptio substantialis; et si agatur de corporibus elementaribus, quae convertuntur in alia corpora elementaria, non videtur corrumpi aut generari forma protonum et electronum, sed sola forma atomi.

641. 5. *Causa finalis corruptionis.* Corruptio non fit umquam ut sistatur in illa, sed agens semper tendit in formam novam quae generatur. Quia corruptio fit semper per aliquam actionem positivam [7], et actio positiva numquam terminatur in non ens, qualis est corruptio, sed in formam positivam quae est incompossibilis cum forma priori. Corruptio igitur terminatur semper in rem positivam, et haec est eius finis. Praeterea finis est bonum; *atqui* corruptio formae non est aliquod bonum; *ergo* est impossibile finem corruptionis esse ipsam corruptionem.

642. 6. *Causa efficiens generationis et corruptionis.* Causa efficiens *corruptionis* est illa quae dissolvit compositum, ut est nimius calor aut nimium frigus, aut divisio importuna materiae; v.c. si separetur collum a trunco, corrumpitur animal.

Difficultas est in *causa generationis.* Distinguemus diversos casus.

a) In generatione *hominis* solus Deus creat de nihilo animam et causat infusionem animae in corpus; sed homo posuit in materia dispositiones exigentes animam rationalem, ideoque homines vere generant hominem, licet solum exigitive, non elicientes actionem productivam animae et infusionis in corpus.

b) In generatione *viventium irrationalium,* veteres scholastici dicebant parentes producere animam prolis, si semen est coniunctum: si autem semen est separatum, solus Deus producit animam prolis, utens, ut instrumento, semine separato. Recentius dicunt solum Deum producere per eductionem animam prolis, ad exigentiam tamen actionis parentum.

c) In mixtis, quadruplex responsio: 1) *Iuxta nos,* qui dicimus elementa manere formaliter in mixto, et nullam produci forman substantialem, nulla est quaerenda causa generationis aut corruptionis substantialis. 2) In sententia scholasticorum *veterum,* qui dicebant elementa manere solum *vir-*

[7] Corruptio efficitur per actionem positivam, in quantum haec actio positiva producit formam incompossibilem cum priore, et exigit cessationem actionis conservativae formae prioris (S. TH., *De verit.,* q.28 a.1; SUÁREZ, DM d.18 s.11; URRÁB., p.1214-1217).

tualiter in mixto, et corruptionem fieri usque ad materiam primam, nulla potest designari causa proportionata, ut latius explicuimus n.589. 3) In sententia quorumdam scholasticorum, qui dicunt elementa manere formaliter in mixto et in eo produci novam formam substantialem et corruptionem non fieri usque ad materiam primam, causa formae mixti potest esse forma elementorum quae remanent. Sed huic opinioni difficultas obstat, consistens in eo quod formae elementorum sunt inferiores forma mixti, iuxta eos; *ergo* eam non possunt producere. 4) In elementis quae convertuntur in alia (vide n.589), forma novi elementi producitur a *substantia* protonum et electronum quae transeunt in novum elementum, *adiuta* per vires potentissimas applicatas a ciclotronibus [8].

[8] Circa principium immediate eliciens actionem generativam triplex est sententia. *Prima* tenet solam substantiam esse principium immediate elicitivum: sic scotistae. *Secunda* tenet principium immediate elicitivum esse sola accidentia: sic generatim thomistae. *Tertia* sententia distinguit, et dicit: si terminus producendus est accidens, sola accidentia eliciunt actionem; si autem producenda est substantia vel res substantialis, vel si producenda est res accidentalis intentionalis, ut sunt actus cognoscendi et appetendi, tunc elicit actionem ipsa substantia et simul potentiae activae ad id proportionatae. Cf. S. TH., 1 q.54 a.3; SUÁREZ, DM d.18 s.2 n.5-15; URRÁB., p.1233-1242.

LIBER IV

De mundo universim inspecto

643. Introductio. Initio dicebamus mundum esse congeriem corporum, quae per spatia immensa disperguntur cum determinata dispositione collocata et cum relationibus dependentiae multiplicis colligata. In qua descriptione distinguebamus materiam et formam. Materia sunt singula corpora quibus constat illa collectio: et de his iam egimus in tribus libris praecedentibus. Forma autem est tota collectio corporum, in quantum est collocata cum determinata dispositione et cum multiplicibus relationibus dependentiae. Et de mundo considerato ut est aliquod totum, speciali modo collocatum et dispositum, quaeruntur duo: primum de characteribus mundi; secundum de causis ultimis extrinsecis. Quae duobus capitibus explanabimus, breviter tamen, quia multa ex his locum proprium habent in Theologia Naturali.

CAPUT X

De characteribus mundi

ARTICULUS I

DE NOTIS ESSENTIALIBUS MUNDI

§ 1. De unitate mundi

Thesis 29. In mundo sunt plures substantiae seu supposita independentia, distincta realiter inter se, non solum numerice, sed etiam essentialiter; unde mundus non est unum per se, sed unum per accidens [1].

644. Notiones. UNUM est indivisum in se et divisum a quolibet alio, ita ut vel non habeat partes, vel si habet partes, aliae sint complementum aliarum in ratione essentiae, substantiae, integritatis aut suppositi. Ex qua notione patet unum posse esse simplicitatis aut compositionis.

[1] ARIST., 1 *Phys.*, c.2.3; et 1 *Met.*, c.8, pro pluralitate; S. TH., in haec loca; et 1 q.70 a.3; URRÁB., *Cosm.*, p.78-88; DONAT, *Cosm.*, p.338-350; PESCH, I p.337-365, copiose et erudite; GREDT, I n.238-241.

UNUM SIMPLICITATIS est illud quod non habet partes, sicuti est substantia Dei aut angeli vel animae rationalis. UNUM COMPOSITIONIS est illud quod habet partes, ita ut aliae sint respectu aliarum complementum essentiae, substantiae, integritatis aut suppositalitatis.

SUBSTANTIA est ens per se stans, seu non in subiecto inhaesionis. SUPPOSITUM est substantia completa, quae non est pars alius substantiae et essentiae.

IN MUNDO. Mundus hic intelligitur universitas rerum contingentium sive spiritualium sive corporearum.

Status quaestionis. Et quaerimus utrum mundus sit adeo unus, ut in illo non sit multitudo substantiarum completarum seu suppositorum.

645. Sententiae. *Prima sententia* docet unicam esse in mundo substantiam cum unitate sive numerica, sive saltem specifica, quia non datur nisi materia. Hoc vero multis modis defenditur sub nomine monismi numerici vel monismi specifici.

a) Nam alius monismus est *idealisticus* et spiritualisticus; et dicit unicam dari substantiam, nempe Deum et cetera esse illusiones sensuum: sic pantheistae et idealistae transcendentales. *b)* Alius est monismus *compositionis essentialis* ex anima et corpore: docet hunc mundum esse immensum quoddam animal animatum anima rationali et veluti divina; sic senserumt Stoici, ut CLEANTES (331 a.C.) et ZENO CITTIENSIS (364), et CHRYSIPPUS (282)[2]; sic etiam PLATO, ARISTOTELES[3], et S. THOMAS in commentario ad Aristotelem. *De caelo et mundo,* l.2 c.2[4]; et PHILO, et ORIGENES, et S. HIERONYMUS in Eccl. 1,6 ap. URRÁB., p.80. Hanc vero theoriam negant omnino SS. PATRES et S. THOMAS extra locum citatum. *c)* Tertius monismus est *compositionis integralis* homogeneae. Dicit totum mundum esse unum quoddam ens continuum. Eius materia est aether, cum diversis modis densitatis; diversa enim corpora non sunt nisi partes aetheris continui, diversimode

[2] MOREAU, JOSEPH, *L'idée d'univers dans la pensée antique:* Giornale di Metafisica, 8 (1953) 88-112 et 324-343.

[3] ARISTOTELES saepe concipit naturam veluti unum aliquod ens quod habeat tendentiam ad formam puram; alias etiam dicit mundum esse *empsychos,* animatum et vivens una quadam anima rationali et veluti divina; sic in 2 *De caelo,* c.1; et *De anima mundi,* § 53.56. PLATO similiter dixit mundum esse unum vivens animatum unica anima universali, in *Timaeo,* 30 bc; et SPINOZA, *Ethica,* II 13; PSEUD. ARISTOTELES, *De anima mundi;* de quo libro vide O. LÖVENTHAL, *Pseudo-Aristoteles über die Seele;* verosimiliter est liber alicuius neoplatonici, fortasse Porphyrii. (Cf. UEBERWEG, *Die Patristik und Mittelalter,* p.302.) ...

[4] S. TH., 1 q.70 a.3; *De caelo,* l.2 lect.3 et 13.

condensati. Motum autem localem explicant, non quia aliquid transferatur localiter, sed quia illa centra densitatis mutantur ad modum undarum aquae, quae non transferuntur entitative, sed solum propagantur per successivas condensationes et rarefactiones. Sic recenter EINSTEIN et alii. *d)* Quartus monismus non est monismus numericus, sed specificus: multae sunt substantiae, sed omnes sunt pure materiales. Sic HAECKEL, materialistae reliqui, et antea W. PROUT dixit omnia corpora non esse nisi atomos hydrogenii; et omnino plurimi sunt qui tenet homogeneitaten materiae, ut vidimus agentes de mechanicismo (n.14, 15, 496-499).

Secunda sententia tenet in mundo universo dari plures substantias distinctas tum numerice tum etiam specifice. Hanc sequuntur omnes scholastici eamque nos sequemur ut certam.

646. Probatur thesis. I P. In mundo sunt plures substantiae numerice distinctae. Quod multis modis ostenditur.

A. *Nam saltem Deus et creaturae realiter distinguuntur ut duae substantiae.* Deus enim sine dubio substantia independens est. Creatura etiam substantia independens est, i.e. non pars alius; secus, vel esset *accidens* Dei, et hoc non, quia Deus nulla habet accidentia; vel esset *pars* substantialis Dei, et hoc dici non potest, quia Deus simplex est.

Dices: pluralitas rerum debetur illusioni mentis. *Resp.:* idealismus refutatus est iam in Critica, neque iterum oportet illum hic refutare.

Instabis: Mundus assumptus est a Deo eo modo quo dicunt catholici assumptam esse humanitatem Christi. *Resp. primo;* hoc esset miraculum ingens, quod non potest affirmari sine revelatione. *Secundo,* pantheistae contendunt hunc mundum assumptum esse necessario a Deo: et hoc est tollere libertatem et personalitatem a Deo. *Tertio,* impossibile est homines esse assumptos a Deo, nam in omnibus sunt defectus peccaminosi indigni Deo.

647. B. *Secundo, animae hominum sunt plures numerice.* Si enim esset unica anima, sequerentur contradictoria. Nam plane constat inter homines alios affirmare unam rem et alios eandem sub eodem respectu negare; alios odio habere unam rem, et alios eandem sub eodem respectu amare; alii habent evidentiam unius rei, et alii dicunt se non habere evidentiam; alii sancti sunt et Deo adhaerent, alii scelesti sunt et a Deo discedunt; iam vero si unica esset anima, illa affirmaret et negaret simul idem, videret et non videret idem, amaret et odio haberet idem, esset sancta et adhaerens Deo et

non adhaerens, sed discedens ab eo; quo est omnino impossibile.

648. C. *Tertio impossibile est omnem mundum esse unum per compositionem ex anima et corpore.* Nam anima illa non posset esse vegetativa neque sensitiva neque intellectiva.

a) Non *vegetativa,* quia plurimae partes mundi non habent conditiones ut informentur anima vegetali, ob immensum calorem aut frigus aut propter defectum aliarum conditionum ad vitam vegetativam.

b) Neque anima illa potest esse *sensitiva* ob easdem rationes: nam anima sensitiva non potest adesse nisi adsit vegetativa; *atqui* in toto mundo non potest esse anima vegetativa; *ergo* neque anima sensitiva: plurima ergo in mundo non sunt animata illa anima unica quam intendunt.

c) Neque illa anima potest esse *intellectiva.* Anima enim intellectiva et spiritualis uniretur universo mundo mere ut motor aut etiam ut iuvaretur in sua intellectione per sensationes. Iam vero non potest uniri mere *ut motor,* quia operatio movendi non est ex sua specie vitalis, ideoque non uniretur ut anima, sed ut motor extrinsecus; et ita non constitueret unitatem mundi quam intendunt. Neque potest uniri mundo universo *ut iuvetur* in sua operatione intellectuali per sensationem: vita enim sensitiva indiget vegetativa; et quia est impossibile animam vegetativam uniri toti mundo, etiam est impossibile animam intellectivam uniri vitaliter toti universo.

649. D. *Mundus universus non est unum per se unitate continuitatis homogeneae.* a) *Primo* quia: sunt entia pure vegetativa et alia sensitiva, quae essentialiter differunt inter se, ideoque non constituunt universum homogeneum.

b) *Secundo* probatum est in mineralibus corpora elementaria esse inter se diversa essentialiter; *ergo* non datur mundus homogeneus.

c) *Tertio* datur pluralitas substantiarum, si dantur multae res separatae inter se, operantes separatim et sine dependentia ab aliis: *atqui* ita se res habet; *ergo* datur pluralitas substantiarum in mundo.

Maior est patentissima, et *minor* declaratur: nam dantur multi homines separati, et operantes sine dependentia alius ab alio, imo saepissime cum oppositione ad alios; similiter arbores operantur sine dependentia aliarum ab aliis, imo saepe etiam cum contrarietate. Et praesertim finalitas intrinseca uniuscuiusque non est dependens a finalitate intrinseca alio-

rum. Et sic figura asini aut passerculi non dependet a figura hominis, vel a figura canis, sed unumquodque in figura propria acquirenda respicit suam finalitatem. Omnia quidem cooperantur ad unitatem et pulchritudinem universi; sed hoc non fit ex exigentia cuiusque, sed ex eo quod Deus ita res collocet, ut ex cooperatione multorum resultet bonum valde appetibile. Intrinsece vero in sua constitutione unumquodque prosequitur finalitatem suam, et in ea non conformatur finalitati alius.

650. II P. In mundo sunt plures substantiae specifice diversae.

Hoc facillime probatur. *a)* Nam Deus et creatura, non solum specifice, sed etiam plus quam generice diversificantur: conveniunt enim solummodo analogice, cum infinita distantia. *b)* Dantur plantae, animalia et homines, et mineralia; et haec omnia essentialiter diversificantur. *c)* Datur materia et spiritus, et haec diversificantur essentialiter. *d)* Dantur corpora elementaria, quae essentialiter diversificantur, ut supra probatum est; *ergo* falsum est in mundo dari perfectam homogeneitatem sine diversitate specifica rerum.

651. III P. Unde mundus non est unum per se, sed unum per accidens.

A. *Quod mundus non sit unum per se, constat.* Esset enim unum per se aut propter simplicitatem, aut propter informationem totius mundi ab unica anima, aut propter continuitatem unius substantiae homogeneae; *atqui* haec omnia sunt falsa, ex probatis; *ergo* mundus non est unum per se.

B. *Sed est unum per accidens.* Adest enim unitas per accidens ex pluribus, cum haec sunt colligata multiplici vinculo vicinitatis, aut dependentiae aut similitudinis; iam vero in mundo adest vicinitas aliorum ad alia, et quidem cum ordine dependentiae quoad motus, quoad influxus caloris, electricitatis, et propter vinculum similitudinis: nam omnia conveniunt in ente, et in eo quod singula sint unum, verum et bonum.

652. Obiectiones. Multiplicitas quae elevatur ad finem altiorem supra singulas partes, constituit unum per se; *atqui* multiplicitas mundi elevatur ad finem superiorem supra singulas partes, ut est bonum Universi; *ergo* illae partes constituunt unum per se seu unam substantiam.

Dist. mai.: si elevantur ad finem altiorem ab intrinseco, per aliquod principium a quo informentur, *concedo;* si elevantur ab extrinseco, per solam dispositionem et per cooperationem ex dispositione resultantem, *nego;* et *contradist. min.:* elevantur ab intrinseco, per

aliquam formam a qua informentur, *nego;* ab extrinseco, ex tali dispositione unde resultat specialis quaedam cooperatio, *conc.*

2. In mundo est mirus ordo et unitas cooperationis; *atqui* hoc explicari non potest nisi quia est unica anima informans mundum; *ergo* datur unica anima informans mundum, ideoque et mundus est unum per se.

Conc. mai., et *nego minorem:* explicatur enim per solam dispositionem, ex qua resultat cooperatio excellens: hoc vero debetur intelligentiae ordinatrici mundi, non vero alicui formae informanti.

3. *Instabis:* ergo neque poteris concludere dari unum principium informans corpus animalis aut plantae; quia illa mira ordinatio poterit resultare ex dispositione et cooperatione inter partes, et non ex principio intrinseco.

Nego assertum, et rationem additam: nam in organismis videmus quomodo una cellula primigenia sibi acquirat typum proprium, et quomodo eligat elementa propria suae speciei: unde illa dispositio non resultat ab extrinseco, sed ipse organismus sibi facit huiusmodi organa et dispositionem.

§ 2. De aliis notis essentialibus mundi

653. 1. *Mundus est compositus.* Nam constat entibus quae multis modis sunt composita vel ex partibus integrantibus, vel ex materia et forma, vel ex substantia et accidentibus, ex essentia et exsistentia, ex natura et suppositalitate, et ex genere et differentia.

2. *Mundus est etiam mutabilis.* Quia constat rebus quae sunt valde mutabiles sive quoad locum, sive quoad magnitudinem, sive quoad accidentia lucis, caloris, coloris, sive quoad ortum et interitum, ut constat in viventibus.

3. *Mundus est finitus in perfectione.* Nam constat rebus finitis ut sunt corpora, quae carent innumeris perfectionibus; et spiritus creati, qui habent innumeras limitationes in scientia, in potentia, in voluntate.

4. *Mundus est contingens. a)* Nam constat entibus quae sunt contingentia, quia incipiunt et desinunt esse, ut corpora viventia et composita multa mineralia. *b)* Ipsa materia prima seu substratum ultimum mundi est mutabile, divisibile, indigens formis ut perficiatur, et indigens multis rebus a se distinctis ut exsistat, ut est habere talem vel talem ubicationem, talem vel talem figuram, habere motum vel quietem. *c)* Unde mundus est ab alio. Nam contingens non habet rationem sufficientem exsistentiae in se: secus non esset contingens sed necessarium; et si non habet rationem sufficientem exsistentiae in se, habet in alio, et hoc est esse ens ab alio.

ARTICULUS II

DE MAGNITUDINE MUNDI

654. *Mundus est valde magnus.* Quod ex sequentibus iudiciis divinare possumus. *a)* Stellae enim sunt innumerae, nam dicunt eas numerari centum mille trilliones; et pleraeque excedunt magnitudinem solis. *b)* Distantiae, per quas sparsae sunt in spatiis, superant omnem imaginationem. In statu actuali investigationis non potest dubitari distantias stellarum aliquarum mensurandas esse per saecula annorum lucis, cum tamen lux percurrat trecenta millia kilometrorum in secundo [1]. Lux nebulosarum maxime distantium pervenit ad telescopium montis Wilson ferme post quingentos milliones annorum lucis. *c)* Per hoc telescopium investigari possunt stellae positae in sphaera, cuius diametrum sit longum mille milliones annorum lucis. Sed adhuc est telescopium maius in "Monte Palomar" vi cuius possunt investigari stellae positae in sphaera, cuius radius sit longus sexcentis millionibus annorum lucis, imo speratur fore ut per illud telescopium explorari possit sphaera cuius radius sit mille milliones annorum lucis. *d)* Universum expanditur et dilatatur magis ac magis cum ingentissima velocitate [2]. Iuxta quasdam supputationes universum, priusquam inciperet expandi, fuit sphaera cuius radius erat longus mille sexaginta octo milliones annorum lucis. Ut lux circumiret tunc orbem extremum huius sphaerae, necessarii fuissent sex mille et septingenti milliones annorum lucis; nunc autem necessarius esset billio annorum lucis ut orbem extremum percurreret. *e)* Per telescopium Montis Wilson exploratur centesima pars sphaerae universi in singulis directionibus, et tamen aliquae nebulosae observabiles hoc telescopio distant centum quinquaginta milliones annorum lucis. Unde possumus coniectare nunc universum esse sphaeram cuius radius sit longus quindecim mille milliones annorum lucis. Ex his igitur patet mundum esse valde magnum.

---

[1] URRÁBURU, *Cosm.*, p.34-38; RODÉS, *El firmamento* (ed.2.ª, Barcelona 1939), praesertim p.608; RIAZA, p.646-650.

[2] HUBBLE, a.1929, advertit in Monte Wilson galaxias discedere a nobis cum immensa velocitate. G. LEMAÎTRE dixit per hoc phaenomenum ostendi mundum extendi quoquoversus magis ac magis. EDDINGTON, *L'Univers en expansion* ait distantias galaxiarum fieri duplo maiores intra 1.300 milliones annorum. Theoria expansionis Universi, licet probabilis, non tamen est certa, ut docent ZWICKI et MCMILLAN: cf. RIAZA, p.659-667; et PUIG, I, *La teoría de la expansión del Universo:* Ibérica, 1 (1945) 521-524; IDEM, *Reparos a la teoría:* Ibérica, 2 (1945) 12-16.

655. Sed tamen haec magnitudo non est infinita neque extensione neque numero stellarum [3]. Duplici serie argumentorum hoc solent probare: primo ex impossibilitate metaphysica seu ex contradictionibus quas implicat infinitum creatum in actu. Sed omissis his argumentis, de quibus multum disputant auctores, nunc astronomi dicunt mundum esse finitum in extensione et in multitudine astrorum. Ipsa theoria relativitatis, quae adeo accepta est passim, concipit universum ut sphaeram, magnam quidem, sed clausam in seipsa, ideoque ut finitam; et ut mox vidimus, multi scientifici arbitrantur se posse coniectare mensuram finitam radii huius sphaerae [4].

ARTICULUS III

DE PLURALITATE MUNDORUM ET ORBIUM HABITABILIUM

656. Dico. 1. Mundus non necessario est unicus, sed multiplex esse potest.

A. *Mundus potest esse multiplex,* si est possibilis multiplex congeries mundanorum corporum, quae congeries separatae sint spatialiter ita ut non habeant inter se ullam dependentiam quoad attractionem, quoad lucem et quoad calorem; *atqui* in hoc non apparet ulla repugnantia; *ergo* non apparet ulla repugnantia in eo quod mundi possint esse plures.

Maior constat ex notione ipsa mundi multiplicis. Et *minor* probatur. Nam adversarii probant non posse esse plures congeries corporum separatas spatialiter et inter se distantes per vacuum et inane, hoc argumento: distantia est corpus interpositum inter duo extrema quae tangunt illud; *atqui,* aiunt,

---

[3] Si agatur de *possibilitate,* negant possibilitatem infiniti actualis in magnitudine aut multitudine: S. BONAVENTURA, SCOTUS, SUÁREZ et plerique scholastici, ap. URRÁB., p.786; admittunt possibilitatem VÁZQUEZ, TOLETUS, FASSOLUS, DE BENEDICTIS; ST.THOMAS dicit non constare de possibilitate vel impossibilitate, ap J. H., *Theol. Nat.* p.735, nota. Recens habita est controversia circa hanc possibilitatem, inter auctores, quos hic subicio:

LANDUCCI, P. C., *Si può dimostrare filosoficamente la temporaneità e finitezza dimensiva dell'Universo materiale:* DivThom (Pi) 52 (1949) 340-344: dicit hanc infinitatem esse absurdam. CRENNA, M., *Sulla finitezza dimensiva dell'Universo:* DivThom (Pi) 53 (1950) 374-376: refutat Landucci, et dicit non ostendi infinitum extensum repugnare. DEGL'INNOCENTI, H., O. P., *De infinito in quantitate:* DivThom (Pi) 53 (1950) 234-240: dicit non ostendi repugnantiam. MASI, R., *A proposito di un Universo infinitamente esteso:* DivThom (Pi) 53 (1950) 370-374; IDEM, *Si può dimostrare la finitezza dell'Universo?:* DivThom 53 (1950) 376-380: non ostenditur repugnantia.

Si autem quaeratur utrum *de facto* mundus sit infinitus an finitus: affirmant infinitatem materialistae, ut BÜCHNER *(Kraft u. Stoff)* et HAECKEL *(Welträtsel),* item MALEBRANCHE et LEIBNIZ. NYS ait non posse ostendi *impossibilitatem* infiniti creati actualis, et *similiter* non posse demonstrari factum finitudinis aut infinitudinis universi: NYS, *La notion d'espace,* p.313-332.

[4] RIAZA, p.13.

inter illas congeries corporum vel mundos non daretur corpus interpositum, sed nihilum et vacuum; *ergo* inter illos mundos non daretur distantia et separatio; *si ergo* non datur distantia et separatio, non sunt plures mundi, sed unus.

Sed haec difficultas est pura petitio principii. Nego enim distantiam esse corpus interpositum inter duo extrema quae tangant illud corpus per extremitates. Nam distantia est talis positio duorum, ut inter illa possit interponi corpus extensum, sine mutatione extremorum, licet actu non sit interpositum. Et patet nullam esse repugnantiam in hoc quod duae congeries corporum habeant tales positiones, ut inter illas possit interponi corpus extensum, licet actu non sit interpositum, ideoque distabunt.

Si autem *non iam de possibili, sed de facto* loquamur, nullam rationem habemus ad affirmandam exsistentiam aliorum mundorum, vel ad eam negandam.

657. Dico. 2. Praeter tellurem, possibile est ut alii orbes habitentur ab incolis corporeo-rationalibus. Quod affirmandum est sive dentur alii mundi diversi a nostro mundo Universo, sive solum detur nostrum Universum[1].

Et *in primis* dicendum est non esse impossibile alios orbes habitari. Nam nulla repugnantia est in eo quod alii orbes habeant conditiones necessarias ad vitam, sicut habet noster orbis; et ex alia parte nulla repugnantia apparet in eo quod ibi Deus creet vel homines similes nobis vel fortasse aliquatenus diversos.

Secundo addendum est bonas esse rationes ad suadendum alios orbes habitari ab incolis corporeo-rationalibus: nam omnia sensibilia sunt creata ad gloriam Dei obiectivam et formalem; sed haec sensibilia non possunt dare gloriam formalem Deo nisi adsint creaturae corporeo-rationales; ergo cum mundo sensibili oportuit ut Deus crearet etiam incolas corporeo-rationales. Sed homines telluris videntur non sufficere ad dandam gloriam formalem Deo pro omnibus rebus creatis, quia hae sunt innumerae et a nobis incognitae; ergo videtur congruum ut Deus creaverit etiam extra tellurem alios homines.

Sed *tertio* affirmandum est nullam adesse rationem apodicticam ad probandum de facto creatos esse homines in aliis orbibus. Gloriam formalem damus sufficienter Deo, quia licet

[1] URRÁBURU, *Cosm.*, p.46-51; DONAT, p.270; PERRONE, *Praelectiones*, p.3; VIÑAS, S. I., *Condiciones de la habitabilidad de los planetas:* Ibérica, 11 (1950) 392-395.

non cognoscamus omnia corpora ab ipso creata, scimus tamen ea esse multo plura quam nos possumus imaginari, et hoc modo eius potentia et sapientia infinita manifestatur nobis [2].

ARTICULUS IV

De perfectione mundi

Thesis 30. Mundus hic noster non est pessimus omnium, neque etiam est optimus omnium possibilium absolute vel suppositis his substantiis, vel per comparationem ad mundum sine peccatis. Dicendum tamen est illum esse valde bonum.

658. Mundus noster est haec congeries rerum creatarum sive corporalium sive humanarum, sive etiam pure spiritualium.

Et thesis habet tres partes praecipuas. *Prima* dicit mundum hunc non esse pessimum omnium possibilium. *Secunda* pars dicit eum non esse optimum ex omnibus possibilibus; et haec pars continet tria membra, nempe: *a)* mundus hic noster non est absolute optimus ex omnibus possibilibus; *b)* neque est optimus hypothetice supposita creatione harum substantiarum; *c*) neque hic mundus cum peccatis est absolute melior quam omnis alius mundus possibilis sine peccatis saltem mortalibus. *Tertia* pars dicit hunc mundum esse valde bonum, in quo defenditur optimismus mitigatus: mundus hic est bonus, imo et valde bonus, et in quibusdam bonis est insuperabilis, et tandem dicendum est bona abundare magis quam mala.

Haec omnia seorsim explicabimus per asserta separata.

1. *Mundus hic non est pessimus omnium.* Oppositum tenuit Schopenhauer [1]; docuit enim hunc mundum non esse creatum a Deo, sed esse ens necessarium, cuius essentia est voluntas caeca. Haec caece evolvitur et necessario, et in hac caeca evolutione pervenit ad stadium, in quo est conscientia;

---

[2] Circa factum habitationis astrorum ab incolis corporeo-rationalibus datur triplex sententia: *prima* negat de facto esse alios mundos habitatos, ap. Urráb., l. c. *Secunda* dicit de facto dari alios mundos habitatos: sic Xenophanes, Anaxagoras, Nicolaus de Cusa, Galilaeus, Kepler, Newton, Leibniz, Kant, Laplace, Huygens, Secchi, Mendive, Schaaf, Tongiorgi, Brewster, Gauss, ap. Donat, p.270. *Tertia* abstinet a iudicando facto et solum dicunt id esse possibile; cf. Salaverri, Joaquín, S. I., *La posibilidad de seres humanos extraterrestres ante el dogma católico:* RazFe 148 (1953) 23-43.

[1] Roure, L., *Pessimisme:* DAFC; A. d'Alès, *Providence:* DAFC.

inde fit ut possit sentiri dolor, qui est malum pessimum omnium. Sed hoc systema facile reicitur. Hic mundus creatus est libere a Deo, eo fine ut communicaret suam bonitatem creaturis; unde impossibile est hunc mundum non habere plurima bona. Principia autem in quibus SCHOPENHAUER nititur sunt omnia falsa, ut hunc mundum esse increatum, eius essentiam esse voluntatem caecam, evolvi necessario usque ad acquisitionem conscientiae, et malum pessimum ex omnibus esse dolorem, et non potius peccatum.

659. 2. *Neque hic mundus est optimus absolute ex omnibus possibilibus.* Per hoc reicitur error LEIBNIZ [2]. Hic enim docuit hunc mundum esse optimum ex omnibus possibilibus; nam licet plurima possent creari quae singillatim inspecta, essent meliora quam ea quae sunt in mundo, sed tamen in complexu Deus non potuit excogitare neque creare alium mundum meliorem. Ratio est quia Deus teuetur ad optimum; *atqui* elegit hunc mundum prae omnibus aliis; *ergo* signum est hunc esse optimum. *Maior:* nam illud quod non est optimum est absentia boni; *atqui* absentia boni est malum; *ergo* si eligeret non optimum, eligeret malum, quod non est ratio sufficiens volendi. Praeluserunt antea ABAELARDUS, NICOLAUS DE CUSA, MALEBRANCHE et quodammodo P. RUIZ DE MONTOYA.

660. *Hanc vero thesim nos reicimus.* a) *Primo* quia libertas Dei periret. Deus enim non habet potestatem physicam ut operetur sine ratione sufficienti volendi; *atqui* si Deus non vellet aut non crearet optimum, vellet sine ratione sufficienti, ex ratione antea adducta; *ergo* Deus non potest physice abstinere a creatione, et a creatione optima. b) *Secundo,* quia si hic mundus est optimus omnium, et Deus teneretur illum creare, Deus intenderet peccata. Nam Deus eligit optimum ex omnibus possibilibus, iuxta thesim LEIBNIZ; *atqui* mundus optimus constat necessario his tam multis et magnis peccatis; *ergo* Deus volens mundum optimum, vult et intendit peccata quae sunt in eo. *Minor:* nam Deus eligit optimum; *atqui* mundus hic constat his peccatis tam multis et magnis; *ergo* mundus optimus necessario debet habere haec tam multa et tam magna peccata.

661. 3. *Neque hic mundus est optimus, hypothetice, in hypothesi scilicet quod has substantias creaverit.* Dicit enim

---

[2] LEIBNIZ, *Essai de Théodicée,* p.1.1 n.8-10.23.25.30; p.2.ª n.114.117, etc.; cf. J. H., *Theodicea: Philos. Scholasticae Summa,* t.3 (BAC) tr. I n.524ss.

P. ROZWADOWSKI [3] esse possibiles innumeros alios mundos meliores quam est hic, et Deum potuisse liberrime eligere quemlibet illorum; sed tamen, addit, supposito quod Deus voluit creare has substantias, debuit eligere optimam dispositionem et ordinem optimum ex omnibus possibilibus quos potuit obtinere cum his elementis substantialibus. Proinde *duo* continentur in hac sententia: *primum* est, Deum debuisse, supposita volitione creandi has substantias, eligere optimum quod in complexu potuit obtineri ex his substantiis; et *secundum,* Deum non potuisse concipere neque exercere alium ordinem, aut dispositionem meliorem quam est haec quam de facto elegit, positis his substantiis.

662. *Hanc etiam thesim nos reicimus. Primo,* quia supposita creatione harum substantiarum, iam Deus libertatem non habet ut ordinet hunc mundum alio modo sive superiore sive inferiore, vel ut distribuat dona maiora intensive aut extensive quam fecit, quia iam non esset ordo optimus. *Secundo,* quia Deus intendit optimam dispositionem possibilem positis his substantiis; *atqui* ad hanc optimam dispositionem pertinent peccata in tanto numero ac magnitudine, secus Deus non potuisset eligere hunc ordinem rerum; *ergo* Deus intendit peccata! *Tertio,* dicit aliquid evidenter falsum: nempe hunc mundum futurum fuisse minus bonum si in illo fuissent pauciora peccata, et si plures salvarentur, et si maior esset Dei cognitio, et maior amor Dei et proximi; et si virtutes a pluribus et intensius exercerentur: si enim haec fuissent meliora, Deus necessario ea debuit eligere supposita creatione harum substantiarum.

663. 4. *Neque hic mundus est melior quam potuisset esse omnis alius in quo nullum esset peccatum saltem mortale.* Nam sunt aliqui qui dicant esse possibiles innumeros alios mundos diversos ab hoc, et Deum potuisse eligere quemlibet ex illis, sive perfectiores, sive imperfectiores. Sed hoc posito statuunt comparationem huius mundi in quo sunt peccata, cum quolibet alio possibili in quo non essent peccata, et dicunt semper et absolute meliorem esse mundum in quo sint peccata, quam esset ullus alius mundus possibilis, in quo peccata nulla essent saltem mortalia.

---

[3] De optimismo universali secundum S. THOMAM: Greg. 17 (1936) 254-264; consentiunt: GISQUIÈRE, *Dominus Deus,* II p.430-432; SERTILLANGES, *Dieu,* III p.299; GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu* (1928) p.664; et ut videtur S. THOMAS, 1 q.25 a.6; et 1 q.103 ad 1, ubi ait: cum optimi sit optima producere.

664. *Rationes quibus moventur sunt sequentes.* a) *Primo,* quia ille mundus, in quo non essent peccata, esset miraculosus, ideoque quasi violentus. b) *Secundo,* quia in illo mundo non retineretur salva libertas hominis. c) *Tertio* quia in illo mundo non exercerentur tot virtutes ut poenitentiae et humilitatis ob peccata, sed esset mundus monotonus: non esset sicut tabula pulchra quae debet habere umbras, sed sicut tabula picta monotona, in qua omnia essent luces et quidem non in magna varietate. d) *Quarto,* quia homines non haberent cognitionem suae debilitatis, neque adeo penderent a Deo in oratione. e) *Quinto,* Deus in illo mundo non ostenderet omnia sua attributa, v.c. non ostenderet iustitiam punitivam, neque posset ostendere clementiam, patientiam, misericordiam. f) *Sexto,* si non fuisset peccatum, Christus non venisset, et ideo canit Ecclesia, "O felix culpa! O certe necessarium Adae peccatum". g) *Septimo,* in illo mundo saltem Deus non passus esset, et sic non haberentur exempla patientiae, doloris, humilitatis, quae edidit Christus moriendo pro nobis. h) *Octavo,* quia Deus non potest permittere peccata, nisi eliciendo bona quae compensent malum peccati et quae sint maiora quam bona quae evenirent sine peccato; *atqui* de facto Deus permisit peccata; *ergo* in mundo in quo permittit peccata elicit bona quae compensare possint malum peccati et quae superent bona quae essent sine peccatis.

665. *Hanc etiam thesim nos reicimus et dicimus possibilem esse mundum sine peccatis qui sit melior mundo cum peccatis.* Quia evidenter melior est ille mundus in quo omnes intense et perfecte adimpleant finem propter quem facti sunt, et omnes adimpleant voluntatem Dei, et omnes exerceant virtutem, et omnes ament Deum et proximum, quam ille alius mundus in quo non omnes adimpleant finem propter quem facti sunt, et non omnes adimpleant voluntatem Dei, in quo non omnes exerceant virtutem, in quo non omnes ament Deum et proximum, et in quo sint offensiones Dei, transgressiones praeceptorum eius, odium contra Deum et proximum; *atqui* talis mundus possibilis est; *ergo* possibilis est mundus sine peccatis qui sit melior quam mundus cum peccatis.

Maior constat, neque circa hanc rem videtur posse suscitari dubium rationabile. *Minor probatur:* nam talis mundus erit possibilis, si Deus possit facillime dare gratias efficaces omnibus; *atqui* evidenter potest dare has gratias, sicut de facto dedit plurimis qui sine peccato, saltem mortali, conservati sunt usque in finem vitae, sicut S. ROBERTUS BELLARMINO, S. ALOYSIUS GONZAGA, S. IOANNES BERCHMANS, et alii multi sancti; *ergo* talis mundus possibilis est.

Argumentum est evidentissimum et tale ut circa illud dubitationes rationabiles non sint suscitandae.

666. *Rationes autem contrariae, de quibus facta est mentio, sic solvuntur.*

a) Mundus ille *miraculosus non esset;* nam gratia efficax est omnino gratuita sive uni sive infinitis detur, et non habet aliam legem distributionis nisi quam voluntarie statuat donator Deus; si ergo voluisset dare gratias efficaces omnibus, talis providentia esset miranda, sed non tamen miraculosa.

b) In illa providentia *servaretur libertas,* sicut servatur libertas perfecta in omnibus quibus datae sunt gratiae efficaces usque ad finem vitae.

667. c) *In illa providentia possent exerceri innumerae virtutes,* ut fides, spes, charitas; virtutes cardinales et omnes virtutes morales quae sunt cardinalibus subordinatae, et sunt vere innumerae. *Non exercerentur* virtutes quae praesupponunt peccatum, v.c. poenitentia, patientia in persecutionibus iniustis, fortitudo in martyriis, et aliae similes. Sed licet non exercerentur quoad materiam, sed certe quoad formam. Verbi causa, poenitentia est amor iustitiae et sanctitatis divinae, et hic amor poterat haberi licet peccatum non fuisset commissum neque dolor de peccatis commissis haberetur. Virtutes autem aestimantur ob formalitatem earum, non ob materialitatem: secus minus laudabilis esset B. Virgo et Christus qui has virtutes formaliter non habuerunt quam Maria Magdalena et Sanctus Petrus qui has virtutes formaliter habuerunt.

Disparitas cum tabella picta est manifesta. In tabella picta, quae est ordinis naturalis, umbrae sunt appetibiles et intenduntur propter pulchritudinem totius; et contra in ordine morali peccata non possunt appeti propter pulchritudinem universi; neque sunt ornamentum mundi sed sunt aliquid quod solum est pulchrum in quantum deletur propter poenitentiam et in quantum poenitens mavult ut non essent, et in quantum peccatum ex tabula picta eicitur per detestationem.

d) Homines possent cognoscere suam *debilitatem* et *infirmitatem* et dependentiam a Deo tum ex fide tum ex recta ratione.

668. *e)* Deus in illo mundo sine peccatis, non ostenderet omnia *sua attributa ut exercita,* v.c. iustitiam punitivam aut clementiam in peccatis; sed per fidem et rationem possent homines habere cognitionem perfectiorem quam nos, de eius iustitia punitiva, et de clementia et de patientia, sicut et nos cognoscimus omnipotentiam Dei et Deum posse creare alios mundos si vellet, licet non viderimus illam creationem neque omnia opera quae Deus potest facere.

Neque est melior mundus ille in quo debent exerceri illa attributa, iustitiae punitivae, clementiae in peccatis et patientiae, quam ille in quo haec non debent exerceri: nam si exercentur ea attributa, ideo est quia non omnia procedunt iuxta voluntatem divinam, et iuxta consilium providentiae primariae, sed iuxta consilium providentiae secundariae et praesuppositis peccatis quae Deus non vult esse. Sicut non est melior illa familia in qua Paterfamilias debet punire alios, et alios patienter tolerare et aliis clementiam impendere, quia omnes rebellant et ab oboedientia desciscunt, quam illa alia familia in qua Paterfamilias vultum amicissimum erga omnes exhibet, quia omnes sua officia in domo faciunt.

669. *f)* De facto scimus, si peccatum non fuisset, *Christum non venturum* fuisse, et ideo canit Ecclesia "O felix culpa!"; sed *potuisset venire,* et in hoc casu mundus sine peccatis non fuisset inferior mundo cum peccatis, siquidem Christo non careret.

g) Certum est in illo mundo sine peccatis, Christum non passurum mortem a scelestis hominibus, quia scelesti non futuri fuissent. Tunc quidem deficerent exempla virtutum Christi in aliqua materia, sed non in formalitate eius, nam tota exemplaritas Christi consistit in amore suo erga Deum et proximum, sine lucro suo, et hoc ostendisset etiam si non passus fuisset. Erroneum est enim dicere virtutes aestimandas esse ob materiam (v.c. ob molestiam toleratam) in qua exercentur et non potius ob motivum formale ob quod exercentur.

670. *h) Falsum est Deum non posse permittere peccata nisi eliciendo bona quae compensent peccatum:* malum enim peccati solum potest compensari proportionaliter per adventum Christi; ergo si vera esset propositio obiecta, Deus non posset permittere peccata, nisi sub conditione ut incarnaretur Filius Dei. Hoc vero est absonum; nam iuxta Theologiam, adhuc post peccatum, Deus erat liber ut incarnaretur vel non incarnaretur. Falsum quoque est Deum non posse permittere peccatum nisi sub obligatione eliciendi bona maiora quam quae essent in mundo sine peccatis. *Primo,* quia nullo argumento vel umbra argumenti probatur. *Secundo* quia difficillime potest haec propositio dici consona factis. Nam quis possit dicere maiora bona secuta fuisse ex apostasia Orientis a Roma, quam quae potuissent sequi ex oboedientia submissa, et ex cultu intenso virtutum quae potuerunt esse sine illa apostasia? Et quis dicat maiora bona secuta fuisse ex persecutione russica, quam fuissent illa bona quae potuerunt esse sine illa persecutione?

671. 5. *Dicendum est hunc mundum esse valde bonum, et in quibusdam aspectibus insuperabilem; tamen meliorem potuisse esse. Quod sic explicatur* [4].

A. *Hic mundus est bonus,* in quantum de manibus Dei procedit. Nam singula entia participant bonitatem Dei, utpote effectus Dei, qui tendit ad communicandam suam bonitatem creaturis, et praeterea tendunt ad sui perfectionem; *atqui* mundus qui constat effectibus bonis et qui tendunt ad maiorem perfectionem non potest non esse bonus; *ergo* mundus est bonus.

672. B. *Et non solum est bonus, sed et valde bonus.* Nam mundus erit valde bonus, si habeat in se res excellentissimas et variatissimas, et si sint ordinatae modo mirabili tum ordine particulari tum ordine universali; *atqui* ita se res habet; *ergo* mundus est valde perfectus.

Maior constat, et *minor* declaratur.

a) Sunt in mundo res *excellentissimae,* ut sunt astra, lapilli, terra, aqua, aër, plantae, animantia, homo.

---

[4] Optimismum simplicem defendunt SUÁREZ, DM d.30 s.17 n.19-23; et *De Deo,* 1.3 c.9 n.24-27; et *De incarnat.,* d.4 s.2 n.8.68.73.74; VÁZQUEZ, G., *In I,* d.107 c. 3; TOLETUS, *In 1,* q.25 a.6; ipse S. THOMAS saepe, v. c., *In 1* d.46 q.1 a.3 ad 6; J. H., *Interpretación optimista de la historia:* Pens 8 (1952) 291-311; IDEM, *Theol. Nat.* (1950) p.693, cum bibliographia ibid.; URRÁB., *Cosm.,* p.69-78; DONAT, *Cosm.,* p.268-269.

b) Illae res sunt *variatissimae:* nam genera rerum sunt plurima ut apparet in classificationibus plantarum terrestrium et maritimarum, in piscibus, in animalibus terrestribus, in mineralibus et corporibus elementaribus, et in singulis generibus sunt innumerae species.

c) Et illae res sunt *ordinatae modo mirabili particulari.* Nam si consideremus mineralia, plantas, animantia, vires caloris, lucis, electricitatis, affinitatis, cohaesionis, invenimus haec omnia oboedire legibus fixis et sequi supputationes mathematicas, adeo ut sapientes qui detegunt hunc ordinem, videantur solum detegere supputationes quas architectus sapiens et potens sequitur in ordinatione rerum.

d) Etiam mirabili ordine universali dispositae sunt res universi. Hoc testantur scientiae quae investigant mundum sub aliqua ratione universaliore. Sic astronomia docet mirabilem dispositionem astrorum, circumvolutiones determinatas, tempora fixa, et subiecta normis mathematicis, sicuti si oboedirent alicui architecto peritissimo et potentissimo [5].

673. C. *Et in quibusdam rebus est omnino insuperabilis, ita ut neque Deus possit facere res nobiliores quoad substantiam.* Nam in mundo habemus Christum, Maternitatem divinam, gratiam sanctificantem, et promissionem visionis beatificae: hae participationes divinae bonitatis sunt adeo magnae, ut non possint nobiliores esse quoad substantiam.

Fatendum tamen est has easdem res quoad modum, quoad extensionem et quoad intensionem, potuisse esse maiores; nam *humanitas Christi* potuit habere maiorem gratiam creatam et maiorem visionem beatificam, et beneficia redemptionis potuerunt extendi de facto amplius, et potuerunt esse multo intensiora et efficaciora. Et simile quid dicatur *de maternitate divina B. M. V.*, de gratia sanctificante et de visione beatifica hominum. Et ratio cur haec potuerunt esse meliora, est quia hae res sunt aliquid creatum, licet sint aliquid simpliciter infinitum, si respiciatur terminus ad quem haec referuntur.

674. D. *Et crescit bonitas mundi si consideremus beneficia illa supernaturalia facile ab omnibus hominibus obtineri posse.* Nemo enim est qui his beneficiis privetur nisi culpa propria aut sine aliqua negligentia eorum qui curant minores.

---

[5] De pulchritudine mundi plurima scribunt Patres et scriptores ecclesiastici; et CARD. BELLARMINO, *De ascensione mentis ad Deum;* et LUDOVICUS DE MOLINA, *In 1* q.2 a.3; LUDOVICUS GRANATENSIS, *Introd. al Símbolo de la fe;* et CICERO, *De natura deorum.*

Si autem agatur de bono essentiali cuiusdam beatitatis naturalis, nemo est qui privetur nisi propria culpa.

Mala autem quae sunt in mundo et quae vere mala dici possunt, non sunt nisi peccata et condemnationes aeternae, haec autem procedunt ab hominibus, non autem a Deo qui mundum creavit.

675. E. *Si quaeratur quid magis abundet, bona an mala,* dicendum est abundare magis bona quam mala in omni ordine rerum, in ordine physico, plures sunt qui habeant vestitum, quam qui careant; plures qui habeant ad vescendum quam illi qui careant; plures actus boni exercentur in mundo quam mali. De damnatione aeterna obscuritas et admiratio magna nobis est; sed illud non accidit sine culpa hominum, et sine magno bono universi, quia Deus auctor mundi per reparationem ordinis et debitam sanctionem glorificabitur.

CAPUT XI

De causis extrinsecis ultimis mundi

676. Introductio. Corpora possunt considerari secundum quod sunt naturae quaedam habentes quasdam proprietates, vires et finalitatem, et in quantum coeunt in aliquod totum constans ex membris, ex quorum recta dispositione seu collocatione provenit effectus valde appetibilis, ut est vita viventium. Hoc modo iam consideravimus mundum in superioribus. Possunt etiam considerari corpora secundum praedicatum contingentiae et dependentiae a causis supremis. Sub hoc respectu considerabimus mundum in hoc capite.

Proprie loquendo haec tractatio de causis ultimis mundi in quantum est ens contingens, non pertinet ad Cosmologiam, sed ad eam scientiam quae tractat de ente contingente et de eius causis. Haec autem scientia est Metaphysica, et nominatim illa pars Metaphysicae quae est Theologia Naturalis: nam causa entis contingentis ut talis est ens non contingens, et hic est Deus. Sed tamen, instar complementi materiae, et quia erunt quaedam notatu digna in causis extrinsecis ultimis mundi, ideo in hoc capite ultimo tractabimus breviter de illis.

Et materia dividetur in tres articulos, qui respondent modis quibus Deus potest esse causa ultima extrinseca mundi: *primus* erit de causa efficiente ultima mundi; *secundus* erit de causa finali ultima mundi; *tertius* erit de causa exemplari ultima mundi.

ARTICULUS I

DE CAUSA EFFICIENTE ULTIMA MUNDI

Assertum 6. Mundus, quoad eius substratum ultimum, productus est a Deo per creationem ex nihilo [1].

677. Nexus. Iam supra est declaratum mundum factum esse a Deo seu ab ente necessario. Nam cum mundus sit contingens, debuit produci ab alio ente, et quidem ultimo ab alio ente quod non sit contingens: nam contingens, sive sit unum sive plura sive infinita, sunt cero in ordine ad sufficientiam exsistendi ex se, ideoque indigent alio quod non sit contingens.

Sed nunc probare volumus mundum esse factum per creationem *ex nihilo;* et loquimur de substrato ultimo, quod est subiectum omnium transmutationum; nam transmutationes plurimae potuerunt fieri per vires naturae, licet semper sub providentia Dei. Declarandae ergo sunt notiones.

678. Notiones. CREATIO EX NIHILO est productio rei ex nihilo sui, quia antea non erat, et ex nihilo subiecti, quia non facta est ex ullo subiecto praesupposito. Seu aliter, creatio est productio rei secundum totam entitatem rei, ita ut nihil praesupponatur de ea.

679. *Adversarii:* PLATO et ARISTOTELES tenent materiam esse increatam, et ideo Deum seu demiurgum non esse creatorem sed solum artificem et architectum mundi. Magis adhuc expresse negant creationem *materialistae:* hi docent materiam esse increatam, et per evolutionem suarum virium formatum esse universum. Item negant creationem mundi de nihilo *pantheistae evolutionistae:* hi docent mundum non distingui a Deo, sed esse ipsum Deum qui necessario per sui evolutionem fit omnia. Sic brahamanistae et Spinoza. Sed sana philosophia et scholastici omnes docent materiam productam esse per creationem ex nihilo, et quidem a Deo.

680. Probatur thesis.

Prob. 1. (Ex contingentia materiae.) Nam materia seu ultimum substratum omnium mutationum, est aliquid contingens; *atqui* si materia est contingens, producitur ab alio, et quidem de nihilo; *ergo* materia producitur ab alio, et quidem de nihilo, seu per creationem stricte dictam.

Maior: a) quia materia pendet a rebus realiter a se distinctis ad *habendas perfectiones diversas,* v.c. ut sit arbor,

[1] S. TH., 1 q.44.45; J. H., *Theol. Nat.,* p.753.

vel animal indiget formis substantialibus; ut sit quanta et impenetrabilis, indiget quantitate. *b)* Item dependet ab aliis rebus a se realiter distinctis *ut exsistat:* et sic non potest exsistere sine illa vel illa ubicatione, vel sine hac aut illa figura; *atqui* ens necessarium non pendet ab ullo realiter distincto ut sit perfectum vel ut possit exsistere; *ergo* materia est ens contingens.

Minor. a) Nam contingens, sive unum, sive mille, sive etiam infinita, non habet rationem sufficientem suae exsistentiae in se; *ergo* habet rationem sufficientem suae exsistentiae in ente diverso ab ente contingente; ens vero diversum ab ente contingente, est ens necessarium et Deus (nam ex Theodicea, ens necessarium est Deus). *b)* Et quidem *per creationem ex nihilo;* quia materia producitur, ut probatum est; *atqui* non potest produci ex subiecto praesupposito, quia neque dependet ab ullo subiecto, neque constat subiecto, quia illa est ultimum subiectum mutationum; *ergo* producta est ex nihilo subiecti, quod est produci per creationem stricte dictam.

681. *Prob. 2. (Ex unitate entis increati.)* Ens increatum est unicum; *ergo* quidquid est praeter illud unicum increatum, est creatum a Deo saltem ultimo, et quidem de nihilo. Si enim Deus creavisset materiam de aliquo praesupposito, non creato a Deo, essent duo increata, nempe Deus et illud subiectum praesuppositum ex quo facta esset materia.

682. Assertum 7. Supposita creatione materiae ex nihilo, non ostenditur impossibilis formatio mundi et telluris per evolutionem naturalem.

Iam ostensum est substratum mundi creatum esse de nihilo. Nunc autem quaeritur de formatione et de dispositione quam mundus nunc habet. Et circa hoc sunt plures sententiae [2].

Prima sententia tenet mundum, ex quo tempore est, esse in hac forma quam nunc habet, nulla admissa evolutione: sic ARISTOTELES, qui mundum, qualis nunc est, ait fuisse ab aeterno.

PLATO dixit mundum habuisse quidem initium, nullam tamen passum fuisse evolutionem, sed ex quo tempore est, fuisse sicut nunc est. Plerique scholastici tenebant mundum quidem universum ab initio fuisse sicut nunc est, sed in terra

[2] De cosmogonia plura ap.: URRÁB., p.240-250; PUIG, I., *Materia y energía,* n.58-62; MORÁN, *Cosm.,* p.290-293; LAPLACE, *Exposition du système du monde* (Paris 1836); DONAT, *Cosm.,* p.291-307; RODÉS, *El firmamento* (Barcelona 1927); A. DUE, *La cosmogonía moderna y la encíclica "Humani generis"* (Granada 1951).

admiserunt quamdam evolutionem, non ex viribus naturalibus, sed ex interventionibus divinis, iuxta sex dies Geneseos.

Secunda sententia, admissa creatione materiae ex nihilo, (si sunt catholici) dicunt formationem mundi universi, et nominatim telluris, per evolutionem habuisse originem secundum vires naturales. Modus autem quo haec evolutio locum habuit explicatur per *cosmogoniam,* quae est theoria circa formationem mundi [3], per *geogoniam,* quae est theoria circa formationem telluris; per *geologiam,* quae est theoria circa formationem stratorum terrae, et per *transformismum,* quae est theoria circa originem et varietatem viventium.

Cosmogonia laplaciana, sive nebularis. Prima theoria cosmogonica est ea quam statuit KANT (1755), et postea, independenter ab illo, LAPLACE (1876) a quo nomen habet. Vocatur theoria nebularis (de la nebulosa primitiva) et potissimum applicatur ad formationem systematis planetarii.

a) *Origo laplaciana universi et telluris* [4]. *Primo* haec theoria postulat initio fuisse massam materiae, ornatam viribus et praesertim calore. Per irradiationem caloris massa coepit contrahi et consequenter habere motum rotatorium: in quo motu rotatorio massa acquisivit formam globosam. *Secundo* ex hac massa globulari circa aequatorem separatae sunt quaedam massae in forma annulorum. *Tertio* hi annuli paulatim perrupti sunt et collecti in massas etiam globulares: quae ideo circumvolvuntur circa massam praecipuam, et circa axim proprium: et hi sunt planetae, inter quos est terra.

b) *Evolutio laplaciana telluris* [5]. Terra initio erat in statu igneo: paulatim frigefacta est extrinsecus, unde creata est crusta frigida et dura, quae circumdabatur aqua valde turbida et inquieta. Hinc explicantur mineralia eruptiva et strata sedimentaria. *Strata eruptiva* explicantur, quia ignis centralis saepe perrumpit crustam, et producit montes ignivomos, unde eruperunt lava et saxa eruptiva. *Strata autem sedimentaria* explicantur quia ab aqua illa turbida segregata sunt paulatim corpora quae erant suspensa. Strata autem sedimentaria numerantur secundum antiquitatem decrescentem sequentia: stratum azoicum, palaeozoicum, mesozoicum, neozoicum; et hoc postremum dividitur in epocham tertiariam, quaternariam, diluvium et alluvium.

---

[3] A. DUE, *Dios y la Ciencia* (Granada 1941) p.181.

[4] RODÉS, *El firmamento* (Barcelona 1927).

[5] De hoc multa tractant theologi et scripturarii, cum commentantur sex dies Geneseos: cf. BERAZA, *De Deo Creante,* p.179ss.; SAGÜÉS, J. F., *Sacrae Theol. Summa,* IV (BAC, Madrid 1952) 457.

c) *Crisis:* Haec theoria non satisfaciebat, et ideo emendata est a C. BRAUN et ab aliis; sed neque sic emendata potuit sustineri: nam si illa theoria esset vera, deberent dari determinata facta, et illa facta non solum non dantur, sed dantur facta omnino contraria. Ideo tandem haec theoria nebularis laplaciana reiecta est ut falsa et infundata.

683. *Nova Cosmogonia.* Ideo recentius defenditur theoria quae vocatur agglomerativa seu concentrationis [6]. Theoria laplaciana omnia explicabat per vires gravificas et per motus mechanicos. In theoria autem agglomerativa habent etiam locum vires attractivae et repulsivae electromagneticae, vires lucis et caloris, pressiones advenientes ex irradiationibus, et insuper vires ingentissimae nucleares fissionis et fusionis [7]. In hac theoria possumus distinguere formationem stellarum, formationem systematis planetarii et formationem terrae.

684. a) *Formatio stellarum.* Haec theoria *primo* postulat exsistentiam massae materialis, quae esset in statu aëriformi, vel ad modum pulveris sparsa per immensa spatia. Illa autem massa erat in statu aequilibrii, et aliqui putant eam fuisse in altissimo gradu caloris, alii vero in statu frigiditatis. Unde autem originem duxerit illa massa non dicunt, sed catholicus sine dubio dicit illam habuisse originem per creationem ex nihilo.

Secundo ille status aequilibrii perruptus fuit v.c. per inaequalitatem caloris; unde autem facta sit illa interruptio aequilibrii in calore non explicant; sed sine dubio debent admittere eam factam esse a motore distincto a mundo, ob principium inertiae, scilicet a Deo: et ideo iam multi scientifici loquuntur de creatione, et de Verbo *Creatoris,* in sensu improprio, quia movere non est creare.

Tertio, perrupto statu aequilibrii, particulae coeperunt coniungi ob pressiones advenientes ex irradiationibus aliarum particularum, ob vires gravificas, et ob vires attractivas et repulsivas electromagneticas, et efformaverunt globos ingentes: vires autem repulsivae impediebantur ne dispergerent iterum totam massam, per vires involucri externi, quod ad modum crustae protegebat massam a dispersione et exercebat munus defensivum seu "effectum umbrae". Crescente vero

[6] Hypothesim similem, quae vocatur conglomerativa, vide ap. DONAT, p. 299-300, ubi dicit hanc theoriam excultam fuisse a RITTER, ZEHNDER, ARRHENNIUS, LOCKYER. Auctor autem theoriae concentrationis est FRED. L. WIPLE, *Concentration of the interstellar medium* (1948).

[7] A. DUE, *La cosmogonía moderna y la encíclica "Humani generis": Discurso inaugural de 1951 a 1952* (Granada 1951) p.13-16.

attractione particularum, et frictione et consequenter calore, coeperunt exerceri activitates nucleares fissionis et fusionis, et ita demum formatae sunt stellae.

Quarto, stellae distributae sunt in galaxias, in cumulos globulares stellares [8] (examina stellarum, enjambres de estrellas) et stellas binarias aut ternarias (estrellas dobles).

685. b) *Formatio systematis planetarii* [9]. Origo systematis planetarii semper est in stellis binariis (estrellas dobles). Una ex stellis binariis senescit multo citius quam alia, et exploditur et perrumpitur in multa frusta, quod sic explicatur. Illa stella quae senescit, acquirit crustam frigidam et duram: ignis interior non tolerat illam compressionem, quae advenit ex crusta exteriore, et ideo explodit totum globum stellarem in mille frusta. Haec autem frusta subiciuntur ab altera ex stellis binariis, et ideo circumvolvuntur circa illam cum motu translationis et rotationis. Atque ita orti sunt planetae, inter quos est terra [10].

Geologia: Evolutionem autem ipsius terrae usque ad praesentem statum explicat scientia geologica, cum magno fundamento in factis experientiae.

686. *Nostra autem sententia* bene distinguit inter thesim quae asserit possibilitatem evolutionis in efformatione Universi et Telluris, et hypotheses circa modum huius evolutionis. Nos, omittentes hypotheses circa modum evolutionis, affirmamus thesin quae statuit non ostendi impossibilitatem formationis Universi per evolutionem: nihil interea dicimus de origine et varietate viventium, quia hoc ad psychologiam remittimus.

687. Probatur assertum. Formatio mundi aut telluris per evolutionem naturalem esset impossibilis, si admissa hac evolutione, neganda esset necessario creatio materiae ex nihilo, aut si dicendum esset formationem mundi qualis nunc est, esse casualem, aut si affirmandum esset causas inferiores producere aliquid essentialiter superius; *atqui* haec non sequuntur necessario ex evolutione; *ergo* evolutio non ostenditur impossibilis.

Maior constat, et *minor* probatur per partes:

---

[8] PUIG, I., *Materia y energía*, n.63; RIAZA, p.640-641.

[9] Praeter nostrum systema planetarium observata sunt alia multa; vide J. GAUZIT, *Les grands problèmes de l'astronomie* (1951) c. 3 p.56; A. DUE, *Crisis filosófica en las ciencias físico-naturales:* Pens (1954); IDEM. *El átomo en el mundo astronómico:* Boletín de la Universidad de Granada, 17 (1945) 445-463.

[10] FRED. HOYLE, *Where the planets came from: The Listener*, II-III (1950).

a) Non sequitur *negandam esse creationem:* nam potuit Deus creare ex nihilo materiam, eamque ornare viribus proportionatis ad suos effectus et sic potuit naturaliter fieri evolutio.

b) Neque sequitur dispositionem mundi, qualis nunc est, *esse casualem:* nam cum Deus creavit materiam in statu aëriformi, potuit dare quemdam motum primitivum, ex quo necessario perveniendum esset ad formam mundi quam nunc habet; hoc modo formatio mundi non fuisset casualis, sed intenta a sapientissimo Creatore, et per vires materiae rite dispositae de facto producta.

c) Non sequitur causas *inferiores producere aliquid essentialiter superius.* In hac enim formatione mundi habemus et vitam quae est superior omni materia, et ordinem sapientissimum, qui superat omnes vires materiae. Sed vitam non dicimus esse productam a materia bruta. Item ordinem mundanum non dicimus productum esse per solas vires materiae, sed per interventum Creatoris cum materiam creavit in statu aëriformi et cum motum primitivum indidit.

688. Assertum 8. Mundus non necessario creatus est ab aeterno [11].

Nam necessitas creationis ab aeterno peteretur aut ex parte Dei, aut ex parte mundi. Sed *ex parte Dei* nulla est necessitas, quia Deus liber est ad extra. Neque *ex parte creaturarum,* quia creaturae sunt contingentes, ideoque indifferentes ut exsistant vel non exsistant, ut exsistant in hoc tempore vel in alio; *ergo* nullo ex capite datur necessitas creationis ab aeterno.

689. Assertum 9. Mundus creatus est in tempore.

Hoc significat quod si numeremus annos ab hoc instante sursum usque ad originem, inveniemus initium.

Haec thesis constat *primo* omnino de fide ex revelatione.

Secundo alii volunt probare ex ratione, opinantes repugnare metaphysice creationem ab aeterno: et licet hoc argumentum non sit contemnendum, tamen a multis scholasticis impugnatur, credentibus possibilem esse creationem ab aeterno [12].

Tertio scientifici adducunt non parva indicia quae indicant mundum habuisse initium. Indicia autem sunt sequentia.

---

[11] S. TH., 1 q.46 a.1.2; 2 CG c.31-38; *Opusculum De aeternitate mundi;* ARIST., 1 *De caelo et mundo,* c.10-12, *defendit aeternitatem mundi;* SUÁREZ, DM d.20 s.5 n.6-10; J. H., *Theol. Nat.,* p.769-773.

[12] S. TH., 1 q.46 a.2; SUÁREZ, DM d.20 s.5 n.11-12; J. H., *Theol. Nat.,* p.773ss.

a) Nebulosae spirales seu galaxiae *separantur* constanter inter se et a quolibet puncto designabili, et quidem cum velocitate ingentissima: *ergo* si durassent ab aeterno, iam distarent inter se infinite, quod non contingit.

b) Singulae nebulosae et galaxiae circumvolvuntur circa seipsas, et in hac circumvolutione, stellae, quae ibi continentur, tendunt ad distributionem *regularem;* iam vero si ab aeterno durassent nebulosae, iam pervenissent ad distributionem regularem, quod tamen non contingit[13].

c) Quantitas energiae mundanae utilis ad motum producendum semper in dies est *minor; ergo* si mundus durasset ab aeterno iam diu tota energia utilis ad motum esset nulla, quod non contingit.

d) Singillatim, corpora *radioactiva* semper (desintegrantur seu) resolvuntur in helium et plumbum; iam vero, si ab aeterno durassent, iam diu penitus resoluta essent, neque iam exsisterent corpora radioactiva, quod tamen non contingit[14].

Et non solum probant verosimiliter scientifici processus evolutivos mundi habuisse initium, sed etiam conantur determinare tempus in quo hi processus habuerunt initium. Et dicunt hos processus incepisse abhinc quinque aut decem mille milliones annorum. Hoc deducunt ex iisdem indiciis ex quibus concludunt dari initium processuum evolutivorum, quorum summa videri potest in discursu Pii XII ad Pontificiam Academiam Scientiarum, 22 nov. 1951, prope finem[15].

690. Per haec tamen argumenta probatur *processus evolutivos* habuisse initium et quidem per interventum alicuius motoris distincti a mundo, quia ex principio inertiae, mundus a seipso non potuit inchoare motum. Non autem probatur *ipsam materiam* habuisse initium. Nam ante processus evolutivos, qui hucusque perdurant, potuit esse materia quieta sine ulla activitate, vel etiam potuit esse sub aliis processibus prio-

---

[13] L. GIALANELLA et EDDINGTON, ap. RIAZA, p.643.

[14] Stellae quae vocantur duplices in dies magis separantur; ergo si ab aeterno durassent, iam penitus essent separatae per infinitam distantiam, quod tamen non contingit. Sic S. CHANDRASEKHAR, ap. RIAZA, p.635; similiter stellae in cumulis globularibus stellarum (enjambres) separantur magis in dies; ergo si durassent ab aeterno, iam stellae essent separatae per infinitam distantiam. Sic L. SPITZER, ap. RIAZA, p.641.

[15] PIUS PAPA XII, *Le prove della existenza di Dio a la luce della scienza moderna:* Allocutio ad Pontificiam Academiam Scientiarum habita die 22-XI-51: AAS 44 (1952) 31-43; cf. Pens 8 (1952) p.215-233; P. TEN BRUGGENCATE, Gottingen, dicit solem habere 4.000 milliones annorum; F. A. PANETH ait Solem habere circa 3.000 milliones annorum: EDDINGTON ait universum incepisse abhinc 1.900 milliones annorum; PANIKER, R., *La entropía y el fin del mundo* (Un problema de Cosmología): RevFil 4 (1945) 285-318; BARRIO, J. M., *La edad del Universo:* Pens 9 (1953) 229-238.

ribus, qui penitus extincti sunt. De origine materiae per causam extrinsecam et de eius initio solum potest docere *philosophia* et *fides*.

ARTICULUS II

DE CAUSA FINALI MUNDI [1]

691. Assertum 10. Deus creavit mundum propter semetipsum. Hic designatur ratio sufficiens exsistentiae et specificationis actus divini creandi mundum. Et dicimus rationem volendi pro Deo non esse rem aliquam extra Deum, sed solum bonitatem divinam.

Et probatur. Nam actus omnis volitivus habet rationem sufficientem exsistentiae et specificationis et nobilitatis, in obiecto quod amatur et propter quod est; *atqui* actus divinus non potest habere rationem sufficientem in ulla re extra se; *ergo* habet rationem sufficientem solummodo intra se, in bonitate divina ut in obiecto amato.

Corollaria. Hinc intelligitur: *a) Primo,* Deum amare cetera extra se, non propter illa, sed propter se solummodo, ut propter rationem amandi. b) *Secundo,* Deum amare cetera extra se eodem actu quo amat se: nam si amaret alio actu, hic actus specificaretur seu sisteret directe in creaturis, et ideo rationem sufficientem sui haberet in creaturis. c) *Tertio,* hinc sequitur Deum amare omnia sibi: nam si aliquis facit aliquid propter se, vult illud sibi, ut est manifestum.

Patet igitur hic determinatam esse et rationem sufficientem actus divini et finem *cui,* omnium creaturarum.

692. Assertum 11. Deus creavit omnia propter se, ut communicandum aliis, modo proportionato entitati cuiuslibet. Hic determinatur finis *qui,* vel potius terminus communissimus intentus a *Deo.*

Prob. 1. Nam Deus creavit omnia propter semetipsum; *atqui* non propter semetipsum fruendum, aut obtinendum, quia etiam sine creaturis se infinite fruitur et possidet; *ergo* propter seipsum ut imponendum aliis ut finem, ita ut ipse sit finis ad quem omnia tendant, et qui ab omnibus suo modo possideatur.

---

[1] De fine ultimo rerum latius ap. IREN. GONZÁLEZ, *Philosophiae Scholasticae Summa,* III p.332-346, ubi copiosa bibliographia; J. F. SAGÜÉS, S. I., *Sacrae Theologiae Summa,* III (BAC, Madrid 1952) 517-538; DALMÁU, J. M., S. I., *La bondad divina y la gloria de Dios, fin de la creación, "finis operis et finis operantis"*: EstEcles 20 (1946) 509-533.

Prob. 2. Deus vult propter se seu sibi, creaturas; *atqui* creaturae non sunt nisi imitationes essentiae divinae, et participationes bonitatis suae; *ergo* id quod vult Deus sibi, est habere res quae sint imitationes suae divinae essentiae et participationes bonitatis suae, secundum indolem cuiusque.

Maior constat ex asserto 10. *Minor* vero declaratur: quia creaturae sunt essentialiter effectus Dei, ut causae sufficientissimae; effectus autem causae sufficientissimae est similitudo et participatio perfectionis causae, quia continetur in perfectione causae.

693. Assertum 12. Deus creavit omnia propter suam gloriam obiectivam. Nam Deus creavit omnia ut haberet sibi similitudines essentiae suae; *atqui* in hoc consistit gloria sua obiectiva; *ergo* Deus creavit omnia propter gloriam suam obiectivam.

Maior constat ex praecedenti asserto; et *minor* declaratur: nam gloria obiectiva consistit in manifestatione perfectionum Dei; si autem creaturae non sunt nisi similitudines essentiae divinae et participationes bonitatis eius, sunt manifestationes perfectionum divinarum.

694. Assertum 13. Deus creavit hominem propter gloriam suam formalem. Nam Deus creavit omnia ut participarent bonitatem Dei, iuxta indolem cuiusque (assert 11); *atqui* homo est rationalis et liber et activus; *ergo* debet participare bonitatem divinam intentionaliter per intellectum, et libere per voluntatem et active per exsecutionem eorum, quae voluntati divinae sint conformia; *atqui* in hoc consistit gloria formalis; *ergo* homo factus est ad gloriam formalem Dei.

695. Assertum 14. Hinc sequitur non solum hominem sed etiam irrationalia esse creata ad gloriam formalem Dei mediante homine.

Omnia enim creata sunt ut manifestarent perfectiones Dei; *atqui* solum homini possunt manifestari perfectiones Dei; *ergo* illae factae sunt ut manifestarent gloriam Dei hominibus. Hoc vero est dare gloriam formalem Deo per hominem; *ergo* omnia facta sunt ad gloriam Dei formalem mediante homine.

ARTICULUS III

DE CAUSA EXEMPLARI MUNDI [2]

696. Assertum 15. Deus est causa exemplaris ultima mundi.

Nam Deus necessario debet uti exemplari in effectione mundi; *atqui* illud exemplar necessario est Deus; *ergo* Deus est causa exemplaris mundi.

Maior patet ex Ontologia: quia omne ens rationale, operans ut rationale, debet habere in mente notionem rei faciendae; *atqui* hoc est exemplar; *ergo* omne ens rationale, ideoque etiam Deus, in operando ad extra debet uti exemplari.

Minor: nam si illud exemplar esset extra Deum, Deus penderet in operando ab aliquo extrinseco; *atqui* hoc est absonum; *ergo* exemplar saltem ultimo est Deus.

697. Assertum 16. Deus est exemplar mundi analogum et formale: analogum per essentiam suam; formale per intellectum seu ideas exemplares.

A. *Deus est exemplar analogum mundi per essentiam suam.* Deus erit exemplar analogum, si tota essentia creaturarum est similitudo quaedam essentiae divinae, licet imperfectissima et tenuis; *atqui* ita res se habet; *ergo* essentia divina est exemplar analogum.

Maior constat et *minor* nota est: a) *Est similitudo Dei:* quia res extra Deum non sunt nisi effectus Dei, causae sufficientissimae; *atqui* effectus alicuius causae sufficientissimae, in tantum potest esse effectus eius in quantum tota eius perfectio continetur in essentia causae; *ergo* res omnes in tantum habent perfectionem, in quantum haec continetur in essentia causae ultimae et sufficientissimae, quae est Deus: et hoc aliis verbis est dicere omnem perfectionem creaturarum esse similitudinem et imitationem quamdam Dei. b) *Imperfectissima et tenuis.* Deus enim habet perfectionem a se et infinite, creatura autem habet illam ab alio et finitam, et multis imperfectionibus admixtam.

698. *Dices:* res creatae non possunt esse similitudines Dei, sed contra, dissimilitudines; Deus enim nihil habet de bestia, de vegetali, de lapide, de quantitate: ergo neque bestia, neque planta, neque lapides possunt esse similitudines Dei.

[2] De causa exemplari latius ap. J. H., *Theol. Nat.*, p.667-675, ubi copiosa bibliographia; GERARDI, GIULIO, S. D. B., *Metafisica della causa esemplare in S. Tommaso d'Aquino* (Torino 1954) p.107.

Resp., nego assertum. Ad probationem, *dist. antec.:* Deus nihil habet de bestia quoad partem negativam illius, quod est non habere maiorem perfectionem, *conc.;* quoad partem positivam, *subdist.:* nihil univoce, *conc.;* nihil analogice, *nego;* et *contradist. cons.*

Creaturae omnes includuntur secundum totam realitatem in transcendentalibus, nempe in ente, uno, vero, bono; et quia in hoc sunt similes Deo formaliter et proprie, licet imperfectissime, ideo creaturae omnes sunt similitudines et imitationes Dei, sed imperfectissimae et analogicae. Quoad negationes, v.c. non habere tales et tales perfectiones, concedendum est eas non esse similes Deo.

699. B. *Deus est exemplar formale mundi per intellectum suum, seu per ideas suas.*

Nam Deus erit exemplar formale rerum, si habet in mente ideas quae intentionaliter repraesentent rem formaliter sicuti est, et non solum secundum aliquam similitudinem, et si secundum has ideas producit mundum; *atqui* Deus habet in mente ideas quae repraesentant res formaliter ut sunt in seipsis, et non solum secundum aliquam similitudinem plus minusve vagam, et secundum eas produxit mundum; *ergo* Deus per suum intellectum et ideas est causa exemplaris formalis mundi.

CONCLUSIO

700. Ex quibus omnibus apparet Deum esse Alpha et Omega omnium rerum: est Alpha, quia ab illo procedunt omnia ut a causa efficiente, a qua habent esse, et ut a causa exemplari a qua habent essentiam et specificationem; et est Omega, quia ille est finis omnium rerum: est finis cui servire debent, et est finis cuius participatione et possessione felices erunt singula suo modo. Unde bene Lessius: Tu Domine, omnium inventor, auctor, formator, conservator, sustentator, exemplar et finis. Propter te sunt omnia ut serviant gloriae tuae... Neque ideo viliores aut miserabiliores sumus, quia propter te sumus, et omnia nostra ad tuam gloriam destinantur. Haec est enim natura nostra, hoc summum bonum nostrum, gloriae servire tuae. Tibi servire regnare est, tibi oboedire, iter vitae aeternae... Glorientur alii de regnis et principatibus, de nobilitate et opibus ceterisque huius vitae excellentiis: mea gloria sit esse servum tuum, et omnia mea esse addicta et mancipata tibi, et omnes meas cogitationes, omnes curas, omnes conatus, omnia studia servire gloriae tuae [3].

[3] Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis,* 1.10 c.7.

TRACTATUS II
Psychologia speculativa

Auctore
P. Ferdinando M. Palmés, S. I.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Fontes praecipui doctrinae psychologicae scholasticae

ARISTOTELES: *Opera varia* (ed. Bekkerii, Berlin 1830-1870. Psychologica opera, collecta inveniuntur in vol.3 editionis graeco-latinae a DIDOT, Paris 1927).

S. AUGUSTINUS: *Opera omnia,* praesertim *Confessionum libri XIII;* et *De anima et eius origine libri IV* (ML 32 et 44).

S. ALBERTI MAGNI *Opera varia,* praesertim *De anima* (Opera omnia, ed. VIVÈS [Paris 1890], vol.5).

S. THOMAS AQUINAS, O. P.: *Opera omnia,* praesertim *Summa Theologica* (1 q.75-91, et 1-2 q.8-17); *Summa contra gentiles; De anima,* quaestio unica. In ARISTOLELIS libros *De anima.* (Hoc commentarium in textu citatur iuxta editionem taurinensem, a PIROTTA, O.P., directa.)

Aliqui auctores scholastici insigniores

ALAMANUS, C., S. I.: *Summa philosophiae e D. Thomae Aquinatis doctrina,* t.2, Physicae p.3.ª (ed. parata a P. EHRLE, S. I., Paris 1890).

CARD. CAIETANUS (THOMAS DE VIO), O. P.: *Super tres libros de Anima, Enarratio in Summam Scti. Thomae* (Roma 1880).

CONIMBRICENSIS COLLEGII, S. I.: *Commentaria in tres libros de Anima Aristotelis* (Lugduni 1600).

FERRARIENSIS SYLVESTER, O. P.: *Commentaria in Scti. Thomae:* "Contra gentes" (Roma 1898-1902).

IOANNES A SCTO. THOMA: *Cursus philosophicus,* II, III (Paris 1883).

LOSSADA, L. DE, S. I.: *Cursus philosophicus,* t.4-10 (Barcinone 1883).

CARD. TOLETUS, FR., S. I.: *Commentaria una cum quaestionibus in tres libros Aristotelis De Anima* (Paris 1582).

SCOTUS, IOANNES DUNS: *In libros Aristotelis De anima* (Opera omnia, ed. VIVÈS, Paris 1891, t.3).

SUÁREZ, FRANCISCUS, S. I.: *Opera varia,* praesertim *De anima libri IV* et *Disputationes Metaphysicae Opera omnia* (ed. VIVÈS, Paris 1856, vol.3 et 25-26).

SYLVESTER, MAURUS, S. I.: *Quaestiones philosophicae,* t.3, Quaestiones De anima (Paris 1876); *Aristotelis opera omnia, brevi paraphrasi illustrata,* vol.4, in libros de Anima (ed. a BRINGMANN, S. I., Parisiis 1886).

Neoscholasticorum notiores textus didactici

BOEDDER, B., S. I.: *Psychologia rationalis* (Briburgi Br. 1890).

BOYER, C., S. I.: *Cursus Philosophiae* (Paris-Roma 1939).

BRENNAN, E., O. P.: *Psicología general* (versio hispana, Madrid 1952).

CASTELEIN, A., S. I.: *Psychologie* (Bruxelles 1904).

COLLIN: *Manual de Filosofía tomista,* I, Psicología (Barcelona 1950).

DE BACKER, S. I.: *Institutiones Metaphysicae specialis,* Psychologia, t.2 et 3 (Paris 1899).

DE LA VAISSIERE, J., S. I.: *Philosophia naturalis* (Paris 1912).

DONAT, J., S. I.: *Summa Philosophiae Christianae,* IV, Cosmologia, et V, Psychologia (Barcinone 1944).

DWELSHAUVERS, G.: *Traité de la Psychologie* (Paris 1928). Versio hispana, Barcinone 1933.

FARGES-BARBEDETTE: *Philosophia scholastica,* II, Psychologia (Parisiis 1922).

FRÖBES, J., S. I.: *Psychologia speculativa* (Friburgi Brisg. 1927).

GREDT, J., O. S. B.: *Elementa philosophiae aristotelico-thomistae* (Friburgi Brisg. 1937).

HUGON, ED., O. P.: *Cursus philosophiae thomistae,* II-III (Paris-Roma 1927-1928).

JOLIVET, R.: *Traité de la Philosophie,* II, Psychologie (Paris-Lyon 1950).

LEHMEN, A., S. I.: *Lehrbuch der Philosophie,* I (Friburgi Brisg. 1927).

LIBERATORE, M., S. I.: *Institutiones philosophicae* (Prati 1881).

MAHER, M., S. I.: *Psychology* (London 1915).

MANCINI, O. P.: *Elementa philosophiae,* II, Psychologia (Roma 1898).

MENDIVE, J., S. I.: *Institutiones Philosophiae scholasticae,* Psychologia (Vallisoleti 1887).

CARD. MERCIER, D.: *La Psychologie* (Louvain 1905).

MONACO, S. I.: *Praelectiones Metaphysicae specialis,* II, De viventibus seu Psychologia (Roma 1917).

MORAN, J. G.: *Psycholagia* (Mexici 1949).

PALMÉS, F. M., S. I.: *Psicología experimental y filosófica* (Barcelona 1952).

PALMIERI, D., S. I.: *Institutiones philosophicae,* II, Cosmologia, Anthropologia (Roma 1875).

PESCH, T., S. I.: *Institutiones psychologicae* (Friburgi Brisg. 1896).

ROSELL, O. P.: *Summa philosophica* (Bononiae 1857).

REINSTADLER: *Elementa philosophiae scholasticae,* II, Psychologia (Friburgi Br. 1937).

SANSEVERINO, G.: *Elementa philosophiae christianae* (Neapoli 1864-5).

SCHAAF, S. I.: *Institutiones psychologicae* (Roma 1909).

SCHIFFINI, B., S. I.: *Scti. Thomae Aquinatis tractatus de homine* (Woodstock 1882).

SHIFFINI, S., S. I.: *Disputationes Metaphysicae specialis* (Augustae Taurinorum 1888).

SIWEK, P., S. I.: *Psychologia metaphysica* (Roma 1948).

TONGIORGI, S., S. I.: *Institutiones philosophicae,* III, Psychologia (Bruxellis 1873).

URRÁBURU, J. J., S. I.: *Institutiones philosophicae,* Psychologia, vol.4, 5 et 6 (Vallisoleti 1894).

VAN DER AA., S. I.: *Praelectionum philosophiae scholasticae brevis conspectus,* III, Psychologia (Lovanii 1888).

VAN DE WOESTYNE, Z., O. F. M.: *Cursus philosophicus,* II, Psychologia (Mechlinae 1921).

WILLEMS, C.: *Institutiones philosophicae,* II, Psychologia (Treves 1915).

WILLWOLL, A., S. I.: *Psychologia methaphysica* (Barcinone 1952).

— *Seele und Geist* (versio hispana a MENCHACA, Madrid 1953).

ZIGLIARA, TH., O. P.: *Summa philosophica,* II, Psychologia (Paris 1893).

Alii auctores de Psychologia scholastica bene meriti

BALMES, J.: *Obras completas* (ed. crítica del P. CASANOVAS, S. I., B. A. C. directa a Balmesiana). T.2, *Filosofía fundamental,* l.1, 3 et 4; et t.3, *Filosofía elemental,* Estética, Psicología.

BARBADO, M., O. P.: *Introducción a la Psicología experimental* (Madrid 1943).

— *Estudios de Psicología experimental,* I (Madrid 1946) et II (1948).

BAUDIN, E.: *Psychologie* (Paris 1921).

DOMET DE VORGES, M.: *La perception et la Psychologie thomiste* (Paris 1892).

FABRO, C., C. P. S.: *La fenomenologia della percezione e pensiero* (Milano 1941).

FARGES, A.: *Le cerveau, l'âme et les facultés* (Paris 1900).

KLEUTGEN, J.: *Die Philosophie der Vozeit. La philosophie scolastique,* versio operis a C. SIERP (Paris 1868). Vol.3 et 4.

LAHR-PICARD, S. I.: *Cours de Philosophie,* I, Psychologie (Paris 1920).

LIBERATORE, M.: *Dell'uomo* (Roma 1874).

LINDWORSKI, S. I.: *Theoretische Psychologie im Umriss* (Leipzig 1932).

— *Das Seelenleben des Menschen. Eine Einführung in die Psychologie,* apud *Die philosophie. Ihre Geschichte und ihre Systematik* (Bonn 1934).

MARC, A., S. I.: *Psychologie réflexive* (Paris-Bruxelles 1948).

NUYENS: *L'évolution de la Psychologie d'Aristote* (Louvain 1948).

SALIS SEEWIS, S. I.: *Della conoscenza sensitiva* (Prato 1881).

VAN DER VELT, J.: *Prolegomena in Psychologiam* (Roma 1938).

Plures alii auctores afferuntur in bibliographiis specialibus pro singulis tractatus capitibus.

PROOEMIUM

1. Alteram partem *Philosophiae naturalis* didactice exponendam aggredimur quae nostris temporibus Psychologiae nomine communiter nuncupatur.

Vox Psychologia, ex vocibus graecis *psyché* et *logos* conflata, de se idem significat ac inquisitionem seu tractatum de anima.

Anima autem seu psyché, non modo apud antiquos verum etiam apud modernos auctores, si proprie seu non metaphorice accipitur, semper aliquid significat cum vita intime connexum, sive ut principium seu causam vitae, corporeis viventibus intrinsecam; sive saltem ut aliquid cum activitate aliqua vitali identificatum.

Ideo corpora viventia, *animata;* non viventia, *inanimata* plerumque dicuntur. Nec ullus exstat cultor vel auctor Psychologiae qui non existimet suum esse de aliquo vitae adspectu saltem de vita mentali pertractare.

2. In hoc opere, germanae scholasticorum traditioni inhaerentes, Psychologiam philosophicam ut partem Philosophiae naturalis exponere intendimus, et quidem ad mentem principum Scholae, ARISTOTELIS nempe et SANCTI THOMAE AQUINATIS.

Non omnes, sed tantum praecipuas et graviores quaestiones exponere intendimus quas sibi solvendas scholastici proposuere; nec illas omnes tractabimus quae eos interesse possint qui nostris diebus Psychologiam colunt vel munere illam docendi funguntur. Id enim longiorem expositionem requireret, quam hic textus didacticus pateretur, discipulis in Psychologia tironibus destinatus. Qui pleniorem declarationem doctrinae in hac *Summa* traditae desideret, eam inveniet in alio opere nostro, videlicet in volumine IV *Cursus Philosophici,* ab eadem B. A. C. edito, quod usui esse poterit Professoribus, ad praeclariores alumnos in studio huius disciplinae dirigendos.

Cum autem schema generale quo doctrina systematice et

ordinate proponitur, unum idemque sit in utroque opere quoad generaliores partitiones, saltem, videlicet, quoad libros; multa quae in hac *Summa* forsitan nimis ieiune et sobrie exponentur, plenius declarata et solidius roborata, commode in eisdem libris *Cursus,* eisdem titulis insignitis reperientur, locis interdum ad calcem pagellarum opportune citatis. Numeri autem qui intra uncinos in ipso textu inseruntur ad numeros marginales huius *Summae* lectorem remittunt.

3. Praecipuas assertiones doctrinae amplectendae, eas praesertim quae in systemate scholastico ut fundamentales habendas esse existimamus, in forma ad disputandum apta accurate proponemus, iuxta methodum scholasticam tantopere ab Ecclesia commendatam [1].

Integer tractatus in *sex partes,* quas libros appellabimus, dispescetur, quorum I, de natura et valore scientifico Psychologiae aget; II, de vita in genere; III, de vita vegetativa; IV, de vita sensitiva; V, de vita rationali, et demum VI, de vitae origine, evolutione et termino.

[1] Cf. Constitutionem apostolicam *Deus scientiarum Dominus,* a.30 § 2, et *Ordinationes S. C. de Seminariis,* a.18 § 3.

LIBER I

De natura Psychologiae philosophicae

4. Ordo doctrinae tradendae. Agendum 1.° de *obiecto* seu materia propria Psychologiae philosophicae; 2.°, de *ipsius distinctione a Psychologia experimentali* et ab aliis disciplinis sive experimentalibus sive philosophicis quae quodammodo de eodem obiecto tractant; 3.° de *methodo* qua Psychologia philosophica constructa vel construenda sit; et 4.°, de *ipsius momento* et praestantia.

CAPUT I

De obiecto Psychologiae philosophicae

ARISTOTELES, *De anima,* l.1 q.1; S. TH., *In De anima,* l.1 lect.1 et 2; SUÁREZ, *De anima,* Prooemium; IDEM, DM d.1 s.2 n.20; BARBADO, *Introducción a la Psicología experimental,* ed.2.ª c.2 et 3; GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicologia,* ed.2.ª (1949) c.1-3; GEMELLI, *Orientaciones de la Psicología experimental* (trad. Palmés) p.1.ª; BUEHLER K., *Die Krise der Psychologie* (Jena 1927); MERCIER, *Les origines de la Psychologie contemporaine,* ed.3.ª (1925) c.4 "Psychologie et Anthropologie"; GEMELLI, *Psicologia e biologia.* Note critiche sui loro rapporti, apud WASMANN, *Istinto e intelligenza nel regno animale* (Firenza 1908) Introduzione, p.I-LXXVII; VAN DER VELDT, *Prolegomena in Psychologiam* (Roma 1938) c.1; PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* ed.4.ª c.1 n.1-5; SMITH (Kendon), *Psychology and the concept of "Life":* Psychological Review, 58 (1951) 330-331; DELEARRE, *L'obiet de la psychologie:* Rev. Univ. Ottawa 21 (1951) [Section special] p.81-106; FONT PUIG, *La doble vida orgánica y psíquica en la unidad del nombre:* Act. Congr. Inter. Barcelona, II p.95-108.

5. Quaedam praemonenda circa terminologiam. Ut omnis confusio vitetur, iuvat iam ab initio, semel pro semper advertere sensum quorumdam verborum saepe recurrentium, qui apud modernos distinctus est ab eo quem eius ethymologia postularet. Sunt autem praesertim voces a graeca lingua mutuatae; *Psyché, Psychicum, Psychismus,* atque etiam *Physica* et *physicum, Physiologia* et *physiologicum.*

Vox *Psyché* quae, ut diximus, de se animam quamcumque significat, restringitur apud modernos ad significandum tantummodo prin-

cipium vitae mentalis vel ipsam vitam mentalem. Consequenter, adiectivum *psychicum,* quod de se idem esset ac animicum, dicitur tantum de activitatibus ad vitam intentionalem vel consciam spectantibus; sive cognitionis, ut sentire, imaginari, cogitare; sive tendentiae, ut appetere, desiderare et velle; atque etiam de affectionibus huiusmodi activitates intentionales comitantibus, quae affectus vel sentimenta vel emotiones dicuntur, ut exempli causa dolore vel voluptate affici, gaudere, tristari.

Psychismus, verbum est generale et saepe commodum ad significandum, modo indeterminato, quidquid ad vitam psychicam spectat, in sensu restricto intellectam.

Physica et *physicum, Physiologia* et *physiologicum,* significare deberent ea quae pertinent ad naturam quamlibet saltem experientiae nostrae subiectam, quae, graece *physis* dicitur. Moderne autem *Physica* dicitur tantum scientia naturae vitae expertis; et *physicum,* quod ad hanc naturam spectat.

Physiologia autem inconsequenter opponitur *Physicae*, et intelligitur esse scientia de processibus organicis corporum viventium, qui physiologici esse dicuntur.

Nec miretur tiro de eiusmodi transformationibus significationis nativae vocum quae etiam in sermoni vulgari frequentissime reperiuntur. "Consuetum est, ait S. THOMAS [1], quod nomina a sua prima impositione detorqueantur ad alia significanda".

His igitur praemonitis dicemus, *primo* de obiecto *per se* et *totali* Psychologiae philosophicae; *deinde* autem de obiecto *per accidens* et *partiali* potiori ipsius.

ARTICULUS I

DE OBIECTO PER SE ET TOTALI PSYCHOLOGIAE PHILOSOPHICAE

6. Quid et quotuplex sit obiectum. In genere obiectum alicuius scientiae illud est quod ab illa considerandum assumitur. Bifariam intelligi potest, scilicet, ut obiectum *incomplexum* vel *complexum.*

Incomplexum obiectum illud est *de quo* scientia disserit proprietatesque demonstrat. Est aliquid quod independenter a consideratione scientifica in rerum natura exsistit. Ideo dicitur *obiectum de quo* aut etiam *subiectum considerationis* vel *subiectum scientiae,* quia scientia de qua agitur, hoc obiecto indicari solet; ut, exempli gratia, quando scientia de astris, Astronomia; vel scientia de cellulis, Cytologia; vel de contextibus organicis, Histologia dicitur.

Obiectum vero *complexum* est ipsa conclusio scientifica aliquid de obiecto incomplexo asserens vel negans, seu quod

[1] S. TH., 1-2 q.57 a.1 ad 1.

idem est, ipsa scientia obiective spectata, comprehendens rem cognitam et conclusiones scientificas de illa re. Vocatur *obiectum quod,* et nihil est aliud quam ipsa scientia iam constructa, seu complexus veritatum quibus constat.

Porro *obiectum incomplexum* recte dividitur in adaequatum seu *totale* et inadaequatum seu *partiale.*

Obiectum *totale,* licet grammatice verbo singulari exprimatur, pluralitas est sive collectio obiectorum quae aliquomodo attingi possunt per collectionem omnium actuum alicuius scientiae vel disciplinae; *partiale* vero obiectum est tantummodo unum vel aliquot ex obiectis quae obiectum totale conficiunt.

7. Dividitur etiam in *obiectum per se* et in *obiectum per accidens,* quorum primum dici posset etiam obiectum *formale;* alterum vero, *materiale.*

Nomine *obiecti per se* intelligimus id quod *per se* seu ratione sui ab aliqua scientia attingitur, seu quod attingitur ex propriis meritis et ratione intrinsecae sufficientiae ac proportionis quam in se continet obiectum, ut a scientia de qua agitur consideretur, quin ab alio obiecto meritum aut proportionem emendicet. Estque ratio ex parte obiecti desumpta qua interroganti cur talis scientia attingit obiectum, directe satisfit per particulam *quia.*

Obiectum autem *per accidens,* e contra, est quod non ratione sui attingitur ab scientia, sed tantum ratione alterius obiecti *cui accidit* vel cum quo coniungitur. Non enim hic verbum per accidens sumitur, ut saepe alias, quasi casu vel fortuito significans.

8. Quaestio praesens. His praeiactis notionibus de obiecto cuiuscumque scientiae in genere, quaestio in primis proponitur de obiecto *per se* et *totali* Psychologiae philosophicae, *de quo* in hoc tractatu a nobis philosophandum est. In assignando obiecto *per se* omnes psychologi quodammodo conveniunt, non autem in assignando obiecto *per se totali.*

9. In quo omnes psychologi conveniant. Omnes quidem qui aliquomodo, sive experimentaliter sive philosophice, de Psychologia disserunt, practice saltem conveniunt *a)* in assignando pro *obiecto per se* Psychologiae, aliquid quod, etsi diversis nominibus designetur, semper vel *vita est* vel *ad vitam aliquomodo spectat;* sumpta vita in sensu amplio, omnibus noto, iuxta quem vita dicitur non modo activitas physiologica organismorum sed etiam activitas mentalis.

Hoc enim nomine abstracto significare intendimus non modo complexum *operationum* seu activitatum vitalium, sed etiam *entia,* quaecumque illa sint, quibus eiusmodi operationes sunt propriae, atque principia ipsis intrinseca, quaecumque etiam illa sint, ex quibus eiusmodi operationes vitales quomodolibet dimanant.

Convenit etiam *b)* inter omnes qui de Psychologia vel experimentaliter vel philosophice agunt, obiectum per se huius disciplinae esse aliquid ad *vitam naturalem* pertinens, non autem ad vitam pertinens entis supernaturalis, vel naturalis sed elevati per gratiam supernaturalem ad supernaturaliter operandum.

Tandem *c)* apud omnes constat vitam, quaecumque illa sit de qua Psychologia philosophica agit, esse vitam aliquo modo *experientiae humanae subiectam,* sumpta experientia, deinde in Capite II accurate etiam definienda, in sensu obvio, iuxta quem accipitur pro cognitione hausta ex perceptione rerum, sive nobis ut cogitantibus externarum, sive internarum seu ad ipsam activitatem psychicam pertinentium.

Huic autem experientiae, res diversae diversimode subiciuntur, scilicet: sive *immediate* in semetipsis, sive tantum *mediate,* videlicet ex suis effectibus, condicionibus aut causis intrinsecis naturalibus. quae cum illis ita connectuntur ut, saltem illatione et ratiocinio, ex cognitione experimentali unius in cognitionem alterius liceat pervenire. Utrumque cognitionis experimentalis modum significare intendimus. dum loquimur de *vita aliquomodo experientiae humanae cognoscibili.*

Eiusmodi autem vita, tantum illa est quae in corporibus vivis seu animatis cernitur; de alia autem vita a corpori omnino independenti, ut esset vita angeli vel Dei, nullam prorsus experientiam naturaliter habemus.

10. In quo psychologi differant. In assignando autem obiecto *per se totali* Psychologiae philosophicae, contra id quod plerumque evenit in aliis partibus Philosophiae, magna exsistit inter psychologos dissentio, quorum sententiae ad quattuor sequentes reduci posse videntur.

1.ª SENTENTIA QUAE ARISTOTELICA EST, tenet obiectum Psychologiae philosophicae, per se et totale, esse omnem vitam naturalem aliquomodo experientia cognoscibilem.

ARISTOTELEM (384-322 a. C.), qui communiter ut parens et inceptor habetur Psychologiae philosophicae ut scientia naturalis consideratae, generatim sequuti sunt magni scholastici medii aevi, quos inter eminent S. ALBERTUS MAGNUS (1206-1280) et eius discipulus S. THOMAS AQUINAS (1225-1274); innumeri scholastici posteriores et temporis renascentiae, quos inter speciali mentione dignus est FRANCISCUS SUÁREZ (1548-1617); atque etiam maior pars auctorum neoscholasticorum.

2.ª SENTENTIA EST PLATONICO-CARTESIANA. Hoc nomine generali appellamus omnes opiniones eorum qui aliquomodo tenent obiectum totale Psychologiae philosophicae esse tantum

animam et ipsius operationes psychicas, intelligendo hoc verbum in sensu restricto supra explicato.

Cartesianam appellamus hanc sententiam, quia certo certius apud modernos, doctrina a CARTESIO proposita multum contulit ad hanc sententiam propagandam.

3.ª SENTENTIA quam ut aliquomodo ipsam designemus, INCONSIDERATAM et LEVEM nuncupabimus, eorum est qui dicunt obiectum Psychologiae philosophicae esse tantummodo animam substantialem vel naturam substantialem corporis viventis, generatim solius hominis; non autem operationes vitales, nec quidem ordinis conscii, quas dicunt obiectum esse scientiarum tantummodo experimentalium.

4.ª SENTENTIA EST QUORUMDAM NEOSCHOLASTICORUM, qui licet cum aliis auctoribus scholasticis antiquis et neoscholasticis omnino consentiant in doctrina, tamen tractatus de vita vegetativa, et de vita sensitiva animalium tamquam partes Cosmologiae considerant; ad Psychologiam autem tantum pertinere dicunt tractare de vita hominis psychica, sive sensitiva, sive intellectuali.

Inter praecipuos neoscholasticos qui hanc sententiam sequuntur qui quidem, licet magni nominis, pauci sunt et in dies pauciores evadunt, recensendi sunt praesertim DONAT [2], MAHER [3], BOEDER [4] et FRÖBES [5].

Ex his quattuor sententiis, *prima* amplectenda est, *certo certius* quatenus opponitur sententiae *secundae* et *tertiae,* quae non nisi in postulatis arbitrariis et falsis innituntur; *probabilius* tantum, sed certe ad mentem ARISTOTELIS, S. THOMAE et SUÁREZ, contra postremam sententiam.

Hanc primam sententiam in hoc tractatu amplectendam esse duximus, quae et traditioni scholasticae melius congruit, et aptior est ad synthesim cohaerentem doctrinae psychologicae iuxta rei veritatem praebendam [6].

ARTICULUS II

DE OBIECTO PER ACCIDENS ET DE OBIECTO PARTIALI PRAECIPUO

11. Obictum per accidens Psychologiae philosophicae. Quid veniat nomine obiecti *per accidens* alicuius scientiae su-

[2] J. DONAT, *Psychologia,* ed.8.ª emendata et amplificata (Herder, Barcelona 1936).
[3] M. MAHER, *Psychology* (Logmans, Green, London 1915).
[4] B. BOEDER, *Psychologia rationalis* (Herder, Friburgi Brisg. 1890).
[5] J. FRÖBES, *Psychologia speculativa* (Herder, Friburgi Brisg. 1927).
[6] Cf. thesim 1 in *Cursu.*

pra (7) definitum manet. Ad *obiectum per accidens* Psychologiae philosophicae pertinent illa omnia quae, quamvis in semetipsis rationem vitae non habeant, et inveniantur etiam in entibus naturae non viventibus, ita tamen aliquando cum viventibus connectuntur et ope operationum vitalium modificantur, ut Psychologia, de vivente et de operationibus vitalibus agere perfecte non possit, nisi ea etiam quodammodo consideret, licet tantummodo quantum ad vitam melius cognoscendam conducit.

Eiusmodi sunt motus corporis viventis, reactionesque ordinis pure physici vel chimici; quae, quatenus a vita separata exsistunt, ab aliis scientiis naturae *per se* sunt consideranda.

Ad obiectum per accidens Psychologiae pertinent quoque plures activitates quidem vitales, et sub hoc adspectu intra obiectum *per se* Psychologiae includuntur; quae tamen sunt praeterea activitates alius ordinis, puta historici, vel moralis, vel ascetici, vel aesthetici, vel socialis, vel culturalis; quae, quatenus tales, ad obiectum *per se* aliarum scientiarum pertinent, et non nisi obiectum *per accidens* sunt respectu Psychologiae philosophicae.

12. Ordo principalitatis inter obiecta partialia. Veteres, obiecta partialia considerantes cuiuscumque scientiae, distinguere solebant inter obiectum *attributionis* et obiectum *attributum* seu *communitatis*. "Inter obiecta uniuscuiusque scientiae, scribit LOSSADA [7], illud vocatur *obiectum attributionis,* quod primo intenditur, seu quod per se consideratur et cuius gratia attinguntur cetera omnia, quae idcirco dicuntur *obiecta attributa,* atque etiam *obiecta communitatis*".

Obiectum attributionis solet antonomastice obiectum scientiae dici, maxime cum additur *principale*, vel *primo intentum;* et distinguitur ab obiecto *per se totali,* ut pars a toto, vel ut obiectum particulare a communi; censetur enim esse inter obiecta *per se* particularia, saltem in plurimis scientiis, certum et speciale quoddam obiectum; ut, in Theologia, Deus.

Tum obiectum per se totale, tum etiam partiale quod insuper sit obiectum attributionis, *obiectum specificativum* scientiae dici possunt; hac tamen differentia, quod prius est *specificativum per modum sphaerae obiectivae*, circumscribentis amplitudinem totius scientiae; alterum vero est specificativum potius *per modum finis.*

13. Psychologiae obiectum attributionis et attributum. His notionibus in mentem revocatis, facile capitur quodnam sit, ad mentem scholasticorum, *obiectum attributionis* seu praecipuum, et quaenam obiecta *attributa* seu secundaria Psychologiae.

---

[7] Cf. L. DE LOSSADA, *Cursus philosophicus* (ed. Subirana, Barcelona 1888), t.1 p.303 et s. n.1.3.4.

Attamen in Psychologia, licet fortasse non item in aliis scientiis, ut accuratiori modo quaestioni huic respondeamus, ulterius prae oculis habendum est, obiectum partiale bifariam considerari posse. *Primo modo,* ita ut quaestio referatur ad collectionem entium viventium individualium quae considerantur in Psychologia; *secundo autem modo,* ita ut quaestio proponatur, non circa collectionem individuorum viventium, sed circa ea quae in unoquoque individuo viventi consideranda sunt. De obiectis igitur utroque sensu acceptis sciscitari licet, quodnam iuxta doctrinam praeiactam dicendum sit obiectum attributionis seu *praecipuum,* et quaenam obiecta attributa seu *secundaria.*

Iam vero nequit in dubium revocari, obiectum attributionis *primo sensu* acceptum esse hominem; *altero vero sensu* animam, et absolute loquendo, animam humanam. Ratio enim vitae perfectius et plenius in homine quam in aliis viventibus; et perfectius quoque in anima et quidem in anima humana, quam in reliquis rebus quae ad vitam spectant, reperitur.

CAPUT II

De ratione essendi Psychologiae philosophicae deque ipsius distinctione ab aliis scientiis

BARBADO, *Introducción a la Psicología experimental,* ed.2.ª (Madrid 1943) c.31-33; IDEM, *De habitudine Psychologiae rationalis ad experimentalem* (I Congresus Thomisticus Internationalis. Romae 1925) ser.3 n.4; VAN DER VELDT, *Prolegomena in Psychologiam* (Roma 1938) p.39-52; GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicologia,* ed.3.ª (Milano 1952) c.2; *III Congressus Thomisticus Internationalis* (Roma 1936); *Objet et méthode de la Psycholgie. Réponses à une question posée* apud "Revue de Philosophie", 15 (1909), datae a DOMET DE VORGES, P. CHARLES et PEILLAUBE in eadem ephemeride, 16 (1910) p.74-84. Responsiones datae simili quaestioni propositae a GEMELLI apud Rivista Neoscholastica di Filosofia 17 (1925) p.161, a OLGIATI, ibid., p.327; a FRÖBES, ibid., p.469-471; a DE LA VAISSIÈRE, ibid., p.472-475; a GAETANI, ibid., 18 (1926) p.63-67 et a MAZZANTINI, ibid., p.472-475; P. HOENEN, *Filosofia della natura inorganica* (Brescia 1949) prefazione; ANDREW G. VAN MELSEN, *The Philosophy of Nature* (Duquesne University Press, 1953) c.1; MARITAIN, *Philosophie de la Nature* (Tequi, Paris); SALMAN (D. H.), *Science et philosophie naturelle:* Rev. Sc. Phil. et Theol., 37 (1953) 609-643; PARIS, CARLOS, *Física y filosofía, El problema de la relación entre ciencia física y filosofía de la naturaleza* (C. S. I. C., Madrid 1952); UBEDA PURKISS, *La teoría de la ciencia y el concepto de psicofisiología:* RevdeFil 11 (1952) p.197-223; Pius Papa XII, Allocutio in coadunatione plenaria Pontificiae Academiae scientiorum, die 24 aprili 1955. L'Osservatore Romano, 25-26 aprili 1955. Versio apud "Ecclesia".

14. Ordo tenendus. Agendum est 1.°, de *distinctione* Psychologiae philosophicae ab aliis scientiis biologicis et Psychologia experimentali; 2.°, de eius *habitudine* ad alias partes Philosophiae quae aliquomodo de vita agunt.

ARTICULUS I

DE DISTINCTIONE PSYCHOLOGIAE PHILOSOPHICAE AB ALIIS SCIENTIIS EXPERIMENTALIBUS BIOLOGICIS

15. Ratio quaestionis. Cum omnes scientiae experimentales biologicae in studium et investigationem vitae physiologicae incumbant, et Psychologia experimentalis ut scientia quoque de vita psychica definiatur, harum omnium scientiarum obiectum, saltem coniunctim acceptarum, primo intuitu idem prorsus esse videtur ac obiectum *totale* et *per se,* quod in capite praecedenti, proprium esse diximus Psychologiae philosophicae.

Quamobrem, aliquis adduci posset ut crederet Psychologiam philosophicam de qua acturi sumus, supervacaneam esse, cum nihil videatur ab ipsa investigandum remanere, quod plene, imo et perfectius scientia experimentalis non sciscitetur, ut perperam existimant qui falso postulatu philosophiae positivistae imbuti, omnem scientiam humanam possibilem ad scientiam pure experimentalem reducunt.

Huiusmodi autem quaestio facile solvitur, si prae oculis habeatur distinctio supra memorata (6) inter obiectum *incomplexum,* seu *de quo* scientia tractat; et obiectum *complexum* seu *quod* ab unaquaque scientia, ut fructus propriae investigationis praebetur.

Ut autem intelligatur quo pacto fieri possit, ut *obiectum complexum,* seu *quod* fructus est investigationis scientiarum experimentalium quae de vita agunt, et *obiectum complexum,* seu *quod* in conclusionibus Psychologiae philosophicae consistit, possint esse inter se distincta, licet numquam opposita, quamvis tum illae tum haec circa idem *obiectum incomplexum* versentur, videlicet quamvis omnes de eadem vita reali agant; oportet imprimis quasdam de scientia notiones in mentem revocare.

16. Quid scientia sit. Omissis pluribus acceptionibus plus minusve amplis, *scientia in sensu stricto et vero* definiri solet cognitio rerum per causas. Rationem huius definitionis effert S. THOMAS ex ipsa natura scientiae; quae stricte accepta, debet esse cognitio perfecta.

"Scire aliquid, scribit[1], est perfecte cognoscere ipsum: hoc autem est perfecte apprehendere eius veritatem. Eadem enim sunt principia esse rei et veritatis ipsius, ut patet ex II *Metaphysicae.* Oportet ergo scientem, si est perfecte cognoscens, quod cognoscat causam rei scitae".

---

[1] S. TH., *In 1 post. analyt.,* lect.3.

"Tria requiruntur, iuxta TOLETUM [2], ut res per causas cognoscatur: *a)* ut cognoscatur causa, *b)* rei ab hac causa dependentiam, et *c)* cognoscatur propter hanc causam rem aliter esse non posse". Unde enucleatior scientiae definitio sic se habet: "Scire est cognoscere causam ob quam res est; illius causam esse; et fieri non posse ut res aliter se habeat" [3].

17. Quid in hac definitione veniat nomine causae. Animadvertendum est nomen causa in definitione scientiae *largissime* usurpari, seu sumi non solum pro causis *in ordine ontologico* ex quibus demonstrationes a priori instituuntur, verum etiam pro causis in *ordine logico* nostrae cognitionis, quae plerumque non nisi effectus sunt rei cognoscendae.

Causae in *ordine logico* illa sunt omnia ex quibus res in nobis est ut cognita. Rem autem plerumque cognoscimus ex suis effectibus atque etiam ex suis proprietatibus quae experientiae nostrae subiciuntur.

Causae autem rerum in *ordine ontologico,* aliae sunt *ordinis physici,* tales sunt causae quadrimembris divisionis aristotelicae, videlicet: causa *efficiens* quae rem producit; *finalis* cuius gratia res producitur; *materialis* ex qua res producitur vel constituitur; et *formalis* quae materiam ad certum quoddam esse et agere determinat, simul cum ea rem intrinsece constituens.

Aliae vero sunt *ordinis metaphysici,* videlicet: intima rei essentia quatenus concipitur ut radix proprietatum; attributa respectu aliorum attributorum quae secundum nostrum modum concipiendi in re fundatur vel ab illis dimanant et id genus alia.

Causae igitur de quibus in definitione scientiae mentio fit, illa sunt omnia unde res cognoscenda *est,* vel *fit,* vel *cognoscitur.*

18. Causae sensibiles et suprasensibiles. Res quae ad definitionem scientiae explicandam causas appellavimus, quae cum obiecto scientiae quodammodo connectuntur, sunt in duplici differentia, ad quam maxime attendendum est ut percipiatur discrimen inter scientias experimentales biologicas et Psychologiam philosophicam.

Nam aliae sunt *suprasensibiles,* seu tales quae omnem experientiam seu perceptionem sensitivam praetergrediuntur, et in semetipsis tantum intellectu percipi possunt.

Tales sunt causa *efficiens* et *finalis,* atque etiam *formalis* et *materialis,* si non materialiter sed formaliter seu quatenus causae sunt considerantur. Eiusmodi causae vocari etiam possunt *metempiricae,* quia quamvis realitates sunt exsistentes in natura independenter a nostrae mentis consideratione, solo intellectu cognoscuntur.

---

[2] TOLETUS, *In 1 post. analyt.,* c.2.
[3] ARISTOTELES, *Analyt. post.,* I c.2 (71b9).

Aliae vero sunt *sensibiles,* seu tales, quae intra ambitum nostrae experientiae versantur, ac proinde *empiricae* seu *empiriologicae* dici possunt.

Tales sunt exempli causa, ad scientias vitae quod attinet, diversi corporum viventium motus locales, ipsorumque transformationes; sensibiles qualitates proprietatesque ipsorum; resque plures corporeae et materiales quae plerumque saltem certos quosdam eventus antecedunt, comitantur et consequuntur; et generatim res concretae quae plerumque aliquam magnitudinem corporalem habent, sitae sunt in tempore et in spatio; quae, quamvis de facto a nobis sensibus percipi nequeant, nec forte imaginatione fingi ob suam exiguam parvitatem, sunt tamen eiusdem ordinis ac ea quae de facto sensibus percipimus.

Haec omnia adduci possunt ad rationem reddendam aliquorum eventuum, vel ad eos praevidendos; et causae quoque dici possunt per quas demonstrationes instituantur ad scientiam aliquam experimentalem constituendam aptae, saltem intellectu dirigente et adhibitis primis principiis rationis quae utpote suprasensibilia tantum intellectu percipi possunt.

19. Causae proximae et remotae seu ultimae. Causae eiusmodi *sensibiles,* seu empiriologicae, causae *proximae* appellari solent; *suprasensibiles* vero, *ultimae* dici consueverunt. Et recte quidem, modo eiusmodi denominationes recte intelligantur, et periculum vitetur existimandi omnes eiusmodi causas esse eiusdem ordinis et naturae, seu versari in eadem linea, per quam incipiendo a causis proximioribus deveniretur per causas in ipsa sitas remotiores usque ad ultimas. His denominationibus sic intellectis, nec discrimen daretur essentiale inter causas proximas et ultimas, quae tantummodo secundum magis et minus differrent; nec facile esset determinare in aliqua investigatione, ubinam causae quae invocantur desinant esse causae proximae et incipiant esse causae ultimae.

Ut igitur omnino distinguantur causae proximae per quas scientiae experimentales demonstrant, a causis ultimis per quas demonstrat Philosophia, praestat eas considerare non tanquam in una eademque linea sitas, sed tanquam in duabus lineis parallelis et in distinctis planis sitis; in linea plani inferioris causae sensibiles; in linea vero plani superioris causae suprasensibiles.

20. Essentiale discrimen inter scientias experimentales biologicas et psychologiam philosophicam. In unaquaque autem linea intellectus hominis, a causis proximioribus rei sciscitandae progredi potest ad causas remotiores donec ad ultimas perveniat quas capere potest, et a causis in linea experimentali sitis, licet non ultimae in hac linea sint, potest ad causas lineae superioris assurgere.

Intellectus enim hominis quantumvis rudis et incultus et praesertim hominis scientiae dediti, semel adquisita cognitione experimentali alicuius realitatis in linea plani inferioris sitae, rationem vel causam ipsius sponte quaerit in aliis reali-

tatibus vel causis ulterioribus, sive ad eundem ordinem experimentalem pertinentibus, sive etiam in realitatibus quae ordinem experimentalem transcendentes, non nisi ad ordinem suprasensibilem spectant.

Si primum, *scientiam experimentalem* sibi construit; si vero secundum, *scientiam philosophicam* sibi comparat. Utraque scientia proinde de eodem obiecto incomplexo dari potest, licet conclusiones harum scientiarum, scientiae videlicet experimentalis, et scientiae philosophicae, sint inter se admodum diversae et diversi ordinis, nunquam tamen inter se nec contrarie nec contradictorie oppositae: veritas enim veritati contraria esse nequit.

21. Psychologia philosophica quae recte constructa sit, cum scientiis experimentalibus vitae non confundenda. Quemadmodum igitur admittitur exempli causa Philosophia Historiae, Philosophia Iuris, Philosophia Artis, Philosophia paedagogica, Philosophia Religionis et generatim Philosophia uniuscuiusque scientiae positivae seu experimentalis; ita etiam praeter scientias biologicas quae de aliquo adspectu vitae experimentaliter agunt, ut sunt exempli causa Cytologia, Hystologia, Anatomia, Physiologia, Embryologia, Biochimica, quae de vita physiologica organismorum tractant, et praeter Psychologiam experimentalem quae de vita psychica seu mentali disserit, *admittenda quoque est Psychologia philosophica,* cuius obiectum incomplexum omnem vitam complectatur experientiae nostrae subiectam.

Legitimitatem seu valorem scientificum Psychologiae philosophicae quae recta methodo constructa fuerit, negat nemo qui agnosticismum vel positivismum non profiteatur; agnosticismus autem et positivismus, brevitatis causa, supponuntur hic [4], tum in Critica, tum in Ontologia penitus reiecti. De recta autem methodo constructiva Psychologiae philosophicae in capite sequenti agendum erit.

ARTICULUS II

HABITUDO PSYCHOLOGIAE PHILOSOPHICAE CUM ALIIS SCIENTIIS QUAE DE VITA ALIQUOMODO TRACTANT

22. Habitudo Psychologiae philosophicae cum scientiis experimentalibus biologicis. Scientiae vitae, utriusque ordinis, quae de vita agunt, Psychologia videlicet philosophica et scientiae experimentales biologicae, non exclusa ab illis Psychologia experimentali, CONVENIUNT imprimis inter se in eo quod sint vere et realiter scientiae, cum ipsarum conclusiones, cognitiones sint certae per demonstrationem adquisitae, seu cognitiones certae per causas (16-17).

[4] Cf. thesim 2 in *Cursu.*

Conveniunt etiam in eo quod eiusmodi conclusiones referuntur omnes ad idem obiectum incomplexum, per se et totale. Omnes enim scientiae biologicae aliquem saltem adspectum vitae experientiae nostrae subiectae, sibi considerandum assumunt, ita ut omnes simul sumptae, vitam omnem experientiae nostrae subiectam considerent, quam obiectum per se et totale esse diximus (6,10) Psychologiae philosophicae.

Conveniunt tandem in eo quod obiectum ipsum considerent in primo gradu abstractionis; conclusiones enim ad quas de illo perveniunt, quae ipsarum obiectum complexum constituunt, referuntur omnes ad res reales in natura exsistentes, praescindendo tantummodo a sua individualitate vel singularitate.

23. DIFFERUNT tamen in multis quae ipsam scientiae naturam attingunt; quapropter eorum differentia ut specifica habenda est.

Etenim scientiae experimentales de vita demonstrant tantummodo per *causas empiriologicas* et sensibiles; seu quod idem est, rationem sufficientem factorum quae explicare contendunt, non nisi in ipso ordine sensibili et experientiae immediate subiecto determinant.

E contra, scientia naturalis philosophica demonstrat per causas suprasensibiles unice intellectui assequibiles; seu quod idem est, in explicationibus tradendis, causas assignant ad *ordinem metempiricum pertinentes.*

Inde fit ut *conceptus* et *definitiones* scientiarum experimentalium, quibus eiusmodi scientiae obiective constituuntur, sint conceptus rerum sensibus et imaginatione vel saltem experientia interna perceptibilium.

Conceptus vero quibus scientia naturalis philosophica obiective constituitur, sunt conceptus rerum quae licet realiter in natura exsistant omnem tamen perceptionem sensibilem praetervolant, et intellectione tantummodo cognosci valent [5].

Ideo, quamvis conclusiones tum scientiarum experimentalium biologicarum, tum Psychologiae philosophicae ad rem in se exsistentem et realem, seu non fictam a mente, referantur, discrepant tamen admodum inter se; quia illae scientiae agunt de realitate prout in cognitione sensibili se praebet intellectui; Psychologia autem philosophica, de realitatibus quas unice intellectus apprehendere valet, quamvis eas non apprehendat nisi in obiectis a cognitione sensibili oblatis.

Eiusmodi enim naturae est intellectus humanus, ut ea quae sensu percipiuntur etiam apprehendat; valeatque eorum realitatis rationem reddere, tum per alias realitates eiusdem ordinis cognitionis sensitivae seu experimentalis, tum insuper etiam per alias realitates pure intelligibiles, tantum ab eo perceptibiles.

[5] J. MARITAIN, *La philosophie de la nature* (Tequi, Paris) c.3.

24. Habitudo inter Psychologiam philosophicam et alias partes philosophiae quae aliquomodo de vita agunt. Philosophiae partes quae tractare possunt aliquomodo de vita, et quae de facto aliquomodo de ea disserunt sub aliquo adspectu, sunt non modo Metaphysica et Theologia naturalis quae amplissime de vita Dei disserit, sed etiam aliquomodo Logica, Criteriologia et Ethica quae etiam ad vitam humanam referuntur.

A *Metaphysica generali* seu Ontologia, Psychologia differt, quia illa si de vita agit, eam sub aspectu entis realis immaterialis vel a materialitate praescindente considerat; cum Psychologia philosophica ut pars Philosophiae naturalis, eam prout a parte rei realiter exsistit in corpore animato investigat, primo gradu abstractionis quae praescindit tantum ab individualitate viventis.

A *Theologia naturali* autem clarius adhuc distinguitur, quia vita Dei non est experientiae nostrae subiecta, nec ab anima corpus informante procedit, cum vita sit spiritus puri.

Logica quidem considerat vitam cognoscitivam intellectualem, sed non praecise ut vitam sed tantum sub aspectu ordinis servandi in cognitionibus ad veritatis assequutionem.

Similiter dicendum de *Critica,* quae tota est in statuendo valorem nostrarum cognitionum ad realitatem apprehendendam.

Ethica tandem actus liberos et vitales considerat quatenus bonos vel malos esse moraliter possunt, seu sub ratione moralitatis et conducentiae ad ultimum finem.

Nulla igitur ex his scientiis philosophicis, licet ab illis de vita aliquid attingatur confundi potest cum Psychologia philosophica; quia vel non agunt de vita experientiae humanae subiecta, ut Theologia naturalis; vel de illa agunt non in primo gradu abstractionis quae tantum a singularitate, non a materialitate praescindat, ut Metaphysica; vel de vita agunt tantum ut obiectum per accidens, non per se, ut Logica, Critica et Ethica, quae aliquid investigant quod vitae hominis naturali accidit, illamque in sua natura constitutam et scientifice cognitam a Psychologia supponunt.

CAPUT III

De methodo constructiva Psychologiae philosophicae

T. PESCH, *Institutiones psychologicae* (1896) I p.26-34 n.25-29; IDEM, *Institutiones logicales* (1888) I p.532-564 n.441-470; PALMÉS, *De methodo inventionis in Psychologia* (1918); IDEM, art. *Psicología*, p.3.ª, apud Encycl. ESPASA; CASTELAIN, *Psychologie* (Bruxelles 1904) th.1; SCHAAF, *Institutiones Psychologiae* (Roma 1909) n.5; MAHER, *Psychology* (London 1915) c.2; MERCIER, *Logique*, ed.3.ª (Lovaina 1905) p.77-78; IDEM, *Psychologie* (Lovaina 1905) introd.; M. DE WULF, *Introduction à la Philosophie Neoscholastique* (1904) n.13-14.32-46; DWELSHAUVERS, *Tratado de Psicología*, vers. hisp. a CARRERAS ARTAU, J. (1930) c.2; BARBADO, *Introducción a la Psicología experimental*, ed.2.ª (Madrid 1943) c.9 et 20; VAN DER VELDT, *Prolegomena in Psychologiam* (Roma 1938) c 2; SALMAN, D. H., *De la méthode en Philosophie naturelle:* Revue de Philosophie de Louvain 50 (1952) p.205-229; LUYTEN NORBET, *Cosmologie et Philosophie "scientifique"*. Réponse au R. P. Salman, ibid., p.587-602; STRASSER, *Desiré Mercier et le problème de la Psychologie Neo-Tomista:* Revue Philosophique de Louvain, 49 (1951) p.699-718.

25. Nexus et ordo. Postquam in capite 1 egimus de obiecto *incomplexo*, seu de materia de qua Psychologia philosophica agit; et in capite 2 naturam declaravimus ipsius obiecti *complexi*, seu obiecti quod fructus est eius investigationis, quaestio nunc tractanda venit de methodo qua haec pars Philosophiae naturalis constructa esse debet, ut valore scientifico donetur. Agemus 1.º *de necessitate experientiae* ad Psychologiam philosophicam construendam; et 2.º *de qualitate methodi philosophici ipsius.*

ARTICULUS I

NECESSITAS EXPERIENTIAE

Thesis 1. Iuxta rei veritatem et ad mentem Aristotelis et S. Thomae, methodus constructiva Psychologiae philosophicae, praeter principia prima rationis metaphysica, adeo experientiam scientificam requirit, ut absque hac, 1) nec eius investigatio inchoari potest, nec 2) quae philosophica investigatione fuerint inventa, sunt accipienda, nisi cum experientia cohaereant.

26. Notiones. METHODUS generatim nihil aliud est quam via seu ratio vel modus procedendi ad aliquid obtinendum. Methodus ergo Psychologiae philosophicae est via seu ratio vel modus ad hanc scientiam comparandam.

Duplex autem in genere est methodus veritatis scientificae adquirendi: altera *constructiva* seu inventionis, quae et logica etiam interdum appellatur, cuius ope scientia quasi detegitur primo et construitur; altera vero *disciplinae*, quae et paeda-

gogica et proprius etiam didactica dicitur, qua videlicet scientia a sapientibus et doctoribus praevie inventa et constituta, in aliis per disciplinam gignitur et propagatur.

27. PRINCIPIA PRIMA RATIONIS, quae quidem metaphysica sunt, hic intelliguntur illae veritates fundamentales quae ab experientia sensibili immediate non apprehenduntur; licet, occasione huius, evidentissime ab humano intellectu per quandam indubitabilem intuitionem apprehendantur et pronuntientur ut vera, ita ut non nisi ab absurdo demonstrari valeant. Huiusmodi sunt, exempli causa, principium identitatis, contradictionis, rationis sufficientis et id genus alia.

28. EXPERIENTIA sumitur hic pro perceptione immediata rerum quae facultatibus nostris cognoscitivis, sensitivis praesertim intervenientibus, subiciuntur. Actus quo huiusmodi experientia perficitur a modernis *observatio* dici solet.

Experientia *a) ratione modi* quo peragitur duplex esse potest, *scientifica* nempe et *vulgaris;* prout sit contemplatio rei facta cum attentione et intentione aliquid de eius obiecto comprobandi vel sciscitandi, adhibitis etiam opportunis cautionibus ad errorem vitandum; vel aliquo ex his requisitis sit destituta.

b) *Ratione perfectionis,* potest esse *simplex experientia* seu observatio, vel *experimentatio* seu usus experimenti. *Experimenti* nomine intelligitur ipsa experientia seu observatio, quatenus ad libitum experimentatoris, iterari potest, eius obiectum provocari et in diversis adiunctis obtineri [1].

c) Tandem ratione *rei cognoscendae,* experientia potest esse *obiectiva* vel *subiectiva,* prout res quae obiectum est experientiae seu observationis sit aliquid subiecto experienti ut tali *extrinsecum;* vel e contra sit aliquid ipsi ut tali *intrinsecum.*

Prima est unica possibilis omnibus scientiis naturae atque etiam Psychologiae quoad vitam pure physiologicam; altera propria solius Psychologiae est dum de vita conscia hominis agit; quatenus homo ope reflexionis valet proprias activitates psychicas, obiecta in illis apparentia et semetipsum eas exercentem ope reflexionis cognoscere. Ideo haec ratio semetipsum propriosque actus apprehendendi, seu observatio subiectiva, *introspectio* dicitur; et consequenter observatio obiectiva, *extrospectio* dici potest.

29. COHAERENTIA CONCLUSIONUM CUM EXPERIENTIA, quae ad mentem ARISTOTELIS et S.THOMAE requiritur, non in eo consistit ut omnes propositiones a Psychologia philosophica statutas eaedem prorsus sint quae ab scientiis biologicis et a Psychologia experimentali statuuntur. Hoc enim impossibile esset, cum Psychologiae philosophicae conclusiones, ex ipsa sua natura, ordinem empiriologicum plerumque transcendant.

[1] TITCHNER, *Text-Book of experimental Psychology* (MacMillan C°, New-York 1916) p.20.

Sufficit proinde ad hoc ut eiusmodi cohaerentia detur, ut conclusiones Psychologiae philosophicae conclusionibus scientiae experimentalis non opponantur, licet saepe ab his fundamentum et robur accipiant.

30. Status quaestionis. Thesis asserit in genere Psychologiam philosophicam quam tradituri sumus de facto constructam esse sub fundamento experientiae, non vulgaris sed scientificae; hocque fundamentum omnino necessarium esse ut haec Psychologia legitima sit et valore scientifico donetur.

Non enim hic [2] ingredimur in ulteriores quaestiones circa diversas species experientiae, utrum videlicet et quatenus *introspectio* et *experimentum* requirantur vel sufficiant.

Quod Psychologia philosophica *sub luce primorum principiorum rationis* construi debeat, nemo est qui ambigat, nulla enim est scientia nec quidem experimentalis, nedum philosophica, quae ita non construatur.

Quaestio igitur est tantummodo utrum ad legitime construendam Psychologiam philosophicam a datis experientiae praescindi possit; ita ut mera speculatione alicuius principii vel doctrinae idealis quae vera supponatur independenter ab experientia, Psychologia philosophica legitime construi possit; et insuper, utrum talis sit necne Psychologia philosophica ab scholasticis constructa quae in hac *Summa* exponenda est.

31. Sententiae. *Primum* negant *idealistae* omnis generis qui in scientia psychologica construenda, valore experientiae, praesertim experientiae sensibilis reiecto, non nisi a priori procedere possunt in rebus ad Psychologiam spectantibus.

Practice tantum a doctrina in thesi proposita, inconsequenter quidem, recesserunt, nonnulli auctores scholastici temporis decadentiae, qui a germana traditione aristotelico-scholastica aberrantes, in rebus naturalibus valde obscuris, nimis argumentis a priori indulgebant.

Ad *alterum* quod attinet, scilicet Psychologiam aristotelico-scholasticam fundari in experientia, multi adhuc sunt inter psychologos modernos, qui Psychologiam scholasticorum parvi faciunt vel reiciunt, eo quod falso putent nostram Psychologiam philosophicam, etiam quoad assertiones fundamentales non sufficienter in experientia fundari.

Momentum igitur praesentis thesis non est exiguum ad multos auctorum modernorum errores dissipandos, qui plerumque ex ignorantia verae Psychologiae philosophicae procedunt.

[2] Cf. in *Cursu*, thesim 4.

32. Probatur. PARS 1.ª: INVESTIGATIO PSYCHOLOGIAE PHILOSOPHICAE AB EXPERIENTIA INCHOANDA. Munus et scopus Psychologiae philosophicae est, ope intellectus investigare causas ordinis metempirici seu suprasensibilis (18) cuiuslibet vitae experientiae humanae subiectae.

Atqui intellectus nequit hanc investigationem inchoare nisi praevie et accurate cognoscat illud quod ipsi experientia subpeditat.

Ergo investigatio philosophica ab experientia est inchoanda.

Consqt. patet. *Maior constat* ex dictis in duobus capitibus praecedentibus. *Minor* probatur, tum *a)* ratione obiecti investigandi, tum *b)* ratione intellectus quo est investigandum; tum denique *c)* ex eo quod omnes qui thesim negant non nisi in rationibus plane falsis innituntur.

a) *Ratione obiecti.* Nam quicumque philosophari intendit, de aliquo obiecto intendit philosophari; secus de nihilo philosopharetur, et consequenter non philosopharetur. Cum autem psychologus philosophus de vita experientiae humanae subiecta philosophari intendit, opus est ut antequam de ea philosophari incipiat, eius exsistentiam et aliquas saltem proprietates cognoscat. Eiusmodi autem vita, et quoad eius exsistentiam et quoad peculiares proprietates quae ipsi competunt in diversis viventibus, *non nisi experientia* et quidem accurata et scientifica seu non vulgari cognosci potest.

b) *Ratione intellectus.* Nam omnes cognitiones intellectuales, etiam illae quae versantur circa speculationes metaphysicas et ipsa principia prima rationis, a cognitione experimentali et sensibili originem ducunt. Ergo multo magis et proximius a cognitione sensitiva et experimentali incipere debent cognitiones intellectuales quae circa vitam naturalem et concretam experientiae nostrae subiectam versantur.

c) *Ratione fundamenti pro sententia adversa.* Haec enim unice fundatur in praeiudicio idealistico, quo dogmatice asseritur, experientiam nullum valorem scientificum habere, ea quae sensibus percipimus esse illusoria, nihilque nos posse scire de realitate extra mentem exsistente. Idealismus autem refutatus supponitur in Critica.

33. PARS 2.ª: QUAE INVESTIGATIONE PHILOSOPHICA INVENTA FUERINT, AD TRUTINAM EXPERIENTIAE SUNT REVOCANDA.

Veritas enim veritati opposita esse nequit. Si igitur ea quae certa experientia constant esse vera, opponuntur conclusionibus philosophicis quae certo verae et legitimae existimantur; alterutra ut erronea vel perperam inventa dicenda est.

Prudens vero investigator, in conflictu conclusionum oppositarum potius existimabit se errasse ratiocinio philosophico, quod de se magis est abstrusum et obnoxium errori, quam

in experientia quae perfecta fuerit, omnibus cautelis adhibitis ad non errandum.

34. PARS 3.ª: HAEC EST SENTENTIA ARISTOTELIS, SANCTI THOMAE ET MAGNORUM SCHOLASTICORUM.

Adducemus tantum aliquot testimonia ex multis qui afferri possent.

ARISTOTELES carpit platonicos quia in quaestionibus Philosophiae naturalis ad experientiam non attendunt [3], et Pitagoricos redarguit, quia facta, suis opinionibus aprioristicis, non suae opiniones factis experientiae accommodant: "Non eorum quae videntur rationes causasque quaerentes; sed ad quasdam suas rationes opinionesque ea quae videntur trahentes atque adornare conantes" [4].

Et contra sustinentes nihil in mundo moveri, ipsis hoc dicere mentis infirmitati tribuit: Dicere "omnia quiescere et huius rationem quaerere *dimittentes sensum,* infirmitas quaedam est intellectus [5].

SANCTUS THOMAS *scribit* [6]: "Quandoque enim proprietates et accidentia rei quae sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei, et *tunc oportet quod iudicium de re vera, quod facit intellectus conformetur his quae sensus demonstrat de re;* et huiusmodi sunt omnes naturales, quae sunt determinatae ad materiam sensibilem, et ideo in scientia naturali *terminari debet cognitio ad sensum,* ut scilicet eo modo iudicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus ea demonstrant, ut patet III *Caeli et Mundi;* et *qui sensum negligit in naturalibus,* incidit in errorem".

Standum esse pro experientia in casu conflictus cum ratione his verbis exprimit S. Doctor: "Omnis acceptio quae firmatur a sensu *melior est quae sensui contradicit;* et conclusio quae sensui contradicit est incredibilis; principium autem quod experimentali cognitione in sensu non concordat non est principium, sed potius contrarium principio" [7].

Tandem etiam *magni scholastici* posteriores eodem sensu loquuntur. Sufficiat testimonium SUÁREZ, qui in *Metaphysica* haec habet: "Accidit saepe ut qui multum de intellectu confidunt, sensus deserentes facile in rebus naturalibus errent, ut annotavit ARISTOTELES VIII *Physicorum* c.3".

Haec dicit SUÁREZ [8], de principiis metaphysicis altioribus et a fortiori valent de principiis particularioribus, pergit enim [9]: "Alia denique sunt principia particularia et propria singularum scientiarum; et de his verisimile est necessariam esse experientiam et collationem multorum singularium ad firmum et evidentem assensum, non tantum via inventionis quod est notissimum, sed etiam via disciplinae"... "Ergo signum est ad obtinendum assensum evidentem ex ipsorum terminorum rationibus probe cognitis, multam esse necessariam experientiam, maiorem quidem via inventionis, aliquam vero via dis-

[3] ARISTOTELES, *De caelo et mundo,* III c.7.
[4] ARISTOTELES, *De caelo et mundo,* II c.13 (293b12).
[5] ARISTOTELES, *Physicorum,* VIII c.3 (253a13).
[6] S. TH., *In III Sent.,* d.3 q.5 a.2; cf. *In Boeth. De Trinitate,* q.6 a.1.
[7] S. TH., *In l. Physicorum,* l.8 lect.3.
[8] SUÁREZ, DM d.1 s.6 n.29.
[9] SUÁREZ, ibid., n.30.

ciplinae; quamvis pro ingeniorum diversitate maior enim vel minor sufficiat".

35. Obiectiones. Antiqui scholastici, non excepto S. THOMA et ipso ARISTOTELE, in scientia comparanda de rebus naturalibus, etiam de viventibus, saepe in multis vehementer erraverunt.

Ergo eius methodus inventionis in Psychologia philosophica comparanda non est tanti facienda.

Resp.: dist. ant. Antiqui scholastici et ipse ARISTOTELES in multis erraverunt ad conclusiones psychologiae philosophicae quod attinet, ob eius *recursum ad experientiam, neg.* Multo enim magis erravissent si ab experientia non recucurrissent. In multis erraverunt quoad conclusiones scientiae pure experimentalis quam ut fundamentum suae speculationis philosophicae assumebant; *subd.;* defectu scientiarum experimentalium sui temporis, qui nec scholasticis, nec principiis methodi ipsorum est imputandus, *conc.;* defectu principiorum suae methodi, *nego.*

ARTICULUS II

DE QUALITATE METHODI PHILOSOPHANDI IN PSYCHOLOGIA PHILOSOPHICA

36. Diversitas methodi in sua relatione ad experientiam consideratae. Methodus philosophica spectari potest in sua relatione dependentiae a scientia experimentali; et sub hoc adspectu triplex esse potest, nimirum: *mere empiristica, aprioristica* et *empirico-rationalis.*

Mere empiristica, propria est multorum philosophorum positivismum materialisticum profitentium, qui omnem conclusionem ratiocinio obtentam reiciunt, non praecise eo quod cum experientia non cohaereat, sed eo tantum quod experientia non possit eandem veritatem attingere seu percipere.

Aprioristica vel *rationalistica* methodus, e contra, ea est quam adhibent philosophi plerumque idealismo plus minusve infecti, qui valorem experientiae parvi faciunt vel omnino reiiciunt.

Tandem esse potest *empirico-rationalis* quam tenent omnes illi qui valorem experientiae imo et ipsius necessitatem admittentes, profitentur insuper possibile esse ope ratiocinii pervenire ad cognitionem certam et vere scientificam multarum realitatum quae omnem experientiam praetervolant, eo quod tantummodo intellectu, nullatenus vero perceptione sensitiva, attingi possunt.

Animadvertendum tamen est huiusmodi divisionem methodi potius referri ad spiritum vel tendentiam quibus sectatores uniuscuiusque methodi in philosophando feruntur, quam in facto vel in praxi investigandi. Nam de facto et ad praxim quod attinet, nec sectatores methodi aprioristicae vel rationalisticae, ab omni prorsus experientia praescindere valent,

cum saltem idearum experientiam subiectivam ut fundamentum suarum investigationum supponere coguntur; nec qui tantum experientiae valorem scientificum tribuunt, a ratiocinando abstinent.

37. Methodus Psychologiae scholasticae est empirico-rationalis. Ex doctrina supra tradita (th.1 n.26-35). manifestum est Psychologiam philosophicam ad mentem ARISTOTELIS, S. THOMAE et scholasticorum, construendam esse methodo empirico-rationali.

Non modo intentione, sed etiam de facto, scholastici medii aevi et neo-scholastici experientia et ratiocinio usi sunt in Psychologia construenda, argumenta a posteriori cum argumentis a priori, inductionem cum deductione harmonice coniungentes iuxta materiae investigandae exigentias; et quidem adeo apte et efficaciter, ut conclusiones ad quas hac methodo indefesso labore pervenerunt, vere dici possint esse partus felicis connubii experientiae et rationis.

38. Diversitas methodi sub aspectu directionis ratiocinii. Iam si modus et quasi directio activitatis mentis spectetur ad cognitionem scientificam de quacumque re obtinendam, duplex distinguitur methodus, videlicet: *analytica* et *synthetica*.

Analytica procedit via resolutionis sive regressus a composito actuali ad eius partes, sive a re ut principiata ad suum principium. Contra *synthetica* methodus illa est quae vita compositionis sive progressus a partibus ad compositum, sive a principio ad principiatum.

Radicem distinctionis utriusque methodi dilucide explicat S. THOMAS [10] dum scribit: "In omni inquisitione oportet incipere ab aliquo principio, quod quidem, si sicut est prius in cognitione, ita etiam est prius in esse, non est processus resolutorius (id est analyticus), sed magis compositivus (id est syntheticus); nam causae sunt simplicioribus effectibus. Si autem id quod est prius in cognitione sit posterius in esse, est processus resolutorius, utpote cum de effectibus manifestis iudicamus, resolvendo in causas simplices".

39. Psychologiae scholasticae methodus est aequo iure analytica et synthetica. Iam, utraque directio sive methodus procedendi, utpote fundata in ipsa lege et natura humanae mentis, necessario habetur in quacumque investigatione scientifica; quamobrem omnes scientiae aliquomodo utraque methodo indigent. Iuxta indolem tamen uniuscuiusque scientiae specialis, potiores partes obtinere solet una methodus prae alia, et hac de causa, scientiae ratione methodi divi-

[10] S. TH., 1-2 q.14 a.5.

di possunt in *analytico-syntheticas,* vel simpliciter analyticas; et in *synthetico-analyticas,* vel simpliciter syntheticas.

Psychologia autem philosophica ad mentem scholasticorum *aequo iure* dici potest et *analytica* et *synthetica,* utramque methodum complectens et adhibens pro opportunitate, tum ascendendo a factis experientiae notis et contingentibus ad speculandam naturam necessariam causarum ex quibus procedunt; tum descendendo a cognitione scientifica et necessaria causarum semel obtenta ad ipsarum effectus melius et profundius cognoscendos, ordinandos et systematice considerandos, ea unitate quae propria est considerationis scientificae et quam res in natura de facto habent.

CAPUT IV

Psychologiae praestantia et momentum

T. Pesch, *Institutiones psychologicae,* I p.18-21 n.21-22; Palmés, *De methodo inventionis in Psychologia* (Barcinone 1918) prooemium p.5-7, et notae 1-7; Idem, art. *Psicología* apud Encycl. Espasa, p.I, *La Psicología a través de los tiempos,* p.1435-1452; Schaaf, *Institutiones psychologicae* (Roma 1909) n.6-9 p.11-15; Van der Veldt, *Prolegomena in Psychologiam* (Roma 1938).

40. Nexus et ordo. Postquam de obiecti amplitudine, legitimitate et methodo Psychologiae philosophicae egimus, non nihil dicendum est de ipsius praestantia. Apud omnes in comperto est quanti generatim fiant nostris diebus studia psychologica; nostrum hic tantum est agere de *praestantia Psychologiae philosophicae* ad mentem Aristotelis et S. Thomae elaboratae. Huiusmodi praestantia ex duplici praesertim capite oritur, videlicet: ex ipsa *natura* Psychologiae, atque etiam ex arcta ipsius *connexione* cum pluribus aliis scientiis tum speculativis tum practicis, unde ipsius dignitas et utilitas efflorescunt. Agemus igitur 1.° de *dignitate,* et 2.° de ipsius *utilitate.*

ARTICULUS I

Dignitas scientiae psychologicae

41. Ratione obiecti. Nulla quidem est veri nominis scientia de quocumque obiecto quantumvis humili et minimo quae digna laude et in pretio habenda non sit. Quaelibet enim scientia est hominis perfectio et consequenter aliquod ipsius bonum et ornamentum. Aliae tamen scientiae, ratione obiecti, sunt aliis meliores. Verum inter omnes scientias quae circa res naturales versantur nulla esse videtur *praestantior* Psychologia, ratione obiecti.

Siquidem inter res naturales nihil nobis magis carum, nihil magis iucundum, nihilque magis conveniens quam vita et omnia quae ad vitam, praesertim ad vitam propriam hominis referuntur. Ideo hac sola de causa Psychologia propter ipsius obiecti excellentiorem nobilitatem et dignitatem, aliis scientiis de rebus naturalibus dignior et nobilior simpliciter putanda esset.

"Cuius ratio est, ait Angelicus[1], quia sicut dicit Philosophus in libro undecimo *De animalibus*, magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus et altissimis, etiam si topice et probabiliter illud sciamus, quam scire multum et per certitudinem de rebus minus nobilibus."

42. Ex sua certitudine. Sed scientia psychologica, etiam quoad certitudinem, supra alias naturales excellit. Nam quamvis multa ab illa tantum probabiliter dicuntur nec obscuritate carent, tamen ad assertiones fundamentales quod attinet, nulla alia ex naturalibus scientiis philosophicis certior est, et in qua veritates omnino certae adeo frequentes sint, ut theses decursu tractationis proponendas perlegenti facile patebit.

Propterea asserere cum S. THOMA non dubitamus, hanc scientiam scilicet *De anima* multum commendari, "quia et certa est, hoc enim quilibet experitur in semetipso, quod scilicet habeat animam et quod anima vivificet. Et quia est nobilior: anima enim est nobilior inter inferiores creaturas"[2].

43. Ex perfectione methodi. Ex dictis etiam facile patet quanta sit praestantia methodi ab aristotelico-scholasticis adhibita in construenda scientia psychologica. Est enim eiusmodi methodus inter omnes quae excogitari possunt *completissima*, cum rationem procedendi omnium aliorum methodorum in se complectatur, et quascumque rationes cognoscendi hominis proprias apte et cohaerenter adhibeat.

Est etiam fecundissima, cum ad omnia quae ad vitam aliquomodo pertinent sciscitanda applicari possit.

Cum enim in principiis incontrovertibilibus rationis, et non minus in factis experientia comprobatis perpetuo innitatur, nihil umquam recta ratione excogitari poterit, nec quidquam scientiarum experimentalium progressu umquam proponetur, quod psychologia hac methodo utens adeo cohaerente cum methodis scientiarum positivarum, non valeat suis principiis explicare, sibi assimilare et in propriam substantiam convertere.

44. Ex eius historia. His accedit eius veneranda antiquitas et perpetua traditio vi cuius doctrina sic inventa, *perennis* quoad fundamentalia appellari meruit, secus ac modernae Psychologiae systemata quae, veluti volitantia sidera in

[1] S. TH., *In de anima,* I l.1 (ed.Pirotta, n.5).
[2] S. TH., ibid. (Pirotta, n.6).

scientiae caelo subitanea fulguratione resplendentia, cito evanescunt, deiciuntur, erroris convincuntur vel saltem oblivioni mandantur.

Haec enim methodus ARISTOTELEM habet auctorem qui egregius Psychologiae conditor iure merito ab omnibus agnoscitur. Nam etsi de rebus psychologicis aliqua poëtae, plura philosophi veteres, satis multa SOCRATES et PLATO dixerant; tamen felicissimo ARISTOTELIS ingenio munus et gloriam videntur reliquisse, amplissimum Psychologiae aedificium separatim construendi.

Hanc methodum investigandi plerumque suum fecerunt permagni medii aevi scholastici doctores: ANSELMUS inquam CANTUARIENSIS, HUGO A SANCTO VICTORE, ALBERTUS MAGNUS, ALEXANDER HALENSIS, SANCTUS BONAVENTURA S. THOMAS et DUNS SCOTUS, qui errata magistri siquae deprehendebant corrigentes; et ab auctoribus ecclesiasticis Patribusque Ecclesiae, si quid novum aut utile dictum erat, excipientes et amplificantes, vastissimam illam synthesim scientificam construxerunt, quae Scholastica in historia nuncupatur, quaeque non sine ingenti scientiae psychologiae pernicie, a pluribus ignoratur.

ARTICULUS II

UTILITAS SCIENTIAE PSYCHOLOGICAE

45. Ex connexione cum scientiis speculativis. Plures sunt scientiae speculativae quae cum Psychologia intima necessitudine coniunguntur, quaeque a Psychologia vix praescindere possunt.

Psychologia maxime indiget Philosophia omnis; tum *Epistemologia* in gravissima problematis critici solutione; tum *Cosmologia* in multis de motu, de tempore, de spatio, de mundo corporeo disquisitionibus; tum maxime *Theologia naturalis* quae saepe lumen et argumenta a Psychologia deposcit.

Nec a pluribus quaestionibus psychologicis pertractandis abstinere possunt, quicumque *Theologiae dogmaticae* operam dant, ut evidens est cuicumque vel simpliciter inspicienti indicem cuiuslibet Summae theologicae.

46. Ex connexione cum scientiis practicis. Quod si non tantum scientias speculativas, verum etiam poëticas seu practicas considerare velimus, in comperto omnibus est, quam utilis esse possit Psychologia omnibus qui eas colunt et exercent.

Psychologia enim intime connexa est cum *Dialectica* quae, cum de ordinanda multiplicis mentis operatione ad veritatis assecutionem disserit, fines Psychologiae ingreditur, ad quam spectat de natura operationum mentalium disputare.

Similiter *Ars rethorica* quae persuasionem loquendo producere nititur, et *Artes pulchrae* seu liberales quae totae sunt intentae in emotione aesthetica per cognitionem gignenda, intime devinciuntur cum Psychologia, cuius est naturam cognitionis, persuassionis atque aestheticae emotionis et sentimenti investigare.

Quod si *scientiam et artem medicam* consideramus, notum omnibus est quantum Psychologia necessaria sit cuilibet medico, speciatim vero illis qui psychiatrae vocantur vel methodis psychotherapeuticis ad medendum utuntur, a quibus vix medicus est qui omnino possit abstinere. Nec *Pathologia mentalis,* nec *Therapeutica* maxime mentalis capi a nemine poterit, qui nullam habeat de Psychologia notionem, saltem vulgarem. Quo fit ut iam a multis efformatio medica deficiens in Psychologia, ut manca et incompleta habeatur.

Tandem quantum utilitatis ex Psychologia percipiat *Philosophia moralis,* praesertim in eius practicis applicationibus, patet ex eo quod scientia morum adeo innititur in cognitione naturae humanae eiusque actuum praesertim vero voluntatis, libertatis, tendentiarum habituum et passionum, ut nullatenus exsistere queat, nedum absoluta et perfecta esse possit, nisi quid de illis Psychologia doceat perspectum habeatur.

Sed accuratam Psychologiae cognitionem, omnibus fatentibus, et aliae scientiae practicae requirunt quae vitae hominum efformandae, perficiendae et dirigendae destinantur, ut sunt, exempli causa, *Paedagogia, Ascetica, Mystica* atque etiam *Ars politica.*

LIBER II

De vita in genere

47. Huius libri scopus et partitio. Sanctus THOMAS, ARISTOTELEM commentans, scribit [1]: "Sicut docet Philosophus in undecimo *De animalibus,* in quolibet genere rerum necesse est prius considerare communia et seorsum et postea propria unicuique illius generis... Cuius ratio est quia, nisi hoc fieret, idem diceretur frequenter."

Id nos in hoc Tractatu vitare cupientes, postquam in libro I, veram naturam et obiectum proprium nostrae scientiae exposuimus, quod vitam omnem experientiae nostrae subiectam esse diximus, *quaestiones generaliores* de hac vita solvendas in hoc libro II aggredimur, quae licet plerumque a sensu hominum communi recte solvuntur, multis tamen et gravissimis deturpatae sunt erroribus a philosophis omnis temporis.

Ad tria capita huiusmodi generaliores quaestiones reduci posse videntur, quarum solutio viam nobis pandet et sternet ad quaestiones in reliquis libris tractandas. Sunt autem: 1.ª, *quid* vita sit; 2.ª, *ubinam* in natura spectabili vita sit; et 3.ª, *quotuplex* vita sit et quaenam ipsius genera suprema.

CAPUT I

Definitio vitae

ARISTOTELES, *De anima,* II c.1 et 2; S. TH., *In De anima* (ed. PIROTTA, n.209 219 285 312 314); *Sum. Theol.,* 1 q.18 a.1 et 2; 1 CG c.97; 4 c.11; *De veritate,* q.5 a.8; *De potentia,* q.10 a.1; SUÁREZ, *De anima,* I c.2 n.27-29; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.1-48; PESCH, *Institutiones psychologicae,* I n.111-117 p.143-144; DE BACKER, *Psychologia,* p.1.ª c.I p.15-25; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis* (1912) n.106-107; HUGON, *Philosophia naturalis,* Biologia, ed 5.ª p.314-338; M. GRABMANN, *Die Idee des Lebens in der Theologie des heiligen Thomas* (1922); DRIESCH-WOLTERECK, *Grundzugge einer allgemeinen Biologie* (1932); IDEM, *Ontologie des Lebendigen* (1940); GEMELLI, *L'Enigma de la vita* (1910); PUJIULA, *Problemas biológicos* (1941) c.4; IDEM, *La vida y su evolución* (1915); PALMÉS, art. *Vida* (filos.) apud Encyc. ESPASA; LEHMEN, *Lehrbuch der Philosophie,* Psychologie (1920) p.1-8; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.45-55; GARCÍA, F., *Fundamentos de Biología* (La Habana 1954); PIERANTONI, U., *Biología general* (Barcelona 1944); RÖMPP, H., *Biología general* (Barcelona 1936); PUJIULA, *Biología moderna* (Barcelona 1949); ALVARADO, *Biología general,* 2 vol. (1950-1952).

48. *Capitis partitio.* Methodus quam sequimur (t.1 n.26-35) expostulat ut 1.° *definitionem vitae* omnibus viventibus corporeis com-

[1] S. TH., *In De anima,* l.1 lect.1.

munem proponamus, haustam ex descriptionibus traditis a *scientiis experimentalibus biologicis;* tunc 2.º veram vitae *definitionem philosophicam* propugnare licebit.

ARTICULUS I

DESCRIPTIO VITAE OMNIBUS VIVENTIBUS CORPOREIS COMMUNIS EX SCIENTIIS BIOLOGICIS HAUSTA

Thesis 2. Scientiae experimentales biologicae ita vitam corpoream describunt, ut activitates organismorum propriae dicendae sint natura sua seu specie differre ab activitatibus entium non organizatorum.

49. Notiones. Nomine ORGANISMORUM, ut in limine disputationis cum adversariis conveniamus, illa omnia corpora naturalia veniunt quae partibus constant structura diversis, scilicet, organis, textis, cellulis, et structuris cellula inferioribus.

Horum corporum structuram diversam, diversasque *activitates* quae vitales dicuntur, scientiae biologicae quae Physiologia, Histologia, Cytologia, et Chimica biologica nuncupantur, methodis experimentalibus propriis investigant.

50. *Triplex autem* ACTIVITAS, vel si mavis, triplex aspectus activitatis organismorum, in praesenti quaestione probe distinguendus est.

Sunt enim in omnibus organismis *quaedam* activitates quae, *absque ulla differentia, nec quoad rem nec quoad modum,* communia sunt omnibus corporibus etiam non organizatis; cuiusmodi sunt multae quae sunt ordinis mechanici, physici et chimici, exempli causa, pondus seu gravitas, electricitas, status colloidalis materiae, et alia huiusmodi.

Aliae sunt activitates quae in semetipsis consideratae, seu *quoad rem,* inveniuntur etiam in omnibus corporibus naturae, non autem *quoad modum;* quippe quae in organismis quasdam modificationes accidentales, seu tantum secundum magis ac minus, prae se ferunt, in quibus corpora organizata a non organizatis non parum differre videntur.

Exemplo sint *capillaritas; tropismus* vel irritabilitas quaedam materiae organizatae propria, qua organismus peculiari modo reagit contra diversa agentia et vocatur heliotropismus, geotropismus, tactismus; *speciales combinationes biochimicae,* seu elementorum chimicorum cum substantia organizata, in qua molecula plerumque multo maiori numero atomorum constat, et a qua substantiae organicae, ut

saccharum, varia olea, urea, indigo et alia sexcenta, naturaliter producuntur; cum e contra, extra organismos vel nullo pacto, vel saltem non nisi magna arte et cautionibus pluribus, per synthesim chimicam in laboratoriis obtineantur.

Tertia demum organismorum activitas, vel tertius unius eiusdemque activitatis aspectus, invenitur in complexu omnium activitatum organismi:

Consistit, iuxta omnes, in quodam processu complicatissimo plurium diversarumque activitatum, quo organismus quilibet, ab una tantum vel duplici cellula germinali, a praeexsistenti organismo decisa, evolvitur, semetipsum construendo iuxta typum specificum proprium, perpetuo transformando materiam sibi extraneam in substantiam propriam, et a substantia propria materiam inutilem expellendo, eo modo quo conservationi et perfectioni tum proprii *individui*, tum *speciei propriae*, melius consulatur.

51. Iam, activitates aliquas inter se NATURA SEU SPECIE DIFFERRE, idem est ac esse in semetipsis adeo diversas, ut non differant tantummodo quoad modum, scilicet in gradu complexitatis, seu secundum magis et minus, vel penes aliquas tantum accidentales modificationes; sed *se totis, essentialiter* et *quoad rem.*

Si activitates organismorum specie vel natura differunt ab activitatibus corporum non organizatorum, eiusmodi activitates erunt *inter se irreductibiles*, seu ab aliis ad alias non dabitur transitus continuus; sed vera apparebit discontinuitas; ita ut, nec ex qualibet combinatione activitatum materiae non organizatae activitas propria organismorum obtineri possit, nec activitas peculiaris organismorum quantumvis inspiciatur quidquam praebeat scientificae observationi quod rationem agendi corporum non organizatorum prae se ferat. Si sic se res habet, activitates corporum organizatorum, erunt *immediate datae a natura seu erunt elementares non autem additivae,* ut aiunt, seu quasi resultantes ex summa aliarum activitatum materiae non organizatae, quomodolibet combinatarum.

52. Status quaestionis. Nondum hic quaestio proponitur, de ratione qua activitates peculiares organismorum, quae vitales dicuntur, sint philosophice explicandae, nec de diversitate specifica substantiarum viventium a non viventibus, quae deinde in libro III stabilienda est.

Activitates organismorum hic immediate *in seipsis* consideramus, ut facta quaedam naturae quae, non modo observationi communi omnium hominum, sed etiam propriae scientiarum positivarum subiciuntur; quae methodis propriis experimentaliter activitates organismorum investigant describuntque.

Finis theseos est ut, *omissa interdum omni interpretatione philosophica, facta scientifice comprobata statuamus* ab om-

nibus admittenda, ex quibus ad statuendas subsequentes theses, una cum cuiusque generis adversariis tuto progredi possimus.

Nec contendimus activitates organismorum omnes, vel penes omnem aspectum, ab activitatibus corporum non organizatorum natura seu specifice differre. Etenim, cum mos sit naturae, ut entia perfectiora imperfectiorum entium perfectionibus exornentur; ultro fatemur, nec de hoc disputandum erit, activitates primi et secundi generis, de quibus antea (50) dictum est, inveniri, saltem quoad rem, etiam in corporibus non organizatis.

Tota igitur quaestio devolvitur ad activitates tertii generis, ratione quarum contendimus activitates cuiuscumque organismi, etiam simplicissimi, specifice seu natura sua differre ab activitatibus quomodocumque combinatis quae in corporibus non organizatis reperiuntur.

Seu aliis verbis: contendimus activitates organismorum esse *immediate a natura datas,* non autem *additivas,* seu ex combinatione aliarum activitatum corporearum resultantes.

53. Sententiae. Thesis, in sensu exposito intellecta, iuxta quem *de factis tantummodo agitur,* omissis interdum factorum philosophicis interpretationibus, nostris temporibus, adversarios habet nullos, qui Biologiam calleant.

Practice vero materialistae plures ut adversarii censendi sunt, qui eiusmodi facta ignorare vel praetermittere videntur, intenti praesertim in aliis aspectibus vitae describendis quos commodius in sua theoria explicari possunt.

Thesis igitur, utpote facta scientifice observata referens, physica gaudet certitudine, et ut fundamentum solidissimum statuitur reliquae de vita disputationis.

54. Probatio. Ex scientiis biologicis constat, 1.º activitates corporum organizatorum proprias, ex complexu activitatum corporum non organizatorum nullatenus resultare; et 2.º easdem in semetipsis consideratas, multa prae se ferre quae in corporibus non organizatis, ne quidem inchoative et rudimentaliter observantur.

Ergo vera est thesis proposita.

Consequentia patet ex definitionibus praeiactis. *Antecedens* probatur per partes.

1.º *Quod ex mero complexu activitatum corporum non organizatorum, et nisi organismus aliquis praeexsistens interveniat, transitus non detur ad activitates organismorum proprias,* admittitur ab omnibus biologis, apud quos recepta sunt

adagia: "omne vivum ex vivo" (HARVEY), "omnis cellula ex cellula" (VIRCHOW), "omnis nucleus ex nucleo" (FLEMING), "omne granulum ex granulo" (CAJAL), quibus hoc factum exprimitur pro diversis opinionibus de unitate elementari organizata seu viventi [2].

2.° *Quod activitates organismorum propriae multa prae se ferant quae ne inchoative quidem in corporibus non organizatis observantur,* patebit ex consideratione sequentium factorum quae, ut memoriae simul et ordini consulamus, in quaedam agmina distributa breviter et quasi synoptice indicabimus, lectorem remittentes, qui ulteriorem desideret expositionem, ad speciales tractatus Biologiae.

55. A) ACTIVITAS ORGANISMORUM PROPRIA GENERATIM INSPECTA. Consistit essentialiter, non in aliqua tantum operatione seorsim inspecta, sed in aliquo processu seu successione plurium ordinatarum activitatum in diversis partibus organismi vigentium, quibus, per stadia generatim multa et admodum complexa, integer et perfectus construitur organismus; ita ut exordium evolutionis semper fiat ab alio frustulo materiae desumptae ex praexsistente organismo, quod plerumque una vel duplici tantum cellula constat, et in quo organismus futurus nullatenus praeformatus, sed virtute tantummodo continetur.

Haec autem *epigenesis* seu *evolutio ontogenica* organismi, novarum cellularum procreatione perficitur, quae aliquando per meram divisionem cellulae adultae, plerumque vero per miros *caryocineticos* processus quibus cellula intrinsecus evolvitur, obtinetur.

Cellulae autem multiplicatae, eo ordine inter se naturaliter componuntur, eisque muneribus adeo apte funguntur, ut paulatim *texta* et *organa efformentur,* unde tota compago et activitas organismi resultat, iuxta typum propriae speciei.

Germina tandem in organismis parantur quibus nova individua progignuntur, quae, naturaliter morientibus, post relative brevem vitae cursum, succedunt et speciem ad quam pertinent conservant, novos vitae cyclos instaurantes.

Hic autem tam diversarum activitatum complicatissimus et ordinatissimus processus, *perpetuo fluxu materiae* perficitur, qui *metabolismus* dicitur vitalis, quo organismus substantias diversas sibi convenientes seligit, et *anabolismo* seu assimilatione in propriam substantiam convertit, et *catabolismo* seu disassimilatione materiam sibi superfluam vel nocivam deicit.

Materia ergo in organismum conversa activitates prae se fert, quibus tum ante assimilationem, tum post disassimilationem prorsus destituitur.

[2] Cf., ad ulteriorem explanationem, ROSSELL, *La crisis científica del Materialismo,* apud Ibérica, t.19 p.44 n.461, et p.314 n.478.

Atque haec innuisse sufficiant de organismorum activitate generatim inspecta, de qua consulendi sunt biologici tractatus [3].

56. B) Activitas organismorum propria speciatim inspecta. Bifariam hanc activitatem considerare oportet, scilicet: *a)* ita ut comparentur inter se diversae activitates distinctarum partium organismi *simul in aliquo temporis puncto exsistentes;* et *b)* ita ut complexus omnium activitatum *successive,* seu activitates certi temporis cum activitatibus futuris eiusdem organismi conferantur.

a) *Si activitates simul exsistentes inter se comparantur,* mira elucet earum omnium harmonia, seu unitas in varietate, ita ut diversae organismi partes non nisi toti organismo subordinatae agant, vel potius totus organismus omnia exerceat per distinctas suas partes. Praecipua factorum capita quae totum ut totum agens produnt sunt quae sequuntur.

1) *Distributio laboris et mutua distinctarum partium in operando dependentia.* Sic, ex partibus, aliae aquam, aliae carbonium hauriunt, aliae nutrimentum parant quod, ab aliis in distinctas organismi partes transfunditur, et ab aliis in depositum reservatur. Ut uno verbo omnia complectamur, singulae partes organismi, vel minutissimae, labores exercent quae aliis partibus prodesse possint, et ipsae vicissim ab aliis multa excipiunt sine quibus proprium munus obire non valerent [4].

2) *Solidaritas vel quasi communio bonorum, vi cuius ea quae bene vel male afficiunt aliquam partem, ceteras etiam eodem pacto afficiunt.* Sic vulnere accepto in una tantum parte, etsi minutissima, ceterae etiam aliquomodo male habentur, omnesque pro viribus ad vulnus acceptum sanandum concurrunt. Quod si toxinae vel venena aliquam partem organismi inficiant, antitoxinae ab aliis partibus parantur et undecumque afferuntur ad periculum commune amandandum [5].

3) *Adaptatio propria organismorum, vi cuius singulae organismi activitates adiunctis non assuetis, tum internis, tum externis, sese accommodant, prout postulat bonum et perfectio totius.* Sic planta in regione arida minora elicit folia ut transpiratio interni vaporis aquei minuatur; et prout activitas solaris maior minorve sit, folia plantarum minus magisve ad solem convertuntur. Sic cellulae cambii quod sub cortice arborum decurrit, ita multiplicantur, ut ex illis ramus completus vel radix perfecta oriatur, prout necessitas adiunctorum postulet [6].

57. b) *Si vero activitates ita harmonice in unum totum complexum coëuntes cum activitatibus futuris conferantur,* mirabilis tunc elucet teleologia seu directio omnium activitatum versus finem ali-

[3] Cf. Pujiula, *La vida y su evolución...* ed.2.ª (Casals, Barcelona) p.15-16.28. 30-35.45; et Rossell, apud Ibérica, t.19 p.107.

[4] Cf. Pujiula, o.c., p.15.19.25; et *Problemas biológicos* (ed. Casals, Barcelona 1941) c.4.

[5] Cf. Pujiula, *La vida y su evolución...*, o.c., p.25; et *Problemas biológicos*, o.c., c.4.

[6] Cf. Pujiula, *La vida y su evolución...*, o.c., p.21.

quem omnino determinatum, qui est conservatio totius organismi atque etiam conservatio speciei per generationem aliorum organismorum. Haec maxime produnt sequentia factorum capita.

1) *Constructio teleologica organismi a minima parte usque ad perfectum statum.* Hoc maxime apparet in *periodo embryonali;* atque etiam in destructionibus artificialibus factis in quibusdam animalibus inferioribus, ut in *Echino microtuberculato* (fig.1); atque etiam




Fig.1.—Schema experimenti facti in Echino microtuberculato: a_1 et b_1, normalis gastrula et pluteus normalis; a_2 et b_2, dimidiati gastrula et pluteus dimidiatus, quales resultare deberent iuxta theorias antivitalistas; a_3 et b_3, gastrula et pluteus integri sed minores, quales de facto resultant in experimento (ex DRIESCH, o.c., t. I p.61).

in experimentis factis in multis aliis animalibus coelenteratis, ascidiis, et amphibiis, atque in *Amphioxio,* animali vertebrato [7].

Finalitas in constructione constat etiam aliquando ex *transplantationibus.* Sic accidit nonnumquam ut, si pars gastrulae ex suo in alium locum transplantatur, in organum huic loco respondens se efformet; unde oculus vel medulla spinalis vel cerebrum vel epidermis vel quaelibet alia organismi pars resultare possit [8].

2) *Conservatio organismi ope nutrimenti provide impensi.* Omnes enim partes organismi conspirant ad conservationem totius, illa solidaritate et mutua coordinatione de qua supra dictum est, nutrimentum comparantes, elaborantes et distribuentes, atque substantias antitoxicas et reservas vitales adquirentes. Quod si nutrimentum in distinctas partes distributum insufficiens sit ad vitam totius or-

---

[7] Cf. DRIESCH, *Philosophie des Organischen,* t.1 p.129, et ABELOOS, *La regeneration et les problèmes de la morphogenèse* (Paris 1932).

[8] Cf. PUJIULA, *La vida y su evolución...,* o.c., p.85.110 et 122; et *Problemas biológicos,* o.c., c.1.4; c.3 et 8; HERTWIG, *Allgemeine Biologie,* p.616, cit. DONAT, *Cosmologia,* p.329.




Fig.2.—Schema experimenti facti in Tubularia: *a*, animal integrum cum duplici sua serie tentaculorum; *b*, pedunculus Tubulariae capite truncatae, ubi incipit restitutio tentaculorum in perisarco P apparere; *c*, ulterius stadium restitutionis in quo tentacula intus formata perisarcum perrumpere tendunt versus ↑ ; *d*, indicatio variarum sectionum in pedunculo Tubulariae, scilicet: $a_1 - b_1$ vel $a_2 - b_2$ vel $a_1 - c$; *e*, locus ubi tentacula restituta apparent in frustulo $a_1 - b_1$; *f*, idem in frustulo $a_2 - b_2$ quod eiusdem longitudinis est ac frustulum $a_1 - b_1$; *g*, idem in frustulo $a_1 - c$ quod dimidiatae magnitudinis est respectu frustuli $a_1 - b_1$ (ex DRRIESCH, o.c., t. 1 p.129).




Fig.3.—Schema experimenti facti in Clavellina: *a*, schema animalis normalis; F et J, ora; K, armatura branchialis; D, intestina; M, stomachus; H, cor; *b*, armatura branchialis; *c*, *d*, *e*, varia stadia processus regressivi; *f*, nova et integra sed minoris voluminis Clavellina (ex DRIESCH, o.c., t. 1 p.130).

ganismi servandam, prius reservae praevie comparatae consumuntur, et his deficientibus substantia demum propria insumitur, ita tamen ut prius illae partes quae minus, deinde eae quae magis sunt necessariae assumantur.

3) *Regeneratio organorum perditorum.* Evenit enim in quibusdam animalibus, exempli causa in Tubullaria ex genere hydropoliporum (fig.2), et in ascidia Clavellina (fig.3), ut si organum aliquod sat notabile, ut caput, vel branchiae, resecatur, omnes reliquae partes mutent directionem suarum activitatum, ita ut prius ad regenerationem organi amissi cooperentur. Quod, si, ut accidit in Clavellina, nonnumquam id efficere non valent, omnes partes, processu regressivo, in formam embryonalem se convertunt, ut post aliquam periodum quietis iterum integra Clavellina etsi parvior exsurgat (fig.3)[9].

58. Obiectiones. 1. Iuxta biologos HERRERA et LEDUC aliosque, adhibitis tantummodo quibusdam elementorum chimicorum solutionibus apte dispositis, in quibus non nisi activitates physicochimicae dari possunt, materia paulatim organizatur et crescit per quandam nutritionem, a nutritione organismorum parum dissimilem.

Ergo activitates organismorum non sunt irreductibiles ad activitates corporum non organizatorum.

Resp.: dist. ant.: in illis experimentis materia organizatur et crescit per quandam nutritionem mere apparentem, et pro eo qui rem bene non inspiciat, *conc. ant.;* vere, et ita ut qui factum hocce observet, non statim convincatur, rem de qua agitur nihil commune habere cum phaenomenis organismorum propriis in probatione expositis, *nego ant.*[10]

59. 2. Crystalla, quorum activitates ordinem physicochimicum non transcendunt facta quaedam prae se ferunt, organismorum phaenomenis simillima.

Ergo a pari activitates organismorum non sunt irreductibiles ad activitates physicochimicas.

Antecedens sequentibus factis probatur: *a)* Crystallum *originem ducit* a primigenio quodam nucleo, sicut organismus a cellula primigenia.

b) Nutritur et augescit, materiam extraneam sibi approprians, sicut organismus.

c) Certam et determinatam *configurationem* iuxta typum proprium assumit, sicut organismus iuxta typum specificum.

d) Sicut organismi, crystalla etiam *vulnera reparant,* etiam in statu liquido, quo propius accedunt ad statum materiae organizatae.

Resp.: nego ant.; ad facta autem obiecta generatim dicendum est ea toto caelo differre ab activitatibus organismorum quae in probatione retulimus.

Sic ad *a)* crystallum non semper ab alio crystallo, sicut organismus ab alio organismo procedit; sed a materia soluta quae vim habet crystallizandi in forma quadam determinata.

---

[9] Cf. DRIESCH, *Philosophie des Organischen,* o.c., t.1 p.129.

[10] Ad technicam horum experimentorum, explicationes et differentias inter eiusmodi facta et activitates vitales, cf. PUJIULA, *La vida y su evolución...,* o.c., p.61-71; IDEM, art. *Plasmogenia:* Enc. ESPASA; GEMELLI, *L'Enigma della vita* (Firenze 1910) p.277-284; nec nunc iam est aliquis biologus cordatus qui hoc genus experientiarum, pro productione cellulae viventis adducat.

Ad *b)* quod attinet, crystallum, semel obtento nucleo primitivo, *non nutritur vera nutritione,* seu convertendo substantiam a se diversam in substantiam propriam, nec quidem vera chimica combinatione; neque augescit per *intussusceptionem* media activitate metabolica, sed tantummodo per meram partium aggregationem et *iuxtapositionem.*

Quoad *c)* verum est crystallum certam ac determinatam configurationem habere; ea autem determinantur, *non epigenesi* seu interna evolutione sicut in organismis, sed a materia ex qua crystallum constat, ita ut in nucleo primigenio iam totum crystallum praeformatum inveniatur.

Vulnerum reparatio, de qua sub *d),* et formae propriae recuperatio, similiter per meram aggregationem perficitur in crystallis, secus ac in organismis, ut constat ex dictis.

Tandem de materiali se habet quod crystalla inveniantur etiam in statu liquido materiae, cum eisdem legibus eorum efformatio et evolutio regantur [11].

ARTICULUS II

DEFINITIO PHILOSOPHICA VITAE

Thesis 3. Recte scholastici notam characteristicam vitae in immanentia teleologica reponunt, definientes quodlibet ens vivens esse "substantiam cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel agere se quoqumque modo ad operationem" [12].

60. Nexus. Activitates organismorum quas in superiori thesi consideravimus, ut *vitales* haberi solent a sensu hominum communi; et ratione illarum, organismi dicuntur etiam *viventes* seu *vita* pollentes.

Sunt praeterea in quibusdam organismis quos in natura cernimus, in animalibus videlicet et in hominibus, aliae etiam operationes superiores, psychicae appellatae, quae ad ordinem conscientiae pertinent, quaeque similiter *vitales etiam dicuntur;* atque, ut nobis constat ex Metaphysica vel saltem ex divina revelatione, dantur etiam substantiae viventes *vita conscia non organica* nec corporea, ut angeli, et omnium conditor Deus.

His igitur positis, et postquam vitam omnibus organismis communem in thesi praecedenti descripsimus iuxta observationes et experimenta quae propria sunt scientiae biologicae experimentalis; intendimus hic philosophice definire quaenam sit *nota characteristica* vel praedicatum essentiale quod de omni et soli viventi aliquomodo dici possit, et vi cuius omne vivens a quolibet ente non vivente distinguatur.

Hanc notam characteristicam invenimus in *definitione vitae ab scholasticis,* praeeunte ARISTOTELE, elaborata, quam contendimus rectam esse et, non obstantibus scientiarum progressibus, retinendam.

---

[11] Cf. PUJIULA, *La vida y su evolución...*, o.c., p.71-72, et 13-50; IDEM, *Problemas biológicos,* n.22, p.19; GEMELLI, o.c., p.299-315; MUEDRA-MELÉNDEZ, *Autodidaxis cristalográfica* (1954).

[12] S. TH., 1 q.18 a.2.

61. Notiones. VIVENS est concretum aliquod, cuius ratio abstracta vel forma logica, *vita* dicitur.

Vivens autem considerari potest dupliciter, videlicet: *in actu primo* et *in actu secundo;* prout concipiatur ut subiectum potens agere vitaliter, praecisione facta ab eiusdem operatione vitali; vel ut actu agens vitaliter, includens propterea et subiectum et actualem eiusdem operationem vitalem qua informatur. Eodem recidit divisio in vivens sumptum *nominaliter* et *participialiter*.

VITA similiter considerari potest *in actu primo* et *in actu secundo*. Vita in actu primo illa ratio est qua vivens concipitur fieri formaliter aptum ad vitaliter operandum; vita vero in actu secundo est ipsum exercitium vitae, vel ipsa activitas vitalis seu ipsum vivere.

VIVERE tandem nihil aliud est quam esse vivum vel vivens. Hoc autem *esse vivum* vel vivens dupliciter etiam sumi potest, scilicet, *in actu primo* et *in actu secundo*. Vivere in actu primo nihil aliud est quam esse in tali natura cui convenit vivere, unde evidens fit dictum ARISTOTELIS[13]; "vivere viventibus esse est".

Proinde vivere in hoc sensu nihil aliud importat quam substantiam vivam, praescindendo ab operationibus. Vivere autem in actu secundo importat praeterea operationem vitalem substantiae viventi superadditam. Vivere in actu primo, dici proinde potest *vivere substantiale;* vivere autem in actu secundo, *vivere accidentale,* si de viventibus agitur creatis.

Si vero quaeritur de quo proprius vita dicatur, an de substantia vel de operationibus, respondendum est cum S. THOMA[14], praedicatum vitam, in *ordine cognitionis* primum convenire operationibus ex quibus deducimus exsistentiam substantiae viventis; in *ordine vero ontologico* primario convenire substantiae.

62. Iam, nomen "MOTUS" et "MOVERI" quod primario impositum est ad designandum motum localem qui melius nobis innotescit, trifariam praeterea accipi potest, scilicet *stricte, large* et *largissime*.

Stricte sumptum significat quamlibet mutationem successivam sive secundum *locum,* sive *quantitatem,* sive *qualitatem,* cum oppositione ad motum instantaneum.

Large, motus significat omnem veram mutationem, id est, transitum entis de potentia ad actum, sive est mutatio successiva sive instantanea, sive corporalis sive spiritualis, quo sensu convenit etiam operationibus intellectualibus substantiarum creatarum.

Largissime demum sumitur pro omni operatione, sive haec habetur per transitum de potentia ad actum, sive non; et ita complectitur etiam divinam ineffabilem operationem.

---

[13] ARISTOTELES, *De anima,* II c.4 [415b13].
[14] S. TH., 1 q.18 a.2c.

Ut definitio *omni viventi, etiam Deo* aliquomodo conveniat, saltem analogice, nomen motus *largissime;* ut vero *omnibus viventibus creatis,* aptetur, *large* est accipiendum. "Large accipiendo motum, scribit S. THOMAS [15], prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur".

Hanc identificationem motus cum operatione in creatis nihil continere absurdi, patet ex eo quod in creatis nulla umquam operatio datur sine mutatione aliqua, quo fit ut, si motus inspiciatur relate ad causam a qua procedit et ad subiectum in quo recipitur, ad praedicamentum pertineat actionis vel passionis cum quibus identificatur. Inde patet extensio nominis motus ad significandam etiam operationem divinam quae tamen absque ulla immutatione perficitur.

63. Motus autem vel operatio de qua hic agitur est *motus vel* OPERATIO IMMANENS, quod in carmine theseos exprimitur verbis "movere se", vel "agere se ad operationem".

Operatio enim, sicut et motus, alia est *transiens,* quae transit in rem ab operante distincta; alia vero est *immanens,* quae remanet in ipso agente. "Quarum haec est differentia, scribit ANGELICUS [16], quia prima actio non est perfectio agentis quod movet, sed ipsius moti, secunda autem actio est perfectio agentis".

AGERE IGITUR SE ad operationem idem est ac sua *sponte* operari, idem etiam ac *immanenter operari,* atque etiam idem prorsus ac *seipsum* perficere; terminus enim operationis, cum aliqua entitas positiva sit et intra agens maneat, necessario ipsum aliquomodo perficit, sive in ordine substantiali sive in ordine accidentali.

Ergo istae *tres dicendi formulae,* scilicet, "se sua sponte movere vel agere ad operationem", "agere immanenter" et "se perficere", quamvis unam eandemque realitatem seu actionem immanentem perfectivam exprimant, quaelibet tamen earum accommodatius et clarius pro diversis viventium speciebus illam significat; siquidem motus et spontaneitas in *animalibus,* immanentia in *entibus cognoscitivis,* perfectionabilitas vero et quasi constructio viventis, in evolutione et nutritione *vitae vegetativae,* omnibus organismis propriae, manifestius apparent.

64. Tandem, in carmine theseos additur "SECUNDUM SUAM NATURAM", quibus verbis, ab immanentia per quam vitam definire intendimus, *excluduntur illi motus* vel operationes quae, etsi in eodem subiecto operante a quo procedunt recipi videantur, ac proinde speciem aliquam immanentiae prae se ferant, tamen non procedunt a subiecto plene *constituto in suo statu naturali.* Id autem duplici modo evenire potest, nempe: vel quia adhuc a suis causis efficientibus dependet seu est

[15] S. TH., *In II De anima,* lect.1 (ed. PIROTTA, n.219).
[16] S. TH., 1 q.18 a.3 ad 1.

in fieri; vel saltem quia in statu violento versatur propter vim extrinsecam sibi illatam contra propriam inclinationem.

In his casibus immanentia non esset nisi *apparens;* nam actio non ab intrinseco procederet, sed adaequate ab extrinseco, scilicet: in primo casu, a causa generante; in altero vero, a causa extrinsecus vim inferente.

65. Status quaestionis. Quinam sit sensus theseos, quinam illius scopus, constat perspicue ex notionibus praemissis; scilicet: *intendimus tradere definitionem philosophicam viventis* in genere spectati, quae proinde omni et soli viventi cuiusque generis aliquomodo conveniat. Non autem contendimus hanc definitionem univocam esse, sed ultro fatemur eam *tantum analogam* esse respectu diversorum viventium, propter diversissimam rationem secundum quam intelligendum est praedicatum "movere se" et "operari immanenter", cum de Deo et de creaturis dicitur; et propter diversam admodum rationem sese perficiendi in vita psychica et in pure vegetativa. Hic autem *praecipue nostra interest,* notionem tradere illius vitae quae communis est omnibus prorsus corporibus naturalibus organizatis, scilicet, vitae vegetativae.

66. Sententiae. Praescindendo a sententia illorum qui de vita tractantes, eam definire non curant, vel qui tenent impossibile esse vitam definire, quae circumferuntur definitiones, in duo agmina dividi possunt.

Primum complectitur definitiones innumeras, tum a scientiae experimentalis cultoribus, tum etiam a philosophis propositas, quae cum nostra non cohaerent.

Plures ex his definitionibus afferunt DE LA VAISSIÈRE[17] et URRÁBURU[18], a quo praesertim validis rationibus refelluntur. Omnes quippe, vel regulas rectae definitionis non servant, vel non in factis rite observatis sed in falsis de vita theoriis innituntur, vel non cuicumque vitae aptantur, sed tantummodo physiologicae, vel non nisi tautologicae ac proinde inutiles dicendae sunt.

Alterum agmen est eorum qui definitionem propositam quoad substantiam defendunt, recurrentes sub diversis verbis ad motum immanentem, qui si recte intelligatur et explicetur, vere ut nota propria et exclusiva vitae habenda est.

Eiusmodi sententia iam a PLATONE[19] proposita et ab ARISTOTELE[20] pluries adducta, a magnis auctoribus scholasticis mirabiliter per-

[17] DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* o.c., I p.136.
[18] URRÁBURU, *Psychologia,* I p.21-37.
[19] PLATO, *Phaedrus.*
[20] ARISTOTELES, *De anima,* I c.2, et II c.1.

polita et explicata fuit, quos inter eminet S. THOMAS[21] pluribus in locis. Breviter haec definitio ita a SUÁREZ[22] describitur: "ex communi philosophorum doctrina, imo ex omnium hominum sensu ... substantias corporeas viventes a non viventibus in hoc distingui, quod non viventes per se loquendo et ex suae naturae institutione, nec ab intrinseco seipsas moveant, nec ad complementum suae perfectionis adquirendum in se ipsis operantur; viventia vero sunt quae hanc vim se movendi ac perficiendi ab intrinseco habent".

Proponimus hanc definitionem ut *certo* bonam et ut *optime cohaerentem,* non modo cum doctrinis Scholasticorum tum philosophicis tum etiam theologicis, verum etiam cum conclusionibus scientificis et certis scientiarum biologicarum; ac proinde, ut summe aptam ad ulteriores investigationes philosophicas de natura et proprietatibus vitae.

67. Probatio. Definitio vitae in carmine theseos proposita est bona, si 1) definit *per notam aliquam characteristicam vitae,* seu quae A) *omni* et B) *soli* viventi conveniat, et insuper 2) *sat perspicua sit* vel saltem clarior re definita.

Constat hoc ex regulis bonae definitionis quae in Logica traduntur. Rem autem ita se habere sic ostenditur.

1) MOTUS VEL OPEROTIO INMANENS, SEU SUBIECTI CUIUS EST INTRINSECE PERFECTIVA, CONVENIT A) OMNI VIVENTI. Nam viventia omnia, alia vivunt *a)* vita *mere intentionali seu psychica,* ut anima humana a corpore separata, angelus, Deus; alia, scilicet, entia corporea organizata, *b)* vivunt *vita vegetativa,* et ex his aliqua etiam vita conscia, ut animal et homo, ut nunc ex sensu hominum communi praesupponere licet, et infra demonstrabitur.

Iam vero *a)* operationem vitalem psychicam esse immanentem subiecto a quo procedit, in dubium revocari nequit tum ex sensu communi, tum etiam ex ipso conceptu activitatis psychicae, exempli causa, cognitionis, quae necessario debet *procedere* ab intrinseco cognoscentis, secus illud falso cognoscentem denominaret; atque etiam *recipi* in intrinsecum eiusdem subiecti. Secus subiectum quod cognitionem eliceret illam non haberet, ac proinde subiectum illud simul cognosceret et non cognosceret, cum cognoscere sit habere cognitionem.

b) Vitam vero omnibus organismis communem, seu *vegetativam,* esse operationem immanentem, evidens est ex descriptione activitatum corporum organizatorum propriarum de quibus diximus in thesi praecedenti.

Speciatim hoc patefit in assimilatione qua substantia extranea per nutritionem in propriam convertitur organismi substantiam; "nutritio nimirum exercite et per se facit novam materiam esse propriam

[21] Cf. *Sum. Theologica,* 1 q.18; 4 CG c.11; *De veritate,* q.4 a.8; *In I De anima,* 2.° 1.
[22] SUÁREZ, *De anima,* I c.1 n.3.

illius suppositi a quo ipsa oritur, unde in nullo instanti vel signo exsistit quin vere immaneat supposito a quo est"[23].

Sed *praesertim* hoc constat ex eo quod, ut supra dictum manet (56), omnis activitas organismorum a toto procedit atque versus totum dirigitur, quod nihil aliud est quam immanenter operari.

B) *Quod autem motus seu operatio immanens* et perfectiva, prout in praenotionibus describitur SOLIS VIVENTIBUS CONVENIAT, patebit ex solutione difficultatum, quae omnes ex notionibus praeiactis dissolvuntur.

68. 2) NOTA PER QUAM VITA DEFINITUR EST SAT PERSPICUA VEL SALTEM CLARIOR RE DEFINITA. Hoc patet ex observatione, etiam non scientifica sensus communis, quae bifariam se prodit, A) *directe,* videlicet, et B) *indirecte.*

A) *Directe* quidem, etenim "dicimus animal vivere quando incipit ex se motum habere, et tamdiu iudicatur animal vivere quamdiu talis motus in eo apparet; quando vero iam ex se non habet motum, sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitae. Ex quo patet quod illa proprie sunt viventia quae seipsa secundum aliquam speciem motus movent"[24].

B) *Indirecte* etiam, ex his quae per similitudinem vivere dicuntur: nam, ut ipse SANCTUS THOMAS[25] observat, "illa quae videntur per se moveri, quorum motores vulgus non percipit, per similitudinem dicimus vivere, sicut aquam vivam fontis fluentis, non autem cisternae vel stagni stantis; et argentum vivum, quod motum quemdam habere videtur".

Ad rem SUÁREZ[26]: "Est evidens secundum hanc perfectionem habere vegetalia aliquam convenientiam substantialem cum animalibus et hominibus, quam non habent inferiora corpora cum istis omnibus, quatenus vegetabilia possunt circa se operari, proprie et per se in ultimo actu se constituere. Ergo hic conceptus communis vegetabilibus et cognoscentibus, sicut est unus, ita et potuit una voce significari: significatus autem est nomine viventis, ut constat ex dictis et usu".

69. Obiectiones. 1. EX EO QUOD DEFINITIO NON CONVENIAT OMNI VIVENTI. Definitio imprimis non convenit Deo.

Ergo saltem non est bona definitio, cum omni viventi convenire debeat.

Resp.: dist. ant.: nisi motus sumatur largissime, scilicet, pro operatione vera quae tamen nullatenus importet mutationem de potentia ad actum et perfectibilitatem, *conc. ant.;* si vero motus sumatur

[23] LOSSADA, *Cursus philosophicus.* Tract. de generatione et corruptione, disp.1 c.3 n.48.
[24] S. TH., 1 q.18 a.1 c.
[25] 1 CG c.97.
[26] SUÁREZ, *De anima,* l.1 c.5 n.22.

largissime, in quantum significare potest operationem immanentem, omnem prorsus mutationem et perfectibilitatem positive excludentem, *nego ant.*

Inst. *Atqui* in hoc sensu operatio non convenit creaturis, quae operatione semper perficiuntur. *Ergo* stat difficultas.

Resp.: dist. min. subs.; in hoc sensu non convenit creaturis, si mutatio et perfectibilitas a conceptu operationis immanentis positive excluditur, *conc.;* si tantum ab eo praescinditur, *subd.:* tunc non convenit Deo et creaturis univoce, *conc.;* saltem analogice, *nego.*

Inst. Nihil est quod seipsum moveat. *Ergo* definitio tradita nulli viventi naturali convenit. *Antecedens* patet, quia quidquid movetur ab alio movetur. *Ergo* nihil est quod seipsum moveat.

Resp.: dist. ant.: nihil est quod seipsum moveat, saltem motu largissime accepto, scilicet, sine mutatione proprie dicta, *nego;* motu proprie dicto, aliquam mutationem importante, *subd.:* quod seipsum moveat adaequate seu ita ut simul non moveatur etiam ab alio, *conc.;* nihil est quod seipsum moveat saltem inadaequate, *neg.* Et *negata conseqt., dist.* similiter probationem antecedentis et alterum *cons.*

Inst. Multae actiones, certo vitales, habendae sunt ut transeuntes. Eiusmodi sunt, exempli causa, actio pingendi, citharam pulsandi, imo etiam intimiores actiones cogitandi et appetendi, quae saepe versus obiecta viventi extrinseca feruntur.

Resp.: dist. ant.: multae sunt actiones certo vitales quae nullo pacto sint immanentes, sed tantum transeuntes, *neg.;* quae praeter quam quod sint immanentes, terminum aliquem alium habeant extrinsecum, vi cuius dici etiam possint transeuntes, *subd.:* ita ut sint vitales tantum quoad modum *conc.:* non tantum quoad modum sed etiam quoad substantiam, *nego* (50).

Sic actiones pingendi et citharizandi non sunt vitales quatenus producunt picturam vel sonitum fidium quae, iuxta leges mechanicas, per digitorum motus, obtinentur; sed tantum quatenus eiusmodi motus digitorum producuntur. Nec quantum ad eiusmodi motus, dici possunt vitales quoad substantiam, sed tantum quoad modum [27].

Ad actiones autem cogitandi et appetendi quod attinet, dicendum est eas esse omnino vitales quoad substantiam, cum terminus ipsarum physicus sit omnino immanens potentiis a quibus efficitur. Terminus vero intentionalis seu obiectum in quod eiusmodi actiones intentionaliter terminantur vel quod repraesentant, saepe quidem extrinsecum est; hic autem non de termino intentionali sed tantummodo de physico quaestio est, per activitatem vitalem producto.

70. 2. Ex eo quod definitio non conveniat soli viventi. Multae sunt in natura operationes immanentes, quae tamen non sunt vitales. Sic a) *corpora gravia* se movent versus terram cadendo, et levia in aërem ascendendo; b) *acus magnetica* sese movet; c) *corpus proiectum* ab extrinseca vi, pergit movere seipsum; d) *corpora elastica,* apte distenta, pristinam positionem recuperant, sese moventia.

Resp.: nego ant., et ad facta obiecta dicendum est in eis non dari nisi actiones transeuntes.

Etiam *a)* corpus cadens a terra attrahitur et corpus leve pressione aëris vel alicuius corporis densioris in quo submergitur attollitur; *b)* similiter de acu magnetica dicendum est, quae ab extrinseco attrahitur, scilicet, a terra magnetismo affecta; *c)* corpus proiectum

[27] Cf. Suárez, *De angelis,* l.4 c.38 n.3.

non vi propria se movet, sed vi tantum adaequate ab extrinseco accepta; et tandem *d)* idem de corpore elastico est dicendum, cui per tractionem energia potentialis confertur, quae deinde in motum actualem exit, qui proinde est etiam adaequate ab extrinseco.

Aliter veteres eiusmodi difficultates solvebant; nam falso existimantes iuxta Physicam sui temporis corpora gravia et levia habere in natura suum locum, ad quem, si forte ab illo violenter removerentur, propria sua virtute naturali redibant; ut ostenderent illos motus non esse vitales, ad immanentiam propriam viventium requirebant ut corpora quae immanenter operarentur essent constituta in suo esse naturali. Sic S. THOMAS[28].

71. INST. Ignis saltem immanenter agit, cum tamen non vivat; flamma siquidem materia combustibili quodammodo nutritur et augescit, eam in propriam substantiam convertens.

Resp.: nego assert., et ad rationem additam, *dist.:* flamma nutritur apparenter seu mere metaphorice, *conc.;* realiter et vera nutritione, *nego;* et *nego* etiam suppositum, videlicet; flammam esse ens aliquod *unum per se,* quasi unum ex quatuor elementis antiquorum, sed est tantum aggregatio plurium corporum in statu gaseiformi et in alta temperatura. Haec temperatura corporibus adstantibus communicatur, quae si cum oxygenio aëris affinitatem habeant, cum eo combinantur, et combustio peragitur.

INST. Saltem combinatio chimica quaelibet est operatio immanens, cum tamen non sit vitalis. *Etenim* in combinatione chimica, cum duo corpora sese uniant ad efformandum unum corpus, *effectus productus in ipsis manet,* ac proinde combinatio operatio immanens est.

Resp. 1.°: nego ant; nec quidquam valet probatio adiuncta ad evincendam immanentiam actionis qua corpora combinantur, quomodolibet factum explicetur.

Nam, si ut admittunt plures scholastici, elementa in sua combinatione amittunt suum esse substantiale ut constituant novam substantiam vel novum corpus, patet effectum non manere in eodem corpore a quo procedit.

Si vero admittatur combinationem consistere tantum in diversa positione atomorum unde novae oriantur proprietates accidentales, tunc omnia explicantur per meram actionem transeuntem.

Resp. 2.°: dist. ant.: combinatio chimica; est operatio corporis *in fieri,* seu ipsa constitutio alicuius corporis in statu connaturali, *conc.;* corporis in facto esse seu in statu suo connaturali constituti, *nego.* Deficit igitur hic definitio vitae, eo quod actio immanens per quam vita definitur, debet procedere a corpore iam constituto in suo esse naturali; nec sufficit ut a corpore oriatur nondum in sua natura constituto, ut supra dictum est (64).

---

[28] S. TH., 1 q.18 a.1.

CAPUT II

Vitae ambitus et suppositum vivens determinatur

ARISTOTELES, *De anima,* I c.2; *De caelo et mundo,* c.6; S. TH., 1 q.3 a.8; 1-2 q.1 a.2; q.11 a.2; q.12 a.5; *De veritate,* q.22 a.1 ad 2; SUÁREZ, DM d.4 s.3; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.221-261; T. PESCH, *Institutiones psychologicae* (1896) n.118-126 p.154-167; n.185 p.240-241; SHAAF, *Institutiones psychologicae* (1909) c.3 n.49-56.65-74 p.53-56.75-86; SIWEK, *Psychologia Metaphysica* (1948) n.3 p.1517; n.67 p.101-102; PUJIULA, *Citología,* ed.3.ª (1954), parte teórica, p.249-251; BARNOLA, *Biología moderna* (1925) I n.28 p.25-26; RAMÓN Y CAJAL, *Discurso inaugural del Congreso de Madrid de la Asociación para el progreso de las Ciencias* (1913); JEANDIDIER, *Le panpsychisme vital,* Coll. "Occident" (Paris 1950); LEROY, *La théorie cellulaire:* Archives de Philosophie 6 (1927) cah.1 p.25-55; GERARD (r. W.), *Células incansables,* trad. BERGANZA (Bs. As.); PALMÉS, art. *Polizoísmo:* Enc. ESPASA.

72. Nexus et ordo. Novimus iam, ex doctrina capitis praecedentis, *quid vita sit;* gressum facimus nunc ad sciscitandum *ubinam vita sit.* Ratione strictae immanentiae propria vitae, haec non nisi in ente uno per se seu supposito inveniri potest, et sensus hominum communis recte tenet plantas, animalia et homines esse supposita vita gaudentia, aliaque entia mundi spectabilis vita carere. Quoniam vero fuerunt omni tempore philosophi qui tenerent omnia mundi entia vivere, *panpsychismum* vel *hylozoismum* profitentes; et recentius aliqui dixerint non plantas, animalia et homines esse vera supposita seu individua viventia, sed tantum cellulas vel partes cellula inferiores, quorum doctrina *colonismus* vel *polyzoismus* nuncupatur, agendum nobis est 1.° de panpsychismo, et 2.° de polyzoismo.

ARTICULUS I

NON OMNIA ENTIA NATURAE VIVUNT

Thesis 4. Inter entia quae sunt obiectum philosophiae naturalis, vita proprie dicta non nisi in entibus organizatis reperitur, scilicet: in homine, in animalibus et in plantis; quamobrem doctrina hylozoismi vel panpsychismi reiicienda est.

73. Notiones. ENTIA DE QUIBUS PHILOSOPHIA NATURALIS AGIT, illa sunt omnia quae, cum naturalia sint, experientiae hominis aliquomodo subiiciuntur, quaeque a scientiis positivis naturalibus omnibus, accurate investigantur.

VITA PROPRIE DICTA opponitur hic vitae per metaphoram dictae, de quibus in praecedenti thesi 3 dictum est.

ENTIA ORGANIZATA sunt illa quorum activitates in thesi 2 in capite praecedenti descripsimus. Quid planta, animal, homo sint, ex notione vulgari quae hic sufficit.

Doctrina panpsychismi, quae et hylozoismus dicitur, est opinio eorum qui vitam aliquam, sin minus physiologicam, saltem psychicam seu consciam, omnibus rebus materialibus tribuunt. De huius doctrinae origine et fautoribus, inter sententias tradendas, inferius aliquid amplius erit dicendum.

74. Status quaestionis. Ultro *admittimus* omnia prorsus entia naturae aliqua *activitate* praedita esse et inefficientiam corporum non organizatorum non esse nisi relativam respectu activitatis spontaneae organismorum.

Quaestio igitur praesens est, utrum ratione huius activitatis, vel alius quae fortasse fingi posset, omnia entia naturalia quae Philosophia naturalis considerat, vivere dicenda sint, sin minus vita physiologica, saltem vita psychica; seu quod idem est, utrum in mundo spectabili omnia aliquomodo vivant; an e contra, vivere proprium tantummodo sit corporum organizatorum.

75. Sententiae. *Thesim tenent* cum sensu communi hominum, magni omnium temporum philosophi, quos inter Aristoteles et Scholastici.

Thesim negant, panpsychismum vel hylozoismum profitentes, non pauci omnium temporum philosophi [1].

Nemini mirum esse potest quod tot fuerint et sint quibus eiusmodi doctrina, adeo experientiae contraria arriserit, qui prae oculis habeat eam omnino cohaerere cum *doctrina monismi* quae, sub diversis formis, plus minusve, omni tempore viguit.

Duplex autem est genus vel potius gradus monismi, videlicet: *a)* monismus simpliciter contendens omnes omnino activitates quae in mundo cernuntur a vi seu energia *unicae speciei* procedere, quae tamen diversimode in diversis entibus operaretur; et *b)* monismus qui ulterius *negat pluralitatem specificam* substantiarum in mundo, unicam ad summum admittens substantiam, et consequenter unicum suppositum cum universo mundo identificatum.

Ex utroque venenato fonte multiplices doctrinae panpsychistae vel hylozoistae promanarunt.

Eiusmodi doctrinis magnopere delectantur non pauci philosophi poëtae, potius poëtae quam philosophi, qui amore naturae abripiuntur; maxime autem omnes qui, tum tempore renascentiae, tum etiam hodierno tempore, doctrinas theosophicas, vel spiritisticas vel mentalisticas, vel magicas profitentur, vel qui, sub nomine scientiae Metapsychicae vel Occultismi scientifici, superstitionibus indulgent sub fucato nomine scientiae, errores renovantes gnosticorum qui primis Christianismi saeculis dogmata christiana cum fabulis gentilium permiscebant.

---

[1] Praecipuos philosophos tum antiquos tum modernos qui eiusmodi doctrinam professi sunt plenius recensemus in *Cursu Psychologiae*, thesis 7.

Adversus utrumque panpsychismum vel hylozoismum, sive monista tantummodo sit quoad activitates, sive etiam quoad suppositum vivens unicum, thesim proponimus ut *certam,* cum sententia adversa unice fundatur in monismo, qui doctrina est aprioristica et experientiae contraria.

76. Probatio. Doctrina tenens omnia aliquomodo vivere, vel supponit: A) Monismum hylopsychicum pantheisticum scilicet: mundum non esse complexum entium diversorum sed unicum et individuum ens per se, pluribus constans partibus quae unica anima mundi informarentur, quemadmodum a nobis unitas et individualitas organismorum explicatur; vel B) ab hac doctrina pantheistica praescindens, asserit simpliciter omnem activitatem esse vitalem.

Disiunctio est completa.

Thesis autem adversariorum falsa est in utroque sensu, ut iam demonstro.

77. A) FALSUM EST MUNDUM ESSE UNUM ENS PER SE VIVUM ET UNICUM. Etenim, si mundus esset unicum ens per se et vivum, *a)* singularum rerum, quae experientiae nostrae subiciuntur, *activitates essent intrinsece* incompletae, et *intrinsece* ordinarentur ad unam activitatem universaliorem conficiendam, propriam totius mundi; *b)* singulae eiusmodi res essent *entia incompleta* quae, non solum extrinsece, sed *intrinsece ordinarentur* ad conflandum unum ens completum et unicum, scilicet, mundum; et tandem, *c)* eiusmodi res, quas experientia percipimus, *non differrent substantialiter inter se,* cum partes essent substantiae unicae et individuae, scilicet mundi.

Atqui haec sunt absurda et experientiae contraria.

Ergo nequit admitti mundum esse ens unicum et individuum; et consequenter, panpsychismus, qui hanc doctrinam supponit, absurdus est.

Maior non est nisi explanatio sententiae adversae. *Minor* per partes probatur.

a) *Quod singularum rerum activitates non referantur intrinsecus ad bonum totius mundi, sed tantum extrinsecus,* patet ex activitate immanenti organismorum, vi cuius singulae res organicae sibi et non aliis mundi rebus prospiciunt et in bonum proprium operantur, ut in thesi 2 demonstratum manet quoad operationes vitae vegetativae, et ex conscientia uniuscuiusque evidens est quoad operationes cognoscitivas, quae "to ego" insunt eumque perficiunt.

b) *Quod singulae res spectabiles non sint entia incom-*

pleta, evidens est etiam experientia, praesertim in organismis, quarum singulae partes incompletae sunt et coëunt quidem ad conflandum unum organismum, non autem intrinsecus constituunt aliud ens; cum ipsis deficientibus aliud ens, scilicet, mundus quem constituerent, non destruatur nec substantialiter immutetur.

Tandem c) quod res mundanae substantialiter inter se differant, constat ex earum independentia in operando et essendo, ex diversitate suarum activitatum, et maxime ex testimonio immediato conscientiae, quo certissime quasdam actiones "to ego" attribuimus quatenus distincto ab aliis entibus, sive consciis sive inconsciis, atque etiam a mundo. Non enim dicimus: mundus cogitat, sed nos a mundo distincti, licet in mundo exsistentes, cogitamus.

78. B) ETIAM SECLUSO PANTHEISMO, FALSUM QUOQUE EST ENTIA NON ORGANIZATA ALIQUA VITA POLLERE. Etenim vita entium materialium non organizatorum, vel esset *a)* vita organica *pure vegetativa;* vel esset *b) vita psychica seu conscia.* Nihil aliud ponitur ab adversariis, nec poni potest.

Atqui non est a) vita vegetativa organica. Quia *a')* activitas organica vegetativa, ut constat ex thesi 2 essentialiter differt ab activitate entium non organizatorum, ac proinde non datur in entibus non organizatis. Et praeterea *b')* illa activitas, ut probatum est in thesi 3, est immanens, immanentia vero actionis proprie dicta, non convenit entibus non organizatis materialibus, cum horum activitates non sint nisi transeuntes, et mera ordinatione extrinseca sufficienter explicentur.

Sed b), neque est vita conscia seu cognitionis et appetitionis.

a') Quia, quamvis in rebus materialibus ab organismis distinctis experientia multas percipiat activitates, at nullum prorsus signum cognitionis vel appetitionis consciae invenit, nec ad aliquid explicandum conscientia ulla requiritur, ut constabit ex solutione difficultatum; siquidem ordo qui in organismis elucet sufficienter explicatur ex sapientia Dei summi conditoris, rebus singulis illas activitates naturales tribuentis, quae uniuscuiusque entis naturae, et ordini totius universi mundi consentaneae sunt.

Et praeterea, *b')* conscientia nec quidem in organismis quae plantae dicuntur est admittenda, ut constabit ex thesi 6. Ergo a fortiori nequit admitti in entibus mundi non organizatis.

79. Obiectiones. 1. Ex ACTIVITATE MUNDANA. Nulla entia mundana inertia sunt, ita ut prorsus omni careant activitate.

Atqui eiusmodi activitas vita est.

Nam illa activitas vitalis dicenda est, quae immanentiam et teleologiam prae se ferat.

Atqui talis est omnis prorsus activitas mundana.

Ergo omnis activitas mundana vitalis est, ac proinde, omnia vivunt.

Resp.: conc. mai, et *nego min.;* ad cuius probationem, iterum *conc. mai.* et *nego min.* quoad primam partem.

Verum quidem est, in omni activitate mundana aliquam teleologiam resplendere, non autem omnis activitas immanens est, sed multae sunt activitates quae, etsi teleologicae, non sunt tamen nisi transeuntes. Eiusmodi sunt omnes activitates corporum non organizatorum, quae proinde vitales dici nequeunt.

INST. *Atqui* omnes activitates mundanae sunt etiam immanentes. *Siquidem* a mundo procedunt et in mundo recipiuntur.

Resp.: nego min. subs. et ad probationem, *dist. assertum:* activitates mundanae a mundo procedunt et in mundo recipiuntur, ita ut mundus non sit ens aliquod *per se unum* seu individuum, *conc.;* ita ut sit unum individuum seu ens per se unum, *nego.*

Ut immanentia actionis vera sit, opus est ut actio ab intrinseco et intrinsecum recipiatur unius eiusdemque entis; quod in omni activitate mundana fieri non potest, cum mundus non sit unum ens per se seu individuum, sed potius unum per accidens, seu ingens aggregatio, licet ordinata, plurium individuorum entium, quae inter se teleologice quidem agunt sed tantum transeunter.

80. 2. Ex LEGE CONTINUITATIS. In mundo perfecta datur continuitas, ita ut ea quae perfectiori modo in entibus superioribus reperiuntur, etiam in inferioribus imperfectiori quodam modo inveniantur.

Ergo, sicut in homine datur vita, ita etiam in animali, et in planta, et consequenter etiam in mineralibus seu anorganicis, vita admittenda est.

Resp.: dist. ant.: datur lex continuitatis consistens in gradatione perfectionis in entibus mundanis, ita ut alia plures alia pauciores perfectiones habeant, *conc.;* datur lex continuitatis, ita ut omnes perfectiones quae in entibus superioribus inveniuntur, debeant etiam esse in inferioribus, *nego.*

Et sub data *dist., nego cons.* et *consqt.*

Solutio ex experientia patet, ex qua decidendum est quid in mundo reperiatur.

81. 3. Ex TENDENTIA ENTIUM MUNDANORUM. Non solum in mundo organico, sed etiam in anorganico reperitur voluntas.

Atqui voluntas vitam importat.

Ergo in mundo anorganico vita datur.

Resp.: dist. mai.: in mundo anorganico datur voluntas proprie dicta, sumpta videlicet pro tendentia psychica procedente a cognitione intellectuali, *nego;* voluntas improprie dicta, sumpta pro qualibet tendentia etiam pro tendentia non procedente a cognitione, *subd.:* sumpta pro tendentia non vitali, *conc.;* pro tendentia vitali, ut ea est quae datur in plantis, *nego.* Et contra *distincta min., nego cons.* et *consqt.*

Certe tendentia invenitur in omnibus entibus mundanis, ut demonstratur in Cosmologia; sed tendentia potest procedere a vita aliqua vel a nulla, sicut potest etiam procedere a vita non conscia vel a vita conscia, a vita conscia organica vel inorganica. Tantummodo tendentia dimanans a vita conscia superiori vel intellectuali, voluntas proprie dicitur, nisi terminorum significationes pervertantur. A quo tandem immediate procedant diversae quae in mundo dantur tendentiae, utrum a conscientia aliqua vel sine cognitione, non a priori, sed ex experientia decidendum est.

INST. Tendentiae omnes mundanae sunt ordinatissimae.

Atqui tendentiae ordinatissimae nequeunt procedere nisi a vita conscia.

Ergo quaelibet tendentia praesupponit vitam consciam.

Resp.: conc. mai., et *dist. min.:* nequeunt non procedere a vita conscia saltem summi Conditoris qui eiusmodi tendentias rebus non viventibus dedit, *conc.;* nequeunt non procedere a vita conscia, propria ipsius entis cuius est tendentia, *subd.:* si id ulterius experientia demonstretur, ut demonstratur in animalibus atque in homine, *conc.;* secus, *nego*[2].

ARTICULUS II

UBINAM SUPPOSITUM VIVUM REPONENDUM SIT

Thesis 5. Elementa biologica organismorum viventium non sunt totidem individua vel supposita ad mentem colonistarum; sed quilibet organismus vivens est unum per se substantiale integrale et consequenter unicum individuum seu suppositum.

82. Notiones. Quid veniat *nomine* ORGANISMORUM VIVENTIUM, abunde constat ex superioribus thesibus.

Ab adversariis huius theseos, entia organizata de quibus hucusque egimus, sive monocellularia sive pluricellularia sint, *individua* vocantur *zoologica* vel *botanica,* ut ea distinguantur ab *individuis physiologicis.* Hoc nomine, *elementa biologica* designant quae, vel cellulae sint, vel partes etiam cellula inferiores, sive microscopicae sive ultramicroscopicae atque etiam mere hypotheticae, in quibus aliqua functio vitalis cum quadam independentia ab aliis partibus organismi viventis perficeretur.

83. INDIVIDUUM saepe vulgo sumitur *pro supposito* vel persona, ut cum dicimus, exempli causa, aliquam societatem tot constare individuis. Sumitur etiam *pro ente reali uno,* et sic opponitur multitudini; et tandem sumi potest *pro singu-*

[2] Cf. S. TH., *Sum. Theol.,* 1-2 q.1 a.2; q.11 a.2; q.12 a.5; et *Quaest. disp.,* q.22; *De veritate,* a.1 ad 2.

lari, quatenus universali opponitur. Omissa igitur hac tertia acceptione metaphysica, quae ad quaestionem physicam praesentem non spectat; quid et quotuplex unum reale sit, et quo pacto se habeat ad suppositum, prae oculis habendum est.

Bifariam enim ad rem praesentem quod attinet potest aliquid esse UNUM REALITER in ratione entis, scilicet: *per se,* vel *per accidens,* prout sit *ens per se* vel *per accidens;* siquidem ens, aliquid et unum convertuntur.

Ens dicitur *per se* vel *per accidens,* prout praecise habeat ea quae ad essentiam, integritatem vel complementum talis entis in suo genere et intrinsece requirantur; vel e contra habeat admixtam extraneam aliquam naturam [3].

Unde ut aliquid sit ens per se, opus erit: vel quod sit realiter simplex et indivisibile (natura angeli); vel si partes habeat, nulla earum sit omnino perfecta et consummata in suo genere vel praedicamento, seu invicem eae partes ordinentur, ut per naturalem intimam unionem altera alteram in suo genere compleat et consummet. Sic quando unum componitur ex partibus diversi generis, seu praedicamenti (v. gr., ex substantia et accidente), vel ex partibus eiusdem generis, quarum aliqua, vel omnes aliunde sunt in eo genere completae (v. gr., acervus lapidum), vel etiam, quae non invicem ordinentur ad mutuam naturalem unionem (v. gr., si fieret acervus formarum equi, leonis, canis, etc.); tunc dicitur "unum vel ens per accidens" [4].

Unum seu ens per se ita definitum haberi potest, tum *in genere substantiae,* tum *in genere accidentis,* sive qualitatis, sive quantitatis.

In genere vero substantiae, de quo tantum hic agitur, unum per se dici potest, tum *respectu partium essentialium* (materiae et formae), tum *respectu partium integralium* (exempli causa, ossium, textorum, cellularum corporis viventis). *Iam vero, unum per se substantiale, integrale, est substantia vel natura naturaliter completa.*

Individuum autem, quatenus vulgo accipitur *pro supposito* vel persona, aliquid amplius requirit quam individuum simpliciter sumptum *pro uno per se substantiali integrali,* quod est substantia completa, siquidem natura humana Christi Domini substantia completa est, cum tamen non sit persona.

Igitur ut aliquid sit vere suppositum, *duo saltem requiruntur et sufficiunt,* scilicet: 1.° quod sit unum per se substantiale seu natura quaedam completa, quae proinde non exigat naturaliter cum alio uniri ad efformandum totum aliquod substantiale maioris perfectionis; et 2.° quod non modo naturali-

[3] Cf. SUÁREZ, DM d.4 s.3 n.6-12.
[4] LOSSADA, *Cursus philosophicus,* p.2.ª disp.1 c.4 n.13 (Ed. Subirana, Barcelona 1883) t.4 p.160.

ter non exigat uniri, verum etiam quod de facto non uniatur cum alio ad efformandum totum aliquod substantiale maioris perfectionis.

Quapropter, ad rem nostram quod attinet, et quoniam quaestio movetur de partibus integralibus organismorum viventium, satis erit attendere ad primam condicionem; qua deficiente, suppositum dari nequit; et qua posita, in entibus naturalibus de quibus sermo est, suppositum iam habetur.

84. Status quaestionis. Suppositis igitur his notionibus, QUAESTIO PRAESENS est, utrum individua zoologica et botanica quae ab Historia Naturali describuntur, *vera sint individua et supposita;* vel tantum apparenter, ita ut vera individua viventia non sint nisi elementa biologica, quaecumque illa sint, ex quibus individua zoologica et botanica componuntur, et consequenter haec non sint nisi *aggregationes quaedam plurium individuorum viventium, veluti societates vel coloniae* quaedam.

Quae quidem quaestio, ut ex praeiactis notionibus etiam liquet, tota reducitur ad hanc, scilicet: *utrum individuum quodlibet zoologicum vel botanicum sit unum per se, substantiale, integrale;* vel e contra sit tantum *unum per accidens,* seu multitudo quaedam vel acervus, ordinatus quidem, plurium substantiolarum completarum, conspirantium in bonum commune, quemadmodum cives in bonum commune societatis vel status suas dirigunt activitates.

85. Sententiae. *Thesim tenent* omnes omnino philosophi scholastici et neoscholastici.

Eam inficiantur, Colonismum vel Polyzoismum expresse profitentes, iuxta URRÁBURU [5], MIRBEL, SCHLEIDEM, SCHWAM, BUFFON, GOETHE et DUGES, BORDEU, MILNE-EDWARDS, CLAUDIUS BERNARD, PAPILLON, DIONYSIUS COCHIN aliique.

Multi etiam sunt biologi, qui saltem Colonismo multum favent, licet fortasse rem philosophice non tractant.

Etenim, multum insistentes in allegoria societatis vel coloniae ad declarandum structuram et activitates viventium corporum, ea quae tantum metaphorice accipienda sunt, in sensu reali accipere et intelligere videntur.

Inter colonistas, saltem huius secundi generis, computandus est RAMÓN Y CAJAL [6], qui, quamvis, comparationem coloniarum cellula-

[5] URRÁBURU, *Institutiones philosophicae,* o.c., vol.4, *Psychologia,* p.1.ª p.222.
[6] RAMÓN Y CAJAL, *Discurso inaugural del Congreso de Madrid para el progreso de las Ciencias,* p.25, et PALMÉS, art. *Polizoísmo,* ap. Enc. *Espasa.*

rium cum societatibus humanis fundamentaliter falsam esse dicat, et multa proferat quae Colonismum falsitatis convincere valent; probabilem tamen existimat theoriam colonialem vel potius cytocolonialem, scilicet, quae individualitatem tribuit et quandam quasi personalitatem, elementis cellula inferioribus.

Thesim defendimus ut *physice certam.*

86. Probatur 1.° Ex notione unius per se et experientia. Ibi datur unum individuum, seu *unum per se, substantiale, integrale,* ubi, etsi dentur plures partes distinctae et distinctis praeditae functionibus, tamen eiusmodi partes sunt 1) *substantiales,* et 2) *substantialiter uniuntur.* Ita constat ex notionibus traditis.

Atqui sic se habent partes quaelibet corporis viventis.

Ergo stat thesis.

Minoris prima pars conceditur, vel saltem permittitur hic ab adversariis; secunda vero sic probatur.

Substantialis unio inter partes intercedere dicenda est, ubi partes *a)* quoad suam *molem* vel entitatem non sint perfecte dissitae inter se, seu "habeant naturaliter aliquam coniunctionem, quaecumque illa sit", quamvis illae partes non videantur "ita intrinsece uniri ac continuari, sed solum veluti quibusdam vinculis colligari"; si insuper *b)* quoad *suas operationes,* "omnes huiusmodi partes sibi invicem deserviunt, ac per se separatae, aut nullo modo aut non diu possunt conservari"; ita quidem ut omnes primario collineent per mutuam coordinationem ad bonum intrinsecum totius viventis, et solum secundario ad bonum proprium.

Ratio autem est quia ex una parte, si adest *primum,* iam illa partium copulatio "sufficit ut omnes possint eadem forma informari et convenire ad constituendam cum illa unum ens, habens unum esse simpliciter"; ex altera vero parte, *alterum* si datur, signum iam est, partes "illas omnes in suo genere esse incompleta entia, et per se ordinari ad componendum ens aliquod". Itemque signum est non partes qua tales, sed totum illud ens compositum, ut suppositum et individuum illas functiones perficere, per partes quidem diversas sibi subditas et a se directas. "Ergo illud ut sic compositum, est per se ens, et unum per se".

Haec est Suárez doctrina in *Metaphysica*[7]; eisdem fere Eximii Doctoris verbis expressa.

87. Iam vero rem ita se habere in viventibus, ex scientiis biologicis patet. a) *Ad primum* enim quod attinet,

[7] Suárez, DM d.4 s.3 n.11.

aliquam copulationem dari inter elementa biologica, negabit nemo qui texta organismorum quaelibet, microscopio inspexerit; cum nullae umquam partes vel structurationes anatomicae appareant, quae omnino vacuitate circumdentur, sed omnes semper aliis structurationibus, vel materiae saltem amorphae aut liquidae sunt contiguae. Hoc enim constat ex mera inspectione anatomiae cytologicae, *omissa omni interpretatione theorica eorum* quae observantur.

Quod si *ad interpretationem theoricam attendamus,* duplex est theoria biologica quae rem observatam intra ambitum scientiae experimentalis intendit explicare: theoria, videlicet, *synceliaris,* et theoria *cellularis.*

Si theoria synceliaris admittitur, quaestio praesens iuxta thesim nostram solvitur, nec quidem locus datur huic quaestioni proponendae.

Etenim haec theoria profitetur totum organismum esse, potius quam compaginem quandam plurium cellularum, massam aliquam unicam protoplasmatis, quae per omnes organismi cellulas distribuitur et communicatur, per quaedam filamenta quae *plasmodesmi* vel *pontes intercellulares protoplasmatici* dicuntur. Eiusmodi autem pontes protoplasmatici vel quasi filamenta protoplasmatis cellulas unientia, quae fundamenta sunt huius theoriae, inventa sunt in quattuor praecipuis contextibus, non modo in animalibus, verum etiam in plantis, et quidem inter elementa quorum parietes vel involucrum id permittere non posse videbantur [8].

Si vero theoria cellularis approbetur, quae organismum concipit quasi compagem aliquam plurium cellularum, inter se, aliqua materia distincta saepe amorpha, separatarum; etiam tunc aliqua coniunctio, et quidem intima, admittenda est inter distinctas cellulas aliasque organismi partes; tum ope texti coniunctivi; tum ope aliarum substantiarum quibus organismi constant, et quibus cellulae undequaque circumdantur; tum denique ipsis plasmodesmis vel pontibus protoplasmaticis qui, utpote facta observata, ab omni theoria admitti debent.

b) *Ad alterum* vero quod attinet, scilicet, ad mutuam dependentiam, coordinationem et conspirationem omnium partium in bonum organismi totalis, sufficit facta illa in mentem revocare quae, in thesi 5 ex scientiis biologicis adduximus [9].

88. Probatur. 2.º EX UNITATE HOMINIS. Certum est elementa biologica corporis humani non esse totidem suppo-

---

[8] Cf. PUJIULA, S. I., *Citología,* parte teórica (Casals. Barcelona) p.248; et BARNOLA, S. I., *Biología moderna* (Barcelona, Casals, 1925) I n.28 p.25-26.

[9] Cf. etiam pulchram descriptionem huius dependentiae et conspirationis, apud CAJAL, o.c., p.13, nota; vel ESPASA, art. *Polizoísmo,* a.c.

sita, sed tantum partes integrantes substantiales unius suppositi, scilicet personae humanae.

Constabit hoc ex doctrina tradenda in libro V, capite IX, circa naturam compositi humani, praesertim ex thesi 30, ubi, independenter a thesi praesenti, demonstratur ex testimonio conscientiae, corpus et animam rationalem uniri ad constituendam unam personam.

Atqui constitutio biologica, seu ad vitam vegetativam quod attinet, eadem est in omnibus organismis, homine non excepto.

Ergo, si elementa biologica principio vitali substantialiter unita in homine conflant unum suppositum, similiter dicendum est de aliis quibuscumque organismis, in quibus eadem vita vegetativa reperiatur.

89. Obiectiones. 1. EX ANATOMIA CELLULARI. In viventibus monocellularibus, cellula unica qua organismus constat, est aliquod suppositum.

Atqui cellulae quibus conflantur organismi pluricellulares, sunt eiusdem structurae anatomicae quam cellula unica qua constant organismi monocellulares.

Ergo cellulae quibus constant organismi pluricellulares sunt totidem individua vel supposita.

Resp.: conc. mai., dist. min.: sunt eiusdem structurae, sed unitae substantialiter cum aliis cellulis ad efformandum unum per se substantiale, *conc.;* sunt eiusdem structurae et separatae inter se, vel tantum accidentaliter unitae, *nego.*

INST. *Atqui* cellulae organismorum pluricellularium nequeunt esse substantialiter unitae inter se.

Etenim eiusmodi cellulae sunt plerumque non solum distinctae sed etiam limitibus terminatae, membranulisque involutae, ex materia mortua et a cellula deiecta constitutis.

Ergo nequeunt substantialiter inter se uniri.

Resp.: nego min. subs.; et ad probationem, *dist. ant.:* eiusmodi cellulae sunt plerumque undequaque involutae materia demortua seu capsula secretionis, cum dantur pontes intercellulares, *nego;* cum eiusmodi pontes intercellulares non dantur, *subd.:* et tunc materia quae a cellulis deiecta et mortua dicitur, forma substantiali totius organismi informatur, unum tantum constituens individuum, *conc.;* et tunc cellulae circumdantur materia vere mortua, quae scilicet non informetur principio vitali unico, *nego.*

Materia capsulae secretionis, vel quaecumque alia materia amorpha quae in organismis reperitur, nequit dici vere mortua, si vere informetur principio vitali; quia tunc viveret saltem in actu primo, etsi activitatem vitalem exiguam vel nullam prae se ferret.

INST. Materia organismorum in diversis partibus, et cellulae quibus organismus conflantur, adeo diversae sunt, ut, si inter se comparentur, *specie differre* dicendae sint.

Atqui ea quae *specifice differunt* non possunt constituere unum individuum.

Ergo organismi nequeunt dici unitatem habere individualem.

Resp.: dist. mai.: materia et cellulae organismi sunt diversae; di-

versitate propria substantiae heterogeneae unius individui, *conc.;* diversitate vere specifica, *nego.*

Etenim organismus, etiamsi constituatur partibus admodum dissimilaribus, quae si separatae exsisterent, ut entia ad diversas species viventium pertinentia haberi deberent; tamen eo quod substantialiter inter se uniantur, utpote una eademque forma substantiali informatae, non plura individua sed unicum tantum efformant individuum organismum, cuius proprium est ut diversae partes diversis insigniantur proprietatibus et configuratione. Ideo, si hoc argumentum aliquid valeret, nulla daretur pars organica quae individuum vivens esse posset, cum essentiale sit organo cuilibet, habere partes inter se admodum diversas. Ideo haec diversitas partium, si insuper datur ipsarum conveniens approximatio in loco et conspiratio in bonum totius, potius evincit unitatem individualem organismi, nedum probat ipsius multiplicitatem.

90. 2. EX PHYSIOLOGICA CELLULARI. Cellulae in organismis superioribus independenter inter se operantur.

Ergo totidem sunt individua.

Consequentia patet; quia modum operandi sequitur modus essendi.

Antecedens multis factis demonstratur.

Etenim a) singulae cellulae se nutriunt, crescunt suasque exercent operationes peculiares sicut organismi monocellulares qui ut supposita ab omnibus habentur; *b)* sunt cellulae quae ab una in aliam partem organismi migrant; *c)* hematici sanguinis globuli non solum nutriuntur et multiplicantur, verum etiam hac illac summa mobilitate fluitant instar organismorum monocellularium; et tandem, *d)* spermatozoides intra organismum vita propria gaudent, quam extra organismum retinent.

Resp.: nego antec. Ad probationem antecedentis *a),* admittitur in singulis cellulis viventibus dari eiusmodi operationes, verum negatur eas independenter fieri a cellulis quae organismum constituunt, iuxta facta exposita in thesi 5.

Ad *b),* cellulae migrantes si numquam adhaerent organismo, et reapse suas exerceant operationes independenter prorsus ab eodem, certe organismum non constituunt, ac proinde nihil vetat eas cellulas esse vera supposita; si vero ita migrant ut tandem organismo adhaerescant et vere cum eo substantialiter uniantur, amissa sua in operando independentia, negatur eas habere rationem suppositi.

Ad *c)* non opus est admittere globulos sanguinis proprie organismum intrinsece constituere, etsi iuxta omnes sunt partes admodum necessariae ad eiusdem nutritionem. Pendet haec quaestio ab illa celebri inter scholasticos disputata, utrum sanguis animetur, anima videlicet organismi propria, vel alia anima seu principio vitali, si globuli sint entia viventia. Si hoc alterum dicatur, certe globuli sanguinis erunt individua independentia. Tamen probabilius primum est dicendum iuxta S. THOMAM, pluribus in locis, quin obstet mobilitas et fluiditas sanguinis, ad hoc ut unica anima informetur tota sanguinis massa cum ad hoc non continuitas, sed tantum contiguitas aliqua, ex dictis in probatione praerequiratur.

Ad *d),* conceditur spermatozoides unitatem individualem habere, quin quidquam sequatur contra thesim propositam.

INST. *Atqui* ex conspiratione activitatum diversarum cellularum

vel partium organismi in bonum totius, nequit probari organismi unitas individualis.

Nam etiam planta masculina et femenina conspirant in unum finem, videlicet procreationem novi individui botanici.

Atqui planta femenina et masculina saepe nequeunt dici unum esse suppositum.

Ergo ex conspiratione in unum finem activitatum organismorum, non sequitur unitas individualis eorumdem.

Resp.: dist. assert.: ex mera conspiratione activitatum distinctorum entium nequit concludi eorumdem unitas individualis, *conc.;* ex conspiratione simul et ex coniunctione convenienti et dependentia quoad entitatem non potest concludi unitas individualis, *nego. Ad probationem, dist.* etiam: planta masculina et femenina conspirant in unum finem, sed sunt ita separatae ut unum per se constituere non valeant, *conc.;* et sunt ita unitae ut eadem forma possint informari et unum individuum constituere, *nego,* agendo de plantis quae omnia organa sexualia in semetipsis non habeant.

Tunc finis in quem conspirant est omnino extrinsecus utrique plantae, ac proinde haec ratio conspirandi multum differt a ratione conspirandi in unum finem intrinsecum, quae in partibus unum organismum constituentibus observatur.

Inst. *Atqui* conspiratio in bonum intrinsecum non sufficit ad constituendum unum individuum. *Nam* plures homines communi consilio sibi cibum parantes, certe conspirant in bonum singulis intrinsecum obtinendum, scilicet, nutritionem per cibum obtinendam.

Atqui plures homines ita in bonum intrinsecum conspirantes non constituunt tamen unicum suppositum.

Ergo neque sufficit conspiratio in bonum intrinsecum.

Resp.: min. subs., dist. ut in praecedenti difficultate. Ad factum obiectum, *resp. 1.°:* inter homines communi consilio sibi cibum parantes deficere debitam approximationem naturalem ac dependentiam in exsistendo, de qua diximus in praecedenti difficultate.

Praeterea, *resp. 2.°:* plures homines cibum parantes non id faciunt per se et natura sua ut partes organismorum, sed per accidens et ita ut naturaliter aliud facere possint.

Tandem *resp. 3.°:* totam hanc conspirationem activitatum terminari in parationem cibi, quae omnino finis extrinsecus est unicuique homini; cibum autem sumere eoque nutriri, est quidem aliquid intrinsecum sumenti, verum non toti collectivitati sumentium.

91. 3. Ex doctrina de continuo. Mera contiguitas sine continuitate non sufficit ad constituendum unum ens per se.

Atqui in organismis ad summum datur mera contiguitas.

Ergo organismi nequeunt esse unum per se.

Resp.: dist. mai.: mera contiguitas sine continuitate non sufficit ad constituendum unum per se, si, ope formae substantialis unicae, partes contiguae substantialiter non uniantur, *conc.;* si per informationem ab unica forma substantialiter uniantur, *nego.*

Contrad. min.; in organismis ad summum datur mera contiguitas inter partes, ita ut eiusmodi partes substantialiter uniantur per informationem unicae formae, *conc.;* ita ut per informationem unicae formae substantialiter non uniantur, *nego.*

Et sub datis distinctionibus, *nego cons. et consequentiam.*

Inst. *Atqui* partes quae substantialiter uniuntur nequeunt esse

mere contiguae. *Ergo* mera contiguitas non sufficit ad constituendum unum per se.

Resp.: dist. ant.: partes quae substantialiter uniuntur, pro posteriori ad unionem substantialem per informationem unicae formae, nequeunt esse mere contiguae, *conc.;* pro priori ad unionem substantialem per informationem unicae formae, nequeunt esse mere contiguae, *nego.*

INST. *Atqui* ex recentibus theoriis physicochimicis continuum in organismis nullatenus admitti potest.

Ergo, si continuum requiritur in ente uno per se, organismus nequit dici esse aliquid unum per se.

Minor subsumpta probatur. Quia ex theoriis physicochimicorum, continuitas nec quidem in moleculis et atomis admitti potest.

Ergo a fortiori nequit admitti in organismis.

Resp. 1.°: trans. antec. et nego cons.; siquidem continuitas formaliter in organismo obtineretur per informationem principii vitalis, quod in materia anorganica, in qua physicochimici et cosmologi suas statuunt theorias, non datur.

Resp. 2.°: negatur quod vera discontinuitas atomi fuerit hucusque demonstrata, cum omnia quae a physicochimicis afferantur possint explicari per meram heterogeneitatem materiae, moleculam vel atomum constituentem.

Resp. 3.°: quod si moleculae et atomi materiae anorganicae sint discontinuae, eorumque partes vere sint distantes ad invicem, aliqua saltem materia inter ipsarum interstitia admitti debet, saltem materia hypothetica quae aether dicitur: non enim vacuum absolutum iam admittitur esse possibile Tunc eiusmodi materia intermedia, quaecumque illa sit, in organismis a forma substantiali quod est principium vitale informaretur, et ita simul cum aliis organismi partibus organismum unum per se constitueret, unumque vere individuum seu suppositum.

Sunt tamen aliqui auctores qui videntur admittere unum per se materiale cuius partes non sint vere continuae, nisi apparenter seu ad sensum. Non autem audiendi videntur [10].

---

[10] Cf. MONACO, *Quoddam continuum agnoscendum sit in corpore quod est unum per se,* et recensionem factam a MONETTI, in Conventu Cosmologorum S. I., Romae habito, anno 1924.

CAPUT III

Essentialis diversitas corporum viventium ipsorumque partitiones et genera suprema

S. TH., 1 q.18 a.3; q.78 a.1; 2CG c.62; 4 c.11 et 13; *De anima,* a.13; SUÁREZ, *De anima,* I c.3 et 4; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.48-53.618-635 775-795; III p.884-904; T. PESCH, *Institutiones psychologicae,* I n.99-108 p.126-159; n.143-157 p.188-204; SIWEK, *Psychologia metaphysica,* n.35-39 p.55-61; n.60-69 p.90-103; LEHMEN, *Lehrbuch der Philosophie. Psychologie,* (1920) p.8-10; JOLY, *L'Home et l'animal* (París 1911); BONNIOT, *La bête comparée à l'home* (París 1899); WATSONN, I. B., *Behavior. An introduction tu comparative Psychology* (New-York 1914); IDEM, *Psychology from Standpoint of o Behaviorist,* ed.3.ª (New-York 1929); IDEM, *Behaviorism,* ed.2.ª (New-York 1930); KÖHLER, *Intelligence Prufüngen and Menschenaffen* (Berlín 1921); BOHN, G.. *Nouvelle Psychologie animale* (Paris 1911); CLAPARÈDE, E., *Méthode de la Psychologie animale:* Année Psych. (1910) p.478; IDEM, *La Psychologie comparée est-elle legitime:* Arch. de Psychol., 5 p.13-35; WASHBURN, *The animal Mind* (New-York 1908); FAVRE, *Souvenirs entomologiques* (Paris) 10 vol.; TOLMAN, *Purposive Behaviour in animals and Men* (London 1932); RUSSELL, E. S., *The Behaviour of animals* (London 1934); KATZ (D.), *Animales y el hombre. Estudios de Psicología comparada,* trad. GERMAIN (Espasa-Calpe); VORONOFF, *Pensamiento y amor en los animales y en el hombre,* trad. COLOMAR (1947, ed. Victoria, Barcelona); WASMANN, *Istinto e intelligenza nel regno animale* (Firenze 1889); GEMELLI e PASTORI, *Il processo di apprendimento negli animali:* Archivio scien. biol., 20 (1934); ZUNINI, G., *Contributi allo studio dell'adestramento nei pesci:* Contributi dal laboratorio di Psicologia, Publicazioni della Università del S. Cuore, ser.7,8 et 9 (1938-1942); IDEM, *La Psicologia animale nella psicologia generale:* Atti del IX Convegno degli psicologi italiani; IDEM, *Animali e uomo visti da un psicologo* (Milano 1947); GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione a la Psicologia,* 3.ªed. c.11-14 p.319-420; ALVARADO, *Biología general* 2 vols. (1950 y 1952).

92. Scopus et partitio capitis. Ut in studio naturae vitae experientiae nostrae subiectae ordinatim procedamus, nostra interest ipsius *suprema genera* vel *regna,* in experientia innixi statuere, deinde singillatim in tribus sequentibus libris accuratius perpendenda. Sicut plerumque *regnum vegetale* a *regno animali* distinguitur, eo quod, ut communiter admittitur, animalia praeter vitam vegetativam vita sensitiva gaudent; sic etiam vita humana quae, praeter vitam vegetativam et sensitivam, rationalem complectitur, ut ad tertium regnum, videlicet *hominale,* pertinens habenda est; non enim vita rationalis minus a vita sensitiva distinguitur, quam vita sensitiva a vita pure vegetativa.

Essentiale discrimen et irreductibilitas vitae rationalis hominis ad ipsius vitam sensitivam, in libro V accurate demonstrabimus. Nunc autem ad statuendam magnam *divisionem in tria suprema genera vel regna* viventium corporeorum, ad experientiam communem recurrere sufficiet, ostendentes non nisi aperte contra eam, et tantum ob manifeste falsa praeiudicia philosophica, hominem considerari ut pertinentem ad aliquam speciem regni pure animalis.

Cum autem nemo negat, saltem verbo tenus, hominem gaudere vita rationali, quam etiam illi qui negant regnum hominale belluis liberaliter largiuntur, ad solide et quantum sufficit ad praefatam divisionem in experientia fundandam, satis erit hic demonstrare 1.º vitam plantarum *omni psychismo carere;* 2.º vitam vegetativam animalium *compleri* quidem *vita sensitiva,* et 3.º *non autem vita intellectiva* vel rationali, quae solius hominis est.

ARTICULUS I

VITA MERE VEGETATIVA PLANTARUM

Thesis 6. Vita physiologica plantarum nulla prorsus vita psychica completur.

93. Notiones. Quid veniat nomine VITAE PHYSIOLOGICAE seu vegetativae eiusdemque accurata descriptio ex experientia, proposita est in thesi 2 (49-59).

Breviter vita vegetativa, in suo exercitio considerata, *definiri* potest, ut activitas immanens et teleologica qua organismi se *nutriunt, accrescunt et semina parant* ad alia individua viventia generanda.

Nomine PLANTARUM, ne quaestionem hic discutiendam praeiudicemus, intelligimus entia naturae vita physiologica seu vegetativa praedita, quae *communiter non habentur ut animalia nec ut homines.*

Talia sunt exempli causa, arbores, arbusta, frumenta, herbae, fructus, semina.

VITA PSYCHICA, in sensu restricto vocis antea explicato (5) et in libro IV accuratius describenda, est activitas consistens in *cognitione* aliqua, secum ferens *tendentiam* versus bonum cognitum et consequentes *motus locales,* comitante saepe aliqua *affectione,* grata vel ingrata; quae omnia, experientia quadam, quae *conscientia* dicitur, ab illo qui eiusmodi activitates exercet aliquomodo percipiuntur.

94. Status quaestionis. Ex thesi 4 constat plantas vivere saltem vita pure physiologica seu vegetativa, quae datur etiam in animali et in homine, in quibus tamen eiusmodi vita completur vita psychica. In organismis seu viventibus corporeis impossibilem esse vitam psychicam sine vita physiologica seu vegetativa, et illam ab hac dependere saltem extrinsece in suo exercitio, evidens est experientiae communi, et in libro IV et V abunde demonstrabitur.

Quaestio praesens est tantum utrum etiam in plantis vita vegetativa compleatur vita psychica aliqua, necne.

95. Sententiae. *Negant,* cum sensu communi, magna pars biologorum et philosophorum, quos inter omnes omnino scholastici.

Affirmant non pauci philosophi et cultores scientiae biologicae, diversis rationibus innixi.

96. FUNDAMENTUM ET EVOLUTIO HUIUS OPINIONIS duplex esse videtur: alterum, *philosophicum; experimentale*, alterum.

Fundamentum philosophicum non aliud fere est nisi doctrina aprioristica monismi quae secum fert panpsychismum. Omnes panpsychistae supra recensiti consequenter etiam vitam psychicam plantis concedunt.

Fundamentum experimentale, est factum irritabilitatis, non quidem mere mechanicae sed vere vitalis, quod in exercitio vitae vegetativae omnino admittendum est; perperam tamen ut perceptio vel sensatio, ab aliquibus biologis habetur, qui meram irritabilitatem vitalem quae productioni verae sensationis, quando haec datur, praecedit, cum ipsa sensatione confundunt.

Irritabilitas enim est proprietas fundamentalis cuiusque organismi vivi, vi cuius, hic, vitaliter quidem, scilicet motu immanenti et teleologico reagit contra diversos stimulos physicochimicos medii ambientis.

Si organismus reagens est pluricellularis et macroscopicus, eiusmodi reactiones motrices vocantur *tropismi;* si vero est organismus monocellularis vel cellula aliqua in organismo pluricellulari inclusa, vocantur *tactismi.* Utrique motus esse possunt *positivi,* si motus producitur versus stimulum; vel *negativi,* si producitur in sensu contrario.

Stimuli possibiles multi sunt, ut lux, calor, electricitas, aqua seu humiditas, aër, substantiae chimicae, corpora solida et dura, et consequenter tum tropismus tum tactismus vocantur *phototropismus* vel *phototactismus; termotropismus* vel *termotactismus; hydrotropismus* vel *hydrotactismus; geotropismus* vel *geotactismus, tigmotropismus* vel *tigmotactismus, aërotropismus* seu *oxigeno-tropismus* vel *aërotactismus* seu *oxigenotactismus; chimiotropismus* vel *chimiotactismus; electrotropismus* vel *electrotactismus* [1].

Ad eiusmodi stimulos apte excipiendos et applicandos *organa specialia* detecta fuerunt in plantis, quae propter analogiam cum organis sensorialibus, ab HEBERLANDT [2], qui in eiusmodi organis inveniendis primus fuisse videtur, appellata sunt *organa sensitiva* (Sinnesorgane). Haec autem denominatio, quam ut ipse HEBERLANDT testatur [3], tantum metaphorice usurpaverat, in sensu proprio ab aliquibus biologis accepta est, qui tenent plantas vere sentire, et improprio nomine psychobiologi dici consueverunt [4].

Adversus hanc opinionem proponitur thesis, quam ut *certam* defendimus.

97. Probatio. Tum in scientiis naturalibus, tum

---

[1] Cf. PUJIULA, S. I., *Biología moderna* (Casals. Barcelona 1949) p.53-54 n.55.

[2] HABERLANDT, *Sinnesorgane in Pflanzenreich* ed.2.ª (1904) et *Physiologische Pflanzenanatomie,* ed.4.ª (Leipzig 1909) XII Abschn.

[3] In editione 4.ª sui operis *Pflanzenanatomie,* teste P. PUJIULA, *Problemas biológicos* (Casals, Barcelona 1941) p.356.

[4] Tota haec quaestio sub adspectu experimentali accurate et optime tractatur, multis adductis experimentis, a P. PUJIULA in capite 12: *La Psicobiología* sui operis citati, *Problemas biológicos.* Hic auctor, ne ratione loquendi quaestio de vita sensitiva plantarum praeiudicetur, proponit ut organa plantarum de quibus agitur, non dicantur organa sensuum, sed organa *erithismoleptica,* quod simpliciter significat, organa stimulorum susceptiva (o.c.), p.335. Praeterea consuli possunt ipsius auctoris opera: *La vida y su evolución filogenética,* o.c., p.138-144; et *Histología vegetal* (Casals, Barcelona) c.9.

etiam in Philosophia naturali, admittenda non est quaelibet doctrina quae A) *non demonstratur* ut demonstrari deberet; quae B) sit *contraria experientiae,* et insuper C) absurda sit.

Atqui talis est doctrina asserens plantas sentire vel vita psychica gaudere.

Ergo vita psychica in plantis non est admittenda.

Consequentia patet. *Maior* evidens est. *Minor* probatur per partes.

A) VITA PSYCHICA PLANTARUM NON DEMONSTRATUR UT DEMONSTRARI DEBERET. Quia vel demonstraretur a) *a priori,* seu ex deductione aliarum veritatum certo adquisitarum; vel b) *a posteriori,* seu ex experientia operationum plantarum.

a) *Non demonstratur a priori.* Logice quidem deducitur ex doctrina monismi vel panpsychismi, sed eiusmodi doctrinas falsas esse demonstratum manet, tum in aliis partibus Philosophiae, tum supra in thesi 5.

Nec ex autoteleologia plantarum deducitur; quia haec sufficienter explicatur admissis tendentiis a natura profluentibus absque cognitione ulla finis obtinendi, quae etiam in aliis entibus naturae sunt admittendae.

b) *Nec demonstratur a posteriori seu ex experientia.* Factum enim irritabilitatis, licet vere vitale sit, non indiget ut perficiatur aliqua cognitione dirigente, sed ad motus reflexos omnino inconscios reducitur, non quidem mere mechanicos, sed *vitales.*

Principium autem aeconomiae quod generatim in scientia naturali admittitur, vi cuius nulla causa superior est invocanda ad explicandum aliquod factum, si sufficienter causa inferiori explicetur, vetat omnino ad facultatem sentiendi recurrere.

B) EST CONTRA EXPERIENTIAM. Nam si in plantis vita vegetativa conscienter perficeretur, etiam in nobis a fortiori hoc pacto fieret. Experientia autem evidentissime nobis constat vitam vegetativam humanam omnino modo inconscio peragi; nec nobis possibile est, etiamsi velimus, ingentem laborem cellularum nostri organismi percipere, qui non nisi ex experientia obiectiva nobis innotescit.

C) TANDEM ABSURDUM EST PLANTAS CONSCIENTIA DONARI. *a)* Quia cognitio plantarum, quoniam necessaria dicitur ad dirigendas teleologice implicatissimas activitates organismi, quas intellectus humanus vix nunc post multas investigationes incipit cognoscere, deberet esse in plantis multo *perfectior quam in homine;* quod est plane absurdum.

b) Quia absurdum est in vivente aliquo facultatem admittere quae per se *bono ipsius non conferat,* sed potius ipsi perniciosa sit. Talis enim esset cognitio aliqua in plantis. Nam ut URRÁBURU [5] scribit, plantae "ab uno in alium locum migrare nequeunt, nec fugere aëris intemperiem solisque ardorem, nec bestiarum dentes, hominumque securim evadere, nec alia quaevis mala declinare possunt; ac proinde, si sensu praedita sunt, perpetuo torqueantur necesse est".

98. Obiectiones. 1. EX BIOLOGIA MODERNA. Moderna Biologia limites delevit inter animalia et plantas. Nam non pauca entia certo viventia inventa sunt de quibus merito dubitatur utrum sint classificanda ut animalia vel ut vegetalia.

Ergo nullus limes datur inter illa et ista; et sicut animalia sentiunt, ita etiam et plantae.

Resp.: nego ant. Ad probationem, *conc. ant.* et *nego cons.* et *consequentiam.* Nam ex eo quod dubitetur utrum eiusmodi viventia sint classificanda ut plantae vel animalia, non sequitur quod in realitate, vel sint animalia, vel sint plantae. Ceterum, nec thesi proponitur de casibus dubiis, nec ad eam demonstrandam ad eos est recurrendum, sed ad certos qui innumeri sunt.

INST. Plantae influxu vaporum aetheris anaesthesiantur.

Ergo in statu normali sensatione praeditae sunt.

Resp.: dist. ant.: Plantae anaesthesiantur; apparenter et improprie, hoc est, eius irritabilitas vitalis (96) pervertitur vel debilitatur, *conc.;* vere et proprie anaesthesiantur, *nego.* Et sub datis *dist., nego cons.* et *consequentiam.*

INST. In plantis datur somnus tum nocturnus tum hyemalis.

Atqui entia somno subiecta sunt entia sensitiva.

Ergo plantae sensatione sunt praedita.

Resp.: In plantis datur somnus proprie dictus qualis datur in animalibus et in homine, *nego;* somnus improprie et analogice intellectus, pro imminutione activitatis resultante ex imminutione irritabilitatis vitalis, *conc.* Et contra *distincta min., nego cons.* et *consequentiam.*

99. 2. EX ANALOGIA MOTUUM ET ORGANORUM. Vi argumenti analogiae legitime concluditur dari in animalibus sensationem, eo quod in ipsis observentur motus similes motibus qui in homine ex cognitione et tendentia psychica procedunt.

Atqui eiusmodi motus observantur etiam in plantis.

Ergo vi argumenti analogiae concludendum est sensationem dari etiam in plantis.

Minor multifariam probatur:

a) Sunt quaedam plantae quae ut *oxalis sensitiva* et *mimosa pudica,* si manu contrectentur vel agitentur, reagunt folia contrahentes; *b)* aliae sunt quae, ut *helianthus* et *heliotropum,* versus solem vertuntur; *c)* aliae, ut *vitis,* claviculis intortis, adminicula apte complectuntur; *d)* quaedam etiam, ut *dionaea muscipula,* insecta venantur; et tandem *e)* sunt quaedam vegetalia, ut *asclepias cornuti* et *thalictrum flavum,* quae a loco in locum migrare videntur.

[5] URRÁBURU, *Psychologia,* I p.621.

Iam vero eiusmodi motus sunt valde similes motibus animalium.

Resp.: conc. mai. et *nego min.* Ad probationem, *min. respondeo:* 1.°, *generaliter* eiusmodi motus esse prorsus diversos a motibus ex quibus demonstratur psychismus animalis. Motus enim eiusmodi sunt praecipue motus translationis quibus animal unum locum relinquens ad alium occupandum se transfert. Hi autem motus nullatenus dantur in plantis nisi ad summum apparenter.

Insuper motus quibus animal medio ambienti se adaptat, sunt admodum complexi, variabiles, rapidissimi, et ideo inexplicabiles ex mera variatione stimulorum psychicochimicorum medii ambientis, nec aliter saepe possunt explicari nisi interveniente cognitione et tendentia sensitiva instinctus. E contra motus plantarum sunt multo simpliciores, constantes, relative lenti et semper iidem et quasi stereotipati in eisdem adiunctis medii ambientis, quapropter diversis tropismis vel tactismis de quibus supra (96) sufficienter explicantur.

Resp. 2.° ad singula facta obiecta. Ad facta *a*), *b*) et *c*) quod attinet, agitur de meris tropismis vel tactismis. Actio venandi, quae sub *c)* attribuitur *dionaeae muscipulae,* dicendum est eam non esse nisi apparentem venationem, cum eodem pacto haec planta reagat ad alios stimulos per eandem irritabilitatem vitalem inconsciam qua facta praecedentia explicantur.

Tandem motus translationis de quibus agitur sub *e),* esse etiam apparentes. Nam *asclepias cornuti* et aliae similes plantae, crescunt serpendo subtus vel supra terram, et post aliquod tempus, veteri trunco emortuo, novi surculi, qui iam aliquantulum distant, vivere pergunt, unde illusio faciliter dissipanda oritur, qua pristina planta in alium locum migrasse videtur.

INST. Reperta sunt in plantis organa quaedam ad colligendos et applicandos stimulos externos, quae ab HEBERLANDT aliisque botanicis organa sensuum vocantur.

Ergo sensatio est admittenda in plantis.

Resp.: dist. ant. Reperta sunt organa sensuum, *improprie* et *metaphorice* sic dicta, nam non nisi ordinantur ad recipiendos et applicandos stimulos externos quo apte irritabilitas plantae actuetur, *conc.;* organa sensuum proprie dicta, in quibus praeter reactionem pure physiologicam irritabilitatis vitalis, producatur insuper reactio propria sensationis, *nego.* Et sub datis distinctionibus, *nego cons.* et *consequentiam.*

Sensatio enim, prout in libro IV explicabitur, praeter reactionem quandam ordinis pure *physiologici* importat aliam reactionem ordinis *psychici,* in qua formaliter consistit sensatio et est activitas ordinis psychophysiologici.

ARTICULUS II

REALITAS PSYCHISMI SENSITIVI ANIMALIUM

Thesis 7. Bruta animalia praedita sunt vita sensitiva.

100. Notiones. Ne quaestionis tractandae solutio praeiudicetur, BRUTORUM ANIMALIUM nomine intelligimus hic illa entia naturae viventia quae, nec homines sunt, nec ab hominibus plantae seu vegetalia dicuntur.

VITA SENSITIVA in complexu illarum activitatum consistit quas, ut pure ordinis sensitivi, in Psychologia experimentali describuntur, tum ordinis *cognoscitivi*, tum etiam ordinis *appetitivi* cum *affectionibus* ipsas comitantibus. Ad vitam sensitivam pertinent, exempli causa, sensationes, perceptiones, imaginationes, tendentiae, sentimenta ut dolor et delectatio, et ex his omnibus consequentes *motus locales* spontanei, praesertim *translationis*.

101. Status quaestionis. *Non est quaestio* de illis entibus viventibus naturae de quibus dubitari possit num ad animale vel tantum ad vegetale regnum pertineant. Ut statuatur enim realitas huius gradus vitae, non opus est vitam sensitivam in his entibus affirmare, cum abunde sufficiat eam adstruere in innumeris aliis naturae entibus.

Cum notionem vitae sensitivae non nisi ex nostra introspectione haustam habeamus, et activitas sensitiva humana prout nostra introspectione attingitur semper plus minusve elementis ordinis intellectualis permixta et perfecta inveniatur[6]; *cavendum est* ne brutis animalibus vitam sensitivam attribuamus, quae non pure sensitiva sit.

Asserimus tamen in brutis animalibus, praeter operationes vitae vegetativae, similes illis quae plantarum sunt propriae, dari etiam operationes perfectissimas vitae pure sensitivae, licet omni elemento intellectuali destitutas. *Affirmamus,* scilicet, dari in brutis veras cognitiones et tendentias cum sentimentis illas comitantibus, quas animalia et exercent et eas exercendo experiuntur.

Cum certo certius de exsistentia vitae sensitivae in brutis non nobis constare possit ex introspectione, qua nobis evidentissime constat de exsistentia vitae nostrae sensitivae; *ad affirmationem nostram demonstrandam* nonnisi ad observationem obiectivam seu ex-

[6] Cf. GARCÍA ASENSIO, *Huellas de espíritu en "mi" sensación "humana"*: Pens 9 (1953) p.177-197.

trospectionem circa rationem agendi brutorum recurrere possumus, ex qua tamen rite perspecta, per argumentum analogiae, certo concludemus veritatem theseos.

102. Sententiae. Thesi *adversantur* plures auctores, tum antiqui tum moderni, diversis tamen rationibus ducti.

a) Primus qui apparatu scientifico eam negasse videtur fuit medicus metimnensis GÓMEZ PEREIRA in suo opere *Antoniana Margarita* (Madrid 1554); qui tamen non sibimetipsi cohaerere videtur dum in explicatione tradenda rationis agendi brutorum ad phantasmata et imagenes praeteritarum experientiarum recurrit. Igitur hic auctor fortasse posset bene intelligi iuxta statum quaestionis propositum, ita ut brutis neget tantummodo vitam sensitivam qualem in homine datur elementis intellectualibus permixtam[6*].

b) Negat abs dubio thesim CARTESIUS et cartesiani, quos inter nominatim MALEBRANCHIUS (1638-1715), asseverantes animalia omni prorsus carere cognitione, sed esse meras machinas vel automata, instrumenta videlicet ita affabre a Deo constructa ut sine ulla cognitione moveantur, veluti horologia.

c) Consequenter ad doctrinam quam tenent de cognitione humana, negant thesim omnes illi auctores qui unum tantummodo modum cognoscendi admittunt, ut sunt plerumque idealistae et spiritualistae exaggerati, qui sensationem nomen cognitionis non mereri dicunt, et eam reducunt ad meras impresiones physiologicas organismi; atque etiam materialistae, qui non modo sensationes, verum etiam omnia phaenomena psychica mechanice explicanda esse contendunt.

Hos inter numerantur illi qui per meros tropismos activitatem omnem animalium intendunt explicare, ut LOEB[7] et BOHN[8].

d) Consequenter etiam ad suam doctrinam, vitam sensitivam animalium, imo et hominum negant, qui Parallelismum psycho-physicum profitentur, de quo in libro V agendum est, negantes influxum omnem causalem inter series activitatum corporearum et psychicarum.

e) Tandem aliqui sunt qui, ut CLAPAREDE[9] et PIÉRON[10], vitam sensitivam brutorum affirmare non audent et eam non nisi ut hypothesim heuristicam admitti debere contendunt, quae aliis solutionibus possibilibus viam non praecludat.

Adversus eiusmodi opinandi modos, affirmamus cum sensu hominum communi et magna philosophorum parte, vitam sensitivam animalium.

Thesim ut *certam* defendimus. Nec inutilis est; multum enim iuvat, non modo ad rite intelligendam vitam animalium,

---

6* URRÁBURU, *Psychologia,* I p.193 n.185.
7 LOEB, J., *Dynamique des phénomènes de la vie* (Alcan, Paris 1908).
8 BOHN, *Nouvelle Psychologie animale* (Alcan, Paris 1911).
9 CLAPARÈDE, *Les animaux sont-ils conscients?:* Revue philosophique, I (1901) p.481s. Cf. eiusdem auctoris: *La Psyhologie comparée est-elle legitime?:* Archives de Psychologie, t.5 p.13-35, et *Méthodes de la Psychologie animale:* Année Psychologique (1910) p.478s.
10 PIÉRON, *Méthodes de la Psychologie zoologique:* Revue Philosophique, 2 (1904) p.171.

sed etiam naturam et limites vitae sensitivae hominis eiusque discrimen essentiale a vita intellectiva ipsius.

103. Probatur. 1.° ARGUMENTO INDIRECTO, PER EXCLUSIONEM VIDELICET SENTENTIARUM ADVERSARUM. Sententiae adversae plerumque A) sunt merae deductiones logicae a priori ex principiis certo falsis; et B), si experientiam invocant, vel *a)* animalium reactiones incomplete considerant; vel *b*) explicationes prorsus ineptas proponunt.

Ergo sunt prorsus reiciendae.

Consequentia patet. Quoad A) quia praemissae falsae fidem facere nequeunt veritatis conclusionis, quantumvis iuxta leges Logicae deductae. Ex vero enim, non sequitur quidem nisi verum; sed ex falso tum verum tum falsum sequi potest.

Quoad B) quia tunc explicatio theorica adstruitur, quae cum factis explicandis non cohaeret.

Antecedens demonstratur per partes.

A) QUOD SENTENTIAE ADVERSAE PLERUMQUE NON SINT NISI MERAE DEDUCTIONES A PRIORI EX PRINCIPIIS FALSIS, patet; nam CARTESIUS et cartesiani (sententia *a* et *b*) ad thesim negandam adducuntur falsa notione animae et corporis; et reliqui fere omnes (sententia *c* et *d*) eo quod vel omnem cognitionem non nisi intellectualem esse falso existiment, ut *spiritualistae exaggerati;* vel eo quod eam explicare intendant *mechanice* seu per vires pure physico-chimicas materiae, ut *materialistae;* vel eo quod (sententia *e)* sperent fore ut *aliquando inveniatur* explicatio satisfactoria materialistica, licet fateantur hucusque eam nondum haberi.

B) EORUM VERO QUI AD EXPERIENTIAM ATTENDUNT, alii *a)* eam *incomplete considerant* respicientes aliquos tantum adspectus partiales reactionum animalium, seorsim sumpti qui fortasse nulla interveniente vita sensitiva absolute explicari quadamtenus possent.

Talis adspectus sunt, verbi gratia, quod motus sit circumstantiis accommodatus, cum id valet etiam in motibus vitae vegetativae; quod motus oriatur sine stimulo externo, nam forte hic stimulus adest, quamvis non detegatur.

Alii vero qui *b)* experientiam complete *considerant,* explicationes ineptas tradunt, nisi ad cognitionem, tendentiam et sentimentum quae propria sunt vitae sensitivae recurrant, ut saepe faciunt, huiusmodi nomina vitantes et alia arbitraria adhibentes.

104. Probatur. 2.° ARGUMENTO DIRECTO, SCILICET EX ANALOGIA. Animalia, saltem superiora, *a)* praedita sunt organis sensoriis prorsus similibus organis sensoriis humanis quoad structurationem anatomicam, histologicam et cellularem; *b)* stimulis externis eiusmodi organa simili modo excitantur; et *c)* ex his excitationibus similes reactiones motrices et rationes sese gerendi consequuntur ac in hominibus.

Ergo sicut homo sentit, ut quisque introspectione experitur, ita et animal sentire concludendum est.

Antecedens patet ex scientiis biologicis et experientia omnibus communi.

Consequentiam ex analogia valere, saltem in subiecta materia, probatur.

1.° Quia quamvis similitudo quoad configurationem organorum et stimulorum receptionem *absolute* dari possit quin detur sensatio; et reactiones similes consequentes, si in abstracto considerentur, absolute possint aliter quam per interventionem vitae psychicae explicari (unus enim idemque effectus a duabus causis diversis provenire, a priori impossibile non est); tamen eiusmodi analogia et similitudo quae *in concreto* et de facto datur, adeo perfecta, adeo *universalis* et adeo *frequens* et *repetita,* non potest non praebere certitudinem scientificam conclusionis; quia si talis similitudo diversis causis deberetur, aliquando deficeret et diversitas causarum per diversitatem effectuum se aliquando proderet.

2.° De facto non *nisi argumento ex analogia,* scientifice et certo concludimus alios homines sentire sicut et nos sentimus; et nemo est qui praeiudiciis alicuius theoriae praeconceptae non ducatur, qui hanc certitudinem, cum sensu hominum communi, practice non admittat.

3.° Tandem vis argumenti analogiae, si rationem a priori quaerimus, in *sapientia Creatoris* ultimo fundatur, qui perfecte naturas diversarum rerum constituit operationibus ab illis provenientibus perfecte accommodatas. Nam si duae naturae producentes eodem modo eundem effectum, differrent inter se quatenus sunt principia horum effectuum; aliqua saltem ex illis non perfecte suis operationibus adaptata esset, sive per defectum sive per excessum.

105. Obiectiones. 1. CONTRA PROBATIONES. Stante similitudine stimulorum, organorum et reactionum, animalium et hominum, absolute fieri potest, ut homo sentiat et animal non sentiat.

Ergo argumento analogiae thesis evinci efficaciter nequit.

Resp.: dist. antec.: Stante similitudine stimulorum, organorum et

reactionum incompleta, non universali, nec constanti, absolute fieri potest ut homo sentiat et animal non sentiat, *trans.;* stante similitudine quae sit completa, universalis et constans, *nego.*

106. 2. Directe pro mero automatismo. Innumeri dantur in homine motus et reactiones omnis generis quae vel sunt puri motus reflexi, vel saltem pure automatice seu absque ulla prorsus cognitione interveniente perficiuntur.

Ergo a fortiori puri motus reflexi vel automatici dicendi sunt illi qui in argumento ad thesim probandam perperam invocantur.

Resp.: dist. antec.: Innumeri, sed non omnes, motus et reactiones sunt in homine motus pure reflexi et automatici, *conc.;* innumeri, id est omnes motus et reactiones hominis sunt motus reflexi et automatici, *sub.:* motus et reactiones ad vitam vegetativam spectantes, *trans.;* motus et reactiones ex quibus arguimus pro exsistentia vitae sensitivae, *nego.*

Verbo: non omnes motus qui in vita organica hominis dantur eodem pacto explicandi sunt. Admittimus dari *motus pure reflexi,* absque ulla prorsus cognitione; *motus reflexi non autem pure tales* sed producti interveniente cognitione, sive conscia conscientia superiore et intellectuali, sive tantum conscientia sensitiva directa seu exercita. Motus autem quibus probamus sensationem in brutis dari, natura sua omnino distinguuntur a motibus pure reflexis.

Inst. Motus et reactiones quibus intendimus probare dari sensationem in brutis, observantur etiam in brutis vita functis.

Sic muscae amputato capite pergunt volare; ranae capite truncatae adhuc enatant, obstacula vitantes; gallinae truncato capite, per breve tempus volare pergunt.

Atqui eiusmodi motus non possunt iam procedere a vita sensitiva.

Ergo tantum per automatismum sunt explicandi nulla interveniente sensatione.

Resp.: Antecedens potest negari. *Primo,* quia non constat muscas, ranas et gallinas, capite truncato non pergere adhuc vivere; bruta quippe saltem inferiora quae probabiliter anima extensa donantur, etiam amputato organo principali, non illico moriuntur. *Deinde* quia motus illi, certe non eodem prorsus modo perficiuntur ac in brutis non mutilatis.

Minor etiam negari potest, si admittitur animal post mutilationem pergere adhuc vivere; secus, dicendum esset illos motus per breve tempus quidem mechanice produci, per quamdam inertiam et quasi continuationem motus vitalis praecedentis, in organis apte structuratis ad motum exercendum iuxta leges mechanicas.

107. 3. Ab absurdo. Ex thesi sequerentur plura absurda:

1.° Si bruta sentirent, vitam gererent miserrimam sine culpa, nam essent doloris capacia et de facto saepe afficerentur dolore et aerumnis, quod quidem nullam finalitatem haberet, et naturam proderet male conformatam

2.° Si bruta vita sensitiva essent praedita gauderent memoria et consequenter praeterita cognoscerent, quod quidem solius intellectus est proprium.

3.° Proprias affectiones cognoscerent et sibi attribuerent, se proinde conscientiam haberent suorum actuum.

Resp.: Ad 1. Admittitur bruta esse et doloris et voluptatis ca-

pacia; negatur inde sequi eius vitam esse miserrimam. Quod si dolore interdum afficiuntur; hoc quasi per accidens evenit; nec defectu reflexionis, adeo illo vexantur ut homines; nec tandem sine finalitate producitur; nam illo adiguntur ut vitent ea quae non conferunt ad conservationem vitae individualis et speciei.

Ad 2. Admittitur in brutis memoria sensitiva sine recognitione tamen formali rei praeteritae ut praeteritae, quae solius memoriae intellectualis est propria.

Ad 3. Admittitur etiam animalis proprias affectiones materialiter experiri et cognoscere, non formaliter ut proprias, quod iterum solius intellectus est; sed ita ut eas sibi practice attribuant dum eas experiuntur.

Sed de his, melius agetur in sequenti thesi.

ARTICULUS III

PSYCHISMUS PURE SENSITIVUS ANIMALIUM

Thesis 8. Animalia carent vita intellectuali qua vita sensitiva humana completur atque ad altiorem perfectionem evehitur.

108. Notiones. ANIMAL hic intelligimus ens organicum quodlibet, vita vegetativa et sensitiva praeditum, quod non ut homo communiter habeatur.

Animalium *alia sunt* perfectiora aliis, ut constat ex Zoologia et ex Historia naturali, quae ea in distinctas categorias classificando dispescunt et describunt.

HOMINIS VITA SENSITIVA, ut constat propria cuiusque experientia, realis est; et licet in multis, praesertim quoad functiones sensitivas inferiores, longe imperfectior sit vita sensitiva plurium animalium, completur tamen multiplicibus aliis activitatibus psychicis, quae intellectuales vel rationales communiter appellantur, et, saltem primo adspectu, ut aliquatenus distinctae a functionibus sensitivis habentur.

Eiusmodi activitates psychicae intellectivae seu rationales, si de quaestione naturae ipsarum praescinditur, de qua in libro V agendum erit, ab omnibus etiam agnoscuntur, ut fundamentum psychologicum ceterarum omnium perfectionum quibus homines animalibus antecellunt. Illos enim reddunt capaces vitae scientificae, artisticae, moralis, socialis et religiosae.

Ut autem concrete loquamur, *praecipuae activitates ordinis cognoscitivi* quae *intellectuales* vocantur et hominem capacem reddunt ad omnes ulteriores perfectiones quibus vita humana vita brutorum superior redditur, hae sunt quae sequuntur:

a) Conceptus efformare *universales* de rebus materialibus quae sensibus percipiuntur; *b)* conceptus item efformare *rerum suprasensibilium; c) relationes* multiplices formaliter ut tales percipere;

d) iudicia formalia elicere; *e) ratiocinia* formalia efformare; et tandem *f)* se propriosque actus *reflexione* formali cognoscere eosque sibi formaliter attribuere.

Nec *abs* re erit animadvertere, quod omnes hae functiones intellectuales, licet *in multis inter se* differant, possunt tamen ad duas principaliores reduci quae sunt veluti ceterarum principium et radix. Tales sunt *conceptus universalis,* et *conceptus relationis.*

109. Status quaestionis. Ex thesi praecedenti constat in animalibus brutis dari vitam psychicam sensitivam; et libenter admittimus hanc esse in suo ordine perfectissimam, imo, sub aliquibus adspectibus, etiam perfectiorem vita sensitiva humana.

Non pauci auctores, potius naturalistae quam philosophi, perfectionem vitae sensitivae considerantes, eam *intelligentiae* tribuunt, de animalibus loquentes plus minusve intelligentibus. Haec autem ratio loquendi utpote quae omnino impropria est, a falsis doctrinis inducta et pluribus erroribus confusionibusque obnoxia, improbanda est a philosopho, et quoad eius fieri possit, etiam in tractationibus scientiae experimentalis vitanda.

QUAESTIO autem praesens *non est quaestio* de nomine, sed de re; agitur enim tantum utrum in vita psychica animalium reperiatur aliqua saltem ex activitatibus supra descriptis, quae vere et proprie intellectuales dici debent.

110. Sententiae. Omissis pluribus auctoribus qui tantum apparenter seu verbo tenus *thesi nostrae adversantur,* de quibus diximus in statu quaestionis, intelligentiam proprie talem brutorum asserunt et multis argumentis demonstrare contendunt, multi auctores praesertim moderni; propterea quod, doctrina thesi nostrae contraria melius cohaeret cum aliis doctrinis erroneis et alibi refutandis, quas profitentur.

Sic thesim negant;

a) Omnes fere *materialistae, sensistae* et *associationistae,* qui discrimen essentiale inter intellectum et sensum agnoscere renuunt, et functiones intellectuales supra descriptas, vel negant, vel per simplicem imaginum associationem explicare contendunt. Hi omnes aliquam intelligentiam animalibus largiuntur, saltem minus evolutam quam in homine.

b) Omnes fere spiritistae et theosophi, atque omnes qui animarum transmigrationem vel reincarnationem profitentur.

c) Multi evolutionistae, praesertim darwiniani, et omnes qui originem speciei humanae ab specie aliqua animalium asserunt.

d) Aliqui psychologi experimentales, permoti praesertim experimentis a W. KÖHLER in simiis peractis.

Thesim autem tenent omnes omnino scholastici praeeunte ARISTOTELE, philosophi christiani et neoscholastici, atque etiam multi psychologi experimentales; ut apparuit in controversiis suscitatis occasione equorum berolinensium et elberfeldensium, qui problemata arithmetices solvere dicebantur, et occasione experientiarum in simiis a KÖHLER peractarum.

Nec veritatem continet parvi momenti sed valde utilem; tum sub adspectu scientifico ad melius cognoscendam veram hominis naturam dignitatemque eius personalitatis, quae ex sententia adversa multum deprimitur; tum etiam sub adspectu practico et morali, contra eos qui, imbuti ideis theosophicis vel spiritisticis, christianam caritatem parvi facientes, amore suo potius animalia quam proximos prosequuntur, nosocomia brutis destinata instituunt, et societatibus animalium protrectricibus adscribuntur vel nimis favent illa tamquam personas habentes.

111. Probatio. Nullam dari in animalibus functionem intellectualem ex illis quas descripsimus, ac proinde animalia intellectu carere, evidens fit, 1.° *ex ratione positiva* sese gerendi animalium etiam in operationibus maxime complexis et mirabiliter artificiosis in quibus finalitas clarissime splendet; atque etiam 2.°, ex *defectu multiplicium perfectionum* quae exercitium intellectus, quantumvis exiguum, naturali necessitate, in aliquo saltem gradu, consequuntur.

Ergo animalia prorsus intellectu carent.

Consq. patet. *Antecedens* probatur per partes.

112. 1.° EX RATIONE POSITIVA SESE GERENDI ANIMALIUM ETIAM IN PERFECTIORIBUS OPERATIONIBUS.

a) Activitas animalis *generatim inspecta,* patefacit cuicumque praeiudiciis non imbuto, et quidem tanto evidentius quanto complicatior et mirabilior est, illud non nisi impulsu naturae, videlicet *instinctu ductum operari,* nulla dirigente activitate proprie intellectuali, speciatim nulla idea universali, nec ulla cognitione relationis.

Secus, videlicet si animal artificiose et mirabiliter operans ideam haberet universalem operis perficiendi, ordinis in illo servandi, dependentiae causalis distinctarum actionum, et finis obtinendi, sequeretur illud praeditum esse non solum aliquo gradu exiguo intellectus, ut adversarii contendunt, sed potentissimo intellectu, cuiuscumque hominis etiam sapientissimi intellectum superante. Quod quidem absurdum evidenter est; et quod nimis probat nihil probat.

b) Speciatim *carent idea universali* operis perficiendi, et imaginibus concretis ipsius tantummodo ducuntur.

Nam qui ideam universalem operis perficiendi habet, id multiplici et variata forma valet perficere et de facto perficit. Sic homo, quia ideam universalem domus habet, domos construit quae, licet diversissimae in infinitum esse possint, tamen omnibus idea domus conveniet. Animal autem opera sua artificiosissima semper eadem forma eisdemque elementis materialibus exsequitur.

c) Quod autem animal *non percipiat formaliter relationes,* nec quidem eas quae maxime obviae sunt ut *causae* et *effectus,* patet in multis factis quae afferri possent, quorum unum tantum, exempli causa, attulisse sufficiat.

Sic canis aggreditur et mordet lapidem in ipsum proiectum, non hominem proiicientem. Sic cani iuxta focum iacenti et iam frigescenti non occurrit ligna igni iam imminuescenti admovere vel in illum insuflare. Nec hoc illi vertendum est sui intellectus tarditati, cum saepe viderit homines has actiones peragere; sed simpliciter carentiae intellectus. Quod si fortasse ipse canis convenienter edoctus, vel aliud animal, ut simia, sponte sua aliquando id fecisse dicatur, eiusmodi actio non perspicientiae relationis causalitatis, sed associationi imaginum et instinctui imitationis tribuendum esset.

d) Nec relatio, etiam summe obvia, *medii ad finem* cognoscitur ab animali, licet omnes eius operationes mirabili finalitate sint naturaliter praeditae.

Sic, ut aliqua afferamus exempla, castor etiam si captivus teneatur, colligit asseres ad exstruendum, quasi liber esset prope aquas; apes cellulas parant reginae, quamvis nullam habeant; aves in cavea inclusae, tempore migrationis avolare intendunt sese impingentes in cancellos sui carceris. Verbo: actiones instinctivas peragere pergunt, cum mutatis adiunctis iam inutiles imo et nocivae sunt; aliasque desinunt facere, quarum utilitas et necessitas, ipsis perspecta esse deberent si intellectu pollerent.

113. 2.° EX DEFECTU QUARUNDAM PERFECTIONUM QUAE INTELLECTUM NATURALITER CONSEQUUNTUR.

A) EX DEFECTU LOCUTIONIS CONCEPTUALIS.

Quaedam sunt praemittenda. Locutio in genere est intentata manifestatio activitatum psychicarum propriarum aliis facta ope alicuius actionis vel rei externae ab aliis perceptibili. Actio vel res externa a loquente posita, est signum aliquod aptum ad excitandam in aliis cognitionem aliquam determinatam de eodem obiecto a loquente cognito et aliis per illud signum manifestando.

Tria igitur ad locutionem *requiruntur et sufficiunt;* 1.° activitas psychica interna manifestanda; 2.° signum externum aptum ad illam manifestandam; et 3.° positio signi externi, a loquente intentata ut suam activitatem psychicam manifestet.

Omisso *tertio* locutionis elemento, quod ad demonstrandum quod intendimus minus utile apparet, ratione *primi* locutio potest esse

conceptualis, si res manifestandae sunt conceptus vel relationes, vel quaecumque aliae activitates ordinis intellectualis supra descriptae; vel *non conceptualis,* si res manifestandae sunt aliae activitates psychicae ab intellectualibus distinctae.

Rationem autem secundi elementi, *locutio potest esse mere naturalis,* si signa externa sunt naturalia, seu talia quae suapte natura vim manifestandi sortiuntur, ut sunt multae et diversae reactiones motrices vel sonitus emissi, respondentibus diversis statibus psychicis; vel *artificiosa et conventionalis,* eo quod consistat in signis ad placitum ex institutione vim significandi habentibus, sive a loquente inventis, sive disciplina adquisitis.

Factum ergo ex quo arguere intendimus, *non est defectus locutionis naturalis* qua animalia suum statum psychicum aliquando patefacere valent; sed defectus tantum *locutionis conceptualis,* non modo artificiosae sed etiam conventionalis,

114. *His positis, sic arguimus.* Locutio conceptualis, etiam pure naturalis, maxime autem artificiosa et conventionalis, necessitate naturali et vi legum psychologicarum non posset non dari in animalibus, si in illis dantur conceptus intellectuales.

Atqui in brutis nulla datur locutio conceptualis, nec naturalis nec multo minus artificiosa et conventionalis.

Ergo bruta omni prorsus conceptu intellectuali carent.

Consequentia evidens est.

Maior in dubium revocari nequit, cum tanta sit utilitas et iucunditas in communicandis propriis cogitationibus, et ad id impellant irresistibiliter sentimenta et desideria quae saepe satisfieri nequeunt nisi aliis per locutionem communicentur.

De facto enim ita evenire videmus apud homines cuiuscumque, stirpis nationis et culturae, etiam apud rudiores, a teneris unguiculis loqui addiscentes suorum parentum linguam.

Nec dubitandum est, futurum fuisse ut homines sibi solis relicti et extra consortium loquentium adolescentes, sibi sponte aliquod loquendi genus conceptuale invenirent ad sese mutuo communicandum, quemadmodum aliquid simile evenit inter surdo-mutos.

Minor vero non minus certa est.

Quod bruta de facto non utantur lingua aliqua artificiosa seu signis conventionalibus constituta, nemo negabit.

Nullum est enim animal quod voces articulatas proferat, exceptis psittacis qui verba quae ex imitatione pronuntiare didicerunt veluti phonographicae machinae perpetuo repetunt, quin eorum significationem percipiant; nullum quod signum aliquod graphicum edat suis activitatibus psychicis respondens; nullum demum quod vel simplici nutu capitis valeat significare affirmationem aliquam vel negationem.

Huius autem defectus linguae artificiosae in animalibus, praesertim domesticis quae non minus quam pueri homines perpetuo loquentes audiunt, nulla alia assignari potest causa, nisi quod animal

careat omni conceptu universali et relationis, cum cetera quae ad hoc requiruntur abunde illis suppetant, etiam ad locutionem acusticam, nedum etiam ad graphicam et ad illam quae reactionibus corporeis obtinetur.

Quod autem reactiones diversae animalium ex quibus dignoscuntur aliquomodo activitates psychicae ipsorum, quae improprie et analogice possunt haberi ut quoddam genus locutionis naturalis, *non sint proprie locutio conceptualis,* patet ex eo quod illa signa ad summum ad aliquam cognitionem status psychici affectivi brutorum nos ducunt, videlicet alicuius facti complexi subiectivi et contingentis; non autem manifestant cognitiones obiectivas et ideas necessarias.

Saepe quidem homines eiusmodi reactiones externas brutorum *anthropomorphice interpretantes,* erronee quidem et inconsiderate ut idearum et volitionum manifestationem considerant; nulla quippe est ratio tribuendi intelligentiae, quod per meram sensibilitatem, per iudicia mere virtualia et per instinctum valet explicari.

115. B) Ex defectu perfectibilitatis et progressus.

Quaedam praemittenda. Progressus nomine venit in genere amelioratio quaedam seu perfectio maior in operatione. *Duplex* ad rem nostram quod attinet distingui potest: *alia* qua opus de quo agitur facilius, exactius et opportunius peragatur; *alia* vero quae non tantum ad modum opus exsequendi referatur, sed etiam ad opus ipsum; quod, ita perfectius evadat ut aliquid quasi novum producatur, quod sit utilius, commodius, pulchrius; vel, sub aliquo respectu sociali, morali, politico, vel culturali, simpliciter melius.

Non negamus quod animalia in decursu evolutionis individualis *primo modo* progrediantur, ita ut per exercitium actionum instinctivarum, ut currere, sese defendere, venari, melior in dies eiusmodi operationes peragantur. Admittimus etiam quod animalia intra ordinem sensitivum multa addiscere valeant exercitio et experientia, novas associationes adquirendo. Eiusmodi autem progressus, ut per se patet, non excedunt ordinem sensitivum.

Agitur ergo de progressu *secundo sensu* accepto, qui non nisi intellectu interveniente haberi potest, et intellectus exsistentiam naturaliter consequitur.

116. *His positis sic arguimus:* Si animalia intellectu pollerent, progrederentur. *Atqui* non progrediuntur. *Ergo* intellectu carent.

Consequentia est evidens.

Maior probatur. Quia si animalia intellectu pollerent, rerum quidditates ipsarumque relationes, praesertim relationem medii ad finem cognoscerent, iudicia efformarent et ratiocinarentur; quo integrum iam ipsis esset novas rationes procedendi invenire ipsis meliores, saltem ad se liberandum a servitute

hominum, et a pluribus malis et vexationibus quibus saepe afficiuntur.

Nec possent non exemplo hominum, saltem aliquantulum progredi, perfectionem aliquam culturalem, socialem, scientificam et artisticam adquirentes, quemadmodum id ipsum faciunt homines etiam selvatici et primitivi, saltem ubi primum ab hominibus cultis edocentur.

Minor est etiam evidens; nam opera sua semper et ubique eadem, et eodem modo exsequuntur; nullusque progressus nec quidem initialis in ipsis invenitur. In brutis enim nullae sunt scientiae, nullae veri nominis artes, nullum inventum scientificum nec ullus amor sciendi.

117. Obiectiones. 1. ADVERSUS PROBATIONES. A) *Generatim,* argumenta non probant animalia carere omni prorsus intelligentia, sed ad summum intelligentia simili humanae. Nam:

a) Praeter intelligentiam humanam admittenda est intelligentia minus perfecta qua certe animalia non carent.

b) Etiam apud ipsos homines admittendi sunt distincti gradus perfectionis intelligentiae.

c) Intelligentia pueri recenter nati, inferior est intelligentia cuiuscumque bruti eiusdem aetatis.

d) Sicut intellectus hominis est longe inferior intellectu angeli, ita intellectus animalis potest esse inferior intellectu hominis.

Resp.: Nego assertum, quin quidquam evincant rationes adductae ad quas singillatim respondeo.

Ad *a)* Praeter intelligentiam humanam potest dari intelligentia minus perfecta quae brutis competat, si nomine intelligentiae abusive intellegatur cognitio quaelibet etiam ordinis sensitivi, *conc.;* si vero intelligentia sumitur pro facultate exercendi aliquam ex illis functionibus per quas eam descripsimus, *nego.*

Ad *b)* Apud ipsos homines intelligentia quidem distinctos gradus prae se fert, sed omnes eiusmodi gradus referuntur ad exercitium illarum functionum per quas intelligentiam definivimus, quod per se invenitur in omnibus hominibus iam a tenera aetate, exceptis fortasse quibusdam microcephalis et idiotis ob causas pathologicas.

Ad *c)* Intelligentiae pueri recenter nati nequit dici nec superior nec inferior intelligentia bruti eiusdem aetatis, si de intelligentia recte definita agitur, nam negandum est falsum suppositum, bruta videlicet intelligentia pollere quae possit comparari cum intelligentia pueri. Si vero intelligentia sumitur pro cognitione ordinis sensitivi, admitti potest assertio, sed nihil inde sequitur adversus thesim. Ceterum in puero recenter nato datur iam potentia intellectualis, licet nondum expedita, quia exercitium operationum intellectualium, natura sua requirit ut praevie operationes sensitivae ad certum perfectionis gradum pervenerint.

Ad *d)* Admittitur cognitionem humanam longe inferiorem esse in multis cognitione angelica, sicut etiam cognitio angelica est infinite inferior cognitione divina. Nihil tamen inde contra probationes inferri potest; quia thesim non demonstravimus ex eo quod non nisi unus gradus intellectionis dari possit, sed tantum patefacientes

functiones intellectuales per quas gradus infimus intelligentiae dignoscitur, non inveniri in animalibus.

Recte autem, tum potentia cognoscendi humana, tum angelica intellectus nomine insigniri possunt; non autem potentia cognoscendi animalium. Quia licet potentiae cognoscendi angelica et humana distinctum *obiectum proprium et proportionatum* habeant, conveniunt tamen in *obiecto terminativo et adaequato.* Absolute enim, si convenienter adiuvetur, intellectus humanus valet cognoscere quidquid valet cognoscere intellectus angelicus, et generatim quidquid cognoscibile est, quia eius obiectum adaequatum est ens in tota sua latitudine, Deo non excepto. Potentia vero sensitiva animalium non potest cognoscere nisi ens sensibile singulare et concretum, quod sensus percellere possit.

118. B) *Speciatim,* thesis non probatur ex *defectu progressus.* Nam:

a) Falsum est animalia non progredi, cum multa addiscant disciplina quae antea nesciebant, et operationes quas sponte sua exsequuntur exercitio et habitu melius in dies peragantur. Sic canis venator venando perficitur; et pastorum canes melius greges dirigunt suorumque herorum mandata intelligunt et exsequuntur, si convenienter sunt in suo officio exculti.

b) Quod si animalia non progrediantur, id non defectui intelligentiae tribuendum est, sed potius perfectioni suae intelligentiae, qua vident se opera sua ita perfecte agere ut progressus sit iam impossibilis.

Respondeo: Nego assertum, et ad singulas probationes dico:

Ad *a)* Admittitur intra limites vitae sensitivae et intra ambitum operationum instinctivarum quidam progressus, iterato exercitio et novis associationibus tribuendus, sive artificiali disciplina, sive sponte ab animali adquisitis. Negatur vero quilibet progressus qui aliquam operationem intellectualem requirat, quia non requiritur ad factum explicandum.

Ad *b)* Negandum prorsus defectum progressus ita esse explicandum. Nam in hypothesi falsa adversarii, videlicet, quod animalia polleant intellectu, viderent quidem animalia, opera quae ex instinctu agunt esse per se perfectissima in ordine sensitivo, sed simul viderent ea posse ad fines altiores applicari, et consequenter non in illis solis operibus instinctivis haererent, sed nova molirentur, sicut homines faciunt. Praeterea in ordine pure sensitivo et instinctivo, identidem et quasi per accidens, imperfectissimas et inutiles operationes bruta stulte peragunt, quas, si intellectu pollerent, sine dubio vitarent vel aliter peragerent.

119. C) *Speciatim etiam* ex *defectu loquelae conceptualis* non demonstratur thesis. Quia:

a) Licet bruta careant locutione conceptuali conventionali seu artificiosa, non destituuntur tamen locutione conceptuali naturali, quae abunde ipsis sufficit.

b) Quod ipsorum locutio naturalis sit vere conceptualis, patet ex eo quod, cum homo explicat id quod animal illi manifestat suis reactionibus naturalibus ad operationes vere ordinis conceptualis et intellectivi recurrit; dicens quid animal cogitet, quid iudicet, cur animal sic se habeat, quid moliatur, quem finem intendat, verbo, non nisi conceptus profert ab animali manifestatos.

Respondeo: Nego assertum et adversus rationes additas dico:

Ad *a)* Vel ipse solus defectus locutionis conceptualis artificiosae probat iam defectum intelligentiae; cum praeter hanc reliqua quae ad illam requiruntur animalibus non desint.

Ad *b)* Negandum prorsus est animalium locutionem naturalem esse conceptualem. Ut locutio naturalis animalium esset conceptualis, opus esset ut per illam animal conceptus proprios homini communicaret. Animal autem conceptus communicare non potest quos non habet. Tantummodo, iuxta proprias impressiones psychicas exterius reagens indicia homini praebet, quamdam analogiam cum reactionibus humanis prae se ferentia; quae homo plerumque exaggerate interpretatur et describit tamquam si ad ordinem intellectualem pertinerent.

120. 2. EX FACTIS PLURIBUS COMMUNITER NOTIS. Plura facta omnibus notissima ostendunt nullam esse functionem intellectualem quae ab animalibus non exerceatur. Sunt autem haec:

a) Inest illis attentio ad obiecta quaedam melius percipienda et observanda (canis frustum panis expectans; lepus, arrectis auribus strepitum audiens; felis murem transiturum attendens).

b) Universalia cognoscunt, nam cognoscunt non modo hunc individuum animal idque quaerunt vel fugiunt; sed quodcumque eiusdem speciei individuum (ovis fugit non tantum hunc lupum sed quemlibet lupum). Ergo ideam universalem speciei habent.

c) Rationem utilis vel nocivi percipiunt (aliqua animalia herbas medicinales et salutiferas a nocivis secernunt; avis palleas seligit ad nidificandum utiles).

d) Conscienter agunt propter finem in suis operibus mirabili finalitate praeditis. Ergo relationem medii ad finem cognoscunt.

e) Reflectunt, dum experientias proprias praeteritas ingratas evitant, placentes sibi procurant.

f) Ratiocinantur (canes simul venantes diversis in locis ita constituuntur, ut alter excitet, alter capiat praedam).

g) Educationis sunt capaces (passim in animalibus domesticis).

h) Appetunt ac proinde cognoscunt, non tantum quod delectabile est, sed etiam quod est honestum et pulchrum (apes amantes sunt munditiei; equi musicam percipiunt eaque delectantur).

i) Tandem pluribus virtutibus ornantur et ob eas laudem merentur (formicae sunt laboriosae, gallinae magna caritate pullos curant, nota est fidelitas canis, prudentia serpentis, fortitudo leonis).

Respondeo: Negatur assertio. Ad singula facta adducta singillatim haec sit responsio:

Ad *a)* Attentio non est nisi applicatio facultatis cognoscitivae ad obiectum cognoscendum; totidem ergo admittendae sunt species attentionis quot sunt species cognitionis. Attentio autem brutorum non excedit limites cognitionis sensitivae.

Ad *b)* Ad hoc factum et alia similia explicanda, non opus est admittere ovem habere ideam universalem lupi, sed abunde sufficit ut ovis in quolibet lupo percipiat formam concretam et individualem lupi, quae certe invenitur in omnibus individuis speciei lupinae. Cum ovis vi et impulsu instinctivo naturae determinata sit ad fugiendum a quocumque animali quod prae se ferat formam concretam et individualem lupi, omnes lupi eam afficiunt eodem modo, dum eos apprehensione pure sensitiva concreta et individuali percipit.

Ad *c)* Animalia apprehendunt utile et nocivum materialiter, non formaliter ut tale. Id est, apprehendunt id quod est utile et nocivum, non rationem abstractam utilitatis vel nocumenti. Quod consequenter ad apprehensionem rei concretae et singularis quae ipsi utile vel nociva est, versus eam feratur vel ab ea avertatur, tendentiis instinctivis ipsius naturae est tribuendum, ex quibus reactiones motrices convenienter consequuntur. Eiusmodi reactiones instinctivae, tum internae tum etiam externae, quae omnem praeveniunt usum rationis et intellectus, inveniuntur etiam in homine quatenus animal est, qui saepe rationem reddere nequit cur sponte erga aliquem bene vel male afficiatur. Easque tantummodo reflexione rationali adhibita et ope virtutis et educationis compescere et dirigere valet.

Ad *d)* Admittitur operationes brutorum praeditas esse mirabili finalitate, quae tamen ab illis ignoratur et consequenter in ipsorum operandi modum influere nequit. Eiusmodi autem reactiones finalitate praeditae non ponuntur nisi interveniente cognitione sensitiva; et in hoc sensu consciae dici possunt, conscientia videlicet cum ipsa cognitione sensitiva identificata, non autem conscientia formaliter reflexa.

Ad *e)* Reactiones animalium quibus ea appetunt quae ipsis grata, vel vitant ea quae ingrata in experientia praeterita fuerunt, sufficienter explicantur absque ulla reflexione, ex mera memoria sensitiva et sensitivo appetitu.

Ad *f)* Nec ratiocinium demonstrat factum obiectum, sed tantum mirabile instinctum ad venationem ordinatum.

Ad *g)* Educatio proprie talis quae elementum intellectuale importet, non probatur in brutis; sed tantummodo illa quae per aptas associationes sensitivas perficitur.

Ad *h)* Appetunt pulchrum et honestum non quia tale sit, sed quia pulchro et honesto accidit esse illis delectabile. Nec pulchrum et honestum illis est delectabile propterea quod naturam rationalem deceat quam non habent; nec ita ut apprehendant ordinem naturalem quo id quod ipsis est delectabile vere ad conservationem individui et speciei propriae refertur; sed tantum eo quod experientia delectabili ad illud alliciuntur. Equi et alia animalia certe musicam aliquomodo percipiunt, sed in musica non nisi elemento materiali et sensibili delectantur, ut rithmo et sonorum suavitate. Quod est ipsis delectabile limites sensibilitatis non excedit: non autem est elementum proprie aestheticum, quod animalis capacitatem supergreditur.

Ad *i)* Certe in brutis operationes inveniuntur, non quidem liberae, sed ex instinctu naturali ortae, quae in hominibus non ex instinctu sed libere et ratione dirigente, ob motiva formalia virtutis efficiuntur. Propterea per quandam analogiam cum actionibus humanis ex virtute procedentibus, virtutis nomine designatur. Non autem sunt virtutes proprie, cum non ponantur propter obiectum formale virtutis, quod est honestas relucens in opere virtutis perficiendo de qua agitur. Bruta enim honestatem proprie talem non percipiunt; nec libero arbitrio opera illa exercent, sed impulsu necessario naturae [11].

[11] Ad complementum huius iam nimis extensae expositionis, cf. FRÖBES, S. I., *Psychologia speculativa* (Herder, Friburgi Brisg.) p.58-85, ubi plura invenies de controversia moderna circa intelligentiam brutorum, praesertim scholion 1: Explicatio factorum quae ad intelligentiam humanam maiorem affinitatem ostendunt (p.48-49); et scholion 2 ubi speciatim agitur de argumentis a W. KÖHLER allatis pro intelligentia simiorum (p.49-51).

LIBER III

De natura vitae vegetativae

121. Scopus et ordo libri. Cum ex traditis in libro II iam nobis certo constet *quid, ubinam* et *quotuplex* vita sit cui studere contendimus, iam ad ipsius naturam tuto pede investigandam progredimur, et quidem in hoc tertio libro naturam tantummodo vitae vegetativae. *Vitam vegetativam* dicimus, non unice vitam plantarum; quia licet in plantis ea quae ad vitam vegetativam pertinent, utpote quae in ipsis unica est, melius patescunt, aequo tamen iure, quoad essentialia saltem, etiam vitae vegetativae animalium et hominum conveniunt.

Naturam autem vitae philosophice investigare idem est ac ipsius causas suprasensibiles (15-21) sciscitari, scilicet causam *formalem* et *materialem* quibus ens vivum vegetativum in suo esse substantiali constituitur; atque causam *efficientem* et *finalem*. Nec hoc naturae studium seiungi potest a consideratione *virium,* quibus ens vivum gaudet et vitaliter operatur.

Priusquam autem incipiamus naturam et vires entis vita vegetativa praediti investigare, praemittemus in capite I quasdam *notiones praeliminares,* quae utpote generales, omnibus viventibus etiam sensitivis et rationalibus conveniunt, quapropter in aliis libris his viventibus dicatis, repetendae non erunt. In capite II explicationes intentatas vitae vegetativae *quae falsae vel insufficientes* sunt excludemus; et in capite III *veram doctrinam* circa naturam vitae vegetativae propugnabimus.

CAPUT I

Praeliminares quaedam notiones necessariae

ARISTOTELES, II *Physicorum*, c.1; *De anima*, I c.5; S. TH., *In De anima*, I lect.14; *De anima* a.12; *Summ. Th.*, 1-2 q.10 a.1 c; 1 q.77 a.1; 3 q.2 a.1 et a.12 c; SUÁREZ, DM d.18 s.3 n.15-22; *De anima*, II c.III; TOLETUS. *In De anima*, q.8.9 et 10; PANIKER, R., *El concepto de naturaleza:* Análisis histórico y metafísico de un concepto (Madrid 1951): IDEM, *El sentido del problema de la naturaleza:* RevFil 9 (1950) 561-576; IDEM, *La naturaleza en la ciencia físico-matemática:* Sapiencia. 6 (1951) 27-46; ARÓSTEGUI, A., *La supuesta identidad agustiniana del alma y sus potencias:* RevFil 9 (1952) 43-64; ZARAGÜETA, *El problema de la clasificación de las facultades del alma:* RevFil I (1942) 7-45 et 301-324.

122. Capitis divisio. Quae in hoc libro et duobus sequentibus prae oculis habendae sunt notiones, illae sunt quae referuntur ad conceptum *naturae* seu principii ultimi substantialis, de quibus in articulo 1.°; atque etiam illae quae spectant ad principia accidentalia, quibus vivens substantiale operatur, et *vires* seu *potentiae* dicuntur, de quibus nonnihil etiam et brevissime dicemus in articulo 2.°

ARTICULUS I

NATURAE NOTIO

123. Qid veniat nomine naturae. Vox *natura* ad plura valde diversa significanda usurpatur. Hic tamen in sensu physico eam intelligimus, quo idem significat ac quidditas vel essentia rei, de quacumque re agatur. Vocatur *quidditas* per ordinem ad definitonem explicantem quid res sit; *essentia* autem per ordinem ad esse; et *natura* per ordinem ad operationes quarum est principium et causa.

Ab ARISTOTELE [1] definitur: "Principium et causa motus et quietis eius in quo est, primo et per se et non secundum accidens".

Dicitur *principium et causa,* ut indicetur ad rationem naturae spectare, ut sit non quomodocumque principium, sed principium vere influens ut causa, aliquo genere causalitatis.

Additur esse principium *motus*, non quidem dumtaxat motus localis, sed motus sumpti pro quacumque operatione entium saltem experientiae nostrae subiectorum (62).

Adiungitur et *quietis,* quo nomine designatur non mera cessatio a motu vel actione, sed conservatio termini vel perseverantia in statu per motum comparato.

Per verba *eius in quo est,* asseritur eiusmodi principium debere esse intrinsecum ei cuius est natura et excluduntur principia motus extrinseca.

---

[1] ARISTOTELES, *Physicor.*, II c.1 (192a40).

Tandem, verba *primo et per se et non secundum accidens,* ponuntur ad excludenda accidentia, potentias et habitus, quae potius tamquam instrumenta se habent quibus agentia naturalia operantur et naturae iam constitutae adveniunt [2].

124. Principium, causa et natura. Animadvertendum est naturam sic definitam semper esse aliquam causam et aliquod principium; non autem omnem causam nec omne principium esse naturam.

Non enim omnis causa est natura, sed tantum causa intrinseca, quae ultima sit quoad nos, prima autem quoad se, et radix sit vel subiectum omnium aliarum causarum quae forte dentur et plus minusve *proximae* effectui dici possunt, quae, ut diximus, non ut natura sed tantum velut naturae instrumenta habendae sunt. Natura ergo semper substantia est vel aliquid substantiale, et nullatenus accidens vel accidentale.

Nec omne principium est causa ac proinde, *nec omne principium est natura.* Latius enim patet principium quam causa.

Principium enim, omissis quampluribus diversis significationibus vulgaribus, philosophice loquendo, definitur "id a quo aliquid quocumque modo procedit"; potest autem aliquid ab alio procedere non per veram et propriam causalitatem seu sine influxu causali.

125. Principium quod et principium quo. Principium autem, sive sit etiam causa, sive non, duplex esse potest, videlicet: *principium quod* et *principium quo.*

Principium quod, sic breviter dictum, illud est quod vere operari dicitur; dicitur autem aliquid operari vere et proprie *dupliciter.*

Uno modo, mere denominative. Sic suppositum ut tale, est principium *quod* omnium operationum suae naturae, quas tamen ut suppositum non efficit nec causat, vere tamen ipsi attribuuntur, quia natura a qua efficiuntur ad suppositum pertinet.

Hoc modo, exempli causa, vere dicitur homo ut suppositum moveri, vel videre, licet motus fiat tantum ab eius manu, vel visio ab eius oculis.

Tunc habetur principium *quod mere denominativum* seu attributionis, non effectivum; et respectu illius, natura a qua oritur operatio, dici potest principium *quo,* videlicet *quo* suppositum operatur.

Alio modo aliquid dicitur principium *quod,* no mere denominative sed etiam *effective,* et principium *quod effectivum* dici potest; quo modo, natura, saltem completa et in se con-

---

[2] Ad ulteriores explicationes huius definitionis, cf. URRÁBURU, *Institutiones philosophicae* (Cuesta, Vallisoleti 1892) vol.3 *Cosmologia,* p.663-672 n.179-180.

siderata seu specificative sumpta, vere est principium quod effectivum, seu in ordine causalitatis efficientis.

126. Principium autem *quo* aliquid, ut principium *quod*, operari *dicitur* vel *reapse operatur*, duplici etiam modo intelligi potest. *Uno modo*, ita ut sit constitutivum substantiale naturae quae reapse operatur, vel suppositi quod operari dicitur. In hoc sensu anima respectu naturae humanae est ipsius principium *quo*. *Alio modo*, ita ut sit tantum virtus accidentalis, qua suppositum operari dicitur, vel natura reapse vitales operationes elicit. Sic, exempli causa, vires seu potentiae, quibus suppositum dicitur nutriri, vel sentire, vel intelligere, et quibus natura substantialis vivens redditur capax eiusmodi operationes exsequendi sunt principia *quo* respectu, sive suppositi, sive naturae.

Aliis verbis, principium *quo* potest esse *substantiale* et *ultimum*, vel tantum *accidentale* et *proximum*.

127. Indoles philosophica quaestionum quae ad naturam viventium referuntur. Naturam entium viventium, sicut et quorumcumque aliorum, intellectus humanus in suo statu coniunctionis cum materia, intueri nequit in semetipsa; potest tamen in ipsius cognitionem certam philosophando devenire, ex datis quae nobis experientia evidens suppeditat. Quamobrem natura viventium nobis nonnisi ex consideratione ipsarum operationum vitalium innotescere valet, quatenus ex effectibus ad exsistentiam et essentiam causae cognoscendam, vi principii causalitatis ratiocinando pervenimus. Ideo quaestio de natura viventium *stricte philosophica est;* et quidem ad philosophiam naturalem pertinens, non autem proprie loquendo ad metaphysicam spectans.

ARTICULUS II

De potentiis vitalibus in genere nonnihil

128. Potentiarum vitalium notio et realitas. Nomine potentiae vitalis venit principium, non remotum sed *proximum*, operationis vitalis; principium videlicet, non *quod*, proprie loquendo, operetur; sed principium *quo* natura vivens proprias operationes vitales exercet et *quo* suppositum vivens vere operari dicitur.

Sensus communis hominum, qui etiam in ratione loquendi manifestatur, aperte agnoscit in natura cuiusque entis viven-

tis aliquid dari ope cuius operationes vitales ab ea exercentur; naturamque, quae potentia operandi vitaliter destitueretur, vitaliter operari non posse. Non enim intelligitur quo pacto natura aliqua potentia operandi vitaliter orbata, posset vitaliter operari. Id enim esset idem ac effectum aliquem sine causa proportionata admittere.

129. Nomina diversa quibus eiusmodi potentiae designantur. Diversis nominibus, tum in locutione vulgari, tum in ea quae propria est scientiae philosophicae, huiusmodi potentiae designantur. Dicuntur enim *vires, virtutes, energiae, facultates*, et praesertim *potentiae animae*.

Scholastici saepe verbum graecum *dynamis* ab ARISTOTELE adhibitum vertentes, huiusmodi principia accidentalia *vires* appellabant atque etiam potentias. Potentia autem apud ipsos duplex esse potest: *activa* videlicet et *passiva*. "Hoc nomen potentia, iuxta S. THOMAM[3], primo impositum est ad significandam potentiam activam, secundario vero devolutum est ad potentiam passivam". Et iuxta ipsum[4]: "Potentia activa dicitur esse principium actionis", et alibi[5]: "ratio potentiae consistit in eo quod sit proximum principium actionis".

130. Quid cavendum inter loquendum de potentiis. Cum omnis potentia vitalis non sit principium ultimum substantiale, sed proximum et accidentale; nec principium *quod,* sed tantum principium *quo;* cavendum est ne de illis loquamur, si proprie loqui volumus, tanquam de suppositis vel naturis. Permitti quidem potest ut, tum in sermone vulgari, tum etiam in technicismo scientifico, brevitatis causa et eliptice loquendo, his potentiis vitalibus operationes attribuamus; ut cum dicimus intellectus cogitat, voluntas eligit, oculi vident, aures audiunt. Proprie autem loquendo reapse non est nisi suppositum vel anima substantialis quae ope intellectus cogitat, ope voluntatis eligit; et non nisi homo est qui potentia visiva colores videt, vel auditiva sonitus persentiscit.

131. Prima et fundamentalis quaestio de potentiis. Talis est utrum a philosopho eiusmodi potentiae accidentariae, seu principia proxima operationum vitalium admittendae sint, necne.

Dupliciter earum realitas negari potest. *Primo modo,* ita ut absolute negentur; *altero modo* ita ut, verbo tenus, poten-

[3] S. TH., 1 d.42 q.1 a.1c.
[4] S. TH., 1 d.42 q.1 a.1 ad 2.
[5] S. TH., 1 d.45 a.3 ad 2.

tiarum realitas admittatur, sed insuper negetur eas esse principia accidentalia eo quod existimetur eas esse tantum ratione distinctas a natura substantiali.

Primo modo negant exsistentiam potentiarum multi psychologi moderni, qui doctrinae facultatum, ut ipsi loquuntur, insipienter irrident, eamque ut inutilem et cavillationem metaphysicam spernunt, realitatem potentiarum vitalium omnino negantes. Nec ad id faciendum experientia inducuntur, cum eiusmodi quaestio non mera experientia resolvi possit; sed doctrinis moventur philosophicis evidenter erroneis, scilicet: vel dogmate arbitrario positivismi, iuxta quod respuendum est quidquid sensibus attingi non possit; vel dogmate non minus arbitrario et absurdo phaenomenismi, vi cuius non tantum potentiae accidentales, verum nec substantia ulla permanens sunt admittendae, admissis tantum activitatibus sine ullo agente operationibus sine ullo operante, motibus sine aliqua re quae moveatur. Innituntur etiam aliis futilibus ratiunculis quas alibi confutavimus [6].

Altero modo negant exsistentiam potentiarum accidentalium, omnes illi qui, admittentes necessitatem potentiarum et virium ad operandum eas ab ipsa natura substantiali viventis vel animae adaequate non distinguunt, affirmantes proinde eiusmodi potentias vel vires tantum partialiter consistere in principiis accidentailbus a natura substantiali vel ab anima distinctis.

Hanc sententiam tenuere nominales quibus in hac re adhaeserunt nonnulli philosophi scholastici saeculi XVII et XVIII [7].

Huic opinioni neganti potentias accidentales, affinis esse videtur scotistarum sententia, iuxta quos potentiae vitales ab anima distinguerentur, et quidem ante mentis considerationem, at eiusmodi distinctio non realis esset sed tantum formalis ex natura rei.

Adversus eiusmodi sententias, stat sententia SANCTI THOMAE [8], quam maxima et optima pars scholasticorum amplectuntur, SUÁREZ [9] non excepto, qui potentiam activam creatam a propria substantia realiter condistingui late tractat, hanc quaestionem cum DOCTORE ANGELICO resolvens, et necessitatem realiter distinguendi potentias a substantia, ex improportione substantiae ad omnes suas accidentales actiones, eleganti inductione ostendens.

Attamen nonnulli admittunt animam etiam per suam substantiam efficienter et immediate influere in actus vitales, quod proprie non ad quaestionem praesentem pertinet sed potius ad sequentes, quae inter scholasticos controvertuntur.

132. Quaestiones de potentiis accidentalibus inter scholasticos controversae. Omnes scholastici conveniunt in admittendo *potentias*

[6] Cf. F. M. PALMÉS, S. I., *Psicología experimental y filosófica* (4.ª ed. Balmes, Barcelona 1952) p.459-463 n.402-406.

[7] Auctorum nomina et eorundem operum citationes qui pro his diversis sententiis militant videri possunt apud URRÁBURU, o.c., vol.4, *Psychoogia,* I, p.162-165.

[8] S. TH., 1 q.77 a.1; et q.54 a.3 ubi de Angelis disseritur.

[9] SUÁREZ, DM d.18 s.3 n.15-22; *De anima,* l.2 c.1.

vitae intellectivae seu rationalis, scilicet intellectum et voluntatem esse potentias intrinsece independentes a materia et proprie spirituales. Harum potentiarum spiritualium subiectum esse solam animam spiritualem, et potentiae vitae vegetativae esse solum corpus ab anima informatum, facile ab omnibus admittitur.

Lis tamen est non levis in determinando *subiecto potentiarum sensitivarum;* quae, ex una parte materiales sunt, ex alia vero, eo quod sint principia cognitionis et appetitionis, aliqui inducuntur ad credendum, harum potentiarum subiectum debere esse animam. De hac quaestione accurate agendum erit in libro IV, est enim non levis momenti.

Praeterea, inter scholasticos *disputatur* de *criterio* quod applicandum sit ad potentias inter se *specifice distinguendas.* Omnes quidem admittunt potentias specificari per actus, actus vero per obiecta non quidem materialia sed formalia [10]; sed in ratione hoc criterium applicandi, inter se dissentiunt. Ideo dissentiunt etiam in numero determinando potentiarum specifice distinctarum.

Ab eiusmodi quaestionibus plus minusve probabilibus directe tractandis brevitatis causa abstinebimus. Quod si ad rationem reddendam alicuius assertionis certae, vel ad eam a difficultatibus vindicandam, opus erit aliquam de his quaestionibus sententiam amplecti in tanta veritate opinionum, ad sententiam DOCTORIS COMMUNIS fidenter recurremus, in qua omnium difficultatum solutio sufficiens invenitur [11].

CAPUT II

Explicationes philosophicae de natura vitae vegetativae quae falsae sunt vel insufficientes exploduntur

ARISTOTELES, *De anima,* I c.2-5; S. TH., *In De anima.* lect.2-14; *De anima,* a.19; CG c.65 et 80; *Sum. Theol.,* q.75 a.1c; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.53-85; PESCH, *Institutiones psychologicae,* I p.250-260 n.196-202; SCHAAF, *Institutiones psychologicae* (1909) p.87-110 n.65-89; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis* (1912) I p.143-155 n.109-114; GREDT, *Elementa philosophiae* (1932) I p.344-348 n.436-440; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.9-20 n.5-20; SCHIFFINI, *Disputationes metaphysicae specialis* (1888) I p.108-123; n.59-68; PUJIULA, *Problemas biológicos* (1941) c.4; GEMELLI, *L'Enigma della vita* (1910); VITORIA, E., *Los elementos químicos y su oligodinamia en los seres vivos:* Memorias de la R. A. de C. de Barcelona, 28 (1946), vol.1 p.78-82 n.154-160; DRIESCH. *Die maschine und der Organismus* (1935); DRIESCH-WOLTERECK, *Das Lebensprobleme in Lichte der modernen Forschung* (1931); WOLTERECK, R., *Ontologie des Lebendigen,* (1940); WENZL, *Metaphysik der biologie von heute* (1938); DRIESCH, *Philosophie des Organischen,* 2.ª ed. (1928); MUÑOZ, J., *¿Cómo nació la vida?* "La Biología de los últimos cien años y la físico-química actual frente al evolucionismo materialista": Miscelánea Comillas 8 (1946) p.145-201; IDEM, *¿Abiogénesis en protozoarios, bacterias y ultravirus?:* Pens 5 (1949) p.5-31; PALACIOS, J., *De la física a la biología* (1946); IDEM, *Esquema físico del mundo* (1947); DE GREGORIO ROCASOLANO, *Tratado de Bioquímica* (1928) p.16; KERMACH y

---

[10] Vide sis in *Cursu* thesim, ubi haec norma ad potentias distinguendas probatur.

[11] De his quaestionibus generalioribus circa potentias accidentales vitae, DOCTOR COMMUNIS tractat in *Summa Theologica* I, q.77, atque in multis aliis ex suis operibus, ut in Q. unica *De anima,* a.12; in II *De anima,* lect.6 et passim in libris *Distinctionum.*

EGGETON, *El barro de que estamos hechos.* Trad. ORIOL ANGUERA (1946); DRESSEL. *Der belebte und der ungelebte Stoff* (1883); GRASSET, *Les limites de la biologie* (1906); PUJIULA, *La vida y su evolución filogenética* (Barcelona 1915); ROSSELL, *La crisis científica del materialismo ante la explicación del origen y fenómenos de la vida:* Series articulorum ap. Ibérica, vol. 19 et 20; GUTBERLET, *Der Kampf um die Seele* (Maguncia 1899); IDEM, *Naturphylosophie* (Münster 1903); FRANK, *Philosophia Naturalis* (Friburg 1926); PALMÉS, art. *Vitalismo:* Enc. ESPASA, p.1.ª; ABELOOS, M., *La regéneration et les problèmes de la morphogenèse* (Paris 1932); ALVARADO, *Biología general* II (1952).

133. Capitis divisio. Intentatae explicationes philosophicae de natura vitae vegetativae quae sunt omnino improbandae, in tria agmina dispesci commode possunt, in totidem articulis consideranda. In 1.° de illis theoriis agemus, quae falsae sunt eo quod, naturam vitae vegetativae penitus explicari contendunt, negato omni principio vitali speciali, quod sit distinctum a principiis et viribus physicochimicis omnibus corporibus etiam non viventibus communibus. Opiniones quae, admittentes necessitatem alicuius principii vitalis a materia communi eiusque viribus distincti, errant tamen per defectum in assignanda huius principii natura, expendemus in articulo 2.°; illas tandem quae errant per excessum, in articulo 3.° reiciemus.

ARTICULUS I

NECESSITAS ADMITTENDI SPECIALE PRINCIPIUM VITALE IN CORPORIBUS VITA VEGETATIVA PRAEDITIS

Thesis 9. Nulla hucusque inventa est theoria, nec possibilis est, quae naturam vitae vegetativae valeat philosophice explicare negata realitate principii vitalis.

134. Notiones. PRINCIPIUM dicitur illud a quo aliquid quocumque modo procedit; potestque dari merum principium quod non sit causa, et quod etiam causa sit (124). In thesi sermo est de principio quod etiam causa sit, non praecise causa efficiens, sed utique in aliquo ordine causalitatis verae, cuius determinatio hic necessaria non est ad praesentem quaestionem decidendam.

Distinguendum tamen est in hac quaestione inter *principium* quod, et *principium quo,* de quibus supra (125) dictum est.

Distinguendum pariter est in hac quaestione inter principium *intrinsecum* et *extrinsecum* enti viventi.

Extrinseca principia vitae dici possunt omnia, quaecumque illa sint, quae ex medio ambiente necessaria sunt ad illam quomodolibet producendam, conservandam et fovendam.

Intrinseca principia vitae sunt semper aliquid ad corpus ipsum vivens aliquomodo pertinens, sive ut elementum substantiale constitutivum ipsius naturae vel substantiae, sive ut vires accidentales ipsius naturae substantialis.

In primo casu, hoc principium vitae intrinsecum dicitur *ultimum*, quia in ipsa substantia viventis nihil iam ulterius est quaerendum. In altero vero casu, principium dicitur *proximum* operationis vitalis, quo natura vivens vitaliter operatur.

135. Status quaestionis. Nulla quaestio esse potest, ut patet, de principio *quod*, sive purae denominationis, sive etiam effectionis vitae vegetativae.

Evidens enim omnibus est, vere dici *suppositum* vivere, scilicet arborem, plantam, animal, hominem vita vegetativa vivere. Nec quaestio est de principio *quod* per modum *naturae;* siquidem operationes vitales vitae vegetativae, iuxta omnes, efficiuntur a natura seu substantia entis tali vita viventis. Substantia enim plantae, arboris, animalis et hominis est quae, vivendo vita vegetativa, nutritur, accrescit et semina ad generanda nova individua eiusdem speciei producit.

QUAESTIO UNICA hic est utrum in sententia materialista quae tenet eandem prorsus esse materiam seu substantiam omnium corporum tam viventium quam non viventium, ac proinde negata exsistentia alicuius principii vitalis in viventibus, quod sit a materia distinctum et solis viribus materiae omnibus corporibus communibus operetur, *ratio reddi possit operationum vitalium vitae vegetativae.*

136. Sententiae. *Affirmant* materialistae, ad diversas explicationes recurrentes, quae reduci possunt ad tres; et, ut breviter illas designemus, dici possunt: 1.ª *Theoria physicochimica,* 2.ª *Theoria machinalis* seu organicista et 3.ª *Theoria biochimica.*

1.ª *Theoriam tenent physicochimicam* vitae, illi qui vitam intendunt meris viribus physicochimicis explicare.

Inter auctores hanc sententiam profitentes eminent HAECKEL, EM. DU BOIS-REYMOND, HELMHOLTZ, LE DANTEC, HOUSSEY, RÓUX, LEDUC, LOEB, aliique.

Fatentur tamen huius theoriae fautores, organismos, prout nunc sunt, non obtineri solis viribus physicochimicis, nullo interveniente praevio organismo; et asserunt illos olim resultasse per evolutionem ex organismis simplicioribus, ad quos ventum esset per seriem aliquam casuum, quibus successive materia bruta coordinationem nacta esset quae in viventibus corporibus resplendet.

2.ª *Theoriam machinalem* sustinent quae etiam *organicismus* vocatur, illi qui vitam explicare contendunt, mero complexu virium physicochimicarum materiae communis et insuper speciali configuratione vel structura qua materia communis in organismis donatur.

Structura autem materiae per quam vitam explicare intendunt non ea tantummodo est quae ope microscopii oculis cernitur in diversis cellulis diversorum textorum, cum eiusmodi formationes, experien-

tia teste, exercitium vitae saepe non praecedant sed subsequantur; sed praeterea quaedam alia structura vel conformatio materiae, propria ipsius protoplasmatis, quae invisibilis et plerumque hypothetica tantum est et ideo *metastructura* dici solet.

Organizatio autem vel structuratio materiae non casu et evolutione esset primo obtenta, sed immediate a natura data; et ut problema primi ortus organismorum devitent, plerique ad exsistentiam aeternam materiae organizatae confugiunt.

Ad hanc theoriam, sin minus ad praecedentem, referenda esse videtur, opinio eorum iuxta quam cellula non esset nisi congeries micellarum. Micellae vero dicuntur esse molecularum syntheses in statu aequilibrii inter processum dispersionis materiae, et processum oppositum eam iam solutam condensandi intra limites magnitudinis micellarum, nimirum intra 0,001 et 0,1 micrae. Hic status chimicus, micellaris seu colloidalis, formaliter discernit materiam vivam a mortua, et dum durat concedit micellis aptitudinem ad edenda phaenomena vitalia. Transitus ex organismo vivo ad mortuum est gradualis transitus ex statu colloidali ad status oppositos, sive solutoides sive emulsionis seu suspensionis.

3.ª Adsunt praeterea apud modernos auctores et aliae activitatum organismorum explicationes, quae fortasse sub nomine *Theoriae biochimicae* comprehendi possent, et in aliquibus ad admittendum principium vitale accedere videntur. Propter obscuritatem vero explicationum et ex intentione eorum qui eas propugnant, inter theorias principium vitale negantes sunt computandae.

Huc spectant illi auctores qui potius quam per structuram vel per statum materiae communis, vitam explicare contendunt admissa "specialissima materia" quae biogena dicitur.

"Constat haec materia, secundum ipsos, ut scribit P. FRANK [1], moleculis diversae rationis quae "biogena" vocantur. "Biogena" sunt corpora chimica hypothetica, quae repraesentant partem activam, i.e. directivam, in processibus vitalibus. Supponuntur esse albuminibus similia in forma molecularum complicatarum exsistentia, quae ex natura sua omnes habent proprietates, quas in organismis in oppositione ad materiam physicochimicam observamus; quapropter vocari solent "albumina viva" (VERWORN)". Vocatur etiam eiusmodi corpora aliis nominibus apud distinctos auctores, ut "unitates physiologicae" (H. SPENCER), "gemulae" (DARWIN), "pangenes" (DE VRIES), "biofori" (WEISSMANN), "micellae" (NAEGELI) [2].

Adversus eiusmodi sententias materialistas affirmamus in thesi, his theoriis vitam vegetativam nullatenus philosophice explicari, quidquid sit de aliquibus assertionibus ad scientiam pure experimentalem pertinentibus, de quibus non hic sed in schola *Quaestionum scientificarum ex Biologia* agendum est.

Non enim rationem reddunt causarum metempiricarum vitae, quae non nisi philosophicae sunt (18-20), nec eam reddere possunt nisi insuper principium vitale non admittant.

---

[1] FRANK, in Actis Conventus Cosmologorum S. I.; Romae habiti anno 1924 p.7.

[2] RAMÓN Y CAJAL, S., *Discurso inaugural del Congreso de Madrid de la Sociedad para el Progreso de las Ciencias*, p.24.

Plerumque nec apte explicant vitam intra ordinem causarum empiriologicarum.

Nobiscum sentiunt *omnes neoscholastici philosophi* et innumeri alii qui realitatem principii vitalis aliquomodo agnoscunt, de quibus deinde agendum erit in sequentibus articulis.

137. Probatio. RATIO GENERALIS ET A PRIORI, propter quam nulla theoria possibilis est quae, negata realitate principii vitalis, naturam vitae vegetativae valeat explicare, petitur *ex principio causalitatis*.

Nam qui vitae vegetativae naturam philosophice explicare intendit, vel supponit 1) substantiam entis vegetativi, verbi gratia arboris, *eandem specie* esse ac substantiam entis non viventis regni mineralis, verbi gratia ferri, et consequenter non alias vires admittit in viventibus quam physicochimicas omnibus corporibus communes; vel 2) admittit substantiam entis viventis vita vegetativa, *esse diversam et alterius speciei* ac substantiam entis non viventis, viresque quibus ens vivum suas exercet operationes non esse meras vires physicochimicas sed altioris ordinis.

1) *Primum* si dicitur, est aperte contra principium causalitatis sponte ab omnibus admissum et in Ontologia ut firmissimum demonstratum, vi cuius quidquid fit causam habet, et eiusmodi causa virtute praedita esse debet proportionata effectui ab ea producto vel producendo.

Nam cum apud omnes constet, et supra demonstratum manet, in thesi 2 (49-59), operationes vitae vegetativae esse plane diversas et superioris ordinis ac operationes corporum non viventium, causam ipsis proportionatam negat qui nullam aliam ponit, dum asserit eiusdem speciei esse naturam et vires omnium corporum, tum viventium, tum non viventium.

2) *Si vero aliud* membrum dilemmatis assumatur, iam principium aliquod substantiale diversum et superius admittitur, et consequenter etiam vires diversae et superiores admitti debent; quod quidem nihil aliud est quam admittere principium vitale aliquod.

Ergo nulla est theoria possibilis quae rationem reddat philosophicam de natura vitae vegetativae negato principio vitali.

Quod de facto haec theoria nondum hucusque proposita sit, patebit ex examine uniuscuiusque ex illis tribus theoriis ad quas ceterae omnes reduci possunt quae hucusque inventae sunt.

138. 1.° THEORIA PHYSICOCHIMICA REICITUR. Nam haec theoria admittere debet easdem prorsus vires naturales sibi relictas, duplicem et natura diversum habere operandi modum.

Atqui hoc est naturaliter impossibile.

Ergo theoria physicochimica est reicienda.

Consequentia patet. Minor evidens est. Siquidem eiusmodi vires non libere sed necessario et determinato modo operantur. Ergo nisi interveniat aliquod aliud principium quo dirigantur vel eleventur vel aliter modificentur, eosdem effectus deberent semper producere.

Maior per partes probatur. Quod modus operandi organismorum sit natura distinctus et irreductibilis ad modum operandi entium non organizatorum, constat ex thesi 2 (49-59).

Quod hic duplex modus operandi proveniat ex viribus physicochimicis communibus omni materiae, nullo alio interveniente principio quo eiusmodi vires dirigantur vel eleventur vel aliter modificentur, est ipsa assertio theoriae physicochimicae, quae, si ad structuram organismorum vel ad speciales condiciones chimicas materiae organizatae recurrat, iam suum deserit fundamentale assertum et ad alias theorias reducitur de quibus iam agendum est.

139. 2.° THEORIA MACHINALIS SEU ORGANICISTA REICITUR. Etenim theoria machinalis, quocumque modo proponatur, corpus vivum considerat *ut machinam* quandam, quae ope propriae et peculiaris structurae seu architectonicae configurationis et adhibitis tantummodo viribus physicochimicis omni materiae, etiam non organizatae, communibus, multiplicem activitatem in thesi 2 descriptam produceret.

Atqui haec assertio A) *nullo modo probatur;* et B) praeterea *plura facta inexplicata relinquit,* scientiis experimentalibus comprobata.

Ergo est reicienda.

Maior est definitio theoriae. *Consequentia* patet. *Minor* per partes demonstratur.

140. A) THEORIA MACHINALIS NON PROBATUR. Praecipuum, si forte non unicum, adversariorum argumentum consistit in comparatione organismorum cum machinis arte humana confectis, seu arguunt a pari.

Atqui a) etiamsi aliqua detur similitudo organismos inter et machinas; *b)* non tamen sufficiens est ad arguendum a pari; seu ad concludendum ex illa similitudine activitates organismorum omnes mechanice esse explicandas.

Ergo adversarii suam assertionem fundamentalem non probant.

Consequentia patet. *Maior* ex adversariorum libris atque ex ipso nomine theoriae constat. *Minor* per partes demonstratur.

141. a) *Aliquas dari similitudines* organismos inter et machinas, ultro concedimus. Praecipuae autem hae esse videntur:

1) Tum organismi tum machinae partibus constant heterogeneis, quae diversis sunt praeditae proprietatibus, atque ita inter sese apte complexae et adaptatae exsistunt ut organa constituant diversis destinata functionibus.

2) Tum organismi tum machinae, energiam ab extrinseco desumunt et in semetipsis diversimode transformant, ita ut in utrisque principium vigeat "conservationis energiae".

3) Tum organismi tum machinae, irritabilitate quadam praedita sunt qua reagunt contra stimulos externos, atque ita quidem ut saepe, tam in organismis quam in machinis, vis reactionis, stimuli initialis externi vim superet.

Sic evenit, exempli causa, in tropismis plantarum et in machinis cum, simplici et tenui levis partis pressione, maioris virtutis effectus determinantur. Saepe etiam energia accumulata, gradatim et ordinata serie reactionum exsolvitur, ut notum est in organismis et accidit etiam in machinis, exempli causa in horologio [3].

142. b) *Praefatae autem similitudines non sufficiunt ad arguendum a pari,* quia vigent tantummodo inter machinas et activitates illas organismorum quae in thesi 2 (59) secundo loco retulimus, nec ullo modo attingunt illas organismorum activitates quas specie vel natura sua ab activitatibus corporum non organizatorum diversas esse probavimus, in quibus profundissimae apparent dissimilitudines, quarum ecce praecipuas [4].

1) In machinis quo plus materiae et energiae extrinsecae illis praebetur, eo maior est quantitas materiae et energiae quae machina transformantur; e contra, in organismis tantum illae vires et materia atque in illa quantitate transformantur, quantum sufficit et requiritur ad conservationem individui et propagationem speciei.

2) Terminus activitatis machinae si ab ea aliquid producitur, semper est aliquid ipsi machinae extrinsecum; e contra organismus sua activitate semetipsum perficit.

3) Organismus sua activitate semetipsum paulatim construit iuxta typum fixum; machina e contra, ut activitates suas possit exercere, opus est ut praesupponatur iam complete exsistens.

4) Machina laesa non a semetipsa reficitur sed tantum ab exteriori artifice; organismus vero, casu vel ex intentione ab extrinseco laesus et mutilus, plerumque semetipsum reficit, vulnera reparat, et, si hoc impossibile evadat, nonnunquam in formam embryonalem reducitur ut iterum se regeneret (56-57).

Ergo, ex levibus similitudinibus cum magnis tamen dissimilitudini-

---

[3] GRUENDER, S. I., *Praelectiones psychologicae,* ed. ad usum privatum auditorum Universitatis S. Ludovici, p.25.
[4] GRUENDER, S. I., ibid., p.33.

bus coniunctis, quae organismos inter et machinas deprehenduntur, non licet activitates organismorum iuxta theoriam machinalem explicare.

143. B) PRAETEREA HAEC THEORIA PLURA FACTA INEXPLICATA RELINQUIT SCIENTIFICIS EXPERIMENTIS COMPROBATA. Etenim vel theoria machinalis recurrit *a)* tantum ad structuram organicam quae *microscopio observari* potest; vel *b)* etiam ad aliquam aliam intimiorem structuram *pure hypotheticam,* seu *metastructuram,* consistentem in peculiari quadam constellatione vel dispositione moleculari materiae viventis.

Atqui neutro modo facta organismorum scientifice comprobata valet explicare.

Non a) *primo modo.* Etenim 1) certo certius organismus non praeformatus continetur in cellulis germinalibus, sed paulatim epigenesi efficitur. Prius ergo exsistit activitas vitalis quam structura organismi. Ergo activitas vitalis nequit explicari ex sola structura organismi.

2) Dantur viventia, etiam animalia, quae cum organis differentiatis non polleant, sibi tamen data occasione illam organorum structuram quasi construunt, prout adiuncta in quibus versantur postulant [5].

3) Organizatione destructa, haec denuo reproducitur. Ergo structura organismi, cum in casu non exsistat, nequit esse causa processuum vitalium quibus pars organi amissa iterum reconstruitur.

Sed b) *nec secundo modo,* id est nec recurrendo ad metastructuram materiae protoplasmaticae, plura facta explicantur.

Nam 1) facta experimentalia quae iuxta hanc theoriam machinalem deberent evenire, non comprobantur; et praeterea 2) ea quae experimentis comprobantur nequeunt prorsus ab eadem explicari.

144. 1) *Facta quae deberent evenire non comprobantur experimentaliter.* Omnes enim qui ad structuram hanc intimiorem materiae viventis recurrunt, quomodolibet nomina et hypotheses multiplicent et varient, opus est ut admittant distinctas partes structurae unitatis viventis, ex quibus originem ducit organismus evolvendas esse diversimode ad diversas functiones vitales peragendas; secus enim iam non ad structuram seu architecturam materiae viventis recurritur, sed ad virtutem aliquam specialem, a structura distinctam; quo Theoria machinalis plane relinquitur.

Iam vero, iuxta theoriam machinalem de qua agimus, structura protoplasmatis cellulae germinalis, adhibitis viribus physicochimicis, in aliam structuram mutaretur respondentem secundo evolutionis ontogeneticae stadio. Structura autem propria huius stadii, pariter cum

[5] Cf. ROSSELL, *La crisis del materialismo:* Ibérica, t.19 p.154.

viribus physicochimicis, esset iterum ratio sufficiens structurae tertii stadii organismi sese evolventis, et ita porro. Igitur in unoquoque stadio evolutionis ontogeneticae, necessario singulae organismi partes essent determinatae ad functionem aliquam unicam exercendam, et ad se evolvendum determinato modo et fixa quadam directione, illa videlicet quam unice producere posset structura et conformatio uniuscuiusque stadii.

Atqui res prorsus aliter se habet; siquidem evolutio organismi non praecise structura singularum partium determinatur, sed conspiratione quadam omnium partium per modum unius versus bonum, scilicet constructionem et conservationem totius organismi, licet attenta diversarum partium structura aliter deberet evenire.

Sic, exempli causa, *in experimento Echini microtuberculati* (cf. th.2,57), ablata altera cellula ex ovulo in stadio evolutionis constituto, in quo duas tantum cellulas habet, vel nihil gigni deberet, vel dimidiata blastula, gastrula et pluteus et tandem dimidiatum tantum animal successivis stadiis deberent efformari, cum dimidiata tantum structura in illo fuerit relicta. Facta autem aliter se habent, nam integer, etsi minoris magnitudinis et roboris, resultat organismus, cuius ratio sufficiens in structura cellulae relictae nequit proinde inveniri.

Similiter persuadetur *ex factis transplantationis* (cf. th.2,57), cum partes transplantatae, saltem aliquando, non eas functiones exercere pergant ad quas vi propriae structurae determinatae erant quasque de facto exercuissent si a suo loco non fuissent semotae, sed functiones novo loco quem obtinent in organismo consentaneas; ita ut quaelibet pars possit fieri oculus, vel medulla spinalis, vel cerebrum, vel epidermis vel quodlibet aliud, prout fuerit locus in quem transplantata fuerit.

145. *Sed praeterea 2) facta quae experimentaliter comprobantur, in hac theoria nequeunt prorsus explicari.*

Etenim ut facta autoregulationis, regenerationis et transplantationis, quae in organismis comprobantur (cf. th.2,56-57), explicentur, opus




Fig.4 (ex DRIESCH, o.c., t.1 p.141)

est admittere, saltem quoad aliquos organismos in quibus experimenta facta sunt, potentiam vivendi atque sese evolvendi ordinatissimis processibus vitalibus versus conservationem individui, exsistere non modo in integro organismo, verum etiam in singulis partibus organismi cuiuscumque magnitudinis illae sint, scilicet (fig.4): tum in partibus aequalibus: V, V_1, V_2, V_3; tum in harum particulis subdivisis: 1/2 1/4 1/8... 1/100 V; tum in partibus inadaequate distinctis et se invicem partialiter continentibus: V, V_1, V_2; tum denique in partibus diversis atque inaequalis magnitudinis: W, X, Y. Atque etiam admit-

tendum est quamlibet partem organismi habere potentiam exercendi quamlibet functionem et sese evolvendi in quamlibet structuram, si a proprio loco separata in alium locum organismi transplantetur cui diversae functiones vitales respondeant.

Atqui hoc in theoria machinali, de qua agimus, physice impossibile est. Etenim est contra ipsum conceptum et essentiam machinae cuiuslibet, quod eius structura totalis reperiatur integra in quolibet frustulo ipsius ad libitum secto vel separato, atque etiam quod quaelibet pars, determinata et partiali structura gaudens, in alium locum machinae transportata et apposita, novi loci functiones proprias exerceat, illis relictis ad quas vi propriae structurae erat determinata.

Hoc autem esse impossibile, patet ex eo quod essentiale sit machinae habere diversas partes extra partes in trina dimensione spatiali sitas. Partes igitur quae ab aliis partibus separantur, nequeunt structuram aliarum habere, maxime si haec divisio non semel sed infinities peragatur in qualibet directione et magnitudine, et in quolibet evolutionis stadio.

146. 3.° Theoria biochimica reicitur. Biogena seu materia illa specialis quam, ab structura praescindens, haec theoria admittit, vel differt ex natura sua seu *substantialiter* a materia bruta, propria entium non organizatorum; vel tantummodo *accidentaliter,* ita ut tota ratio suae specialis activitatis consistat in aliquo accidenti vel complexu accidentium.

Si hoc secundum assumitur, haec theoria non explicat principium ultimum seu remotum vitae de quo in thesi agitur, sed tantum principium dat proximum.

Accidens enim vel complexus accidentium nequeunt esse principium remotum, cum accidens ex sua essentia sit propter substantiam et propriae exsistentiae in se rationem non habeat, sed tantum in substantia cui inhaeret.

Proinde opus est ut primum membrum dilemmatis admittatur, scilicet ut materia biogena dicatur substantialiter diversa a materia corporum non viventium, ac proinde constituta principio substantiali quod in materia non biogena non datur. Hoc autem *idem est quam admittere principium vitale* de quo agitur.

Ergo Theoria biochimica, si differt a duabus praecedentibus theoriis, vel tantum dat rationem immediatam, non ultimam, activitatum vitalium; vel iam principium substantiale aliquomodo admittit distinctum a viribus physicochimicis et structura organismi, scilicet ipsum vitale principium.

147. Obiectiones. 1. Pro theoria physicochimica. Per synthesim, ex substantiis anorganicis vel mineralibus de facto producuntur in laboratoriis chimicis substantiae organicae, quae antea credebantur tantummodo ex organismis posse originem ducere. *Ergo* admittenda est Theoria physicochimica.

Resp. 1.°: trans. ant.; et *nego cons.* et *consequentiam.* Etenim, quamvis verum omnino esset antecedens, nondum ex eo sequeretur consequens; siquidem fieri posset ut substantia quae per synthesim obtinetur sit organica, quoqumque sensu id accipiatur, quin tamen vivens sit seu operationes rerum organizatarum proprias eliciens. Unde claritatis gratia,

Resp. 2.°: dist. ant.: per synthesim, ex substantiis mineralibus producuntur in laboratoriis chimicis substantiae *organizatae* seu organismi, *nego;* substantiae *organicae,* seu pertinentes ad Chimiam carbonii, quae ab organismis etiam producuntur, *subd.:* ita ut in laboratoriis, non nisi dependenter ab arte chimici obtineantur, in organismis vero vivis naturaliter, *conc.;* ita ut eodem modo obtineantur, *nego.*

INST. Saltem natura ex solis substantiis chimicis, per diversas syntheses, gradatim organismos viventes efficit, qui iterum in elementa pure chimica resolvuntur. *Etenim* omnia elementa quae analysis chimica viventis invenit in organismis, *a)* pauca sunt et ex medio ambiente hauriuntur, ut carbonium, oxygenium, hydrogenium, nitrogenium et quaedam alia, ita ut *b)* detur quaedam materiae circulatio a mundo minerali ad plantas, a plantis ad animalia et hominem, et ab homine et animali iterum per bacterias illa elementa integra redigantur ad corpora non organizata, ut denuo circulum vitae instaurent sine fine. *Ergo* omnia explicantur per solas activitates chimicas.

Resp.: nego assertum; et ad probationem, quoad *a)* negatur pauca esse elementa inventa in analysi chimica materiae vivae, quae potius dicenda est materiae mortuae, cum plerumque saltem eiusmodi elementa non detegantur in materia dum vivit, sed postquam ipsa analysi materia vivens in non viventem convertitur. Saltem 60 ex elementis chimicis inventa sunt [6].

Quoad assertionem *b)* admittimus libenter ea quae de circulatione materiae a non viventibus ad viventia, et vicissim, dicuntur; negamus tamen activitates quae cernuntur in viventibus posse explicari tantummodo ex solis viribus physicochimicis elementorum, sine principio aliquo vitali substantiali.

INST.: *Atqui* principium vitale potest esse eiusdem ordinis chimici. *Etenim* specialis activitas quae in organismis prae aliis corporibus cernitur, tribui potest praesentiae enzymorum seu fermentorum organizatorum quae similia sunt "agentibus catalyticis" notis in Chimia anorganica, et reperiuntur passim in organismis, etiam intra cellulas, unde fermenta intracellularia dicuntur. *Ergo* inutile est principium vitale a viribus physicochimicis distinctum.

Resp.: nego min. sub.; ad probationem, admissa exsistentia enzymorum vel fermentorum in organismis, etiam fermentorum intracellularium, negatur eiusmodi fermenta sufficienter explicare activitatem vitalem.

---

[6] "Hoy se sabe que pasan de los 60 los elementos químicos hallados en los seres vivos, con datos cuantitativos en más de la mitad de ellos. Se comprende, pues, cómo el asunto ha tomado tales proporciones, que más bien hay que preguntar hoy cuál es el elemento que no se ha encontrado en el organismo de los seres vivos; y por lo mismo se explica que no falta quien busque, como A. VINOGRADOV, qué relación existe entre "la composición química elemental de los organismos vivos y el sistema periódico de los elementos." Sic. P. ED. VITORIA, S. I., *Los elementos quimicios y su oligodinamia en los seres vivos:* Memorias de la Real Academia de Ciencias y Artes de Barcelona, vol.28 n.4 p.7.

Nam etiamsi permitteretur singulas reactiones biochimicas, seu substantiae viventis cum substantiis pure chimicis, posse explicari legibus pure chimicis; directionis autem et coordinationis illarum virium, ex solis enzymis vel fermentis ratio ultima tradi prorsus nequit, siquidem de fermentis iterum quaeri posset, cur hoc pacto in organismis producantur et coordinentur.

INST. Tandem in illis proprietatibus materiae viventis ratio vitae reponenda est, in quibus vivens materia a non vivente distinguitur. *Atqui* vivens materia a non vivente distinguitur praecise per specialem complicationem chimicam moleculae protoplasmatis viventis. *Ergo* in hac speciali complicatione materiae vivae ratio vitae reponenda est.

Resp.: dist. mai.: in aliquibus tantum proprietatibus ratio vitae reponenda est, *nego;* in omnibus simul sumptis, *subd.:* ratio vitae proxima, *conc.;* ratio vitae ultima, *nego. Contrad. min.:* vivens materia a non vivente distinguitur praecise per specialem complicationem moleculae materiae viventis quae principium substantiale supponat distinctum a materia bruta, *conc.;* secus, *nego.*

148. 2. PRO THEORIA MACHINALI. Quo perfectiores sunt machinae, eo perfectiores producunt effectus. *Ergo,* ad explicandos perfectissimos et mirabiles effectus organismorum sufficit admittere organismos esse perfectissimas machinas, nec opus est principium vitale admittere a materia bruta eiusque viribus distinctum.

Resp.: dist. ant.: quo perfectiores sunt machinae, eo perfectiores producunt effectus, intra ambitum activitatis propriae machinarum, *conc.;* effectus perfectiores et extra ambitum activitatis propriae machinarum, *nego.*

Activitas quaelibet machinalis, quamtumvis perfecta supponatur, est semper activitas *transiens* ab una ad aliam partem machinae, non autem esse potest activitas a toto et in totum procedens qualem in thesi 3 (60-71) esse diximus activitatem organismorum. Aliis verbis: activitas machinarum nequit esse immanens, quia machina *non est unum per se* seu suppositum aliquod, sicut organismi sunt, ut constat ex sensu communi, et iam demonstratum est in thesi 5 (82-91). Ceterum disparitates quae dantur machinas inter et organismos, supra expositae manent (142).

INST.: Ut constat ex Stereochimia, diversis structuris molecularibus eorundem elementorum chimicorum, respondent proprietates diversissimae, ut apparet in tota Chimia carbonii seu organica. *Ergo* per structuram aptam, magis quidem complicatam et elaboratam moleculae viventis, poterit etiam explicari activitas peculiaris organismorum.

Resp.: dist. ant.: diversis structuris molecularibus respondent diversissimae proprietates ad eundem ordinem physicochimicum pertinentes, *conc.;* proprietates quae ordinem physicochimicum transcendant, *nego.;* et nego consequentiam, quia activitas organismorum propria, activitatem physicochimicam transcendit, quippe quae ad ordinem immanentiae pertingit.

149. 3. PRO THEORIA BIOCHIMICA. Nova scientia Biochimica seu Chimica physiologica, intimam constitutionem moleculae viventis investigans, saltem postquam ulterius progressa erit, rationem reddet omnium phaenomenorum vitalium.

Resp.: dist. ant.: Biochimia vel Chimia physiologica, quae videlicet peculiarem modum investigat, quo reactiones biochimicae, seu

substantiae viventis cum aliis chimicis substantiis, peraguntur, potuit eiusmodi reactiones substantiae viventis explicare, vel, saltem postquam ulterius progressa erit, poterit explicare, ita ut his tantum explicationibus omnes vitae causas attingat, *nego;* ita ut explicationibus, ad summum causas vitae proximas attingat, nullatenus vero causam ultimam, *conc.*

Non autem hic tantum causas proximas operationum vitalium quaerimus, sed etiam causas ultimas. Quamvis enim permittatur fore ut Chimia tempore labente possit rationem certam reddere reactionum biochimicarum uniuscuiusque moleculae viventis, attamen nisi aliquod aliud principium substantiale admittat, distinctum a viribus physicochimicis et structura molecularum organismi, nondum poterit rationem reddere phaenomenorum vitalium ut talium, quae consistunt in immanentia, harmonia et teleologia illa admirabili de qua in thesi 3 dictum est [7].

150. 4. DIRECTE CONTRA EXSISTENTIAM PRINCIPII VITALIS. Certo certius operationes vitales exsistunt in organismo, ut constat experientia. *Atqui* operationes vitales, tum experientia tum ex dictis in th.3, sunt immanentes seu fiunt ab eodem subiecto in quo recipiuntur. *Ergo* operationes vitales fiunt ab ipso organismo. *Atqui* si fiunt ab ipso organismo iam principium vitale ab organismo distinctum est superfluum. *Ergo* principium vitale ab organismo distinctum non est admittendum.

Resp.: admissa maiori et minori primi syllogismi, *dist. cons.:* operationes vitales fiunt ab ipso organismo, vivo et intrinsece constituto principio vitali, ab organismo vivo non adaequate distincto, *conc.;* fiunt ab organismo, quod consistat tantum in materia communi diversimode structurata, quodque intrinsece non constituatur et vivificetur a principio vitali, *nego.*

Et *contradist.* aliam *minorem:* si operationes vitales fiunt ab ipso organismo adaequate distincto a principio vitali, iam principium vitale est superfluum, *conc.;* si fiunt ab ipso organismo principio vitali intrinsece constituto et vivificato, iam principium vitale est superfluum, *nego.* Et sub datis distinctionibus, *nego. cons.* et *conseq.*

Bifariam enim potest intelligi organismus. *Primo,* ita ut intelligatur cum omnibus suis constitutivis intrinsecis, comprehendens proinde, iuxta ea quae in capite 3 dicturi sumus, materiam, organizationem accidentalem seu illam suppellectilem accidentium in qua consistit structuratio propria organismi, et insuper principium vitale quod sit forma substantialis corporis viventis. *Alio vero modo,* ita ut comprehendat tantum materiam cum praedicta organizatione, omni principio vitali destitutam, quemadmodum in cadavere reperitur.

Iam vero ultro fatemur principium *quod* vitae, seu suppositum vivens, esse organismum primo modo conceptum; negamus vero principium *quo* adaequatum vitae, esse organismum sive primo sive altero modo acceptum.

151. 5. EX "LEGE CONSTANTIS ENERGIAE". Admisso principio vitali, nequit vera esse "lex constantis energiae". *Ergo* principium vitale admitti nequit.

[7] Cf. ED. VITORIA *in opere* citato (n.154 p.78-89), *Los elementos químicos y su oligodinamia en los seres vivos,* ubi recensentur ea quae hucusque inventa sunt a cultoribus scientiae biochimicae.

Antecedens probatur, quia vel principium vitale influit in activitates materiae organismi, vel non influit.

Si primum, lex constantiae energiae non esset vera; si vero *secundum* dicatur principium vitale inutile esset ac proinde reiciendum.

Resp.: nego ant.; ad cuius probationem *dist. mai.:* principium vitale vel influit vel non influit, influxu non augente nec diminuente quantitatem universae energiae materialis, *conc.;* influxu augente vel diminuente quantitatem universae energiae materialis, *nego.*

Et *contradist. min.* quoad primam partem; si principium vitale influit in materiam influxu augente vel diminuente quantitatem universae energiae materialis, lex constantis energiae non est vera, *conc.;* si influit influxu nec augente nec diminuente energiam materialem, lex constantis energiae non est vera, *nego.*

Alteram partem minoris etiam *dist.:* si principium vitale nullo modo influeret esset inutile, *conc.;* si vere influat, quamvis non eo modo ut energia materialis augeatur vel diminuatur, *nego.*

Inst. Nequit fieri ut principium vitale influat quin energiam materialem augeat vel diminuat. *Ergo* nulla solutio.

Antecedens probatur, quia vel influxus principii vitalis novam inducit energiam et distinctam ab energia materiae communis, vel non. *Si primum,* energiam auget. *Si* vero *secundum,* iterum ut inutile est reiciendum.

Resp.: nego ant., ad cuius probationem, *dist. mai.:* vel principium vitale novam inducit energiam et distinctam ab energia materiae communis illam quasi creando et energiae materiae communis addendo, vel solum transformando tantum energiae materiae materialis, quantum aequivalet novae energiae, *conc.;* novam inducit energiam, praecise eam ex se producendo et quasi creando, *nego.*

Contradist. etiam *min.* quoad primam partem: si novam inducat energiam et distinctam ab energia materiae communis, eam quasi creando et ex se solo producendo, energiam materialem auget, *conc.;* si vero nova energia et distincta obtenta sit per transformationem energiae communis in energiam vitalem, servata aequivalentia quoad quantitatem, energiam universam auget, *nego.*

Secundum membrum *minoris* pariter *distinguo;* si principium vitale non induceret novam energiam et distinctam ab energia materiae communis, saltem per transformationem modo dicto, principium vitale esset inutile et reiiciendum, *conc.;* si novam energiam inducit et distinctam ab energia materiae communis quae nova sit saltem per transformationem, servata semper quantitatis aequivalentia, *nego.*

152. 6. Ab absurdo contra exsistentiam principii vitalis. Principium vitale esset aliquid supernaturale. *Atqui* hoc dicere est absurdum. *Ergo* absurdum est admittere principium vitale.

Resp.: dist. mai.: principium vitale esset supernaturale, hoc est, esset aliquid excedens vires naturae, *nego;* esset aliquid excedens vires materiae non organizatae, non autem vires organismorum quae omnino sunt entia naturalia, quamvis ordinis superioris ordine entium non organizatorum, *conc.* Et *contradist. min., nego cons.*

Inst. Saltem admittendum esset illud esse spiritum. *Etenim* inter materiam et spiritum non datur medium. *Atqui,* iuxta thesim, principium vitale non est materia. *Ergo* habendum esset ut spiritus.

Resp.: nego assertum; et ad probationem, *nego mai.* Etenim inter materiam et spiritum datur medium, scilicet, ens materiale, quod, cum

materia non sit, eo quod mole et quantitate immediate inhaerente sibi careat, tamen substantia est a corpore seu materia naturaliter dependens ac proinde materialis. Tale esse principium vitale organismorum ab homine distinctorum, postmodum demonstrabitur.

ARTICULUS II

DOCTRINAE CIRCA NATURAM PRINCIPII VITALIS ERRONEAE PER DEFECTUM

Thesis 10. Principium vitale 1) non est merum accidens nec 2) corpus aliquod, nec 3) entelecheia in sensu idealistico accepta.

153. Notiones. Opiniones quae circa naturam principii vitalis errant per defectum ad tres etiam reducuntur et in carmine theseos recensentur.

Prima est eorum opinio qui, licet admittant *principium aliquod* vitale, distinctum a structura organismi et a viribus physicochimicis materiae brutae, eisdemque aliquomodo superius, illud tamen non aliquid substantiale sed *merum accidens* esse profitentur, materiae communi inhaerens.

Huc referendi sunt illi omnes auctores, tum antiqui tum etiam moderni, qui vim vitalem specialem admittentes, substantiam corporum viventium non distingui a substantia corporum non viventium, sed unam eandemque esse, explicite asserunt; vel, obscure loquentes, id saltem innuere videntur.

Eiusmodi sunt, inter antiquos, HALLER, WOLFF, BLUMENBACH, TREVIRANUS, IOANNES MÜLLER, LIEBIG, BONNET, NEEDHAM, MAUPERTUIS.

Inter modernos hanc opinionem tenere videntur illi auctores qui ad vitam explicandam recurrunt ad diversas entitates viresque hypotheticas, quae processus vitales dirigerent et perficerent; quorum sententiae potius exsistentiae principii vitalis substantialis favere videntur. Quia tamen obscure et sine praecisione philosophica loquuntur, eorum interpretatio dubia est.

Altera est opinio eorum qui principium vitale *ut corpus* aliquod concipere videntur.

Sic, inter antiquos BACO DE BERULAMIO, GASSENDI multique atomistae. Inter modernos vero illi qui principium vitale tenent esse fluidum aliquod imponderabile, nerveum, magneticum vel electromagneticum.

Tandem tertia opinio est eorum qui, ut HANS DRIESCH [8],

[8] HANS DRIESCH, *Philosophie des Organischen* t.1 p.145, et alia opera eiusdem auctoris initio capitis citata.

postquam theorias antivitalistas invicte multis experimentis profligarunt, concludunt principium vitale esse *entelecheiam;* quam quidem non interpretantur ad modum animae materiam substantialiter informantis vel formaliter vivificantis iuxta doctrinam aristotelico-scholasticam; sed iuxta theoriam idealisticam quam DRIESCH expresse profitetur existimans *entelecheiam* quam admittit esse categoriam, kantianis categoriis addendam.

Quid PRINCIPIUM VITALE sit et quotupliciter sumi possit, scilicet, ut principium *proximum* vel *remotum,* ut principium *quod* vel *quo,* ex superioribus constat (124-125).

Quid ACCIDENS physicum sit, et quomodo ad substantiam se habeat, constat iam ex aliis tractatibus. Breviter hic *nomine accidentis* intelligimus, ens cuius quidditati debetur esse in alio tamquam in subiecto inhaesionis.

SUBSTANTIA vero est, ens cuius quidditati debetur esse non in alio. Atque hae notiones hic sufficiant, inferius, quando de substantialitate animae humanae in libro V agendum erit, plenius explicandae (352-353).

154. Sententiae. Thesis exprimit doctrinam communem omnibus philosophis aristotelico-scholasticis; et nobiscum sentiunt omnes qui errant per excessum de quibus agendum erit in thesi sequenti.

Adversarii supra relati sunt, quamvis forte plures quaestionem hanc expresse et clare sibi non proposuerunt, prout nobis hic proponenda videtur, ut omne effugium contra veram doctrinam deinde exponendam praecludatur. Thesim defendimus ut *certam.*

155. Probatio. PARS 1.ª PRINCIPIUM VITALE NEQUIT ESSE ACCIDENS.

ARGUMENTUM METAPHYSICUM. Principium vitale, de quo agitur, est principium ultimum seu remotum et intrinsecum organismo viventi.

Atqui nullum accidens potest esse principium ultimum seu remotum.

Ergo principium vitale nequit esse accidens.

Consequentia patet. *Maior,* ex definitione principii vitalis supra tradita et probata, in thesi 9 (134-152). *Minor* constat ex definitione accidentis. Etenim accidens est propter substantiam et naturaliter non datur nisi in substantia, cum sit modificatio quaedam substantiae, quae propriae agit per accidentia. Proprie enim loquendo, non vires vitales agunt, sed

substantia vivens per vires vitales agit, quas in se habere naturaliter exigit (130).

156. ARGUMENTUM PHYSICUM. Si principium vitale consisteret tantum in complexu proprietatum, activitatum vel virium mere accidentalium; vel subiectum substantiale horum accidentium ea naturaliter exigeret; vel non, ita ut respectu ipsorum indifferenter se haberet.

Atqui alterum dici nequit. Nam secus non explicaretur cur eiusmodi complexus proprietatum tantummodo inveniatur in frustulis decisis ex substantiis viventibus, seu aliis verbis: cur non detur generatio spontanea, quae certe non datur ut deinceps probabitur (Thesis 57, 664-675).

Etenim si principium vitale esset merum accidens vel complexus accidentium, inhaerens subiecto materiali constituto solummodo materia bruta seu communi; non explicaretur cur eiusmodi complexus accidentium non educeretur ex materia bruta qualibet, sicut in ea producuntur accidentia caloris et alia.

Si vero primum dicitur, scilicet, si substantia vivens exigentiam naturalem habeat complexus accidentium in quo principium vitale reponitur, iam haec substantia in semetipsa per hanc exigentiam differt a substantia materiae brutae quae hanc exigentiam naturaliter non habet, ac proinde ipsa esset principium vitale ultimum, quod consequenter accidens esse non potest.

157. PARS. 2.ª *PRINCIPIUM VITALE NEQUIT ESSE CORPUS.* ARGUMENTUM METAPHYSICUM. Principium vitale de quo agimus, est primum principium *quo* vitae, viventi intrinsecum, ut constat ex definitione (134).

Atqui primum principium *quo* vitae, viventi intrinsecum, nequit esse corpus aliquod.

Etenim aliquod corpus esset principium *quo* vitae, vel in quantum est corpus, vel in quantum est tale corpus.

Primum dici nequit, quia sequeretur omne corpus esse principium vitale, quod est contra thesim 4 (73-81) in qua demonstratur non omnia corpora vivere.

Si vero secundum dicatur, corpus erit principium vitale ratione illius proprietatis ope cuius est tale corpus.

Ergo haec proprietas esset principium vitale, quae tamen ut antea dictum est nequit esse accidens, sed substantialis sit oportet [9].

[9] Cf. *Sum. Theol.,* 1 q.75 a.1c.

158. ARGUMENTUM PHYSICUM. Si principium vitale esset corpus, influxus principii vitalis in activitatem corporis viventis seu organismi non posset esse nisi activus, seu in *genere causae efficientis;* et directio virium physicochimicarum organismi, non nisi *actione transeunte* a principio vitali ad organismum obtineretur, sicut motor mobile mechanice impellit et dirigit; nam hoc corpus, quod principium vitale supponitur, esset substantia completa.

Atqui hoc fieri non posse deinde in thesi sequenti demonstrabitur; et praeterea, qui hoc dicit redit ad theoriam machinalem vitae quam supra in thesi 9 (140-145) reiecimus.

Ergo nequit dici principium vitale esse corpus.

159. PARS. 3.ª PRINCIPIUM VITALE NEQUIT ESSE ENTELECHEIA IN SENSU IDEALISTICO ACCEPTA. Nam tota ratio negandi exsistentiam noumenalem seu realem, entelecheiae seu perfectionis, quae logice et vi factorum experimentalium ab adversariis admittitur, est agnosticismus kantianus qui ordinem noumenalem, ordini phaenomenali respondere negat vel dubitat.

Atqui, ut in Critica demonstratur, haec assertio kantiana ut absurda est reiicienda.

Ergo eisdem argumentis reiicienda est haec idealistica assertio, circa principii vitalis exsistentiam.

160. Obiectiones. CONTRA PRIMAM PARTEM. 1. Vita consistit in mirabili diversorum elementorum harmonia. *Atqui* harmonia elementorum non est aliquid substantiale, sed in dispositionibus tantum accidentalibus consistit. *Ergo* vita nihil substantiale importat.

Resp.: dist. mai.: vita in actu secundo seu activitas vitalis consistit tantum in harmonia diversorum elementorum, *trans.;* vita in actu primo, seu causa activitatum vitalium consistit tantum in harmonia diversorum elementorum, *nego.*

Exercitium vitae esse aliquid accidentale, non negamus. Sed quaestio est, non de exercitio vitae, sed de causis quibus hocce exercitium debetur.

INST. Principium vitale idem est ac vis vitalis. *Atqui* vis est accidens. *Ergo* principium vitale est accidens.

Resp.: dist. mai.: principium vitale est vis vitalis, si hoc nomine improprie loquendo, intelligitur principium et radix vis vitalis proprie dictae, *conc.;* est vis vitalis seu principium vitae proximum, *nego.* Et *contradist. min.:* vis proxima operandi seu principium proximum est accidens, *conc.;* vis ultima seu principium remotum saltem radicale est accidens, *nego.*

2. Substantia non est quod non subsistit. *Atqui* principium vitale non subsistit. *Ergo* principium vitale non est substantia.

Resp.: dist. mai.: substantia non est quod nullo modo subsistit, *conc. mai.;* substantia non est quod, quamvis in se non subsistat,

subsistit tamen in composito quod constituit, *subd.:* non est substantia completa, *conc.;* non est saltem substantia incompleta, *nego.*

Et *contradist. min.:* principium vitale nullo modo subsistit, *nego;* non subsistit in se sed saltem in composito quod constituit, *subd.:* si de principio vitali plantae vel animalis agitur, *conc.;* si de principio vitali hominis, *iterum subd.:* non subsistit perfecte, *conc.;* non subsistit saltem imperfecte, *nego.*

INST. Nulla est substantia materialis quae affinitates aliquas cum aliis substantiis pariter materialibus non habeat, ita ut cum eisdem combinationes chimicas inire non possit. *Atqui* principium vitale nullas habet affinitates, neque cum aliis substantiis chimicis combinari potest, ut per se patet. *Ergo* principium vitale non est substantia, sed purum accidens.

Resp.: dist. mai.: nulla est substantia materialis completa quae affinitates non habeat cum aliis substantiis completis quibuscum combinationes chimicae inire possit, *trans.;* nulla est substantia incompleta quae affinitates aliquas non habeat cum aliis substantiis, *subd.:* quae affinitatem aliquam non habeat cum aliis substantiis pariter incompletis quibuscum uniatur ad efformandas substantias completas iuxta theoriam hylemorphismi, *conc.;* quae praecise affinitates chimicas cum aliis substantiis non habeat quibuscum chimice combinetur, *nego.*

161. CONTRA SECUNDAM PARTEM. 1. Quaelibet substantia, aut est corpus, aut spiritus. *Atqui* principium vitale, saltem in plantis et animalibus, non est spiritus. *Ergo* est corpus.

Resp.: nego mai., vel claritatis gratia *dist.: quaelibet* substantia completa, vel est corpus, vel est spiritus, *conc.;* quaelibet substantia incompleta, vel est corpus, vel est spiritus, *nego.*

Potest enim dari substantia aliqua quae sit incompleta et intrinsece dependens a materia; quae proinde neque sit corpus, si nomine corporis intelligatur substantia completa; neque sit spiritus, cum spiritus definiatur per intrinsecam independentiam a materia.

INST. Inter substantiam et accidens non est medium. *Ergo* substantia incompleta repugnat.

Resp.: dist. ant.: inter substantiam transcendentaliter sumptam (quae nempe abstrahat ab eo quod sit completa vel incompleta) et accidens, non datur medium, *conc.;* inter substantiam praedicamentaliter sumptam, illam videlicet quae in praedicamento ponitur (in quo res ponuntur prout in rerum natura dantur, ac proinde in quo ponuntur substantiae completae) et accidens non est medium, *nego,* siquidem medium est substantia incompleta.

INST. Ratio substantiae stat in indivisibili, seu quod idem est, unam solam notam dicit, videlicet: esse in se. *Ergo* nequit dari substantia completa et incompleta.

Resp.: dist. ant.: ratio substantiae stat in indivisibili, quoad partem negativam, scilicet, in quantum omnis substantia non est in alio ut in subiecto ad modum accidentis, *conc.;* quoad partem positivam, scilicet, in quantum de ratione substantiae est ut sit ens in se vel propter se, *nego.*

Nam quamvis conceptus substantiae prius conveniat substantiae completae, nihil tamen prohibet quominus etiam conveniat partibus quibus substantia completa conflatur; quae, cum accidentia esse non

possint, ex accidentibus enim nequit substantia resultare, oportet ut substantiae sint vel, proprius loquendo, substantiales.

2. Principium vitale movet corpus contactu suo. *Atqui* contactus nequit dari nisi inter corpora. *Ergo* principium vitale est corpus.

Resp.: dist. mai.: principium vitale movet corpus contactu virtutis, hoc est corpus intrinsece, formaliter et substantialiter constituendo, atque ita vires corporeas elevando ad operandum vitaliter, *conc.;* movet corpus, contactu aliquo quantitativo et quasi propulsu aliquo mechanico ipsum determinando et dirigendo ad operationes vitales perficiendas, *nego* [10].

ARTICULUS III

Doctrinae circa naturam principii vitalis erroneae per excessum

Thesis 11. Prorsus reicienda est sententia eorum qui realitatem principii vitalis agnoscentes, illud esse existimant entitatem aliquam a corpore vivente adaequate distinctam, quae influxu proprio causae efficientis, sive inconscio sive conscio, vires physicochimicas communes omnibus corporibus apte applicaret et dirigeret ad operandum vitaliter.

162. Notiones. Carmen theseos breviter describit rationem vulgarem concipiendi naturam principii vitalis, quam etiam non pauci philosophi, saltem ob eorum inacuratam rationem loquendi, profiteri videntur.

Ad hanc rationem concipiendi entitatem et influxum principii vitalis, cuius exsistentia recte admittitur, logice ducit assertio, leviter a non paucis admissa, iuxta quam vires omnes quibus vita vegetativa perficitur essent mere vires mere physicae omnibus corporibus etiam non viventibus communes. Hoc enim admisso nihil iam principio vitali faciendum restat nisi eiusmodi vires applicare, promovere, compescere et dirigere, impulsu et actione propria causae efficientis.

Ad hanc directionem melius explicandam, aliqui principio vitali vegetativo, psychismum aliquem concesserunt, videlicet, cognitionem et appetitionem consciam. Plerumque tamen hanc directionem fieri dicitur caeco modo et inconscienter.

163. Status quaestionis. Supponimus demonstratam in thesi 9 realitatem principii vitalis. Principium vitale vere *esse causam,* atque aliquo modo in operationes vitae vegetativae influere, ex ipsa sua notione est manifestum et libenter admittimus. *Quinam sit eiusmodi influxus vere causalis* et quo pacto perficiatur, *nondum hic dicimus,* dicemus autem in

[10] Cf. *Sum. Theol.,* 1 q.75 a.1 ad 3.

articulo sequenti. Hic asserimus tantummodo hanc rationem concipiendi influxum principii vitalis de quo in carmine theseos, esse erroneam et penitus reiciendam.

Et quoniam ex iam demonstratis, tum in thesi 4 contra panpsychismum in genere (78, b), tum praesertim in thesi 6 (93-99), iam sufficienter constat nullam prorsus conscientiam dari in plantis, satis erit hic *influxum activum* refellere.

164. Sententiae. Ut adversarii theseos *antiqui* habendi sunt HELMONT (1644), qui principium vitale tenebat esse "fabrum archaeum", quasi directorem laboris vitalis in plantis exsistentem, vires physicochimicas materiae imperantem. Item CUDWORTH (1617-1688) qui principium vitale "mediatorem plasticum" appellabat; et praesertim medici scholae Montpelliensis quae saeculo XVIII floruit, qui suam exaggeratam sententiam *nomine vitalismi* designarunt, quo, *non sine periculo confusionis,* solet ab aliquibus appellari omnis doctrina quae realitatem principii vitalis admittit [11].

Alii vero qui potius *animistae* appellari malebant, ut PERRAULT et STAHL, principio vitali plantarum conscientiam concedebant, in hoc cum panpsychistis et psychobiologis convenientes, de quibus antea egimus (75).

Recentioribus temporibus influxum activum practice tenent omnes biologi qui principium vitale admittentes, theoriam scholasticam in articulo sequenti proponendam ignorant vel parvi faciunt; qui omnes non possunt non ad influxum activum recurrere. Huic sententiae quae nomine *interactionismi,* quando de homine agitur, speciatim designatur, multum favet conceptio cartesiana animae humanae; maxime vero possibilitas, imo et facilitas repraesentationis imaginariae eorum quae ab hac explicatione admittuntur, quae certe desideratur in vera

[11] Vox *Vitalismus* multiplicem significationem prae se fert in Philosophia. In quaestione psychologica praesenti potest sumi in *sensu stricto* et originario huius denominationis, inventae, ut videtur, ab auctoribus Scholae Montpelliensis praecipue a BARTHEZ, *Nouveaux éléments de la science de l'homme* (1775); et in *sensu amplo* quo solet quaecumque doctrina significari quae principium vitale admittat, quomodolibet ab ipsa explicetur. Multi ex auctoribus qui vitalismum spernunt et impugnant, hoc verbum in sensu exaggerato et falso scholae Montpeiliensis intelligunt. Quo fit ut faciliter inducantur ad credendum se, reiecto hoc vitalismo exaggerato, iam realitatem principii vitalis esse negandam. Ideo in hoc opere, ad vitandam confusionem, ab hac denominatione, ceterum ant quis ignota, praescindendum esse duximus.

Similia notanda sunt de verbo *animismo*, quod proprie significare deberet doctrinam veram quae, admittens principium vitale tenet illum esse animam in sensu aristotelico-scholastico. Usurpatum tamen fuit ab auctoribus in textu citatis ad doctrinam significandam quae etiam plantis animam conscientia praeditam tribuebant, et generatim adhibetur a cultoribus scientiae quae Anthropologia vel Ethnographia dicitur, ad significandam falsam et superstitiosam opinionem eorum qui credunt omnibus entibus naturae inesse animas anthropomorphicas.

explicatione in thesi sequenti propugnanda. Adversus eiusmodi sententias thesim defendimus ut *certam*.

165. Probatio. Theoria influxus physici activi asserit, A) principium vitale a materia distinctum, *materiam efficienter dirigere* ad operationes vitales perficiendas, sicut motor mobile dirigit; et consequenter, B) principium vitale, esse *substantiam completam* et in se subsistentem.

Atqui utrumque falsum est. Etenim,

A) *Nequit dici quod principium vitale efficienter agat in materiam organismi ad perficiendas vitales operationes.* Nam *a)* eiusmodi operationes essent *transeuntes* a principio vitali in materiam, sicut actio quae a motore in mobile procedit.

Ergo non essent immanentes organismo, et consequenter organismus per eas non viveret, quemadmodum nec vivit navis vento et a nauclero mota et directa; quia, ut supra, in thesi 3 (60-71), demonstratum manet, operatio vitalis est immanens.

Praeterea *b)*, scientia biologica, ut supra in thesi 2 (49-59) probatum est, nullam aliam organismorum activitatem vegetativam deprehendit, quam illam quae a toto organismo in totum organismum procedit et dirigitur.

Ergo haec activitas principii vitalis propria et distincta ab activitate materiae organizatae experientiae contradicit, nedum experientia comprobatur.

Tandem *c)* reiicienda est haec explicatio quia, negans immanentiam in activitate organismorum, et principium vitale contra experientiam exaggerato modo concipiens, amplam viam versus materialismum vel mechanicismum logice pandit, ad theoriam rediens machinalem, quae supra reiecta manet, in thesi 9 (134-152).

B) *Sed neque dici potest principium vitale esse substantiam completam et in se subsistentem.* Quia si principium vitale esset substantia completa, seu non intrinsece constituens organismum, sicut motor mobile non constituit, vel esset a) *corpus,* vel esset b) *spiritus;* non enim datur medium, si substantia completa supponitur.

Atqui a) non est *corpus,* ut supra probatum manet in thesi 10 (157-158); neque est *b) spiritus;* tum quia tunc difficilius explicatur influxus efficiens principii simplicis et spiritualis in corpus extensum et materiale; tum quia si esset spiritus conscientia gauderet, nullum enim spiritum cognoscimus qui non sit cognoscitiva substantia. Hoc autem dici nequit ut iam demonstratum est in thesi 4 (78,b) et in thesi 6 (93-99).

166. Obiectiones. Fere omnes biologi qui, principium vitale admittunt, illud concipiunt ut substantiam in se subsistentem et efficienter dirigentem activitates physicochimicas materiae. *Atqui* si ita est nequit dici hanc sententiam esse falsam, propter magnam auctoritatem scientificam auctorum qui eam propugnant. *Ergo* falsa est thesis.

Resp.: conc. mai.; et *nego min.;* nam auctoritas biologorum, qui veram Philosophiam ignorant, nulla est in hac quaestione de natura principii vitalis, quae tota philosophica est.

Unus tamen et quidem magni nominis biologus, scilicet, DRIESCH [12] ad sententiam nostram accedit, imo et penitus tenere videtur, principium vitale appellans cum ARISTOTELE, "entelecheiam"; etsi, doctrinis idealisticis imbutus, eam in sensu realistico non interpretetur, in quo manifeste errat.

INST. Ratio loquendi quam et sensus communis, et ipsi philosophi scholastici adhibent dum influxum principii vitalis exponunt, causalitatem efficientem et a principio vitali unice profluentem sonat. *Ergo* signum est rem ita se habere, vel saltem influxum efficientem non esse absurdum.

Resp.: conc. ant.; et *nego cons.;* quia quamvis ratio loquendi, adhibita saepe a multis neoscholasticis, dum realitatem principii vitalis defendunt vel materialistas impugnant, causalitatem efficientem sonare videatur: attamen non ita loquuntur, cum accuratius de natura principii vitalis disserunt, et si ita loquerentur omnino relinquendi essent.

Fatendum tamen est nostram theoriam, quam statim proponemus, obscuriorem esse quam interactionismus, cuius asserta possunt imaginatione quodammodo repraesentari; dum e contra nostra explicatio tantummodo intellectu concipi potest. Cum autem causalitas efficiens melius sensibus percipiatur quam formalis, inde fit ut ad hanc causalitatem declarandam saepe cogamur metaphorice loqui.

Aliae difficultates possunt proponi contra hanc thesim, quae potius thesim sequentem impetunt, in qua proponentur et solventur.

CAPUT III

Vera doctrina circa naturam vitae vegetativae

ARISTOTELES, *De anima,* I c.3.4 et 5; S. TH., in *De anima,* lect.6.10 et 13; 2 CG c.82 et 88 et 4 c.39; *Sum. Theol,,* 1 q.75 a.1 et 2; q.77 a.1 et 5; I d, q.4 a.2; *Quodlibet.* 10 a.5; *De anima,* a.12 et 19; SUÁREZ, *De anima,* I c.2 et 3; II c.1; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.697-699; PESCH, *Institutiones psychologicae* p.457-470 n. 359-374; SCHAAF, *Institutiones psychologiae,* p.110-143 n.90-124; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* I p.146-155 n.110-114; GREDT, *Elementa philosophiae,* I p.348-356 n.441-453; PALMÉS, art. *Vitalismo:* Enc. ESPASA, p.2.ª

167. Nexus et capitis divisio. Reiectis iam, in duobus praecedentibus capitibus, doctrinis certo falsis circa realitatem et naturam principii vitalis vitae vegetativae, vera iam ipsa doctrina in hoc capite exponenda et tuenda venit. Proponemus 1.° ea quae quoad con-

---

[12] HANS DRIESCH, *Philosophie des Organischen,* I p.145.

stitutiva substantialia viventis vegetativi *ab omnibus scholasticis et neoscholasticis teneantur,* deinde seu 2.° aliquas *quaestiones complementarias* et solutiones ipsis dandas commemorabimus, quarum aliquae inter scholasticos controvertuntur.

ARTICULUS I

DE CONSTITUTIVIS SUBSTANTIALIBUS ENTIS VEGETATIVI

Thesis 12. Principium vitale ultimum vitae vegetativae 1) est forma substantialis 2) materialis corporis vita vegetativa praediti, quod 3) vere et proprie anima dicitur.

168. Notiones. Quid veniat nomine principii et PRINCIPII VITALIS eiusque divisiones, antea dictum est (134). Maxime in hac quaestione prae oculis habenda est divisio principii in principium *quod* et principium *quo,* de quibus etiam antea (125) dictum est.

FORMA SUBSTANTIALIS est substantia incompleta, quae aliam substantiam pariter aliquomodo incompletam, scilicet materiam actuans et intrinsece afficiens, corpus naturale seu substantiam completam materialem, formaliter et intrinsece constituit in aliqua specie determinata naturae.

MATERIALIS *est forma,* quae etsi a materia distincta, ab ea tamen pendet et in essendo et in operando, ita ut a materia separata subsistere non possit, nec ullas habeat operationes a se tantum procedentes.

Vox ANIMA, illa est quam aristotelico-scholastici constanter adhibuerunt ad principium vitale de quo agitur designandum.

169. Status quaestionis. Non agitur de principio *quod* vitae per modum suppositi, neque de principio *quod* per modum *naturae* operationes vitales efficiente; sed de principio *quo,* et quidem ultimo, viventi intrinseco, quod sit ratio ultima et radix omnium operationum suppositi viventis vegetativi ut talis, ope cuius hoc ad suas operationes vitales perficiendas intrinsece capax redditur. Dicimus vitae vegetativae ut talis, videlicet quatenus huiusmodi vita communis est omni viventi corporeo, ut constat ex thesi 7; et unica est, seu ab omni alia vita separata, in plantis, ut demonstratum est in thesi 9.

Asserimus ergo 1.° principium vitale esse formam sub-

stantialem corporis viventis vita vegetativa; omissis tamen hic ulterioribus quaestionibus quae inter aristotelico-scholasticos in disputationem adducuntur. *Praesertim praescindimus* hic a quaestione de unicitate formae.

Sive enim principium vitale sit forma substantialis unica materiam primam immediate actuans, quod verius existimamus; sive tantum mediate eam informet iam aliis formis substantialibus subordinatis informatam; stat assertio praesens; quae tamen semper supponit materiam organismi esse saltem aliquatenus incompletam in sua entitate substantiali, eamque intrinsece compleri per principium vitale, iuxta systema hylemorphismi generatim sumpti.

Asserimus 2.° hanc formam substantialem in viventibus pure vegetativis, non esse spiritualem, sed materialem.

Tandem 3.° addimus eiusmodi formam substantialem materialem omnino proprie et vere nomine anima donari.

170. Sententiae. *Thesim tenent* omnes omnino scholastici, ARISTOTELEM sequuti, qui auctor est theoriae hylemorphicae, qua omnium corporum, tum viventium tum non viventium constitutio explicatur, tamquam casus particularis theoriae generalis actus et potentiae.

Thesim negant, vel saltem non profitentur eo quod systema scholasticum ignorent vel non capiant, praeter negantes realitatem principii vitalis, illi omnes qui de ipsius natura sententias tenent, quas in articulo praecedenti exposuimus et confutavimus.

171. *Thesim defendimus* ut omnino certam, quoad *secundam* et *tertiam* assertionem. Quoad *primam partem* in qua asseritur principium vitale esse formam substantialem, thesim, in actuali statu scientiae tum experimentalis tum philosophicae, existimamus esse *tenendam;* non tamen eo quod in *semetipsa certa* sit, sed eo quod volenti philosophice explicare naturam vitae, nulla alia suppetat theoria quae non sit certo falsa.

Eam *in se certam* esse dicere non audemus, tum propter obscuritatem rei adeo a sensibus remotae; tum maxime quia, licet omnes aliae theoriae hucusque propositae sint certo falsae, attamen non nobis *certo* constat fieri non posse ut inveniatur aliqua theoria nobis hucusque ignota, quae saltem cum probabilitate vitam valeat philosophice explicare.

Ideo qui hylemorphismo irridere audent, vel ipsum ut obsoletum vel falsum reiciunt, vix possunt a nota summae levitatis se purgare, cum respuant explicationem philosophicam vitae *unicam hucusque quae certo falsa non* sit in statu actuali scientiae psychologicae, antequam aliam afferre possint qua melius vitam explicent,

172. Probatio. 1.ª PARS. PRINCIPIUM VITALE EST FORMA SUSTANTIALIS.

PROBATUR 1.° DEDUCTIONE EX THESIBUS PRAEVIE STATUTIS. Nam, si principium vitale exsistit, ut probatum est in thesi 9, vel est *substantia* vel *accidens.*

Si *substantia,* vel est *completa* vel *incompleta.*

Si *completa,* vel esset *corpus,* vel *forma assistens* transeunter agens in corpus.

Si vero *incompleta* vel esset *materia prima,* vel *entelecheia in sensu idealistico,* vel vera *forma substantialis* realiter exsistens.

Haec *maior constat* ex sufficienti enumeratione.

Atqui principium vitale non est accidens, ut constat ex thesi 10. *Ergo* est substantia.

Atqui non est substantia completa; siquidem neque est corpus, ut constat ex eadem thesi 10; neque forma assistens transeunter agens in corpus, ut constat ex thesi 11. *Ergo* est substantia incompleta.

Atqui non est materia prima; cum materia prima vel identificatur cum corpore, si non est absolute prima; vel, si est absolute prima, ex definitione, nequit esse principium activum et radix positiva proprietatum et perfectionum viventis.

Ergo est forma substantialis, seu *entelecheia,* non in sensu idealistico accepta, in thesi 10 improbato, sed in sensu reali iuxta theoriam hylemorphismi.

173. PROBATUR 2.° RATIONIBUS DIRECTIS ET POSITIVIS. Illa theoria prae aliis admittenda est, 1) quae in se nihil contineat absurdi, dum aliae de eadem re falsae esse demonstrantur; 2) quae, saltem cum probabilitate, rationem reddere valeat eorum quae obscura sunt et difficilia; et 3) quae positive et cum satisfactione explicet praecipua facta, scientia experimentali comprobata.

Atqui sic se habet theoria quae admittit principium vitale esse formam substantialem viventis.

Ergo haec theoria est admittenda.

Consequentia patet. *Maior* in dubium revocari nequit, et de facto nihil amplius exigi posse videtur a quacumque theoria. *Minor* declaratur per partes.

1) *Nihil in se continet absurdi, dum aliae falsae esse demonstrantur. Primum* constat a fortiori ex rationibus quibus in Cosmologia, hylemorphismus in corporibus non organicis a difficultatibus liberatur, imo et suadetur; et constabit ex

solutione difficultatum quae contra praesentem assertionem proponi possunt.

Alterum, scilicet, alias theorias falsas esse, in thesibus praecedentibus articuli 2 demonstratum est.

2) *Quod nulla sit difficultas contra realitatem principii vitalis,* quae commode et saltem cum probabilitate in hac theoria non solvatur, non autem semper in aliis theoriis ab hac distinctis, constat ex solutionibus dandis ad difficultates a materialistis propositas in thesi 14, quae plerumque nullam aliam solutionem patiuntur extra theoriam a nobis propositam.

3) *Tandem quod facta praecipua* et ab omnibus admittenda utpote experimentaliter comprobata, positive et cum satisfactione explicet, patet percurrendo facta multiplicia charasteristica vitae organicae generalis, quae descripta manent in thesi 5.

Praesertim vero hac theoria explicatur *immanentia teologica* quae resplendet in mirabili unitate et harmonia omnium activitatum simul exsistentium; atque etiam mirabilis directio teleologica omnium activitatum cuiuscumque temporis respectu futurae evolutionis organismi.

Illa enim *immanentia teleologica,* qua partes non nisi ut *partes totius* et in *bonum totius* agunt, iuxta typum specificum *supponit evidenter a)* unam tantum esse naturam seu substantiam in singulis organismis; quod quidem, si insuper admittitur ut admittendum est iuxta thesim 9 et 10, principium vitale substantiale a materia distinctum, explicari nequit nisi admittatur duplex hocce principium substantiale coire ad unam tantum naturam seu substantiam completam efformandam, iuxta theoriam quam propugnamus.

Supponit etiam b) organismum esse *unum per se ens, integrale, substantiale,* seu unum individuum sive suppositum, quemadmodum in thesi 5 (82-91) contra Colonistas demonstravimus; hoc autem admissis praesertim theoriis actualibus circa constitutionem materiae communis, nequit aliter explicari nisi per unitatem formae substantialis, omnes partes organismi viventis substantialiter informantis.

174. 2.ª PARS. PRINCIPIUM VITALE EST FORMA SUBSTANTIALIS MATERIALIS. Etenim natura principii vitalis non nisi ex operationibus agnosci potest (127).

Atqui omnes operationes plantarum sunt prorsus materiales.

Ergo principium vitale vegetativum est materiale.

Minor constat: *a)* ex observatione activitatis plantarum, quae versatur circa materiam quam vivens vegetativum sibi assimilat vel a se abicit, ut constat ex thesi 2; et quae non nisi a diversis partibus materialibus et extensis organismorum exercetur, ut constat ex scientiis biologicis.

Praeterea, *b)* si aliquae darentur in plantis operationes spirituales seu a materia intrinsece independentes, essent operationes consciae seu psychicae.

Iam vero, ut probatum manet un thesi 4 et in 6, operationes consciae seu psychicae in plantis, nullae prorsus dantur.

175. 3.ª PARS. PRINCIPIUM VITALE SUBSTANTIALE VERE ET PROPRIE ANIMA DICITUR.

QUOD VERE vox anima adhibeatur ad designandum principium vitale corporum viventium, patet ex ipsa definitione animae comparata cum natura principii vitalis in prima parte theseos demonstrata.

Duplex de anima definitio tradita est ab ARISTOTELE, ab omnibus scholasticis admissa; *altera* praevia ad omnem investigationem circa naturam animae et ab omnibus admittenda, quaecumque sint opiniones circa eius naturam; *altera* exprimens eius naturam iam cognitam investigatione philosophica.

Primo modo anima definitur ab ARISTOTELE[1]: "Id quo vivimus, sentimus, locomovemur et intelligimus primo". Scilicet: anima est id quo primo seu quod est primum principium, *quo* omnes operationes vitales efficimus. Vivere enim hic significat vitam vegetativam.

Ut patet, eiusmodi definitio ab omnibus admitti potest et debet, cum praescindat saltem verbo tenus ab omni ulteriori quaestione de natura animae, et convenit principio ultimo operationum vitalium quodcumque illud sit, quod, realitate admissa operationum vitalium, non potest non dari, quidquid sit de eius natura,

Alio modo ab ipso ARISTOTELE[2] definitur anima ut "actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis".

Actus significat formam, omnis enim actus est forma; et sic distinguitur a materia quae est potentia, et a corpore; quod, licet sit compositum ex actu et potentia, non est actus, cum natura sua non ordinetur ad actuandum aliud subiectum.

Dicitur *actus primus,* quia est forma substantialis nullum alium actum superiorem praesupponens. Sic distinguitur ab *actibus secundis* quae sunt accidentales, ut potentiae operativae et habitus, qui licet actus primi dici possunt respectu operationum, at respectu substantiae non sunt nisi actus secundi.

Actus primus corporis excludit quamcumque aliam formam mere praesentem vel assistentem corpori, quae non esset nec substantia incompleta nec forma substantialis.

Dicitur *corporis physici,* scilicet, naturalis, ad excludendum corpus artificiale; et *corporis organici,* scilicet, organizati seu organis diversis praediti.

Tandem verba: *potentia vitam habentis,* significant quod corpus

---

[1] ARISTOTELES, *De anima,* II c.2 (414a-12-14).
[2] ARISTOTELES, *De anima,* II c.1 (412a27).

ex materia et anima constitutus potens evadit exercendi operationes vitales [3].

Iam vero, per se patet eiusmodi definitiones animae *vere* exprimere naturam principii vitalis, iuxta rei veritatem, ac proinde, vere principium vitale nomine anima designari.

QUOD AUTEM PROPRIE, imo proprius quam nomen principium vitale ad hoc designandum vox anima adhibeatur, constat ex eo quod non omne principium vitale est anima, licet omnis anima est principium vitale. "Anima enim, ut ait ANGELICUS [4], dicitur esse primum principium vitae in his quae apud nos vivunt; animata enim viventia dicimus, res vero inanimatas, vita carentes". Omnia viventia etiam Deus et angelus principium vitae habent, sed non omnia viventia principio vitae donantur *quod sit anima,* sed tantum viventia corporea.

Ideo *proprius* et *exactius,* principium vitale de quo Psychologia agit, *anima* vocatur; quamobrem in posterum semper hoc nomen usurpabimus.

176. Obiectiones. 1. Thesis supponit theoriam hylemorphicam de compositione corporum. *Atqui* haec theoria aristotelica ab scholasticis olim accepta, hodie prorsus reiicienda est. *Ergo* similiter reiicienda est thesis proposita. Ita ad mentem TONGIORGI [5].

Resp.: dist. mai.: thesis supponit theoriam hylemorphicam de constitutione corporum saltem in viventibus *conc.;* etiam in aliis corporibus non viventibus, *subd.:* supponit, eo sensu ut melius defendatur, *conc.;* eo sensu ut abiicienda sit haec theoria in corporibus viventibus, si falsa demonstretur in non viventibus, ***nego. Contradist. min:*** haec theoria aristotelica ab scholasticis accepta prorsus reiicienda est, quoad corpora non viventia, *trans.;* quoad corpora viventia, *neg.*

Sunt enim speciales rationes ad sustinendam hanc theoriam in viventibus corporibus etiamsi haec non staret quoad corpora non viventia; illae, videlicet, quas in probationibus attulimus, petitae ex autoteleologia et ex immanentia viventis, quae in corporibus non viventibus non valent.

Ceterum, negamus prorsus theoriam hylemorphicam, non obstantibus scientiarum physicarum et chimicarum progressibus, esse absurdam imo probabilitate non gaudere, etsi minore quam in viventibus corporeis; de qua re videndae sunt theses cosmologicae.

Nec absurda sunt ea quae, ut consectaria doctrinae aristotelico-scholasticae a TONGIORGI, loco citato, proponuntur; nec ad sustinendam hanc thesim opus est admittere elementa chimica non manere formaliter in composito, cum hic omnino praescindamus a quaestione ulterius discutienda, utrum videlicet principium vitale informet

---

[3] Ad ulteriores explicationes huius definitionis aristotelicae de quibus inter scholasticos disputatur, videri potest optimum commentarium P. URRÁBURU, *Institutiones philosophicae, Psychologia,* p.1.ª p.137-153.

[4] *Sum. Theol.,* 1 q.75 a.1 initio. Cf. opusculum *De potentiis animae,* c.1 initio.

[5] TONGIORGI, *Institutiones philosophicae,* III n.33.

immediate materiam primam seu materiam omnino incompletam, vel tantum materiam aliquam relative incompletam, ut constat ex dictis in statu quaestionis.

Sic schola scotistica, qui thesim nostram sustinet, admittit principium vitale materiam informare iam in esse corporis constitutam forma corporeitatis.

177. 2. Omne vivens est movens seipsum. Omne *autem* movens seipsum in duas partes dividitur, quarum una est movens, altera mota. *Ergo* organismus vivens duplici constat parte, videlicet principio vitali quod movet, et corpore sive materia, quae, sicut quodlibet mobile a motore, sicut navis a nauta, sicut chirotheca a manu, ita ab illo movetur.

Resp.: conc. mai; dist. min.: omne movens seipsum *mechanice*, in duas partes dividitur, quarum una est movens, altera mota, *conc.;* omne movens seipsum *vitaliter* et *immanenter*, in duas partes dividitur quarum una est movens et altera mota, *subd.:* agendo de viventibus simplicibus et non corporeis, *nego;* agendo de viventibus corporeis, *iterum subd.:* quarum altera sit movens in genere causae efficientis et altera mota praecise per receptionem actionis transeuntis a principio movente profluentis, *nego;* quorum altera sit movens, quatenus est principium radicale potentiae vel vis motivae quae oritur in corpore ab illo substantialiter et in natura formaliter constituto, ita ut, non anima sed tantum corpus animatum et vivum vim habeat efficientem semetipsum movendi seu motus recipiendi a semetipso productos, *conc.* Cf. ea quae in articulo 3.° de influxu principii vitalis exponemus (182).

Inst. Doctrina theseos supponit ex duabus substantiis fieri posse unam tantum substantiam. *Atqui* hoc est absurdum. *Ergo* doctrina theseos admitti nequit.

Resp.: dist. mai.: doctrina theseos supponit ex duabus substantiis *completis* fieri unam substantiam completam, *nego;* ex duabus substantiis *incompletis* fieri unam substantiam completam, *subd.;* quae sit una *unitate compositionis, conc.;* quae sit una *unitate simplicitatis, nego.* Et *contradist.* minore, *nego cons.* et *consequentiam.*

178. 3. Ad vitam vegetativam explicandam duo tantum requiruntur et sufficiunt, scilicet: *vires* physicochimicae communes omnibus corporibus etiam non viventibus; et *directio* activitatum harum virium a principio vitali proveniente. *Atqui* haec duo dari possunt quin admittatur principium vitale esse formam substantialem viventis vegetativi. *Ergo* thesis non probatur.

Resp.: nego maiorem et *minorem.*

Maiorem negamus quia praeter vires physicochimicas mundi ambientis, requiruntur etiam vires viventi intrinsecae ordinis superioris, quae identificari non possunt cum viribus pure physicochimicis communibus omnibus corporibus.

Negamus etiam directionem virium physicochimicarum posse provenire ab anima immediate, seu non mediis potentiis vitalibus; quae quidem licet ab anima radicaliter procedant, non sunt tamquam in subiecto in ipsa anima sed tantum in corpore vivente, materia et anima constituto.

Si principium vitale dicitur influere in vires physicochimicas, sive immediate per suam entitatem, sive per potentias vel vires quae sint

tamquam in subiecto in ipsa anima, nulla virtute accidentali admissa in corpore, hic influxus non potest esse nisi in ordine *causae efficientis,* et per actionem *transeuntem* ab anima in vires *physicochimicas* materiae, quod supra in thesi 11 (162-166), ut falsum reiectum est.

ARTICULUS II

QUAESTIONES QUAEDAM COMPLEMENTARIAE

179. 1.ª Quotuplex sit principium vitale in unoquoque individuo vivente vita vegetativa. Nomine individui viventis vita vegetativa intelligimus suppositum hac vita praeditum quod potest esse planta, vel animal vel homo. Quoniam nunc agimus de vita vegetativa, *quaestio praesens* est tantum utrum, praecise ratione huius vitae, sitne in unoquoque vivente admittendum unum dumtaxat principium vitale vel plura.

Ut huic quaestioni respondeamus, distinguendum est inter principium vitale substantiale seu *ultimum,* et principia vitalia *proxima* seu accidentalia vitae vegetativae, quae vires vel potentiae vegetativae dicuntur (128 131-132). Huiusmodi principia proxima seu potentiae, plures iuxta omnes esse possunt. De illis infra in quaestione 3.ª et 4.ª dicemus.

Principium autem vitale vegetativum substantiale et ultimum, quod *anima vegetativa* recte dicitur (175) et ut forma substantialis suppositum vivens vegetativum in sua determinata specie constituit (174), iuxta omnes scholasticos *unicum est in unoquoque supposito vivente* vita vegetativa. Unitas enim et solidaritas operationum vegetativarum suppositi, unicitatem animae specificae requirit; et vicissim hac animae vegetativae unicitate, ratio redditur propter quam partes adeo diversae viventis vegetativi unum per se constituat, unumque suppositum vivens ut dictum est in thesi 5 (82-91).

Sunt tamen inter neoscholasticos psychologos nonnulli, nec innobiles, qui existiment, praeter principium vitale substantiale et ultimum quod specificum dicitur, alia quoque plura et innumera admittenda esse censeant, totidem videlicet quot cellulae sunt organismi. Huiusmodi principia substantialia, *formae citodynamicae* vel *cytologicae,* atque etiam *animae cytologicae* dicuntur.

Hanc opinionem probabilius improbandam esse existimamus, tum propter eius incohaerentiam cum doctrina in hoc opere tradita, tum etiam et maxime propter validas rationes ex Metaphysica petitis, auctoritate S. THOMAE roboratas, quas plene et melius adducemus in *Cursu* postquam in fine libri V de hominis substantiali constitutione egerimus.

180. 2.ª Utrum anima vegetativa plantarum simplex sit vel composita, seu partibus constans. Quaestio est, non de simplicitate animae *quoad eius essentialem perfectionem,* quam anima vegetativa sicut et quaelibet alia forma substantialis, tribuit composito quod constituit. Nec quaestio est de *simplicitate excludente partes essentiales* constitutivas animae per modum actus et potentiae, in quo sensu anima vegetativa simplex quoque dicit potest. Sed *agitur tantum* de *simplicitate excludente partes integrantes et quantitativas,* undecum-

que huiusmodi partes proveniant, sive anima eas habeat ex semetipsa sive a quantitate corporis quod informat. Quaestio igitur est utrum anima vegetativa quae, ut in thesi 12 (168-178) probatum manet, materialis est, seu tum in operando tum in essendo a materia intrinsece dependens, et, ut verbis utamus S. THOMAE, "penitus in materia immersa", *quatenus corpus quantum et extensum informat,* sit necne simplex simplicitate excludente partes integrantes extensas, ac proinde ea simplicitate vel compositione quae ipsi competeret, *non directe* et *per se,* sed *indirecte* tantum et *per accidens,* seu ratione corporis extensi quod constituit.

Quaestio inter scholasticos tum antiquos tum modernos controvertitur. Dicendum esse videtur animas plantarum esse extensas seu partibus integrantibus constare, non quidem ratione sui seu *per se,* sed *per accidens,* videlicet ratione materiae quam informant.

181. 3.ª Quot et quaenam sint potentiae vegetativae realiter inter se distinctae. Solutione affirmativa supposita, quaestionis generalis et fundamentalis (131) circa necessitatem et realitatem potentiarum accidentalium in genere, ad rationem reddendam operationum cuiusque naturalis vitae, et sub luce *normae generalis* communiter admissae ab omnibus scholasticis ad potentias inter se distinguendas, iuxta quam potentiae specificantur per actus, actus autem per obiecta, non materialia sed formalia, de qua supra etiam (132) dictum est, tenendum est, cum doctrina communi veterum atque etiam generatim neoscholasticorum, tres esse potentias vegetativas *realiter a substantia viventi distinctas: nutritivam* nempe, *augmentativam* et *generativam.*

Quod etiam eiusmodi potentiae *inter se realiter* distinguantur, seu quod idem est, quod operationes harum potentiarum specifice seu *realiter* differant, inter scholasticos controvertitur. Affirmat distinctionem realem S. THOMAS[6] quem communiter sequuntur philosophi scholastici. SUÁREZ[7] autem, si agitur de distinctione reali, tenet *augmentativam potentiam* non realiter distingui a nutritiva; nec desunt qui omnes potentias vegetativas realiter identificari cum nutritiva asserant. Nulla tamen efficax ratio cogit ad deserendam in hac re, quae ceterum parvi momenti esse videtur, sententiam S. THOMAE[8] qui hanc rationem reddit: "Vegetativum... habet pro obiecto ipsum corpus vivum per animam, ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem per quam esse adquirat, et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero per quam corpus adquirit debitam quantitatem, et ad hoc ordinatur vis augmentativa. Alia vero per quam corpus viventis salvatur et in esse et in quantitate debita, et ad hoc ordinatur vis nutritiva".

182. 4.ª Quodnam sit subiectum potentiarum vitae vegetativae. Cum huiusmodi potentiae sint accidentia, merito quaeritur quodnam sit ipsarum subiectum, an videlicet sit ipsa anima vegetativa cuius dicuntur potentiae, vel e contra corpus vivum seu animatum, intrinsece anima constitutum.

Sententia communis est subiectum harum potentiarum non ani-

[6] *Quaest. disp. De Spiritualibus creaturis,* c.ult., *Sum. Theol.* 1 q.77 a.1 et 2; *De anima,* a.13.
[7] SUÁREZ, *De anima,* II c.10 n.17.
[8] 1 q.78 a.2. Cf. 2 CG c.58; *De anima,* a.13.

mam vegetativam esse, sed compositum substantiale ex anima et materia, seu corpus vivum. Et merito quidem; quia eius est potentia cuius est operatio. Operationes autem vegetativae, ut supra dictum est, non efficiuntur ab anima, neque in anima; sed tantum a corpore et in corpore vivo. "Potentiae illae, scribit S. THOMAS[9], quarum operationes non sunt solius animae sed coniuncti, sunt in organo sicut in subiecto, in anima autem sicut in radice". Potentiae ergo seu vires vegetativae *sunt quidem animae*, quia ab anima profluunt seu *ab anima* vegetativa sunt. *In anima* autem sunt tantum *radicaliter* et *exigitive; formaliter* autem seu quoad suam entitatem, sunt tamquam in subiecto tantum in corpore vivente vita vegetativa, materia quidem et anima intrinsece constituto.

---

[9] S. TH., *De spiritu alibus creaturis*, a.14 ad 3. Cf. etiam *Sum. Theol.* 1 q.77 a.5 et 6; I d., 17 q.1 a.4c; II d., 44 q.2 a.1c; *De anima*, a.13; *In De anima*, lect.2.6.8.

LIBER IV

De natura vitae sensitivae

183. Nexus cum praecedentibus. Studium vitae sensitivae aggrediens, oportet ut in mentem revocet nonnulla quae iam in libro II et III demonstrata sunt; quae quidem, utpote omni vitae corporali communia, etiam vitae sensitivae conveniunt, nec hic denuo tractanda sunt.

Exsistentia vitae sensitivae in animalibus iam supra in thesi 7 (100-107) demonstrata est. In homine autem, utpote quae eiusmodi vita immediate, experientia uniuscuiusque apprehenditur, non indiget demonstratione.

Remanet igitur tantum natura vitae sensitivae, animali et homini communis, in hoc libro IV investiganda; eamque considerare intendimus, non tantum in animali, nec tantum in homine, sed *ubicumque illa inveniatur,* ut satis indicat huius libri titulus, qui generatim de natura vitae sensitivae inscribitur, omnem vitam sensitivam complectens.

184. Novus fons novaque methodus investigandi. Quod quidem nobis, in speculatione philosophica, iuxta veram methodum Psychologiae de qua in thesi 1 (26-34) semper in experientia inniti volentibus, *novum fontem novamque methodum* cognitionis experimentalis praebet, quibus penitus privaremur, si tantummodo de vita sensitiva animalium ageremus quae non nisi observationi obiectivae subicitur.

Cum enim vita sensitiva, quatenus in homine datur, patens sit observationi subiectivae, seu introspectioni uniuscuiusque, hanc nobis methodum observandi etiam adhibere licet ad multa de natura vitae sensitivae sciscitanda.

Et cum vita sensitiva perfectissime reperiatur in regno animali, seiuncta a vita rationali, quacum in homine permixta exsistit, commodum etiam erit eam in animali considerare, ut ipsius limites et distinctio a vita rationali hominis propria cognoscamus.

185. Ordo expositionis in hoc libro tenendus. Ut igitur in exponenda doctrina de natura vitae sensitivae ordinate procedamus, ex his quae nobis notiora ad ea quae minus nota sunt et tantum ratiocinio philosophico assequi possumus, in capite I et praeliminari, aliqua in memoriam revocabimus quae nobis suppeditant scientiae experimentales biologicae.

In capite II, *naturam substantialem entis sensitivi,* eiusque influxum causalem consideramus in operationes omnes vitae sensitivae.

Eiusmodi operationum *causas proximas,* sciscitamur in reliquis libri capitibus.

Causis proximis investigandis *operationum cognoscitivarum,* duo capita dicamus. In III enim ea exponuntur quae tum ex experientia, tum ex doctrina philosophica generali praerequiruntur, ut in capite IV *theoriam tenendam* de cognitione sensitiva tueamur.

Reliqua libri capita, de singulis aliis operationibus vitae sensitivae pertractant. Agitur enim in V, de *tendentia;* in VI, de *locomotione animali;* in VII, de *sentimento;* et tandem in VIII, de *instinctu animali* qui veluti compendium est totius vitae sensitivae.

CAPUT I

Prologomena ad studium naturae vitae psychicae

Ad descriptionem vitae psychicae, et ipsius studii systematizationem didacticam. PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* ed.4.ª (Edit. Balmes), c.2 et 4. *Ad structurationem entis sensitivi,* ibid., c.8; GRASSET, *Introduction physiologique à la Psychologie* (Alcan, Paris 1908); NAGEL, *Handbuch der Physiologie des Menschen,* III et IV (1909); VIAULT-JOLYET, *Fisiología humana* (Barcelona 1909); WUNDT, *Grüdzuge der physiologischen Psychologie,* t.1; GLEY, *Tratado de Fisiología* (Barcelona 1914); POIRER et CHARPY, *Traité d'anatomie humaine* (1912); TESTUT, *Tratado de anatomía humana,* 8.ª ed. (Salvat, Barcelona 1931) t.2 et 3; LÓPEZ PRIETO y GARCÍA URÍA, *Anatomía funcional del sistema nervioso vegetativo* (Valladolid 1947); MC DONALD et CHUSID, *Compendio de neuro-anatomía y neurología funcional* (Morata, Madrid 1954); GRUENDER, *Experimental Psychology* (Milwaukee, New-York 1932), p.22-32; MOORE, *Cognitive Psychology* (Philadelphia, Linpincott C°, 1939); PUJIULA, *Biología moderna* (Barcelona 1949); Encyclopedie française, t.4, *La vie.*

186. Capitis divisio. Studium vitae psychicae aggredienti praebenda est 1.° descriptio quaedam phaenomenologica generalis huius vitae ut ipsi innotescat de quo agendum est. Opus est 2.° ut in hac vita descripta distinguantur distincti adspectus qui fundamentum esse possint ordinis in expositione tenendi, tum in hoc, tum in sequenti libro vitae rationali dicato. Insuper utile erit in memoriam revocare illius qui huic studio operam dat, ea quae circa structurationem corpoream et descriptionem organorum sensuum didicisse supponitur in praevio studio scientiarum biologicarum et Psychologiae experimentalis [1].

[1] Brevitati consulentes, in hac *Summa* descriptio generalis structurae corporeae entis sensitivi, praesertim ipsius systematis nervei omittitur, quae ceterum videri potest vel in articulo 3 huius capitis in *Cursu psychologiae,* vel in operibus in bibliographia citatis, et quantum sufficit ad doctrinam quae hic traditur intelligendam, supponi potest ex praevio studio scientiarum biologicarum.

ARTICULUS I

Praevia et generalis vitae psychicae phaenomenologica descriptio

187. Vita psychica et vita vegetativa. Activitates quae psychicae dicuntur, licet in viventibus corporeis activitates vitae vegetativae supponunt, sine quibus nec in animalibus nec quidem in homine dari possent, sunt tamen activitates vitales omnino distinctae ab omni activitate vitae vegetativae. Activitas enim psychica vitalis est, non modo quia tantum in ente vivente reperitur, sed etiam quia huic activitati competit illa immanentia perfecta per quam iuxta thesim 3 (60-71) omnis vita definitur. Vere enim iuxta Suárez [2] ens naturale hac activitate praeditum "ex suae naturae institutione et ab intrinseco seipsum movet et ad complementum suae perfectionis adquirendum in se ipso operatur". Ideo communiter eiusmodi activitas nomine vitae donatur, ut cum loquimur de vita interiori, de vita intellectuali, voluntatis, sentimenti, et de vita mentali seu spirituali.

Ut igitur ordinate procedamus, *vitam psychicam* describemus primo A) quatenus *vita* est, deinde B) quatenus *psychica*.

188. A) **Vita psychica ut vita.** Activitas psychica secum fert mutationem et incessabilem renovationem adspectuum, quibus, brevi tempore evanescentibus, alii sine intermissione succedunt, ut quisque in semetipso introspectione experitur.

Eiusmodi diversi adspectus vel phaenomena, etiam in sermone vulgari, nominibus designantur diversis pro ipsorum diversitate, exempli causa, nomine sensationum, perceptionum, imaginationum, conceptuum, idearum, desideriorum, volitionum, sentimentorum, emotionum et aliis innumeris diversissimisque vocabulis. Haec vocabula in lexicis cuiusque idiomatis colliguntur, quin ullum fortasse sit idioma adeo perfectum et abundans quod immensam diversitatem horum animi motuum potuerit propriis et distinctis nominibus significare.

189. Analogiae vitae psychicae cum vita physiologica. Quae cum ita sint, iam neminem latet quanta sit analogia quae intercedit inter vitam physiologicam et psychicam, cum per hanc, accessione novarum perfectionum paulatim construatur *synthesis psychica* uniuscuiusque propria, sicut per illam construitur ipsius *synthesis physiologica* et corporea.

[2] Suárez, *De anima,* I c.1 n.3.

Licet igitur distinguere in activitate vitae psychicae processum quendam *adquisitionis* et *assimilationis* similem nutritioni entis vegetativi; etsi terminus huius processus, qui in planta est ipsius substantia, in vivente psychico tantum in adquisitione accidentalium perfectionum consistat.

Similiter datur etiam in ente vita psychica praedito, maxime in homine, processus similis *augmentationi* et structurationi vitae vegetativae, qua personalitas psychica evolvitur et construitur.

Nec deest in vita psychica processus quidam *generationis*. Exercitio enim vitae psychicae, maxime in ente rationali, multa ad ordinem cognitionis et tendentiae et sentimenti producuntur quae antea non erant; quibus homo, ope praesertim locutionis, sive oralis sive scriptae, valet aliorum mentes fecundare, easque efformare, cum ipsis communicando perfectiones sive proprio sive antecessorum studio adquisitas, ordinis scientifici, moralis, socialis, politici, culturalis et religiosi.

190. B) **Vita psychica ut psychica.** Si autem vita psychica non in fieri sed in facto esse, nec quatenus vita est, sed *quatenus psychica* dicitur, consideretur, aliquid omnino prae se fert quod nullatenus in vita quae psychica non sit invenitur, per quod proinde ab omni alia vita prorsus distinguitur. Talis enim vita essentialiter secum fert, tamquam aliquid sibi identificatum, *aliquam sui experientiam*. Ens enim vita psychica plene constituta gaudens, illam non nisi *experiendo exercet*, illamque *exercendo experitur*, ita ut huius vitae exercitium ab ipsius experientia separari nequeat; secus enim non iam de vita psychica, sed de vita tantummodo physiologica ageretur, vel tantum de activitatibus ad vitam psychicam in *fieri* consideratis quae, ut productio specierum impressarum, non formaliter sed tantum *reductive psychicae* dici possunt, quatenus ad vitam psychicam producendam proxime ordinantur.

Insuper ope facultatis reflectendi et introspiciendi, valet homo exercitium vitae psychicae propriae melius cognoscere, et in eo, mera observatione phaenomenologica seu independenter ab omni ratiocinio philosophico, multa apprehendere et detegere, quae sine hac facultate reflectendi supra proprias activitates psychicas, ipsi ignota manerent, sicut ignota manent animalibus intellectu carentibus, et pueris ante usum rationis.

In hac igitur cognitione reflexa, vere experimentali et intuitiva innixis, nobis licebit detegere quinam sint characteres essentiales vitae psychicae quatenus psychicae et in facto esse consideratae. Sunt autem a) *intentionalitas* et b) *conscientia*, de quibus singillatim nonnihil et tantum in genere hic est dicendum; cum graves quaestiones quae praesertim ad con-

scientiam spectant, non nisi post studium accuratum vitae rationalis resolvi possint.

191. *a)* **Intentionalitas vitae psychicae.** Primus igitur et magis notus vitae psychicae character est *intentionalitas,* quo nomine illam proprietatem designamus vi cuius semper in actuali exercitio vitae psychicae experimur aliquod *obiectum* nobis apparere quod obicitur *subiecto* vitam psychicam exercenti illamque experienti. Hoc subiectum proinde illud *intendit, sive ipsum apprehendendo* sibique repraesentando, *sive ipsum appetendo* vel versus illud tendendo.

Hocce obiectum potest apprehendi *ut intrinsecum vel ut extrinsecum* subiecto vitam psychicam exercenti; potestque apparere subiecto ut aliquid *cum ipso realiter identificatum, vel ut aliquid ab ipso distinctum;* semper tamen apparet subiecto ut terminus suae activitatis psychicae et tamquam ab ea aliquomodo distinctus et independens; habensque proinde in se realitatem aliquam, antecedenter ab activitate psychica qua subiectum illud apprehendit vel versus illud dirigitur.

Intentionalitas ergo, *consistit in experientia huius dualitatis obiecti et subiecti* ipsorumque mirabilis relationis, quae nunquam deesse potest in vita psychica, sive in illa cognitio sive tendentia praeponderet. Impossibile enim est capere quid sit cognitio sine subiecto cognoscente et sine obiecto cognito; nec quid sit tendentia sine subiecto quod tendat et sine obiecto versus quod tendat. Adspectus autem affectivus seu sentimentalis vitae psychicae, qui *sentimentum* dici solet, non est ex se et formaliter intentionalis, nisi ratione cognitionis vel tendentiae, quarum est tantum merus modus ut postea demonstrabitur in capite VII huius libri, thesi 29 (290-304).

192. *b)* **Conscientia vitae psychicae.** Non minus essentialis est vitae psychicae in facto esse consideratae, quam intentionalitas hucusque descripta, alius character quem nomine *conscientia* designamus; quae quidem consistit in *relatione inter activitatem psychicam ipsam et subiectum quod illam exercet ipsamque exercendo experitur.* Est nempe ipsa *immanentia* vitalis activitatis psychicae intentionalis, consistens in experientia ipsa eiusdem, de qua ante dictum est (190).

Activitates vitae vegetativae et pure physiologicae sunt etiam immanentes viventi ipsas exercenti, non autem ab illo ipsarum experientia habetur nec cognoscuntur. E contra exercitium vitae psychicae ita subiectum hac vita operans afficit, ut ab illo aliquo modo cognoscantur, *non praecise cognitione reflexa,* sed *congnitione in ipsa activitate psychica imbibita.*

Hoc genus conscientiae, essentiale est vitae psychicae, nec ab eius intentionalitate separari potest; propterea *conscientiam essentialem* vocabimus. Potest etiam conscientia *fundamentalis* dici; quia fundamentum necessarium est aliarum

activitatum psychicarum cognitionis, quae non sine periculo confusionis, nomine etiam conscientiae donantur, ut sunt *conscientia moralis* et *conscientia reflexa*.

Conscientia enim *moralis* nihil aliud est quam dictamen rationis practicum de moralitate propriarum actionum, quod sine experientia psychica propriarum actionum evidenter impossibile est.

Conscientia autem, psychologica quidem, sed *reflexa,* est congnitio intellectualis qua propriae activitates psychicae *explicite* et *formaliter* apprehenduntur, introspiciendo supra ipsas. Quae quidem reflexio supra proprias activitates psychicas, *nec est essentialis* vitae psychicae, cum saepe hac exsistente non habeatur; nec nisi in homine est possibilis. Propterea eiusmodi conscientia, *eventualis* dici potest.

Atque haec nunc dixisse sufficiat de conscientia ut nota characteristica vitae psychicae. Quae quidem praemittenda omnino erant ut in studio vitae sensitivae quae vere psychica est, tuto progredi possemus; deinde tamen ulterius evolvenda et complenda in libro V, post studium vitae rationalis.

ARTICULUS II

VITAE PSYCHICAE GENERALIORES PARTITIONES

193. Multiplex vitae psychicae consideratio possibilis. Immensa vitae psychicae ubertas et complexitas, multiplicibus se praebet adspectibus intellectui nostro, eam scientifice cognoscere conanti; qui quidem, licet admodum diversi sint, ad eamdem tamen realitatem pertinent omnino unam, semperque unitario modo operantem, prout supra dictum manet (189).

Cum igitur intellectus humanus ea condicione sit ut simul et quasi uno intuitu omnia quae in realitate exsistunt cognoscere non valeat, cogitur in ea distinctos adspectus partiales praevie distinguere, eosque in certas categorias disponere, ut gradatim, ordinate et methodice in studio rei adeo complexae paulatim progredi possit.

Inter multiplices partitiones vitae psychicae quae proponi possent, tres sunt quae maxime conferunt *ad ordinandum nostrum studium* et in ipsa natura vitae psychicae fundantur.

Imprimis enim vita psychica, sicut quaelibet vita potest considerari, ut iam dictum est supra (61), in *actu primo* et in *actu secundo.*

Praeterea vita psychica, ut ex dictis (92) constat alia est *sensitiva,* alia *intellectiva* seu *rationalis.*

Maximi momenti sunt divisiones vitae psychicae in experientia interna fundatae, quam in articulo praecedenti descripsimus.

Eiusmodi autem generales adspectus ad quattuor commode reduci posse videntur. Sunt autem iuxta ordinem nostrae cognitionis enumerati: 1.°, *obiectum;* 2.°, *subiectum activitatis psychicae;* 3.°, *activitas ipsa vitae psychicae;* et 4.° *huius activitatis accidentariae modificationes vel affectiones.*

Singillatim unumquemque ex his adspectibus declarabimus, nonnihil innuentes de ulterioribus partitionibus vitae psychicae sub unoquoque ex illis, post ipsorum accuratum studium non pauca addituri.

194. 1.º Vitae psychicae obiectum. Adspectus obiectivus vitae psychicae primus est qui perspicitur, et ab eo ceteri derivantur adspectus.

Obiecta enim quae activitate psychica praebentur, alicui praebentur; ideo *obiecta* vocantur quia quodammodo obiciuntur alicui, quod per contrapositionem *subiectum* appellatur. Hoc subiectum, ex cognitione obiecti, ad propriam activitatem psychicam cognoscendam ducitur, quae diversimode exercetur ipsumque diversimode afficit.

In hac enim dualitate et oppositione, obiecti videlicet et subiecti, illa vitae psychicae nota characteristica consistit, quam nomine *intentionalitatis* designavimus (n.223).

Obiectum vero vitae psychicae licet saepe singulariter exprimatur, non unicum est, nec semper idem, sed multiplex et diversum. Obiecta enim in vita psychica continuo mutantur sibique perpetuo succedunt ut supra dictum est (n.220). Alia enim sunt obiecta *a)* quae a perceptione sensitiva vel ab imaginatione praebentur; et alia quae *b)* intelligendo vel ratiocinando cognoscimus.

Quod autem obiectum appellavimus a nonnullis modernis psychologis aliis etiam nominibus donari solet. Conscientiam sibi fingentes tamquam capacitatem aliquam spatialem, obiectum considerant ut aliquid in illa *contentum* cum quadam maiori claritate et stabilitate. In locutione ordinaria nominibus grammatice substantivis, designari solet; appellatione autem generali, obiectum quod descripsimus dicitur *contentum conscientiae (contenido de conciencia;* gallice, *contenu;* italice, *contenuto;* anglice, *content;* germanice, *bewustsseinsinhalt).*

195. 2.º Vitae psychicae subiectum. Subiectum aliquod dari in exercitio vitae psychicae, ex ipsius *intentionalitate* etiam consequitur; et illud, saltem in homine adulto, constanter apparere ut obiecto oppositum, nemo est qui neget, quidquid sit de aprioristica opinione multorum, deinceps in thesi 20 (348-372), accurate perpendenda et tamquam absurda reicienda, quae subiecti realitatem negat.

Interdum advertere sufficiat eiusmodi subiectum, quod ab homine adulto clarissime apprehenditur dum operationes psychicas aliasque ad proprium suppositum pertinentes sibi attribuit, non posse non dari etiam in bruto animali atque in puero ante usum rationis; tum quia absurdum est admittere operationes aliquas quin quidquam sit quod operetur; tum etiam quia, sin minus reflexa conscientia saltem conscientia essentiali et fundamentali ab illis practice et exercite apprehendi dicendum est, quae in ipsa vita psychica imbibitur.

Ceterum, huius apprehensionis indicium certum habetur in ipsa ratione agendi et reagendi animalis et pueri practice suis motibus

distinguentium operationes quae a proprio supposito efficiuntur, ab aliis quae a rebus ipsis extraneis procedunt.

Subiectum autem vitae psychicae, quatenus experientiae nostrae obiectivae subicitur, est semper in *aliquo ente corporeo* diversimode structurato, vel est ipsum ens corporeum quod animal est vel homo.

De illo, ante omnem considerationem philosophicam circa eius naturam, quae resolvi non posset ante studium operationum ipsius, quaeri merito potest, num praeter materiam et structurationem ipsius, constet necne etiam aliquo principio substantiali et ultimo, a materia distincto, scilicet, utrum admittenda sit *realitas animae sensitivae*.

Sub duplici ergo adspectu considerandum venit subiectum vitae psychicae, nimirum: a) *sub adspectu corporeo;* et b) *sub adspectu principii ultimi et substantialis,* corpus sensitivum constituentis, seu animae sensitivae.

196. 3.° Activitas psychica. Tertius vitae psychicae adspectus, in *ipsa operatione psychica* in se spectata consistit, estque ipsum vitae psychicae exercitium formaliter seu quatenus tale consideratum; quod quidem ut supra dictum est (192) cum ipsa *conscientia fundamentali* seu essentiali identificatur, in qua alterum characterem essentialem huius vitae consistere diximus (190). Eiusmodi activitas, quae ut aliquid intermedium inter obiectum et subiectum concipitur, est relatio quaedam transcendentalis inter utrumque, quam duplicem esse clara introspectione perspicimus.

Vi enim huius activitatis aliquando obiectum apprehenditur a subiecto, non quidem realiter, sed in illius similitudine intentionali, qua subiectum induitur per operationem quae *cognitio* dicitur.

Aliquando vero, e contra, hac activitate, subiectum quasi fertur versus obiectum praevie apprehensum, sed non ut intentionaliter apprehensum, sed ut reale et extra cognitionem exsistens, ut patet in operatione psychica quae *appetitio* vel tendentia dicitur. Atque haec tendentia psychica saepe etiam *motu locali* membrorum protenditur ad ipsum assequendum si conveniens sit; vel ad ipsum respuendum, si sit inconveniens.

Apte, igitur, activitas psychica intentionalis adaequate dividitur a) in *cognitionem,* et b) *tendentiam.*

Ambae activitates psychicae, cognitionis nempe et tendentiae, *unicae sunt proprie* et *immediate intentionales;* quia in relatione consistunt inter obiectum et subiectum. A modernis psychologis nomine *functionum* designari solent, et ab obiectis, seu *contentis conscientiae* (194) recte distinguuntur, eo quod tantum fugaciter et modo minus stabili in conscientia apparent, et non nisi per obiecta apprehenduntur.

Recte etiam functiones vocantur, quia munere funguntur obiecta praebendi, vel circa obiecta exercentur. Nec sine fructu moderni psychologi vestigia antiquorum prementes, ipsis studere nituntur, cum in illis praesertim vita psychica consistat. Nec cum obiectis sunt confundendae; nam, licet nullum obiectum apparere potest introspectioni sine aliqua functione qua vel cognoscatur vel appetatur; tamen, et unum idemque obiectum potest diversis functionibus subiici (possunt enim ipsum simpliciter apprehendere, de eo iudicare, ipsum appetere vel respuere); et unum idemque genus functionum (ut, exempli causa, iudicium ferre vel ratiocinari, vel eligere) circa diversissima obiecta exerceri potest.

197. 4.° Modificationes affectionesque accidentales vitae psychicae. Tandem quartus adspectus vitae psychicae, qui etiam ex eius nota essentiali quam *conscientiam* diximus dimanat, et ad quem cetera omnia quae introspectione perspicimus reduci possunt, omnes modificationes complectitur ipsius vitae psychicae, quae nec semper nec eadem intensitate ipsam iam plane constitutam comitantur et accidentaliter modificant diversissimis affectionibus. Eiusmodi modificationes et affectiones vitae psychicae ad *tria capita* praecipua reduci posse videntur. Sunt autem: a) *attentio,* b) *habitus,* et c) *sentimentum,* seu affectus vel emotio.

Huius partitionis fundamentum et legitimitas, quae hic tantum ad nostram tractationem ordinandam proponitur, patebit ex doctrina *circa* naturam horum adspectuum vitae psychicae suo loco tradenda.

198. Conspectus praecedentium divisionum.

A) Omnis vita psychica est vel ...
- *a)* tantum sensitiva.
- *b)* tantum intellectiva seu rationalis.
- *c)* sensitiva et rationalis.

B) Quaecumque illa sit, considerari potest vel ....
- *a)* in actu primo.
- *b)* in actu secundo.

C) Quod si in actu secundo consideratur et phaenomenologice inspicitur, in ea apparent quattuor, scilicet ....
- 1.° obiectum vel
  - *a)* concretum materiale.
  - *b)* abstractum immateriale.
  - *c)* utrumque.
- 2.° subiectum vel ....
  - *a)* corporale et observatione obiectiva apprehensum.
  - *b)* psychicum et observatione subiectiva apprehensum.
- 3.° activitas psychica, quae erit vel ....
  - *a)* cognitionis.
  - *b)* tendentiae.
- 4.° Modificationes accidentales huius activitatis vel ....
  - *a)* cognitionis (attentio).
  - *b)* tendentiae (habitus).
  - *c)* utriusque (affectus).

CAPUT II

De constitutivis substantialibus entis sensitivi deque ipsorum causalitate in operationibus vitae sensitivae

ARISTOTELES, *De anima*, I c.5; II c.6 et 12; *De sensu et sensato*, c.1; S. TH., *In de anima*, I lect.12; II lect.13 et 24; *Sum. Theol.*, 1 q.75 a.3; q 77 a.5 et 6; *De anima*, a.19; 2 CG c.67 et 82; *In De sensu et sensato*, c.1; SUÁREZ, *De anima*, II c.3; III c.4; DM d.18 s.3 n.20; URRÁBURU, *Psychologia*, I p.806-843; PESCH, *Institutiones psychologicae*, I p.247-260 n.193-202; PALMIERI, *Institutiones philosophicae*, *Anthropologia* (1875) p.279-307; BALMES, *Filosofía elemental*, Estética, c.6; *Filosofía fundamental*, l.2 c.2; SCHIFFINI, *Metaphysica specialis*, I p.132-150 n.76-95; BOEDER, *Psychologia rationalis*, p.16-28 n.29-46; MENDIVE, *Psychologia* (1887) p.40-48 n.63-73; MERCIER, *Psychologie* (ed.7.ª) I p.219-224 n.93-97; DE BACKER, *Psychologia* (1899) p.136-146; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis* (1912) I p.178-192 n.129-134; FRÖBES, *Psychologia speculativa* (1927) I p.51-75; DONAT, *Psychologia* (ed.8.ª) (1936) p.55-66 n.80-89; PÉREZ ARGOS, *Psychologia speculativa humana*. Facultas philosophica matritensis (1949) p.41-53; MORÁN, *Psychologia* (México 1949) I p.175-208 n.210-246; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (2.ª ed. 1948) p.104-119 n.71-80; MARC, A., *Psychologie réflexive* (1948) I p.92-102; SALIS SEWIS, *Della conoscenza sensitiva* (1881); MOORE, *Dynamic Psychology* (1924) et *Cognitive Psychology* (Philadelphia 1939); WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (Herder 1952) p.21-25 n.31-36; IDEM, *Alma y espíritu* (Madrid 1953) c.4; BRENNAN, R., *Psicología general* (versio hisp. 1952).

199. Quaestiones in hoc capite exponendae. Priusquam peculiare studium aggrediamur diversarum specierum operationum vitae sensitivae ipsarumque principiorum proximorum, opus est 1.° problema praevium resolvere de *realitate principii ultimi substantialis* vitae sensitivae, seu quod idem est, de realitate animae sensitivae, contra *materialistas;* tum 2.°, contra *spiritualistas exaggeratos, materialitatem operationum sensitivarum, et animae* pure sensitivae tuebimur; et 3.° nonnihil dicemus de *natura influxus animae sensitivae in operationes sensitivas.* Huiusmodi quaestiones momentum prae se ferunt gravissimum, ipsarumque solutiones diversae totam psychologiam, etiam humanam, pervadunt, ansam praebentes diversis conceptionibus circa naturam tum animalis, tum hominis, ipsorumque activitatum.

ARTICULUS I

DE REALITATE ANIMAE SENSITIVAE

Thesis 13. Omne vivens sensitivum praeter materiam cum sua structuratione, praeditum est anima sensitiva.

200. Notiones. VIVENS SENSITIVUM est ens quodlibet naturae quod *vita sensitiva* gaudeat; ac proinde, ex supra iam demonstratis (th.7 n 100-107), omne animal; et, ex experientia cuiusque propria, etiam omnis homo.

Vita sensitiva est genus quoddam vitae psychicae (193-

198) quae supra etiam (187-192) abunde descripta manet.

Materia hic intelligitur substantia corporea, quantitate et extensione praedita, locum occupans in spatio, quam in corporibus viventibus experimur esse valde heterogeneam et speciali structuratione praeditam.

MATERIA autem viventis bifariam sumi potest. *Primo modo,* ita ut intelligatur materia *specialis,* iam viva vel vivificata aliquo principio substantiali, materiali quidem, sed a materia distincto scilicet: *materia animata.*

Alio modo, ita ut intelligatur materia *non specialis,* sed communis omnibus corporibus, sive viventibus sive non viventibus; quae in illis propter specialem eius structurationem, sed omni alio principio substantiali destituta, vitae sensitivae operationes in viventibus sensitivis exerceret.

ANIMA SENSITIVA est principium aliquod substantiale intrinsecum viventi sensitivo et a materia altero sensu sumpta, eiusque organizatione distinctum; quod *primum* sit in ordine ontologico; *ultimum* autem in ordine nostrae cognitionis, quippe quod causa ultima sit vel radix operationum sensitivarum.

Definimus igitur, animam iuxta alteram definitionem aristotelicam: "Id quo vivimus, *sentimus,* locomovemur et intelligimus, primo", supra explicatam (175). Animam igitur sumimus pro *principio ultimo saltem radicali activitatis sensitivae.* Haec definitio, utpote quae ab omni quaestione circa animae naturam praescindit, ab omnibus in limine disputationis admitti potest et debet.

201. Status quaestionis. Cum omne vivens sensitivum sit substantia aliqua vita etiam vegetativa praedita, et omne ens, vita vegetativa gaudens, anima vegetativa constitutum sit, ut supra etiam demonstratum est in thesi 9 (134-152); constat iam ex supra demonstratis, ens sensitivum quodlibet, *ratione vitae vegetativae,* anima saltem vegetativa esse praeditum. Hic autem ulterius progredientes, quaestio discutienda versatur circa vivens sensitivum, non qua vegetativum, sed *quatenus sensitivum* est; et *quaerimus utrum ratione ipsius vitae sensitivae anima sensitiva donetur.*

Quaestio praesens, igitur, ut patet, est tantummodo de *exsistentia animae sensitivae,* et omnino praescindit a multiplicibus quaestionibus circa ipsius naturam.

202. Sententiae. Quaestioni sic propositae duplex tantum est possibilis responsio: altera *negans;* altera *affirmans.*

Sententia negans realitatem animae sensitivae, non in experientia innititur, est tamen logicum consectarium ex doctrinis philosophicis aperte falsis et alibi iam refutatis in libro II et ulterius refuntandis in libro V; quae quidem ad duas reduci posse videntur, ceterum inter se e diametro oppositas. Saepe enim evenit ut opiniones extremae, a veritate aberrantes directionibus oppositis, in eundem errorem impingant. Altera ex his doctrinis est a) *materialismus monisticus;* altera vero b) *spiritualismus exaggeratus.* Idealismus acosmisticus qui et corpus et animam substantialem negat extra praesentem quaestionem versatur.

a) *Materialismus* enim realitatem animae sensitivae, sicut cuiuslibet animae negat, quia tenet nihil praeter materiam eiusque vires physicochemicas et mechanicas esse reale. Reiecto igitur omni principio a materia eiusque viribus distincto, conatur omnem diversitatem entium naturae ipsorumque operationum explicare per diversam applicationem virium physicochemicarum materiae unicae et communis.

Imaginationem transcendere non valentes, illuduntur materialistae explicationibus imaginariis ex mundo pure physico desumptis.

b) *Spiritualismus* exaggeratus autem, in doctrina cartesiana inspiratus, animam sensitivam negat, quia proprie vitam sensitivam non agnoscit, eam ad intellectivam seu rationalem reducens. Quapropter tantum animam spiritualem admittit in homine, omnemque animam animalibus brutis negat, quorum activitates omnes mechanistice seu per vires tantummodo physicochemicas explicandas esse contendit.

Sententia affirmans est ARISTOTELIS omniumque scholasticorum et philosophorum qui realitatem corporum viventium et vitam sensitivam admittunt. Hi omnes asserunt exsistentiam animae sensitivae et in animalibus et in homine. Nam licet in homine, iuxta ipsos et rei veritatem, unica sit anima spiritualis, ut deinceps demonstrabitur; est tamen eiusmodi anima virtualiter sensitiva et vegetativa, utpote quae principium ultimum et radicale est omnium operationum vitalium humanarum.

Thesis ut *certa* habenda est.

203. Probatio. Operationes vitae sensitivae, tum hominis tum animalis, sunt non modo *penitus diversae* ab operationibus corporum inorganicorum atque etiam corporum viventium sola vita vegetativa, sed etiam sunt *ordinis superioris* et irreductibiles ad operationes illorum corporum.

Ergo, ut de illis philosophice ratio reddatur sufficiens, causa ultima et substantialis viventi sensitivo intrinseca admittenda est, quae sit quoque proportionatae perfectionis.

Atqui eiusmodi causa ultima et substantialis viventi intrinseca non est a) *sola materia* omnibus corporibus communis cum suis viribus physicochemicis et mechanicis; nec *b)* eiusmodi materia *peculiari structuratione praedita,* systematis nervei propria.

Ergo praeterea aliquod aliud principium ultimum et substantiale, corpori viventi vita sensitiva intrinsecum, admittendum est, quod quidem animam sensitivam vocamus.

Antecedens abunde constat experientia inmediata ipsius activitatis cuiusque vitae psychicae supra descriptae (187-192), ac proinde vitae sensitivae quae, ut demonstratum manet in thesi 7 (100-107) et in thesi 8 (108-120), vere psychica est et distincta a vita intellectuali hominis.

204. *Consequentia* prima patet ex principio causalitatis.

Minor subsumpta, quoad *a)* constat etiam ex supra demonstratis. Tum quia materia omnibus corporibus communis, nec quidem sufficiens est ad rationem reddendam vitae vegetativae, ut supra in thesi 9 (134-153) demonstratum est, quanto minus ad rationem reddendam vitae sensitivae quae altior et perfectior est; tum etiam quia, si sola materia sufficeret, omnia corpora vita sensitiva gauderent, quod absurdum esse etiam constat ex dictis in thesi 4 (73-81).

Quoad *b),* seu quod nec sufficiens principium sit tantum materia specialiter configurata structuratione propria systematis nervei, sic probatur.

Quia illa materia, vel esset 1) ipsa materia communis omnibus corporibus naturae, ope peculiaris structurationis propria systematis nervei quae ad ordinem *accidentalem* pertinet; vel esset 2) materia non communis omnibus corporibus sed ab ea specifice ac proinde *substantialiter* distincta.

Primum dici nequit, quia extra quaestionem praesentem excurrit in qua agitur tantum de principio ultimo et substantiali.

Structuratio enim materiae communis per quam vita explicaretur, cum non sit nisi accidens vel complexus accidentium materiae substantialis et unicae, nequit esset principium substantiale et ultimum. Accidens enim cum non sit nisi modificatio substantiae, substantiam supponit, in ea radicatur, et ad ipsam ordinatur tamquam ad principium ultimum.

Alterum autem si dicitur, ut reapse dicendum est, scilicet; si admittitur substantiam structuratam structuratione propria systematis nervei, esse substantiam aliquam *specifice* et *natura sua distinctam* a materia omnibus corporibus communi,

eiusmodi substantia corporis viventis vita sensitiva, aliquo principio substantiali a materia distincto constitui debet, sine quo a materia communi substantialiter non distingueretur. Hoc autem principium animam sensitivam vocamus.

205. Obiectiones. Scientiae experimentales biologicae (cytologia, hystologia, physiologia) optime rationem reddunt vitae sensitivae, quin ad animam sensitivam recurrant. *Ergo* nulla necessitas admittendi animam sensitivam.

Resp.: dist. ant.: Scientiae experimentales biologicae rationem optime reddunt vitae sensitivae *in ordine scientiae experimentalis,* quae demonstrat per causas empiriologicas, *trans.;* in ordine *scientiae philosophicae,* quae demonstrat per causas metempiricas, *nego.*

Quid causae empiriologicae et metempiricae sint, et discrimen inter scientias quae per eas demonstrant, supra explicatum est (17-18).

INST. Sufficit vitam sensitivam explicare in ordine scientiae experimentalis. *Ergo* stat difficultas.

Resp.: nego simpliciter, vel *dist. ant.:* sufficiunt explicationes scientiae experimentalis ad aliquam cognitionem vitae sensitivae quae utilis est imo et necessaria ad multas applicationes practicas, exempli causa, in medicina, in genetica, in scientia hygienica, *conc.;* ad habendam plenam perfectamque cognitionem naturae viventis sensitivi quae propria est scientiae philosophicae, *nego.*

Omnis quippe scientia pure experimentalis, licet in suo ordine perfecta sit, tamen per se sola et sine recursu ad ratiocinium philosophicum, impotens est ad adquirendam scientiam intimae naturae et essentiae rerum.

ARTICULUS II

VITAE SENSITIVAE MATERIALITAS

Thesis 14. Operationes vitae sensitivae, quamvis superioris ordinis sunt quam operationes vitae vegetativae corporum non viventium, in semetipsis consideratae sunt materiales.

206. Notiones. Nomine OPERATIONUM VITAE SENSITIVAE, omnes operationes psychicas significamus animalis atque etiam hominis, quatenus vita sensitiva praediti.

Eiusmodi operationes sunt vel *cognitiones sensitivae,* vel *tendentiae* cum *motibus* ex illis cognitionibus profluentes, vel accidentales determinationes et *affectiones* utriusque activitatis, de quibus supra dictum est (196-197).

Praecipuae autem et *fundamentales* operationes vitae psychicae sensitivae, sicut et cuiuslibet vitae psychicae, sunt *cognitiones,* quae totam vitam psychicam pervadunt. Intentionalitas enim et conscientia quae, ut supra dictum est (191-192)

sunt characteres essentiales cuiuslibet vitae psychicae, intelligi nequeunt nisi secum ferant aliquam cognitionem.

MATERIALE est quidquid ad materiam spectat. Materia autem sumi potest ut *materia prima,* quae pura potentia est omni forma substantiali destituta; vel *materia secunda,* seu aliqua forma substantiali informata, quae proprie corpus dicitur, si corporum constitutio explicatur iuxta theoriam hylemorphismi. Hic autem ab hac explicatione praescindimus et pro eodem sumitur corpus et materia. Quapropter pro praesenti quaestione idem est dicere materiale ac corporeum.

207. *Bifariam autem potest aliquid dici materiale vel corporeum,* nimirum: vel per *identitatem,* et tunc materiale et corporeum idem est ac materia et corpus; vel per *dependentiam intrinsecam* a corpore seu materia, et tunc materiale et corporeum erit aliquid, sive substantiale sive accidentale, quod licet non sit materia nec corpus, *dependet tamen intrinsece a corpore vel materia.*

Dependentia enim duplex esse potest: *intrinseca* videlicet vel *mere extrinseca.*

Intrinseca dependentia est dependentia tamquam a causa adaequata vel saltem principali, in quocumque genere causalitatis. Talis est dependentia illius rei quae neque esse neque fieri potest, nisi per influxum aliquem causalem sive adaequatum sive saltem principalem illius a quo dependet.

Eiusmodi dependentia a causa totali vel principali dici etiam potest *immediata,* ratione effectus; quatenus influxus causae in ipsam entitatem effectus immediate, non mediante aliqua re, terminatur, sive hic influxus immediate oriatur ab ipsa entitate substantiae quae causa influens est, sive substantia in effectum influat vi potentiarum seu virium accidentalium ab ipsa distinctarum. Eiusmodi enim potentiae accidentales, si dantur, se habent tantum ut medium *quo* substantia vere ut *quod* operatur: medium autem *quo* non facit operationem esse mediatam. Ab hac tamen quaestione in praesenti thesi omnino praescindi possumus.

Dependentia vero extrinseca est dependentia tantum tamquam a condicione vel ut summum tamquam a causa non totali nec principali. Condicio autem illud dicitur quod, etiamsi requiratur ad effectum aliquem producendum, in illum tamen esse non influit.

208. Status quaestionis. Quod operationes sensitivae aliquo modo ab anima procedant, statutum iam est in thesi 13 (200-205). Quod corpus etiam, non sumptum tantum pro materia prima sed prout in rerum natura exsistens et

experientiae nostrae subicitur, imo et corpus peculiari modo structuratum, seu brevius systema nerveum, ad sentiendum requiratur. *Saltem tamquam* condicio, ab omnibus admittitur.

QUAESTIO igitur praesens est, utrum operationes sensitivae in se consideratae, iuxta experientiam quam de ipsis habemus, sive ordinariam sive etiam scientificam, dicendae sint dependere a corpore tantum tamquam a mera condicione, vel e contra tamquam a causa.

209. Sententiae. *Negarunt,* iam ab antiquitate PLATO, Neoplatonici, PLOTINUS, et SIMPLICIUS. Cartesiani quoque, qui sensationem in brutis non admittunt, in homine non nisi "confusum cogitandi modum esse" tenent. Similiter LEIBNITZ, WOLF et, recentioribus temporibus, ROSMINI.

Hi omnes auctores, negant unionem substantialem corporis et animae assertam ab scholasticis, et problema interactionis solvere conantur, plerumque per mutuum influxum effectivum animae et corporis. Iuxta platonicos et cartesianos, enim, anima est in corpore, sicut motor in mobili, sicut nauclerus in navi.

Affirmant thesim in sensu ampliori in statu quaestionis explicato, omnes omnino scholastici, ARISTOTELEM contra PLATONEM secuti; qui, quamvis in multis ulterius differant opinionibus, admittunt tamen sensationem esse aliquomodo materialem, seu intrinsece a corpore dependentem.

Hi omnes autores, consequenter ad suam sententiam, admittunt unionem substantialem corporis et animae; qua posita, interactionis problema resolvunt per influxum substantivum, non per influxum activum seu effectivum, sicut adversarii.

Influxum *substantivum* dicimus illum qui exercetur inter distinctas potentias viventis at non nisi praesupposita unione substantiali animam inter et corpus (626).

210. Thesis, prout proponitur, et quatenus praescindit ab ulterioribus explicationibus materialitatis vitae sensitivae, *certissima* est et communis scholasticis. Estque *fundamentalis* ad duplicem psychismum humanum realiter distinguendum; in qua distinctione totum systema psychologicum scholasticum de constitutione hominis innititur.

Eam demonstrabimus argumento unico ex experientia desumpto, tum ordinaria tum scientifica, cognitionum sensitivarum; quin opus sit ad eandem experientiam recurrere circa tendentias, motus et affectiones. Haec enim omnia eandem naturam sortiuntur ac cognitio, quae radix est et fundamentum omnium aliarum operationum.

211. Probatio. Experientia testatur perfectam dari correspondentiam inter processum physiologicum sensationis, qui observatione obiectiva apprehenditur, et processum psychologicum eiusdem, introspectione tantummodo cognitum: hoc autem quantum ad a) *exsistentiam,* b) *durationem,* c) *qualitatem,* et d) *intensitatem* cognitionum, tum A) illarum quibus qualitates mundi materialis percipimus et *externae* dici consueverunt; tum B) illarum quibus reproducuntur cognitiones prius habitae, ut imaginationes, quae inter cognitiones sensitivas *internas* computantur.

212. Etenim A) QUOAD RERUM EXTERNARUM PERCEPTIONES SENSITIVAS.

a) *Exsistentia* processus psychologici plane respondet exsistentiae processus physiologici; quandoquidem, organo non immutato, sensatio non exsurgit; immutato vero, illico producitur, ut evidens est experientia, tum vulgari, tum scientifica.

b) *Duratio* pariter respondet durationi eiusdem processus; siquidem incipit et desinit sensatio cum immutatione nervea.

c) *Qualitas* etiam pendet, tum a stimulo externo, tum ab organo stimulo excitato [1].

d) *Intensitas* tandem, saltem intra certos limites, proportionem servat cum intensitate stimuli et processus physiologici ab eo promoti, ut constat ex legibus psychophysicis, praesertim ex lege Weberiana [2].

213. B) QUOAD IMAGINES SEU SENSATIONES REPRODUCTAS ABSQUE ACTUALI STIMULO ET MEMORIAM SENSITIVAM.

a) *Quoad exsistentiam patet* 1.° eo quod imagines sine cerebro non dantur, ut constat ex modo reagendi quem tenent animalia cerebro orbata [3].

Constat 2.°, eo quod adquisitio imaginis eiusque efformatio pendet a statu cerebri, ut apparet in casibus dismnesiae, in idiotis primi gradus, in semiidiotis et in imbecillibus. Hi omnes memoria tenui vel nulla potiuntur, ita ut vix quidquam retinere valeant. Iam, examen histologicum cerebralis substantiae, reperit neuronas corticis cerebralis hominum hoc pacto aegrotantium, esse imminutas numero et magnitudine, tum quoad corpus cellulare, tum quoad prolongationes; nec tantum quoad formam esse immutatas, verum etiam ipsarum aliquas praebere etiam infiltrationes pigmentarias et calcareas [4].

b) *Quoad durationem,* processum physiologicum perdurare quamdiu durat imaginatio, *constare videtur*: 1,° ex *defatigatione,* quae mentalis dicitur et proportionalis esse videtur durationi laboris. Eiusmodi defatigatio ex diuturno labori mentali, saepe similes

---

[1] Cf. F. M. PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª ed. (Editorial Balmes, Barcelona 1952) n.97-102 p.89-92; LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* 3.ª ed. (Subirana 1952) n.16 p.34-55.

[2] Cf. FRÖBES, *Tratado de Psicología empírica y experimental* (Razón y Fe, Madrid 1944) I p.37-45; vel LA VAISSIÈRE-PALMÉS, o.c., n.18 p.58-65.

[3] LA VAISSIÈRE-PALMÉS, o.c., n.24 p.84-85.

[4] LA VAISSIÈRE-PALMÉS, o.c., n.26 p.94-95, et auctores ibi citatos.

effectus prae se ferre videtur ac defatigatio orta ex continuato labore corporali membrorum.

Constat 2.° ex *circulatione sanguinis* intensiore in cerebro, durante labore mentali in quo producuntur crebrae imaginationes. Hoc imprimis cognitum erat iam ab antiquis, quorum erat effatum: "ubi stimulus, ibi affluxus"; et nostris temporibus experimentaliter probatum manet a Mosso, Gley, aliisque magni nominis auctoribus[5].

c) *Quoad qualitatem.* Nam ex methodo anatomico-clinica compertum est dari apertissimam correspondentiam inter laesiones cerebri et oeconomiam imaginum. Sic evenit:

1.° In *paralysi,* in qua ordo quo symptomata psychica sibi succedunt, respondet apprime ordini topographico iuxta quem laesiones cerebri progrediuntur[6].

2.° Nec aliter concludendum est si *evolutio cerebri,* cum evolutione psychica puerorum conferatur[7].

d) *Quoad intensitatem* tandem ostenditur assertio nostra multifariam:

1.° *Si paralysis* de qua nuper diximus *cum alcoholismo conferatur,* in quo eadem ac in illa phaenomena psychica apparent sed remissiori gradu. In autopsia autem laesiones etiam apparent eiusdem quidem generis; verum non adeo profundae in alcoholismo ac in paralysi.

Praeterea 2.° notum est *febrim,* sive propter intoxicationem aliquam comitantem, sive propter intensiorem oxydationem substantiae nerveae cerebri, magnam instabilitatem et frequentiam imaginum, atque interdum veras hallucinationes secum ferre.

3.° Similiter dicendum est de *quibusdam medicamentis,* ut opium, haschich et mescal quae hallucinationes quoque provocant, dum systema nerveum excitant.

Tandem 4.° factum est nemini ignotum, *pocula alcoholica* verbositatem garrulam provocare, paucis et incohaerentibus comitata imaginibus; dum e contra *cafeum,* et verba et imagines apte inter se cohaerentes et ad intellectum fovendum aptas promovere. Id autem explicari non potest aliter nisi ex eo quod eiusmodi pocula, aliter systema nerveum afficiant, immutentque; unde effectus psychici correspondentes qui perspiciuntur, consequuntur.

214. *Iam vero* eiusmodi perfecta correspondentia inter processum physiologicum et processum psychologicum cuiuscumque sensationis, prodit evidentissime dependentiam sensationis a systemate nerveo seu a materia, tamquam a causa, et non tamquam a mera condicione.

Quia, ex una parte nullo argumento efficaci demonstratur improportio in systemate nerveo ad influendum in sensationem saltem in genere causae materialis; ex alia vero parte, processus physiologicus qui certe perficitur a systemate nerveo et in systemate nerveo, sua perfectione quasi mensuram exhibet perfectionis processus sensationis. *Adsunt*

[5] Cf. V. Pensato, S. I., *I fenomini cerebrali e la dottrina scolastica:* Civiltà Cattolica. 68 (1917) vol.1 p.13.268.399.
[6] La Vaissière-Palmés, o.c., n.24 p.84.
[7] La Vaissière-Palmés, o.c., n.24 p.85.

hic, proinde, *omnia signa causalitatis* quae desiderari possunt ut aliquod praerequisitum, non ut mera condicio, sed ut causa etiam efficiens habeatur.

215. Obiectiones. Conscientia nobis testatur idem esse subiectum sentiens ac subiectum intelligens. *Atqui* Subiectum intelligens est sola anima. *Ergo* subiectum sentiens est sola anima.

Resp.: dist. mai.: idem est suppositum seu subiectum denominationis seu attributionis, sentiens et intelligens, *conc.;* idem est subiectum effectivum non per modum suppositi sed per modum naturae, sentiens et intelligens, *nego.*

Quaestio praesens non est de principio denominationis seu attributionis sed de principio effectionis sensationum; non de supposito sentiente, sed de natura sentiente. Recolantur eiusmodi notiones iam in libro III traditae (125).

Inst.: Ex introspectione constat ipsam animam non corpus sentire.

Nam introspectio, ut iam supra dictum est (28), cognitio est perfecte reflexa, qua anima per intellectum apprehendit *proprias operationes* psychicas, *ipsarum principium eas eliciens,* ipsarumque *obiecta;* nec aliud principium in homine datur capax eliciendi hanc reflexionem perfectam in qua introspectio consistit, quam intellectus, quae facultas est animae spiritualis. *Atqui* homo introspicere valet supra operationes vitae sensitivae propriae; reflectendo enim supra seipsum reflexione perfecta, scit se sentire vel non sentire, diversas sensationes et operationes sensitivas discernens et de ipsis iudicans. *Ergo* eiusmodi operationes supra quas reflectit sunt operationes animae non corporis, secus non posset supra ipsas reflectere reflexione perfecta, propria introspectionis.

Resp.: conc. mai. Minorem dist.: homo reflexione perfecta, propria introspectionis, reflectit supra *cognitionem intellectualem quam habet de operationibus vitae sensitivae* ab aliis facultatibus inferioribus corporis seu systematis nervei elicitis, *conc.;* reflectit supra *operationes sensitivas* ab ipsa anima elicitas, *nego.*

Inst.: Tam vera est haec propositio: "ego intelligo" ac haec alia: "ego sentio"; utraque enim exprimitur factum immediate introspectione apprehensum. *Atqui* subiectum quod in utraque propositione pronomine "ego" exprimitur, est anima spiritualis. *Ergo* sicut anima intelligit, ita etiam anima sentit.

Resp.: dist. mai.: utraque propositio vera est, sed diverso modo verificatur, *conc.;* utraque propositio vera est, et eodem modo verificatur, *subdist.:* si "ego" sumitur pro supposito, *conc.;* si sumitur pro principio eliciente actum psychicum de quo agitur, *nego.*

Minorem contradist.: subiectum quod pronomine "ego" exprimitur est anima, si "ego" sumitur pro supposito, *nego.* Suppositum enim humanum non est sola anima, sed compositum substantiale ex anima et corpore seu corpus vivum et animatum. Si "ego" sumitur pro principio eliciente actum psychicum de quo agitur; *subdist.:* et tunc illae propositiones diversimode verificantur, *conc.;* eodem modo verificantur, *nego.*

ARTICULUS III

QUID TENENDUM SIT CIRCA NATURAM INFLUXUS CAUSALIS ANIMAE IN OPERATIONES VITAE SENSITIVAE

216. Quaestio praesens. Omnes scholastici inter se conveniunt, contra spiritualismum exaggeratum platonicorum et cartesianorum, in admittenda dependentia intrinseca, seu tamquam a causa, vitae sensitivae a corpore, quin tamen in sententia materialistarum conniveant.

Quia adversus ipsos tenent pariter operationes vitae sensitivae licet materiales sint, esse tamen ordinis superioris quam operationes corporum inanimatorum atque etiam corporum sola vita vegetativa gaudentium. Operationes corporum inanimatorum, in hoc tractatu *physicochimicas* vel *mechanicas* appellamus; eas quae propriae sunt vitae vegetativae, *physiologicas* dicimus, et quae ad vitam sensitivam pertinent, *psychophysiologicas* nuncupamus.

Supposita igitur natura psychophysiologica operationum vitae sensitivae; seu quod idem est, stante quod in productione ipsarum, causaliter influant, tum anima, ut probatum manet in thesi 3 (200-205), tum corpus ut in thesi 14 (206-215) sufficienter demonstravimus, ulterius quaeri potest quaenam sit natura influxus causalis animae et corporis in operationes sensitivas. Cumque operationes vitae sensitivae *accidentia* quaedam sint quae naturaliter sine subiecto dari nequeunt; et insuper *activitates* quaedam sint quae causam efficientem requirunt; *duplex quaestio* oritur: *altera* de subiecto operationum sensitivarum; *altera* de causa efficiente ipsarum. In ratione autem explicandi hunc duplicem influxum causalem non una est scholasticorum sententia.

Quid circa hanc duplicem quaestionem nobis tenendum esse videatur, tum ut congruentius cum doctrina in hoc tractatu tradita vel tradenda, tum iuxta sententiam S. THOMAE, tum maxime sub luce scientiae experimentalis et philosophicae, breviter hic indicabimus.

217. Huius duplicis quaestionis amplectenda solutio. Sermo est de quacumque operatione vitae sensitivae; sufficit autem ad eam solvendam de cognitionibus sensitivis loqui, siquidem aliae operationes vitae sensitivae, et a cognitione procedunt, et non sine aliqua cognitione sensitiva in ipsis imbibita exercentur. Dicimus igitur cognitionum sensitivarum *causam efficientem* et *materialem,* esse tantummodo compositum substantiale ex materia et anima sensitiva. Et cum

eius sit agere, quod potentia ad agendum gaudeat, id quoque exprimi potest dicendo: potentias seu vires vel e*nergiae ad* sentiendum non esse tamquam in subiecto nisi in composito substantiali ex corpore et anima; non autem formaliter in sola anima, quamvis ab anima profluant, in qua tantum radicaliter et exigitive inveniantur. Dicimus videlicet circa operationes vitae sensitivae, idem prorsus quod diximus, et generatim ab omnibus admittitur, circa potentias vitae vegetativae (182).

Iuxta hanc sententiam, ut perspicue advertit SUÁREZ[8], dicendum est "has potentias eatenus subiectari in composito, quatenus supponunt ipsum constitutum; non enim possunt esse, nisi prius materia informetur anima ex qua deinde oriantur". Et ut alibi[9] explicat, "formam substantialem non esse per se aptam ad exercendam talem operationem absque facultate media, quae etiam debet esse materialis et adveniens materiae ut iam informatae tali substantiali forma".

Hanc esse sententiam S. THOMAE manifestum est. Scribit[10] enim: "Manifestum est quod anima sensitiva *non habet aliquam operationem propriam* per seipsam, sed omnis operatio sensitivae animae est coniuncti. Ex quo relinquitur quod cum animae brutorum animalium per se non operentur, non sunt subsistentes. Similiter enim unumquodque habet esse et operationem". Et alibi[11]: Quaedam vero potentiae sunt in coniuncto, sicut in subiecto, *sicut omnes potentiae sensitivae partis et nutritivae;* destructo autem subiecto, non potest accidens remanere: unde corrupto coniuncto, non manent huiusmodi potentiae *actu,* sed *virtute* tantum manent in anima, sicut in *principio* vel *radice.* Et sic falsum est quod quidam dicunt huiusmodi potentias in anima manere, etiam corpore corrupto". Ideo potentiae animae iuxta ipsum[12] debilitato vel corrupto corpore debilitantur et corrumpuntur, anima in se non corrupta, quia anima hominis tantum "est virtuale principium huiusmodi potentiarum".

Sequitur inde influxum causalem animae in operationes vitae sensitivae exerceri tantum in genere *causae formalis,* quatenus anima ut forma substantialis corporis, ipsi tribuit esse substantiale sensitivum, quod subiectum est potentiarum sensitivarum ab anima fluentium vel dimanantium.

218. Quaenam animadvertenda circa rationem loquendi hac super re. *Non negamus* posse dici *animam ut incorporatam* sentire; quia hoc nihil aliud est quam dicere quod *corpus ut animatum* sentit. Optime ad rem praesentem faciunt haec verba Silvestri MAURI[13] licet in quaestione ab hac aliena scripta: "Vere enim corpus ut animatum et anima ut materiata videt, audit, sentit, ambulat, cum homo

---

[8] SUÁREZ, *De anima,* 1.2 c.3 n.3.
[9] SUÁREZ, DM d.18 s.3 n.20 ad calcem.
[10] S. TH., 1 q.75 a.3.
[11] S. TH., 1 q.77 a.8.
[12] S. TH., 1 q.77 a.8 ad 3.
[13] SYLVESTER MAURUS, *Quaestiones philosophicae* (Taranne, Parisiis 1876) t.2 q.11 ad 5 p.127.

nihil tandem sit quam *materia animata* vel *anima materiata,* prout se invicem perficientes et habentes esse commune et secundum esse et perfectionem communem operantes".

Negandum tamen est animam sive solam, sive *simul* cum corpore sentire, si verbum *simul* refertur ad sentire et significat duo entia simul sentientia, ita ut sensatio efficiatur a duobus principiis, corpus videlicet et anima. Admitti tamen potest si verbo *simul* significatur, nec animam solam nec corpus solum sine anima posse sentire, sed tantum compositum substantiale ex anima et corpore; quod licet ex duabus principiis partialibus conflatum, unum tamen per se ens constituunt, unamque naturam et substantiam [14].

CAPUT III

Cognitionis notio generalis et cognitionum ingens diversitas

ARISTOTELES, *De anima,* I c.2; II c.12; S. TH., *In De anima,* I lect.4; II lect.12 et 24; 1 CG c.60; *Sum. Theol.,* 1 q.14 a.1 et q.80 a.1; *De veritate,* q.8 a.5 et 8; SUÁREZ, *De anima,* III c.1 et 8; *De angelis,* II c.3 n.7 et 24; IOANNES A S. THOMA, *De anima,* q.4 a.1; URRÁBURU, *Psychologia,* II p.173-196; PESCH, *Institutiones logicales,* I p.104-108 n.89-92; p.121-130 n.109-119; IDEM. *Institutiones psychologicae,* II p.92-177 n.460-517; REMER-GENY, *Summa Philosophiae scholasticae, Psychologia* (6.ª ed. 1935) p.64-65 n.57; J. DE TALHOUET, *La pradoxe de la connaissance:* Archives de Philosophie (1934-1935) cah.2 p.221-230; J. DE TONQUEDEC, *La critique de la connaissance* (1929) c.1 p.1-48 et ap.II p.461-467; SIWEK, *Psychologia methaphysica* (1948) p.105-109 n.71; DE VRIES, *Pensar y ser* (1945); MORÁN, *Psychologia* (1949) n.210-220; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.18-21 n.26-30; IDEM, *Alma y espíritu* (2.ª ed. 1953) p.42-75; GAETANI, *Annotationes ad Remer,* p.29-34; MÓNACO, *Praelectiones Metaphysicae specialis,* II p.260-268 n.141-147; BARBADO, *Estudios de Psicología experimental* (1948) II p.6-10; PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª ed. (Editorial Balmés, 1952) c.5.

ARTICULUS I

DOCTRINA DE COGNITIONE IN GENERE

219. Consequutio et ordo doctrinae. Cognita iam, ex traditis in capite praecedenti, realitate animae sensitivae et natura ipsius influxus in operationes sensitivas, ad diversas has operationes singillatim considerandas progredimur; quae, ex supra expositis (196-198), reduci possunt ad *cognitiones* et *tendentias,* cum *modis* diversis et *affectionibus* harum operationum. In hoc et sequenti capite, de cognitione agendum venit. Cum autem cognitio, non modo in vita sensitiva, sed etiam multo perfectius detur in vita intellectiva, de qua in libro sequenti agendum erit, trademus 1.º in hoc capite *notionem generalem,* deinde iam non repetendam, cognitionis; et 2.º *ingentem diversitatem* cognitionum et functionum cognoscitivarum indicabimus, quarum aliquae in vita sensitiva reperiuntur.

Sensitivarum functionum causas proximas iuxta aristotelico-scholasticorum theoriam, in capite sequenti determinare conabimur.

[14] Vide sis hanc doctrinam expositam et probatam in *Cursu,* th.18 et 19.

220. Quidnam veniat nomine cognitionis in genere. Saepe iam hucusque de cognitione egimus, illam ipsius notionem usurpantes quam ex propria experientia omnes habent, et abunde sufficiens erat ad theses praecedentes demonstrandas.

Nunc autem cognitionis sensitivae naturam per ipsius causas proximas seu potentias perscrutare intimius volentes, opus est eam accuratius describere. Et supposita, brevitatis causa, praevia *descriptione phaenomenologica* cognitionis iam in psychologia experimentali tradita, eam *ad mentem scholasticorum, sub adspectu philosophico* declarabimus, praecipuas tantum assertiones afferentes quae plerumque ab omnibus scholasticis admittuntur.

Quattuor assertionibus, ceterum fundamentalibus, huiusmodi descriptio constat; quarum *prima* est contra illos qui cognitionem a cognoscente non distinguunt; *altera* factum evidentissimum praesentiae obiecti cogniti in cognoscente eiusque cum ipso unionem vel coniunctionem asserit; *tertia* hoc factum declarat sub adspectu unionis; *quarta* demum sub adspectu similitudinis quae intercedit inter cognoscens et cognitum.

221. 1.ª Cognitio est forma accidentalis, operatione vitali et immanenti a cognoscente et in cognoscente producta vel cum ipsa identificata.

Quod ut FORMA habenda sit, patet quia est quaedam determinatio potentiae cognoscitivae ad cognoscendum.

Quod forma sit non substantialis sed ACCIDENTALIS, evidens est ex uniuscuiusque experientia. Omnes enim experimur cognitiones in nobis dari et evanescere, aliasque aliis perpetuo succedere, nobis perstantibus in nostro esse substantiali et individuali; quod impossibile esset si subiectum substantiale cognoscens cum cognitione identificaretur.

Dicimus etiam hanc formam quae cognitio dicitur, saltem in homine et animali, PRODUCI; quod quidem constat ex eo quod incipit exsistere, et quidquid incipit exsistere, non potest non aliquomodo produci.

Addimus cognitionem aliqua ACTIONE vel OPERATIONE produci, sive ab ea distincta, sive cum ipsa identificata, ut praescindamus hic ab innumeris quaestionibus quae inter scholasticos agitantur circa naturam actionis qua cognitio producitur, et praesertim a quaestione utrum cognitio qualitas sit et actio pure grammaticalis, vel ab operatione qua producitur distinguatur. Asserimus tamen eam esse perfecte *im-*

manentem et *vitalem*, quia a cognoscente elicitur et in ipso, non in aliquo a se distincto, recipitur.

222. 2.ª Subiecto congnitione informato, praesens sistitur obiectum cognitum ab ipso distinctum, quod illi aliquo modo unitur vel cum illo coniungitur.

Patet hoc, *primo* quasi a priori, ex ipsa notione generalissima cognitionis, hausta tamen ex experientia. Nam cognitio, notitia quaedam est obiecti cogniti. Haec autem notitia inseparabilis est ab obiecto, nec concipi potest nisi obiectum aliquo modo continens; secus enim esset notitia nullius rei, seu sine obiecto cognito. *Ergo* obiectum cognitum est in notitia ipsius, quae est cognitio; quae cum forma sit cognoscentis (221), formaliter ipsi praesens sistit obiectum, quod licet a cognoscente sit distinctum, cum ipso aliquo modo unitur vel coniungitur.

Patet etiam *secundo*, uniuscuiusque experientia, quae in omni lingua verbis exprimitur, hanc praesentiam obiecti in cognoscente eiusque coniunctionem vel unionem cum ipso, significantibus. Qui enim aliquid cognoscit, dicitur illud *percipere, comprehendere, apprehendere, capere, concipere, attingere, praesentem habere, mente tenere, in mentem revocare;* quae quidem omnia hanc unionem significant.

Unde SANCTUS THOMAS scribit [1]: "Cognitio non dicit effluxum a cognoscente in cognitum, sicut est in actionibus naturalibus, sed magis dicit, exsistentaiam cogniti in cognoscente." Et alibi etiam [2]: "Ad visionem tam sensibilem quam intellectualem, duo requiruntur scilicet, virtus visiva et unio rei visae cum visu. Non enim fit visio nisi per hoc quod res visa quodammodo est in vidente."

Igitur ambigi nequit quod, de facto, obiectum seu res visa vel intellecta vel generatim cognita, sit in cognoscente *aliquo modo*. Est tamen magna difficultas in explicando peculiarem hunc modum praesentiae obiecti in cognoscente; quia hoc obiectum, licet in cognoscente aliquo modo sit, tamen *non in eo est secundum suum esse reale*, quod cognitione non immutatur et extrinsecum omnino est cognoscenti atque ab eo independens; et insuper quia, etiamsi in cognoscente exsistat, ipsi tamen *apparet a se alienum* et extra se positum.

Duae huius facti evidentis *explicationes* circumferuntur inter scholasticos auctores; quae quidem, nedum oppositae,

---

[1] SANCTUS THOMAS, 2 CG c.77, et 4 c.11.
[2] S. TH., 1 q.12 a.2c.

potius mutuo se complentes videntur; ita ut potius tamquam duo adspectus unius eiusdemque explicationis habendi esse videantur.

Prima enim explicatio potius sistit in conceptu *formae* qui cognitioni competit. *Altera* vero potius in conceptu *similitudinis* vel assimilationis, qua cognoscens, sua cognitione, quodammodo cognito simile redditur. Utramque conabimur in sequentibus breviter exponere.

223. 3.ª Forma quae cognitio dicitur subiectum cognoscens informans, ipsi praesentem sistit formam obiecti cogniti sine materia ipsius. Praesentia enim obiecti cogniti in cognoscente nequit esse praesentia physica et materialis, neque unio vel coniunctio physica entitatis ipsius cum cognoscente.

Certo certius, ut deinceps in capite IV dicendum erit, ut cognitio aliqua producatur requiritur ut obiectum cognitum, sive per ipsam suam entitatem, sive per aliquam virtualitatem ab eo dimanantem et quae ipsius vices gerat, potentiam cognoscitivam determinet et compleat in ratione virtutis, ut cognitio gignatur; sed eiusmodi determinatio vel completio non est nisi praevia ipsi cognitioni formaliter sumptae, *in qua solummodo, obiectum est ut cognitum.* Obiectum autem ut cognitum, et in formali cognitione exsistens, non est obiectum cum sua materia et forma physica seu in suo esse naturali; sed sufficit ad explicandam praesentiam obiecti cogniti in cognitione, ut sit in illo tantum quoad formam a materia obiecti cogniti quasi avulsam, quae per cognitionem ad subiectum cognoscens quodammodo trahitur, non quidem *in suo esse reali,* sed in suo esse repraesentativo vel *intentionali.* Subiectum hac forma informatum, ad cognoscendam illam rem cuius est forma, formaliter determinatur. Atque hoc est peculiare activitatis cognoscitivae.

Nam "Cognoscentia a non cognoscentibus, scribit S. THOMAS [3], in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formann suam tantum, sed cognoscens natum est habere etiam formam rei alterius; nam species cogniti est in cognoscente". "Ubi adverto, addit celeber commentator IOANNES a SANCTO THOMA [4], non dixisse D. THOMAM quod cognoscentia possunt habere formam *alteram,* sed formam rei alterius..., cognoscentia autem in hoc elevantur super non cognoscentia, quia id quod est *alterius ut alterius,* seu prout manet distinctum in altero, possunt in se recipere..."

Quod autem forma rei alterius quae in cognoscente est, non sit

[3] S. TH., 1 q.14 a.1c. Cf. etiam 1 CG c.53.

[4] IOANNES A SANCTO THOMA, *Cursus philosophicus thomisticus,* t.3 Philosophia naturalis, p.3.ª, *De anima,* q.4 a.1.

illius rei forma physica seu naturalis, patet; quia absurdum esset quod forma physica per cognitionem physice separaretur a materia quam informat, et magis adhuc absurdum esset quod eiusmodi forma accederet ad informandum physice subiectum cognoscens; duplex enim subiectum, in hac hypothesi, unica forma physica informaret, rem videlicet et subiectum cognoscens, quo nihil absurdius.

Sed nec hoc requiritur ad rationem reddendam praesentiae obiecti in cognitione; sufficit enim ad hoc explicandum admittere, formam obiecti quatenus in cognoscente est, esse tantum repraesentativam seu intentionalem.

"Inter cognoscens et cognitum, scribit SANCTUS THOMAS [5], non exigitur similitudo quae est secundum convenientiam in natura, sed secundum repraesentationem tantum. Constat enim quod forma lapidis in anima est longe alterius naturae quam forma lapidis in materia; sed in quantum repraesentat eam, sic est principium ducens in cognitionem eius". In quo autem consistat esse repraesentativum seu intentionale proprium formae quae cognitio est, in sequenti assertione explicatur.

224. 4.ª Forma obiecti in cognoscente exsistens est imago intentionalis obiecti cogniti. "De ratione imaginis est, scribit SANCTUS THOMAS [6], *similitudo*. Non tamen quaecumque similitudo sufficit ad rationem imaginis; sed similitudo quae est in specie rei... Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figurae; sed requiritur ad rationem imaginis *origo*, quia ut AUGUSTINUS dicit unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Ad hoc ergo quod vere aliquid sit imago, requiritur quod ex alio procedat simili ei in specie, vel saltem in signo speciei... Species autem importat formam deductam in aliquo ab alio. Hoc enim modo imago dicitur esse species alicuius; sicut id quod assimilatur alicui, dicitur forma eius in quantum habet formam similem."

Iam vero cum, ex supra dictis (222-223), obiecti cogniti forma sit in cognoscente formaliter per ipsam cognitionem, et eiusmodi forma in cognoscente procedat ab obiecto cognito; nihil amplius requiritur ad hoc ut dicamus cognitionem similitudinem obiecti prae se ferre et esse etiam ipsius veram imaginem. Haec autem imago non physica est sed *psychica*, et quatenus talis *intentionalis* et *conscia*, quia intentionalitas et conscientia duo characteres sunt essentiales eiusdemque activitatis psychicae, ut supra (190-192) dictum est.

Atque haec est omnium scholasticorum cum sensu communi cohaerens sententia. "Omnis cognitio, inquit SANCTUS THOMAS [7], fit per assimilationem cognoscentis et cogniti". Et haec assimilatio

[5] S. TH., *De veritate*, q.8 a.11 ad 3.
[6] S. TH., 1 q.35 a.2c.
[7] S. TH., 1 CG c.65, "Item...".

consistit in eo quod, per cognitionem, cognoscens habeat eandem formam. "Similitudo inter aliqua duo, scribit etiam S. THOMAS[8], est secundum convenientiam in forma". Ita tamen ut haec forma sit *physice* et *entitative* in obiecto quod ab ea determinatur et specificatur ut sit res aliqua in natura; in cognoscente autem, non physice, sed *psychice* seu intentionaliter et repraesentative sit, eius operationem determinans et specificans.

De doctrina explicante cognitionem per assimilationem scribit SUÁREZ[9]: "Supponimus de ratione intellectionis, imo et cognitionis esse, ut per quandam assimilationem intra mentem intelligentis et rem fiat. Hoc fundamentum videtur esse veluti dogma et principium in philosophia et theologia communi sensu receptum et ab experientia acceptum".

Cavendum tamen est ne in hac quaestione vox *assimilatio* perperam intelligatur, quae quidem distinctum imo et oppositum sensum hic prae se fert ac quando de assimilatione agitur propria vitae vegetativae. In vita enim vegetativa assimilatio significat conversionem materiae alienae in substantiam propriam. Quando vero agitur de assimilatione propria cognitionis, per hanc non obiectum fit simili cognoscenti, sed cognoscens est quod fit simile obiecto, recipiens intentionaliter eius formam.

"Omnis cognitio, dicit SANCTUS THOMAS[10], fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum... cognoscimus enim per visum Socratem, in quantum visus noster assimilatur Socrati".

Et similiter alibi[11]: "Cognitio quae accipitur a rebus cognitis consistit in assimilatione passiva per quam cognoscens assimilatur rebus cognitis prius exsistentibus".

ARTICULUS II

COGNITIONUM DIVERSITAS ET FUNCTIONUM COGNOSCITIVARUM NOTIO ET DIVISIO

225. Diversae cognitiones. Cognitionis hucusque generatim descriptae ingens est multiplicitas et diversitas praesertim in homine. Ratione huius diversitatis cognitiones multifariam dividi possunt.

Potest enim cognitio esse *naturalis* vel *supernaturalis;* prout efficiatur a principiis pure naturalibus, vel etiam principiis supernaturalibus influentibus.

Est etiam *speculativa,* si sistit in mera contemplatione veritatis; vel *practica,* si ad opus aliquod faciendum dirigit et in eo quasi includitur.

Directa etiam est, si in obiectum ab actu cognitionis distinctum terminetur; vel *reflexa,* si cognoscens pro obiecto suae cognitionis assumat vel semetipsum in quantum cognoscens est, vel obiectum ipsum suae cognitionis, vel ipsam cognitionem.

[8] S. TH., *De veritate,* q.8 a.8c.
[9] SUÁREZ, *De angelis,* l.2 c 2 n.7.
[10] S. TH., *De veritate,* q.8 a.5c.
[11] S. TH., *De veritate,* q.8 a.8 ad 2.

Potest esse *immediata* prout obiectum in se attingat, vel *mediata* sive discursiva aut interpretativa, si ad cognitionem obiecti pervenit ope praecedentium cognitionum.

Illas hic divisiones cognitionis omittimus, quae potius ad Logicam vel Criticam spectant et in his partibus Philosophiae explicantur, ut sunt divisio cognitionis in *veram* et *falsam,* in *evidentem* et *inevidentem,* in *claram* et *obscuram,* in *distinctam* et *confusam,* in *adaequatam* et *inadaequatam,* in *certam* vel *incertam,* in *probabilem* et *improbabilem.*

Cognitio etiam, ratione sui obiecti, potest esse *intuitiva,* si ponitur ex influxu obiecti immediato per ipsum obiectum praestito vel per aliquid vices gerens obiecti ipsius, ita ut ad rem exsistentem ut realiter exsistentem terminetur; vel *abstractiva,* quae aliqua ex his conditionibus careat, et non confundenda cum cognitione *abstracta* quae cognitioni *concretae* opponitur.

Potest etiam esse *quidditativa* et *non quidditativa.* Quidditativa in *sensu amplio* dici posset cognitio quaelibet qua attinginus aliquo modo *quid res sit; strictius* autem quidditativa dicitur illa cognitio quae ita perfecta est ut exhauriat omnem rei cognitae cognoscibilitatem.

226. Functionum cognoscitivarum notio et divisio. Cognitiones autem quaecumque, functiones non improprie nuncupatae (196), non semper experientiae hominis sese praebent quasi inter se seiunctae, prout eas intellectus humanus valet considerare ut ipsis studeat; sed plerumque inter se ita connexae apparent, ut potius efforment processus complexissimos, qui nomine complexarum *functionum cognoscitivarum* donari possunt [12].

Igitur antequam ulterius progrediamur in nostro studio cognitionis, iuvat duplicem divisionem harum functionum cognoscitivarum proponere, quae utilis erit ad ordinate procedendum in nostra tractatione.

Prima est divisio functionum cognoscitivarum in functiones: a) *adquisitionis,* b) *reproductionis,* et c) *productionis.*

a) *Functiones adquisitionis* illae omnes sunt, ope quarum obtinemus notitiam innumerabilium rerum vel obiectorum per simplicem perceptionem ipsorum, et generatim, ipsis rebus immediate influentibus in nostra cognitione.

b) *Functiones reproductionis* illae sunt omnes quibus cognitiones praeviae adquisitas valemus denuo in mentem revocare absque immediato influxu rerum prius cognitarum, eas simpliciter evocando vel iterum menti praesentando quae antea praesentata fuere. Ideo etiam functiones *repraesentativae* dici possunt.

c) Tandem *functiones productivae,* licet illis aliquid ad-

[12] Cf. PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª ed. (Editorial Balmes, Barcelona 1952) p.83-84 n.84.

quiratur et ex cognitionibus adquisitis aliquid reproducatur, a praecedentibus distinguuntur, quia ope illarum, sive per processum qui *discursus* vel ratiocinatio dicitur, sive per *creationem artisticam,* sive per *inventionem,* ad cognitionem alicuius veritatis novae, vel ad productionem alicuius rei quae a natura non datur pervenitur.

Analogiam quam eiusmodi functiones psychicae prae se ferunt cum functionibus *nutritionis, augmentationis* seu *structurationis,* et *generationis,* quae proprie sunt vitae vegetativae, supra iam (n.221), de vita psychica in genere agentes, animadvertimus.

Altera divisio functionum cognoscitivarum illa ipsa est quae includitur in divisione vitae psychicae in *sensitivam* et *intellectualem,* de qua iam multa diximus in thesibus 7 et 8 (100-120).

De diversis functionibus cognoscitivis vitae sensitivae atque de potentiis quae ad eas eliciendas concurrunt, iam speciatim in sequentibus dicendum venit.

227. Quot et quaenam sint generales functiones cognoscitivae vitae sensitivae. Cum, ut supra in thesi 8 (108-120) probatum est, functiones cognoscitivae quas *productivas* seu *inventivas* diximus, omnino exulent a vita pure sensitiva, sequitur inde omnem activitatem cognoscitivam ordinis sensitivi duas tantummodo functiones generales complecti, quae sunt a) *functiones adquisitionis,* et b) *repraesentationis,*

a) *Functiones autem adquisitionis* multiplices sunt et diversae, etiam intra ambitum vitae sensitivae; omnes tamen communi vocabulo *perceptionis sensitivae vel sensationis,* ex loquutione vulgari dessumpto, appellari possunt. Ne ullam theoricam explicationem perceptionis praeiudicemus, ex multiplicibus quae circa naturam perceptionis vel sensationis circumferuntur, eam definiemus cum SANCTO THOMA[16] simpliciter dicentes, quod "Perceptio... experimentalem quamdam notitiam significat". Notitia autem experimentalis idem est ac cognitio alicuius obiecti, habita ope influxus actualis ipsius.

Duo igitur ad cognitionem experimentalem requiruntur et sufficiunt. *Primum* est ut cognitio sit immediata, quo distinguitur a cognitione interpretativa vel discursiva. *Alterum* est ut producatur influxu actuali obiecti cogniti, quo cognitio experimentalis per quam perceptio definitur, distinguitur a cognitione iterata alicuius obiecti absque ipsius influxu actuali, ut evenit in functionibus quae dicuntur purae imaginationis et memoriae.

b) *Functiones ergo reproductionis* illae sunt quibus obiectum aliquod. licet immediate cognoscenti repraesentetur, illud tamen nec praesens physice est, nec actualiter per semetipsum in hanc cognitionem influit.

Nihil enim percipitur quod iterum aliquomodo in mentem revocari non possit.

[16] S. TH., 1 dist., q.1 a.1 ad 2.

Sunt autem in duplici differentia. *Aliae* enim cognitiones prius habitas simpliciter reproducunt, et nomine *imaginationis* designantur. *Aliae* vero quae ut *actus memoriae* habentur, non simpliciter reproducunt cognitiones prius habitas, sed ita reproducunt ut praeterea aliquid prae se ferant quod aliquo modo connectatur cum cognitionibus prius habitis ipsarumque obiectis, quod quidem clare evenit cum *ut tales explicite agnoscuntur.*

228. Sensatio et perceptio. Animadvertendum quoque est, multos esse auctores qui distinguunt inter sensationem et perceptionem, tum inter psychologos experimentales, tum etiam inter philosophos neoscholasticos qui, in psychologia philosophica tradenda, illorum placitis non in experientia sed in praepostera theoria associationista fundatis sese accommodare student, licet apud antiquos scholasticos eiusmodi distinctio non inveniatur.

Ab hac autem ratione explicandi perceptionem, recentiores sapientioresque psychologi etiam experimentales, paulatim recesserunt, utpote quae, nedum in experientia fundaretur, esset potius experientiae contraria. Nulla ergo ratio est a sententia antiquorum recedendi, qui sensationem a perceptione sensitiva non distinguebant.

Quod si aliquis vellet nomen sensationis adhibere ad significandum solummodo *primam* et *simpliciorem* perceptionem, quaestio esset tantummodo de modo loquendi; cum definitio perceptionis supra tradita aeque essentialiter conveniat perceptionibus primis et simplicioribus, ac illis qui multo complicatiores et ditiores sunt.

CAPUT IV

Theoria aristotelico-scholastica de cognitione sensitiva

ARISTOTELES, *De anima,* II c.6; III c.1; *De sensu et sensato; De memoria et reminiscentia;* S. TH., 1 q.77 a.3 et 4; *De anima,* a.13; *In De anima,* III lect.7; ALAMANNUS, *Summa philosophiae,* t.2 sect.4, Physicae p.3.ª q.41; q.44 a.2; q.83 a.1.2 et 3; SUÁREZ, *De anima,* III c.1-5.8 et 30; FRÖBES, *Psychologia speculativa* (1927) I p.97-209; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.120-182; MORÁN, *Psychologia,* I (1949) p.209-217 n.71-170; CASTELAIN, *Psychologie* (1904) p.88-98; MERCIER, *Psychologie,* 7.ª ed. (1905) p.149-305 n.67-131; BARBADO, *Estudios de psicología experimental,* II (1948) p.3-71; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.24-41 n.31-66; IDEM, *Alma y espíritu,* 2.ª ed. (1953) p.49-75; PÉREZ-ARGOS, *Psychologia speculativa humana* (1949) p.54-80; STUMPF, *Erkentnisslehre,* 2 vol. (Leipzig 1939-1940, op. posth.); FABRO, *La fenomenologia della Percezione* (1941): IDEM, *Percezione et pensiero* (1941); MARC. A., *Psychologie réflexive* (1948) I c.2 p.87-163; PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª ed. (1952) c.6-9; IDEM, *Psicología gestaltista, Fundamentos de hecho de la psicología gestaltista, La teoría de la forma* (Gestalttheorie) et *La percepción de la forma a la luz de la psicología aristotélicotomista,* art. apud Pens I (1945) p.31-61; II (1946) p.31-61; III (1947) p.29-57 et 147-171.

229. Duplex generale problema resolvendum. Praesens disquisitio *praesupponit* accuratam descriptionem phaenomenologicam obiectorum in cognitionibus sensitivis apparentium, traditam in praevio studio psychologiae experimentalis [1]. Cognitiones sensitivae, sive func-

[1] Cf. PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* ed.4.ª (Editorial Balmes 1952) c.6-9, vel *Cursum,* ubi ad finem capitis III huius libri breviter hanc descriptionem in mentem lectoris revocamus.

tiones *perceptivae* sint, sive etiam *reproductivae* (226) requirunt ut substantia sensitive vivens, seu principium *quod* effectivum et receptivum earum per modum naturae (216-218), *viribus* polleat seu *potentiis accidentalibus* ad diversas operationes sensitivas exercendas.

Insuper huiusmodi vires, saltem ad perceptionem quod attinet, quae ab omnibus functionibus cognoscitivis praesupponitur, non actu operantur nisi praevia excitatione alicuius stimuli externi, qua processus complexissimus inchoatur cuius terminus est obiectum intentionale seu contentum cognitionis sensitivae.

Duplex ergo caput problematum solvendorum occurrit, volenti aliqualem rationem reddere functionum cognoscitivarum vitae sensitivae. Determinandum enim est 1.º *quot* et *quaenam sint vires* seu potentiae vitae sensitivae cognoscitivae quae requiruntur, quotque sint etiam diversae perceptibilitates obiecti cogniti, seu rei *sensibilis* ipsis respondentes. Declarandum est 2.º, *quo ordine processus cognitionis sensitivae,* vi stimulorum extrinsecus provenentium et potentiarum, *evolvatur.*

Primum agmen problematum spectat potius ad vitam sensitivam cognoscitivam *in actu primo* et *quasi statice* consideratam, *alterum* vero ipsam *in actu secundo* et *in ipso fieri* seu *dynamice* inspectam.

ARTICULUS I.

THEORIA ARISTOTELICO - SCHOLASTICA CIRCA COGNITIONEM SENSITIVAM STATICE SEU IN ACTU PRIMO CONSIDERATAM

230. Asserta theoriae scholasticae fundamentalia. Assertiones fundamentales theoriae scholasticae circa cognitiones sensitivas *in actu primo consideratas* ad quattuor sequentes reduci posse videntur, quarum *prima* refertur ad vires seu potentias diversas quae, ex parte subiecti cognoscentis, requiruntur; *altera,* ad naturam passivam harum potentiarum; *tertia,* ad naturam activam earumdem; et *quarta* demum ad terminum cognitionis sensitivae, seu ad ipsius obiectum intentionale, quod sensibile dicitur.

231. Assertio 1.ª *Ex parte subiecti* sensitive cognoscentis, vires seu potentiae diversae, communiter *sensus* appellatae, quae *requiruntur* et *sufficiunt* ad rationem reddendam diversitatis obiectorum quae menti apparent ope cognitionis sensitivae, septem numerantur; quorum quinque *externi,* quattuor vero *interni* dicuntur.

Sensus externi sunt *visus, auditus, gustus, olfactus,* et alius sensus, iam ab ARISTOTELE in II *De anima* habitus ut genericus, plures alios complectens secundum speciem distinctos, qui "tamen potest dici unus, ut scribit SANCTUS THO-

MAS[2], quia etsi sit plurium contrarietatum, omnes tamen continentur sub una contrarietate nobis ignota et innominata". Denominatur autem vulgo ab specie sensationis nobis magis nota quae est sensatio tactilis, et nomine *tactus* donatur.

Quoniam organa horum diversorum sensuum, saltem quattuor priorum, ut hystologice et anatomice distincta et in diversis corporis partibus sita experimentaliter cognoscuntur, de distinctione reali horum sensuum nullum videtur posse esse dubium.

Sensus autem interni sunt *sensus communis, imaginatio* seu *phantasia, aestimativa,* quae in homine, ob altiores functiones quas exercet vi eius coniunctionis cum potentia intellectuali, *cogitativa* nuncupatur, et *memoria,* quae etiam in homine propter eandem coniunctionem, specialis modi operandi capax est, qui *reminiscentia* dicitur.

Quoniam organa horum sensuum nobis experimentaliter latent, eorumque situs in systemate nerveo non nisi coniecturando et modo valde vago et incerto determinari potest, haud mirum est quod licet omnes auctores scholastici conveniant in admittendo eiusmodi *functiones* et distinctionem *saltem virtualem* seu rationis ratiocinatae inter eiusmodi *sensus* fuerint tamen aliqui, quos inter SUÁREZ[3], qui eorundem distinctionem realem negaverint.

232. DISTINCTIO INTER SENSUS EXTERNOS ET INTERNOS ULTERIUS DECLARATUR. Cum denominatio et divisio sensuum in externos et internos reperiatur etiam apud psychologos modernos qui non raro eam perperam, vel saltem in sensu a mente scholasticorum alieno, interpretantur, iuvabit hic eam aliquantulum declarare.

Ad mentem SANCTI THOMAE et generatim scholasticorum, distinctio fundamentalis inter sensus externos et internos, *non praecise reponenda* est in eo quod illi res nobis externas, hi res nobis internas percipiant; quia sensibus externis, ut exempli causa tactu, etiam res nobis internas percipimus; et sensibus internis, exempli causa sensu communi et aestimativa, etiam percipimus res nobis externas.

Nec ita appellantur quia organa sensuum externorum extrinsecus pateant, et internorum sint in partibus interioribus corporis; quia dantur etiam organa sensoria propria sensuum externorum in interioribus partibus corporis, in quibus sensationes tactus habemus eiusdem ordinis ac sensationes tactus quae obtinentur excitatione organorum tactus ope corporum exteriorum.

Distinctio igitur essentialis, quae proinde semper datur inter sensus externos et internos, in eo consistit, ut illi semper immediate excitentur vi aliqua ordinis physici, chimici vel mechanici; dum sensus interni non nisi excitentur praevia operatione sesuum externorum. *Proprium enim est sensuum externorum* energiam physicam *in energiam physiologicam et psychicam transformare* et immediate obiectum intentionale producere; internorum vero illam energiam iam

[2] S. TH., Opusculum de *Potentiis animae,* c.3; cf. *Sum. Theol.,* 1 q.78 a.3 ad 3; et *De anima,* a.13 ad 17.
[3] SUÁREZ, *De anima,* l.3 c.30 n.16. Alios auctores citatos vide sis apud URRÁBURU, *Psychologia,* II p.762-771.

transformatam, et obiectum intentionale iam existens ulterius elaborare et perficere. Nulla ergo datur operatio sensuum internorum quae non praesupponat operationem praeviam alicuius sensus externi; quorum operatio psychica nullam aliam operationem psychicam praesupponit [4].

233. Assertio 2.ª Refertur ad *naturam passivam* potentiarum sensitivarum. Omnes enim potentiae cognoscitivae sensitivae sunt essentialiter *passivae,* quatenus operari nequeunt nisi apte immutationem aliquam patiantur, sive immediate sive mediate, ab obiecto cognoscendo. Haec autem passivitas potentiarum non obstat quominus etiam activae sint sub alio respectu, ut statim dicemus.

Ad rem S. THOMAS [5]: "Non enim distinguitur potentia activa a passiva ex hoc quod habeat operationem; quia cum cuiuslibet potentiae animae, tum activae tum passivae sit operatio aliqua, quaelibet potentia animae esset activa. Cognoscitur earum distinctio per comparationem potentiae ad obiectum. Si enim obiectum se habeat ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa; si autem e converso se habeat ut agens et movens, sic erit potentia passiva".

Haec autem immutatio praevia, quam omnis potentia cognoscitiva sensitiva essentialiter et ex sua ipsa natura requirit ad operandum, si ab ipso obiecto cognoscendo, quod potentiae praesens sit, fieri nequeat, vi aliqua vel qualitate activa ab obiecto immissa in potentiam perficitur, quae vices illius gerit. Haec autem vis, obiecti vicaria, apud scholasticos *species impressa* dicitur, et ab *specie expressa* distinguitur, quae est ipsa cognitio.

An et quatenus species sint admittendae ad functiones adquisitivas perceptionis in quibus obiectum reale cognitum praesens est et actu influit in ipsam, controvertitur. Certo certius species impressae sunt admittendae et de facto ab omnibus admittuntur ad functiones reproductivas imaginationis et memoriae, quae, absente obiecto reali cognito, exercentur, licet diversis nominibus metaphoricis designentur. Dicuntur enim *sulci, vestigia, tractus, engrammata,* quae quidem omnes denominationes minus propriae sunt quam vox *species* a scholasticis adhibita, quae idem significat ac similitudo saltem virtualis.

234. Assertio 3.ª Refertur etiam, ut praecedens, ad naturam potentiarum sensitivarum, et affirmat eas *non esse mere passivas, sed etiam activas.* Nam huiusmodi potentiae licet ad operandum, ut dictum est in praecedenti assertione, debeant aliquam immutationem subire, tamen non mere pas-

[4] PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* o.c., p.80 n.85.
[5] S. TH., *De veritate,* q.16 a.1 ad 13.

sive se habent in accipienda hac immutatione, quemadmodum passive se haberet res inanimata. Sed utpote quae potentiae vitales sunt entis vita sensitiva praediti, ubi primum ab obiecto ipsis extrinseco excitantur, sive immediate ab ipso, sive per speciem ipsius vicariam, sponte sua et iuxta leges proprias uniuscuiusque, vitaliter operantur, ea finalitate et solidaritate cum aliis potentiis sensitivis pariter vitalibus entis sensitivi, quae propriae sunt operationum vitalium.

Ita diversae potentiae saepe concurrunt sua activitate ad producendum *obiectum intentionale* seu *phaenomenon,* nobis introspectione notum, quod essentialiter, et totum quantum est, refertur ad *noumenon* vel obiectum extramentale, quod proinde subiectum cognoscens sponte ut quid reale aeque immediate ac phaenomenon apprehendit.

235. Assertio 4.ª In obiecto intentionali perceptionis sensitivae sic constituto, et consequenter etiam in obiecto functionum reproductionis, fundamentale est, iuxta hanc theoriam, accurate distinguere inter diversas perceptibilitates rerum quas de facto sensibus apprehendimus. Non enim omnia quae sensibus sive externis sive internis percipimus et denominatione generali *sensibilia* dicuntur, eodem modo percipimus vel sentimus.

Hinc divisio sensibilium, in 1) *sensibilia per se,* quae esse possunt sensibilia a) *propria,* vel b) *communia;* et 2) *sensibilia per accidens,* quae talia sunt, vel a) *non absolute* vel b) *absolute.*

Ulterius haec declarare iuvabit, quia magni momenti sunt ad hanc theoriam intelligendam.

236. 1) **Quid et quotuplex sit sensibile per se.** *Sensibile per se* dicitur illud quod per se movet sensum ad sentiendum, et apprehenditur ratione ipsius influxus in potentiam cognoscitivam.

a) Est autem *per se proprium,* ut explicat SANCTUS THOMAS [6], "quod ita sentitur in uno sensu, quod non potest alio sensu sentiri, et circa quod non potest errare sensus; sicut visus proprie est cognoscitivus coloris, et auditus soni".

b) Sensibile autem *per se* est *commune,* si non ab uno dumtaxat sensu sed a pluribus sensibus percipitur.

"Communia sensibilia, iuxta SANCTUM THOMAM [7], Aristotelem commentantem, sunt quinque: *motus, quies, nume-*

[6] S. TH., *De anima,* l.2 lect.13 (Pirotta, n.334).
[7] S. TH., *De anima* (Pirotta, n.386).

rus (quo revocari potest unitas), *figura* et *magnitudo* (id est, moles vel corpulentia). Haec enim nullius sensus unius sunt propria sed sunt communia omnibus. Quod non est sic intelligendum, quasi omnia ista sint omnibus communia, sed quaedam horum, scilicet numerus, motus et quies, sunt communia omnibus sensibus; tactus autem et visus percipiunt omnia quinque."

237. 2) **Quid et quotuplex sit sensibile per accidens.** *Sensibile per accidens* illud est quod per se non movet sensum, nec aliter sentiri dicitur nisi quia est coniunctum cum eo quod per se cadit sub sensum aliquem.

a) Sensibile per accidens dicitur non *simpliciter nec absolute,* si tale est non respectu omnium sensuum, sed tantum *respectu sensus alicuius,* a quo percipitur quia accidit ei esse coniunctum tantum cum eo quod per se hic sensus percipit.

Sic, si frustrulum saccari album oculis video, possum vere dicere me *videre dulce.* Dulce enim est sensibile per accidens respectu visus; non autem absolute respectu omnium sensuum, quia dulce, *per se* percipi potest non nisi a gustu.

b) Sensibile per accidens dicitur simpliciter et *absolute,* si tale est *respectu omnium sensuum,* quia a nullo illorum per se percipi potest, et tantum ipsum *intellectu* percipitur, quia coniunctum est cum eo quod per se sensibus percipio.

Sic aliquem videns vel audiens, vere possum dicere me videre vel audire hominem, fratrem, amicum; et nullus est sensus qui rationem hominis, fratris vel amici per se percipiat, cum eiusmodi rationes tantum intellectu per se percipiantur.

Ad rationem sensibilis per accidens igitur *tres requiruntur condiciones.* Iuxta Sanctum Thomam[5]: "*Primo* requiritur ut accidat ei quod per se est sensibile, sicut accidit albo esse hominem, et accidit ei esse dulce. *Secundo* requiritur quod sit apprehensum a sentiente; si enim accideret sensibili quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri. Oportet igitur quod per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis".

Praeterea requiritur ut cognitio rei quae dicitur sensibilis per accidens, sit prorsus *immediata,* non autem discursiva vel interpretativa; quia tunc non unica perceptione illud quod est sensibile per se et per accidens perciperem, sed actibus cognitionis distinctis sibique succedentibus. Sensibile igitur per accidens semper obiectum aliquod est *immediatum* perceptionis. Non autem inde sequitur esse datum

[5] S. Th., *In II De Anima,* l.c. (Pirotta, n.395)

primitivum seu a sensu quod ipsum percipit adquisitum, sed esse potest *derivatum* ex cognitionibus experientiae prius habitae; apprehensum tamen ut unum, simul cum rebus per se perceptis, in unitate unius perceptionis.

238. Quid de hac doctrina sentiendum. Theoria aristotelico-scholastica sensuum externorum et internorum distinctorumque sensibilium, quam hucusque exposuimus, licet antiqua, *nullatenus ut antiquata habenda est.* Nam in statu actuali scientiae psychologicae experimentalis, postquam pristinis theoriis plus minusve elementaristis iam reiectis ab ipsis psychologis experimentalibus, impulsu praesertim scholae gestaltistae, unitas et totietas vitalis functionum sensitivarum agnita est, haud difficile demonstratur hanc theoriam aristotelico-scholasticam, recte intellectam, cognitiones omnes sensitivas sub adspectu philosophico sufficienter explicare, atque ita quidem ut, in statu actuali scientiae psychologicae, nulla alia afferri possit theoria quae ea sufficienter explicet, imo et quae gravissimis non deturpetur erroribus philosophicis [9].

ARTICULUS II

VITA SENSITIVA COGNOSCITIVA DYNAMICE SEU IN FIERI CONSIDERATA

239. Nexus cum praecedentibus, articulique scopus. Postquam de potentiis cognoscitivis vitae sensitivae egimus, atque de obiectis ab ipsis perceptis seu de sensibilibus disseruimus, hic declarandum venit, in quantum rei obscuritas patitur, quo pacto et ordine eiusmodi potentiae in *genesi* et *evolutione* processus cognitionis sensitivae, tum perceptivae seu *adquisitivae*, tum etiam *reproductivae,* suam operam conferunt. Doctrina tradenda circa originem et efformationem cognitionum sensitivarum necessaria est ad theoriam de origine idearum in libro V exponendam, et ad eam melius tuendam viam parat.

Etiam hac super re, per quam obscura et difficili, nihil melius et profundius, nihilque magis cum experientia cohaerens et verius dictum esse existimamus, quam assertiones fundamentales theoriae iam ab ARISTOTELE propositae et ab auctoribus scholasticis excultae, omissis tamen innumeris aliis quaestionibus secundariis inter ipsos scholasticos controversis; in quibus, ut verbis utamur LEONIS XIII [10] de doctrina scholastica generatim dicentis, aliquid abs dubio reperitur "nimia subtilitate quaesitum vel parum considerate dictum, vel cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile".

Huius igitur theoriae generales et fundamentales assertiones ad quattuor sequentes reduci posse videntur.

---

[9] Cf. *In Cursu* th.21, et integrum articulum 1 capitis IV, libri IV.
[10] Encyclica *Aeterni Patris* versus finem.

240. Assertio 1.ª: Realitas concursus causalis obiecti cognoscendi. Processus quo quaelibet cognitio, saltem sensitiva producitur, necessario et semper inchoatur influxu aliquo causali, sive immediato sive mediato, obiecti cognoscendi in ipsius cognitionem.

Cognitiones enim, cum non semper exsistant, sunt aliquid quod incipit esse et evanescit, ac proinde aliquid quod aliquo modo *fit*, vel producitur. Huius productionis, experimentaliter, tantum cognoscimus *terminum* seu obiectum intentionale ope introspectionis, et, saltem ad sensationem externam quod attinet, etiam *initium*, quod in aliqua stimulatione organi vel potentiae sentientis consistit. Cumque terminus intentionalis cognitionis sensitivae seu ipsius *contentum* adeo *complexum* sit, et stimulus quilibet organum vel potentiam sensitivam actuans, sit *relative simplicissimum* et certe multo simplicior quam obiectum intentionale ex illa stimulatione resultans, merito *quaeri potest* quo genere activitatis vel qua serie activitatum illud quod ab hoc stimulo unice dari potest, in obiectum intentionale cognitionis transformetur. Dum dicimus hunc processum necessario inchoandum esse influxu causali obiecti, affirmamus hoc non mera sua praesentia nec veluti meram quandam condicionem concurrere: sed ut veram causam naturalem actione sua in cognitionem influere[11].

241. Assertio 2.ª: Influxus causalis obiecti sensitivi cognoscendi, plerumque saltem, non est nisi mediatus. Non enim hic influxus exercetur immediate *ab ipsa entitate obiecti,* nec immediate in ipsam entitatem cognitionis, sed tantum mediate, media scilicet aliqua virtualitate ab obiecto cognoscendo in potentiam cognoscitivam immissa, praevie ad huius cognitionem.

Cognitionem sensitivam, propriam *sensuum internorum*, haberi influxu tantum mediato obiecti, constat ex ipsa natura sensuum internorum, qui nihil cognoscunt quod prius cognitum non fuerit a sensibus externis. Munus enim sensuum internorum, ut supra diximus (232), nullum aliud est quam obiecta percepta a sensibus externis unificare, structurare, perficere et reproducere. Ad *sensationes autem externas* quod attinet evidenti experientia constat, quoties obiectum cognitum est distans, ut evenit in auditione et maxime in visione; et probabilius est etiam affirmandum de sensibus in quibus obiectum ab organo sentiente non distat sed ipsi coniunctum apparet, ut evenit in gustu, olfatu, et tactu, quorum sensationes, non obstante hac coniunctione produci non posse videntur, nisi conveniens immutatio organi praecesserit ope qualitatis ordinis distincti ab obiecto cognito et ab ipsius cognitione[12].

242. Assertio 3.ª Natura qualitatis qua potentia sensitiva ex parte obiecti completur et determinatur. Potentia sensitiva in locutione communi solet cum organo sen-

[11] Hanc assertionem demonstratam videas in *Cursu,* th.22.
[12] Vide sis in *Cursu,* th.23, ubi quid in hac assertione certum sit quid tantum probabile declaratur et probatur.

sorio identificari. Quod quidem admitti potest modo sermo sit de organo sensorio, non mere materialiter considerato pro parte aliqua corporis specialiter structurata sub adspectu anatomico, qualis etiam in cadavere datur, sed de organo corporeo vivo et potentia sentiendi praedito ab anima dimanante et in ipso recepta. Organum sensorium sic intellectum vere dici potest potentia sensitiva, quae organum requirit nec nisi in organo datur.

His positis, dicimus id quod, iuxta assertionem praecedentem, potentia sensitiva sensuum externorum determinanda et complenda est ex parte obiecti, non consistere in qualitate vel forma aliqua accidentali quae sit ordinis *mere mechanici* vel *physicochimici,* nec ordinis *pure physiologici* (233) sed esse qualitatem vel formam aliquam accidentalem ad ordinem *psycho-physiologicum* pertinens.

Ita dicendum esse cum maiori probabilitate existimamus, ad mentem antiquorum, qui immutationem factam ab hac qualitate in potentia sensitiva, spiritualem in sensu quidem lato appellabant; et neoscholasticorum qui hanc immutationem *psychicam* esse dicunt. Nam cum haec qualitas, iuxta omnes, ad complendam potentiam cognoscitivam requiratur in ratione virtutis, ad exprimendam in cognitione similitudinem obiecti cognoscendi; et accidens quoddam sit quod tamquam in subiecto recipitur in ipsa potentia sensitiva quae est ordinis psychophysiologici; non potest non esse quoque huius ordinis et perfectionis; omne enim accidens naturam subiecti in quo est sortitur, cum ab eo in essendo dependeat et ex eo educatur [13].

243. Assertio 4.ª: Praefatae qualitatis nomen et causae. Qualitas qua potentia sensitiva constituitur in actu primo proximo ad exprimendam in cognitione similitudinem intentionalem obiecti cognoscendi, recte ad mentem scholasticorum ut *species impressa sensitiva in sensu stricto* habenda est: quae proinde contra opinionem communiorem antiquorum, non plene constituta extra organum exsistit, nec a solo obiecto producitur, sed *ab organo vivo, reagente vitaliter contra stimulum externum* ab obiecto reali procedens. Hac reactione, energia pure physicochimica extrinsecus adveniens et organum percellens gradatim transformatur in *physiologicam* et *psychophysiologicam,* qua potentia sensitiva proxime fecundatur ad cognitionem sensitivam eliciendam.

Energiae ordinis mechanici vel physicochimici, quae ab obiectis naturae undique diffunduntur et in medio sunt quod intercedit inter obiectum cognoscendum et potentiam, quatenus ab organis sensoriis captantur ipsaque percellunt, possunt quidem etiam in sensu lato et

[13] Vide in *Cursu,* th.24.

metonimice loquendo seu inchoative et principialiter, *species* impressae appellari, quatenus initium sunt processus quo vera species impressa sensationis, ope reactionis vitalis organi sensorii producitur in ipso, praevie ad sensationem, quod proinde est speciei impressae causa efficiens principalis et materialis [14].

CAPUT V

De tendentia sensitiva

ARISTOTELES, *De anima,* I c.4; II c.3; III c.9 et 10; S. TH., *In De anima,* I lect.10; II lect.5; III lect.14 et 15; *Sum. Theol.,* 1 q.19 a.1; q.80; 1-2 q.22 ad 48; *De veritate,* q.15 a.5; q.22 a.1 et 3; q.25 a.1; ALAMANNUS, *Summa Philosophiae, De anima,* q.85 a.1-5; SUÁREZ, *De anima,* V c.1-6; URRÁBURU, *Psychologia,* III p.1-36; PESCH, *Institutiones psychologicae,* II p.304-344 n.629-650; MERCIER, *Psychologie,* 7.ª ed. p.307-334 n.132-142; HUGON, *Philosophia naturalis* 5.ª ed. p.590-609; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II, p.8-30 n.150-161; FRÖBES, *Psychologia speculativa,* I p.209-216; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.185-189 n.126-128; MORÁN, *Psychologia,* n.327-334; BRENNAN, *Psychologia general* (ed. hispana 1952) p.292-304; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.92-99 n.150-159; McDOUGALL, *An introduction to Social Psychology* (1924) c.5.

244. Nexus et ordo capitis. Postquam de activitate psychica intentionali vitae sensitivae egimus, quae *cognitio* dicitur, iam de altera vitae sensitivae activitate pariter intentionali agendum est, quam sub nomine generali tendentiae designamus. Agendum est 1.º de *conceptu* generali tendentiae quae omni tendentiae convenit atque de ipsius generalioribus *partitionibus;* 2.º de *realitate* tendentiarum vitae sensitivae; 3.º de ipsarum *natura materiali;* 4.º de *classificatione* tendentiarum sensitivarum apud scholasticos, sub nomine passionum.

ARTICULUS I

TENDENTIAE NOTIO ET GENERALIORES PARTITIONES

245. Conceptus generalis tendentiae. Vox tendentia semper activitatem aliquam connotat; licet conceptus activitatis non identificetur cum conceptu tendentiae. Etsi omnis activitas a natura creata procedens sit semper de facto vera et germana tendentia; nihil tamen prohibet quominus activitas aliqua concipiatur quae tendentia praedita non sit.

Vox tendentia *duplici sensu* accipi potest et solet.

Interdum *activitatem tendendi* significat; interdum vero *potentiam,* seu potius exigentiam potentiae alicuius tendendi versus aliquid determinatum. Utroque sensu hic accipi potest; ad eius tamen notionem declarandam, iuxta primum sensum potissimum loquemur, utpote qui melius experientiae nostrae subicitur.

[14] Vide in *Cursu,* th.25.

Omnis igitur activitas, cuiuscumque rei vel generis sit, quae determinatam ordinationem vel directionem prae se ferat versus aliquid, sive faciendum sive obtinendum, in sermone tum vulgari tum etiam scientifico, *tendentia* praedita esse dicitur versus illud.

Eiusmodi autem ordinatio vel directio *bifariam concipi potest,* scilicet, vel ita ut *ab extrinseco* rei quae per illam activitatem tendere dicitur versus aliquid, ipsi veluti violenter imponatur, sicut tendentia saggitae ad attingendum signum, ut exemplo utamur a S. THOMA[1] adducto; vel ita ut ipsa natura vel entitas rei sua activitate ad aliquid tendat, vel sponte sua, vel saltem ab aliqua vi ipsi intrinseca ipsique addita, ope exercitii praevii ab ipsa adquisita.

Tendentia igitur stricte talis, de qua unice hic agendum, est tantum tendentia activitatis quae activitas *spontanea* est, non *violenta.*

246. In omnibus entibus naturae verae tendentiae naturales reperiuntur. Facile patet nullum esse in natura ens experientiae nostrae subiectum, quod tendentiis propriis non ornetur, a sua ipsa natura profluentibus. Nullum quippe ens naturae est quod sit penitus iners, quodque aliquas activitates sponte sua et vi suae constitutionis essentialis non exerceat, si condiciones adsint requisitae, ut eius potentia operandi in actum redigatur. Tunc eiusmodi activitates, *non casu* et fortuito, sed per se et semper ordinate exercentur, et ad *determinatos effectus* producendos constanter diriguntur.

Haec enim constantia, directio, ordo et necessitas operationum cuiuscumque entium naturae, quae in ipsa essentia vel constitutione intima peculiari uniuscuiusque radicatur, *fundamentum est legum physicarum* quae ab scientiis naturae statuuntur; quae quidem nihil aliud sunt quam enuntiata generalia circa ordinem et directionem activitatum entium naturae, seu quod idem est, circa ipsorum *tendentias naturales.*

247. Tendentiarum nomina diversa. Tendentia naturalis hucusque in genere descripta, tum in sermone vulgari, tum etiam in scientifico, innumeris et diversis nominibus designatur. Tendentiae enim vocantur etiam, *inclinationes, propensiones, impulsus, conationes, passiones, affectiones, desideria, volitiones, appetitiones* vel *appetitus.*

Hac postrema denominatione excepta, ceterae *minus aptae videntur ad disserendum de tendentia in genere;* vel eo quod potius

[1] S. TH., *De veritate,* q.22 a.1 Cf. *Summa Theol.,* 1-2 q.1 a.2.

peculiares tendentias significant quae cum aliis confundendae non sunt; vel quia non tendentias simpliciter tales significant sed connotant praeterea determinationes accidentales aliquas ipsarum, ut exempli causa, intensitatem vel adspectum sentimentalem, quae ad essentiam tendentiae proprie talis non pertinent.

Ideo hic generatim de tendentia loquentes, hanc vocem communiter usurpabimus, vel etiam vocem appetitionem, quae omnibus tendentiis cuiuscumque generis communiter conveniunt. Utraque in usu est tum apud auctores scholasticos, tum etiam apud modernos psychologos. "Appetere autem—scribit SANCTUS THOMAS [2]—nihil aliud est quam *aliquid petere,* quasi *tendere* in aliquid ad ipsum ordinatum".

248. Tendentiarum naturalium generalis divisio. Imprimis animadvertendum est *tendentias naturales* posse esse *simpliciter tales,* quas *innatas* vocabimus; vel *non simpliciter tales,* sed aliquomodo *adquisitas.* Magnum est discrimen inter eiusmodi duo genera tendentiarum, licet omnes tendentiae adquisitae quodammodo tendentias innatas praesupponant.

Tendentiae enim quae intrinsece a natura entium profluunt, praesertim in viventibus vita psychica, saepe ope, sive spontanei exercitii, sive methodicae educationis, ita *perficiuntur* et *modificantur,* ut quamvis semper in tendentiis a natura sponte profluentibus initium habeant et radicentur, ab illis tamen omnino distinguuntur, et *vitia,* vel *virtutes,* vel *artes,* vel *scientia,* vel *cultura,* vel *peritia* in aliqua re a vulgo nuncupantur.

Eiusmodi tendentiae licet a mera natura sponte non dentur, semper ab aliqua modificatione virium intrinsecarum naturae procedunt; quae vel *habitus* quidam est, tendentiam intrinsece roborans et perficiens; vel *principium aliquod activum,* quod licet naturae indebitum, eam tamen intrinsece complet et elevat, ut in casu virtutum supernaturalium et gratiae sanctificantis, de quo tamen tantum nobis constat ex scientia theologica.

Has igitur tendentias procedentes quidem a natura, sed sive intrinsece modificata habitibus aliquibus naturalibus, sive principio aliquo supernaturali elevata, *tendentias adquisitas* nuncupamus. Nec de his nunc agendum est; sed tantum de tendentiis a pura natura procedentibus. Eiusmodi tendentias naturales nomine *tendentiarum innatarum* designamus.

249. Tendentiarum innatarum suprema et adaequata divisio. Divisio tendentiarum innatarum entium naturae quae experientiae nostrae subiciuntur, in divisione adaequata activitatum ipsorum fundata est. Nam tendentia, ut supra dictum est (244) in directione et ordinatione intrinseca con-

[2] S. TH., *De veritate,* q.22 a.1 c.

sistit harum activitatum. Ratione igitur diversitatis actionum ordinandarum et dirigendarum, diversas inter se tendentias distinguere licebit.

Iam vero, activitates quae sponte fluunt ab intrinseco naturae adaequate dividuntur in A) activitates quae non sunt *ordinis psychici,* et B) in eas quae sunt *ordinis psychici,* huic appellationi significationem tribuendo supra (5) declaratam, vi cuius *psychicum* idem sonat ac *intentionale et conscium.*

Activitates autem A) *quae non sunt ordinis psychici,* sunt *a)* vel activitates entium inorganicorum, *omni vita carentium,* quales sunt activitates pure physicae entium ad regnum minerale pertinentium, vel *b)* activitates entium *aliqua vita, videlicet vegetativa* fruentium, seu activitates *physiologicae* plantarum.

Similiter B) *activitates entium vita psychica* praeditorum vel sunt *a)* activitates vitae psychicae *ordinis pure sensitivi,* seu activitates *psychophysiologicae* quibus gaudent omnia entia ad regnum animale pertinentia; vel *b)* activitates *vitae psychicae tum sensitivae tum rationalis,* quae tantum in homine reperiuntur.

Totidem igitur erunt tendentiarum innatarum suprema capita vel agmina, quot sunt capita vel agmina activitatum, iuxta sequentem tabulam:

Classificatio generalis tendentiarum innatarum

Tendentiae innatae sunt vel..	A) Non psychicae, vel....	*a)* entium inorganicorum, non viventium, seu tendentiae *physicae.*
		b) entium organicorum vita vegetativa gaudentium, seu tendentiae *physiologicae.*
	B) psychicae, vel	*a)* entium viventium mera vita psychica sensitiva, seu tendentiae *psychophysiologicae.*
		b) entium viventium vita psychica rationali, seu tendentiae *spirituales.*

ARTICULUS II

Tendentiarum sensitivarum realitas

Thesis 15. Omne vivens sensitivum gaudet tendentiis psychicis sensitivis, ab omni alia activitate specifice distinctis et ad illam irreductibilibus.

250. Notiones. Vivens sensitivum, ut constat ex doctrina prius tradita et demonstrata in thesi 7 (100-107) et 8 (108-120), est tum animal tum homo.

Tendentiae hic sumuntur *in actu secundo*, seu considerantur in suo actuali exercitio, nondum autem *in suo actu primo*, seu ut vires vel potentiae ad tendendum vel appetendum.

Tendentiae psychicae in actu secundo intellectae sunt *activitates psychicae*, ac proinde, ut supra abunde explicatum manet (188-192), activitates *vitales, intentionales* et *consciae*, aliquo genere conscientiae (secus psychicae non essent sed tantum physiologicae), quibus ens sensitivum fertur seu intrinsece et *psychice impellitur vel inclinatur versus obiectum aliquod praevie vel etiam concomitanter cognitum, vel ab eo avertitur.*

Tendentiae psychicae, quas sic in genere definivimus ne quaestio praesens praeiudicetur et ut cum adversariis in limine disputationis convenire possimus, apud scholasticos vocantur tendentiae vel *appetitiones elicitae,* quo nomine eas generatim distinguunt a tendentiis *pure naturalibus.* Dicuntur etiam ab illis, Sancto Thoma praeeunte, *inclinationes consequentes formam apprehensam,* easque distinguunt a tendentiis naturalibus quae sunt *inclinationes consequentes formam naturalem* [8].

Tandem tendentiae psychicae aliae sunt *rationales,* si in ordine activitatis psychicae intellectualis seu rationalis producantur, et cognitionem intellectualem obiecti appetendi consequantur; et aliae *sensitivae,* ad vitam animalem spectantes, quae in ipso ordine activitatis psychicae sensitivae producuntur et cognitionem sensitivam obiecti appetendi consequuntur.

251. Status quaestionis. His positis, *quaestio praesens* est utrum admittendae sint tendentiae vel appetitiones psychicae sensitivae irreductibiles ad quascumque alias activitates vitales, ac proinde ab illis specifice distinctae.

[8] S. Th., *De malo,* q.6 a.un.

Nec ad praesentem quaestionem cum certitudine solvendam opus est in quaestionem ingredi, utrum aliquando, ex mera cognitione sensitiva, motus aliqui in vivente sensitivo immediate consequantur, qui sint tantum ordinis physiologici, ut exempli causa secretiones quarundam glandularum, vel motus etiam musculares membrorum corporis ad mimicam vel ad gestum spectantes, nullo interveniente appetitu psychico seu elicito sensitivo. Quia quamvis hoc permitteremus, adhuc verum esse posset dari appetitiones psychicas sensitivas innumeras, de quarum realitate hic tantum controvertitur.

252. Sententiae. Thesi sic propositae et intellectae adversantur saltem tacite et implicite, *multi psychologi moderni, praesertim experimentales* qui, quamvis de multis agant, quae appetitiones sensitivas tamquam modificationes accidentales *ad sentimentum* pertinentes comitantur, atque etiam de *reactionibus motoricis,* quae tendentias psychicas sensitivas consequuntur; de his tamen, qua talibus omnino tacent vel eas ad cognitiones revocare conantur, ut SPENCER, ZIEHEN, et MÜNSTERBERG.

Quod si aliqui tendentias sensitivas admittere videntur, eas tamen ita definiunt ut cum reactionibus motricibus vel cum motibus ex vera tendentia sensitiva consequentibus, confundere videantur. Talis videtur esse, exempli causa, definitio tendentiae sensitivae tradita a JANET[4]; qua illa dicitur esse "dispositio aliqua qua ens sensitivum determinatis excitationibus, respondit reactionibus pariter determinatis".

Adversantur quoque thesi, omnes qui vitam psychicam pure sensitivam animalibus denegant, quos in thesi 7 (102) recensuimus et confutavimus; atque etiam omnes illi philosophi qui, non nisi appetitionem rationalem, videlicet volitionem, admitterent, ut multi idealistae et spiritualistae exaggerati.

Thesis, e contra, *communis est omnibus philosophis scholasticis,* tum antiquis tum modernis, praeeunte ARISTOTELE; qui omnes realitatem appetitionis psychicae sensitivae admittunt et eam ab *appetitione rationali quae volitio* dicitur, atque etiam, ab *appetitu mere naturali et a motibus* appetitiones sensitivas consequentibus omnino distinguunt.

Thesis proposita, licet prima fronte evidens et proinde superflua videatur, non inutiliter proponitur, et quidem cum certitudine tenenda est; *viam enim sternit* ad melius intelligendam *naturam voluntatis eiusque liberum arbitrium,* de quibus accurate tractandum erit in libro V, vitae rationali dicato.

---

[4] "Une disposition à repondre à une excitation determinée par des réactions determinées" (JANET citatus a DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* ed.3.ª [1952] n.50 p.188).

253. Probatio. *Probatur experientia.* Nemo enim est qui tendentias psychicas sensitivas A) *propria introspectione,* in semetipso, non experiatur et B) *experientia obiectiva,* etiam in aliis hominibus et animalibus evidenter non apprehendat; quae quidem confundi nequeunt *a)* cum *cognitionibus* simpliciter vel cum eisdem *sentimento affectis,* nec *b)* cum *tendentiis pure naturalibus* seu non elicitis, nec *c)* cum *tendentiis rationalibus,* nec tandem *d)* cum *motibus localibus membrorum* organismi ex illis interdum consequentibus.

Ergo admittendae sunt tendentiae psychicae sensitivae omnino irreductibiles ad alias activitates psychicas et specifice distinctae ab illis.

Consequentia patet ex sufficienti enumeratione activitatum quibuscum in sententia thesi contraria confundi solent; et quia quidquid experientia evidenti apprehendimus verissimum est.

Antecedens per partes declaratur.

A) *Propria introspectione* quilibet homo tendentias psychicas sensitivas *in semetipso* experitur; perpetuo enim se sentit attractum et allectum versus quaedam obiecta sensitive cognita ut convenientia vel grata; et e contra repellitur et avertitur ab aliis obiectis pariter sensitive cognitis ut sibi ingratis et displicentibus. Nec istae attractiones et repulsiones attribui possunt soli volitioni, quae saepe est ipsis opposita.

Atque id ipsum B) dari experimur *in aliis* viventibus vita sensitiva, non quidem introspectione quae tantum circa activitates psychicas proprias possibilis est, sed saltem extrospectione seu *experientia obiectiva,* qua apprehendimus motus spontaneos aliorum hominum et animalium, de quibus nulla reddi posset ratio nisi appetitiones psychicae admitterentur, ut supra in thesi 7 (108-120), de psychismo animali disserentes, ostendimus.

Id ipsum etiam *demonstrant innumera vocabula,* quae in omnibus lexicis cuiuscumque idiomatis humani reperiuntur, ad significandas tendentias psychicas sensitivas, quibus nobis innotescit experientia quam de illis habent alii homines nobiscum colloquentes.

254. Quod *a)* eiusmodi experientiae tendentiarum *confundi nequeant cum experientia cognitionum,* patet ipsa introspectione. Non simpliciter cum cognitione; nam tum cognitio tum tendentia respiciunt quidem idem obiectum materiale; sed prorsus alio modo circa ipsum versantur. Cognitione enim obiectum respicitur *ut verum;* tendentia vero ut *bonum* seu conveniens. Cognitione, obiectum apparet subiecto cognoscenti ut aliquid sibi ut tali *extrinsecum,* quod intentio-

naliter seu in sua forma intentionali motu quodam *centripetali* ad ipsum trahitur. Tendentia vero e contra, subiectum intentionaliter et conscie, seu sua activitate psychica, in obiectum reale cognitum et ut cognitum inclinatur et impellitur motu quodam *centrifugali,* ut supra explicatum manet (196).

Nec *confundi potest cum cognitione sentimento coniuncta.* Quia vel sentimentum habetur ut species tendentiae, et tunc iam admittitur tendentia; vel ab ea distinguitur ut ipsius modus cognoscentem afficiens ut infra in thesi 17 (290-304) affirmabimus. Tunc cognitio sentimento affecta poterit quidem suscitare tendentiam consequentem; ipsa tamen, utpote cognitio nequit cum tendentia confundi, vi definitionis cognitionis et tendentiae.

Praeterea cognitio ab appetitione *non nunquam separatur. Ergo* ab hac distinguitur. Fieri enim potest ut aliquid cognoscatur quin versus illud aliquis motus tendentiae producatur. Sic cognitio de eodem prorsus obiecto, exempli causa cibi praesentis, tendentiam prosecutivam versus illud in animali excitat famelico, nullam autem in eodem plene saciato.

255. Quod b) *appetitio psychica sensitiva nequeat confundi cum appetitione propria appetitus mere naturalis* omnibus entibus communis, manifestum est; quia haec appetitio *sine praevia cognitione obiecti* appetendi et vi tantum legum ipsius naturae immediate exercetur, quandocumque condiciones adsint requisitae ut exerceatur, quas inter non computatur cognitio obiecti quod appetitur. Natura enim iam vi suae formae determinata est ad determinato modo operandum, ut evenit exempli causa in affinitatibus chemicis inter corpora. Ideo appetitus naturalis dicitur sequi *formam naturalem,* illam videlicet formam substantialem qua quodlibet ens corporeum in sua natura constituitur, quaeque radix est suarum proprietatum.

E contra, appetitio psychica sensitiva non fertur in suum obiectum *nisi prius fuerit cognitum,* et quidem quatenus cognitum est. Ideo dicitur sequi *formam apprehensam,* quia cognitio forma quaedam est (221) licet non nisi accidentalis et intentionalis obiecti appetendi, qua subiectum appetens ope facultatis cognoscitivae intentionaliter et accidentaliter informatur ut appetitionem eliciat, et, qua deficiente, indifferens ad illud appetendum maneret.

Ideo haec appetitio *elicita* dicitur, quia non exercetur nisi prius cognitio obiecti appetendi a facultate cognoscitiva eliciatur. Ignoti nulla cupido.

256. c) *Nec licet appetitionem sensitivam cum intellectuali seu volitione identificare;* quia illa sine hac in animali datur, et in homine volitionem quae certo datur, cum tendentia sensitiva identificare non licet, ut in libro V, thesi 27 (489-499) demonstrabitur.

257. Tandem d) *appetitio psychica sensitiva identificari nequit cum motibus* ex illa interdum sponte quidem consequentibus. *Primum,* quia eiusmodi motus in semetipsis considerati non sunt activitates *ordinis psychici,* seu intentionales et consciae, sed tantum ordinis *psychophysiologici* vel etiam *mechanici,* a vita tamen sensitiva imperati.

Interdum etiam eiusmodi motus ab appetitione separantur. Tum quia possunt aliqui motus, deficiente omni appetitione ipsorum, produci, sive mere mechanice, sive fortasse etiam vi solius cognitionis, ut evenit probabiliter influxu imaginum kinaesthesicarum in

actionibus psychice automaticis; tum etiam quia appetitiones motus dari possunt perfectissimae, quin motus consequantur, ut in paralyticis qui vehementer cupiunt moveri et non possunt. Praeterquamquod experientia testatur hominem bene moratum innumeros motus in se compescere qui sponte sequerentur ex appetitione psychica sibi relicta; et id ipsum etiam in animalibus evenire, quoties motus qui ex appetitione sponte sequeretur inhibetur, vi recordationis experientiae cuiusdam ingratae cum illis associatae. Sic canis famelicus, praesente hero, ab arripienda esca quam prae oculis habet se abstinet ne ab illo puniatur.

258. Obiectiones. Si exsistentia tendentiarum psychicarum sensitivarum experientia constaret, tendentiae non potuissent ignorari a psychologis experimentalibus. *Atqui* psychologi experimentales tendentias psychicas sensitivas ignorant. *Ergo* exsistentia tendentiarum psychicarum sensitivarum experientia non demonstratur.

Consequentia patet.

Maior vera est, quia proprium Psychologiae experimentalis est, de omni activitate psychica pertractare, quae experientiae nostrae subicitur, et quatenus experientiae subicitur.

Minor evidens fit omni qui indices tractatuum praecipuorum Psychologiae experimentalis inspiciat.

Resp.: conc. mai. et *nego min.* Ad probationem *min., dist.:* evidens est in indicibus praecipuorum tractatuum Psychologiae experimentalis non inveniri vox appetitus vel tendentia sensitiva, qua nos, proprie loquentes, tendentias psychicas sensitivas nuncupamus, *conc.;* evidens est in indicibus tractatuum Psychologiae experimentalis non inveniri aliae plures voces quibus activitates significantur quae tendentiae psychicae reapse sunt vel ipsas includunt, ut *instinctus, emotio, status affectivi, sentimentum, conatio, orexis, volitio* et alia sexcenta, *nego.*

ARTICULUS III

Appetitionum sensitivarum materialis natura

259. Natura et causae appetitionis sensitivae. Quae de natura et causis appetitionis sensitivae hic dicenda veniunt, ea ipsa sunt quae de omni activitate vitae psychicae sensitivae generatim inspecta, in capite II huius libri ediximus (206-218); et eodem iure asseruntur de appetitione sensitiva, ac de cognitione sensitiva.

Quamobrem, vitandae repetitionis causa et brevitati consulentes, sufficiat hic eandem doctrinam tendentiis psychicis sensitivis applicare.

Praecipuae igitur *assertiones* circa naturam et causas proximas appetitionis sensitivae, sunt quae sequuntur, ad quarum demonstrationem iure merito lectorem remittemus ad doctrinam iam supra traditam et demonstratam.

260. Tendentiae sensitivae sunt operationes materiales. Licet enim tendentia sensitiva, quemadmodum quaelibet alia operatio ad vitam sensitivam pertinens, sit evidenter ordinis superioris quam quaecumque alia operatio vitae vegetativae ad ordinem pure physiologicum pertinentis, et, a fortiori, quam activitas mere physica vel mechanica, ut supra in thesi 2 (49-59) et 13 (200-205) demonstratum est; nihilominus est adhuc operatio materialis seu *intrinsece dependens a materia corporis vivi,* anima sensitiva essentialiter constituti, ut supra demostravimus in thesi 14 (206-215). Nam eiusmodi operatio entitative considerata, accidens quoddam est; quod non in sola anima *recipitur,* sed tantum in corpore anima informato; nec ab anima efficitur, sed tantum a corpore vivo et anima essentialiter constituto in esse corporis viventis sensitivi (216-218).

261. Potentiae appetitivae sensitivae sunt accidentia. Energiae seu vires vel potentiae ad efficiendam appetitionem sensitivam omnino necessariae, nequeunt identificari cum substantia corporis anima constituti; quapropter huius sunt accidentia. Quod natura vel substantia quae operatur instructa esse debeat viribus vel energiis vel potentiis proportionatis ad operandum, per se patet; secus idem esset ac dicere appetitionem fieri a causa potenti eam efficere, et effectus admitteretur sine causa ipsius proportionata, quod est contra principium causalitatis.

Eiusmodi autem vires vel energiae *nequeunt identificari cum substantia animae.* Eius enim est vis vel potentia operandi, cuius est operatio quae eiusmodi vim requirit; anima autem operationem sensitivam non efficit, sed tantum corpus ut in assertione praecedenti dictum est.

Sed neque *cum substantia corporis vivi* anima essentialiter constituti identificari possunt; quia, cum substantia corporis vivi anima constituti sit in omnibus suis partibus eiusdem naturae vel speciei, per illas omnes tendentiae sensitivae efficerentur, quod est contra experientiam. Si igitur eiusmodi energiae vel vires vel potentiae in corpore vivo sunt et non sunt substantiae, accidentia corporis esse dicenda sunt.

262. Subiectum potentiarum appetitivarum vitae sensitivae. Energiae sive vires vel potentiae a quibus ut a causis proximis appetitiones sensitivae efficiuntur, sunt quidem in corpore anima informato tamquam in subiecto, sed ab

anima fluunt tamquam a principio. Sunt quidem ab anima; sed non sunt in anima. Sunt ab anima tamquam *a principio ultimo,* radicali seu exigitivo, sicut quaelibet aliae potentiae, operationes et perfectiones corporis vivi sensitivi; et in hoc sensu dici possunt potentiae animae, et animae earumdem operationes vere tribui.

Non autem sunt in anima tamquam *in subiecto,* quia licet dimanent vel fluant ab anima informante corpus, non exsistunt nisi in hoc, tamquam accidentia in subiecto. Sunt enim materiales.

263. Sedes potentiarum appetivus sensitivi in corpore. Vires appetitivae sensitivae quibus appetitiones introspectioni perviae seu consciae efficiuntur, in centris aliquibus cerebri sedem habent; nihil tamen obstat quominus admittantur etiam vires appetitivae in pluribus aliis centris nerveis extra cerebrum sitis, si in illis admittuntur cognitiones inconsciae, in sensu postmodum explicando, ex quibus motus quoque membrorum consequantur. Ubicumque cognitio aliqua datur, ibi proportionata tendentia videtur admittenda.

Consulto hanc assertionem modo aliquantulum impraeciso proponimus; nam in re tam abdita et tot controversiis, tum inter antiquos, tum etiam inter modernos auctores agitata, nihil amplius quod certum sit affirmare audemus. Plures enim hac super re perhibentur opiniones.

Assertio a nobis praeiacta potius accedit ad sententiam T. PESCH [5] scribentis: "Res certa est appetitum hunc simili modo difundi per totum corpus, quo tactum et sensum communem. Omnis ergo pars sensitiva in qua inest sensus est etiam organum appetitus sensitivi. Ubi est cognitio et sensus, ibi est varia appetitus affectio."

ARTICULUS IV

SCHOLASTICORUM CLASSIFICATIO TENDENTIARUM SUB NOMINE PASSIONUM

264. Tendentiae sensitivae a scholasticis passiones vocantur. Ex dictis iam patet cur appetitiones seu tendentiae sensitivae, in technicismo scholasticorum, plerumque *passiones* appellentur. Priusquam huius denominationis rationem reddamus, animadvertendum est vocem passio, tum apud vulgus tum etiam apud psychologos modernos, saepe ita

[5] T. PESCH, *Psychologia,* n.655.

accipi ut ipsius significatio non omnino cohaereat cum acceptione propria scholasticorum.

Sic, exempli causa, in locutione vulgari, vox passio significat quidem tendentiam aliquam psychicam; at non omnem, sed eam tantum quae aliquomodo ut inconveniens, vel exaggerata, vel deordinata habetur, praesertim sub adspectu moralitatis.

"Nomen vero passio, animadvertit SUÁREZ[6], communiter in malam partem accipitur, pro actu deordinato, et maxime apud Stoicos, qui passiones ponebant animi perturbationes a recta ratione diversas; ex quo colligebant illas non cadere in virum sapientem".

In hoc sensu, *omnis passio est quidem aliquod genus tendentiae, sed non omnis tendentia passio esset.*

Similiter apud *psychologos modernos* significatio vocis passio multum etiam restringitur ab illis qui passionem vocant tantummodo *tendentiam praedominantem,* vel tendentiam cuius satisfactioni aliae tendentiae ipsius suppositi subiciuntur.

Sic, exempli causa, a DE LA VAISSIÈRE[7] passio definitur "tendentia sensitiva ad se energias aliarum tendentiarum derivans". Ex qua definitione colligit hic auctor, quod "passio non datur naturaliter, nec vi naturae sibi relictae, sed vi influxus rationis"; ex quo iterum sequitur, iuxta ipsum auctorem, omnem passionem esse *tendentiam adquisitam;* et *bruta non habere passiones.*

Evidenter haec notio passionis coincidit quidem cum notione *vitii,* quod de se non datur in bruto, cuius operationes ordinate exercentur; sed tantum in homine, qui imperio rationis valet tendentias suas sensitivas inordinate exercere et pervertere.

Eiusmodi acceptiones vocis passionis, licet plus minusve cohaereant cum notione passionis vulgari, omnino alienae sunt a germana notione passionis ab scholasticis admissa, iuxta quos *omnis tendentia sensitiva passio est, et omnis passio proprie dicta, est etiam tendentia sensitiva.*

"Peripatetici, scribit SANCTUS THOMAS[8], *motus appetitus sensitivi passiones vocant:* unde eas bonas aestimant, cum sint ratione moderatae; malas autem, cum sint praeter moderationem rationis."

265. Cur motus appetitus sensitivi passiones ab scholasticis dicantur. *Ratio autem propter quam omnis tendentia sensitiva nomine passionis apud scholasticos donetur,* petitur ex immutatione organica quam secum fert exercitium cuiuslibet tendentiae sensitivae; quae in appetitione sensitiva magis patescit quam in operationibus cognoscitivis, et in operationibus vitae rationalis formaliter non dantur, quamvis horum intima connexio cum vita sensitiva, in homine, specialem modum essendi et operandi passionibus humanis tribuit.

[6] SUÁREZ, *De anima,* l.5 c.5 n.1.
[7] DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.160 n.26.
[8] S. TH., 1-2 q.24 a.2 c.

Iuxta S. Thomam [9]: "Semper actum appetitus sensitivi comitatur aliqua transmutatio corporis et maxime circa cor... Sic, igitur, *actus appetitus sensitivi, in quantum habet transmutationem adnexam, passiones dicuntur;* non autem secundum quod significant actus voluntatis. Amor, igitur, et gaudium secundum quod significant actus appetitus sensitivi passiones sunt; non autem secundum quod significant actus appetitus intellectivi".

266. Classificatio scholastica passionum. Huiusmodi classificatio passionum proxime *respicit passiones hominis,* in quo passiones proprie dictae quibus essentiale est aliqua transmutatio corporalis, intime connexae sunt cum tendentiis vitae rationalis, quibuscum unicum constituunt psychicum processum. Ideo in classificatione scholastica passionum includuntur etiam adspectus qui non nisi in passionibus humanis reperiuntur, eo quod supponant cognitiones intellectuales. Propterea S. Thomas [10] scribit quod "passio magis est in appetitu sensitivo quam in intellectivo qui dicitur voluntas". Est proinde etiam quodammodo in appetitu intellectivo, quatenus videlicet coniungitur cum sensitivo, ipsumque in homine complet et perficit.

His positis, in passionibus humanis, a S. Thoma [11] "triplex distinctio invenitur.

Prima quidem est qua differunt *quasi genere,* utpote ad diversas potentias animae pertinentes", sicut distinguuntur passiones *concupiscibilis* a passionibus *irascibilis*".

"*Secunda* vero distinctio passionum animae est qua distinguuntur *quasi species* in eadem potentia exsistentes."

Sub hoc adspectu specifico undecim distinguuntur passiones, quarum *sex* ad *appetitum concupiscibilem, quinque* tantum ad *irascibilem* pertinent.

Passiones concupiscibilis sunt:

Amor = inclinatio in *bonum simpliciter apprehensum.*

Odium = aversio a *malo simpliciter apprehenso.*

Desiderium = inclinatio in *bonum apprehensum ut absens et futurum.*

Fuga = aversio a *malo apprehenso ut absente et futuro.*

Gaudium = *seu delectatio* = quies in *bono apprehenso ut actualiter possesso,* cui per passionem adhaeretur ad ipsum retinendum.

Tristitia = inquietudo et languor animi *ex malo apprehenso ut actualiter iniacente.*

Ad appetitum irascibilem pertinent:

Spes = motus in bonum apprehensum ut *arduum* sed *possibile adeptu.*

[9] S. Th., 1 q.20 a.1 ad 1.
[10] S. Th., 1-2 q.22 a.3.
[11] S. Th., *De veritate* q.26 a.4 c.

DESPERATIO = motus a bono apprehenso ut *arduum* et *impossibile adeptu.*
AUDACIA = motus in malum apprehensum ut *terribile* et *imminens* sed *vitabile.*
TIMOR = animi deiectio ex malo apprehenso ut *terribile* et *imminente, sed non vitabile.*
IRA = vehemens inclinatio ad vindicandum, seu ad inferendum nocumentum causae quae *malum cui subiacemus* nobis intulit,

"*Tertia* differentia passionum est quasi accidentalis, quae quidem dupliciter accidit. *Uno modo* secundum *intensionem* et *remissionem,* sicut zelus importat intensionem amoris; furor autem intensionem irae. *Alio modo* secundum *materiales differentias boni et mali,* sicut differunt misericordia et invidia quae sunt species tristitiae; nam invidia est tristitia de prosperitate aliena, in quantum aestimatur malum proprium. Et sic est in aliis quibusdam considerare" [12].

CAPUT VI

De locomotione propria vitae sensitivae

ARISTOTELES, *De anima,* III c.9-10; S. TH., *In De anima,* III lect.14-15; 2 CG c.35; *Sum. Theol.,* 1 q.78 a.1 ad 4; *De potentia,* a.3 ad 2; *De anima,* a.13 ad 13; ALAMANNUS, *Summa philosophiae:* Philosophia naturalis, q.88; SUÁREZ, *De anima,* V c.10; DE BACKER, *Psychologia,* p.202-206; MERCIER, *Psychologie* (7.ª ed.) I p.338-346 n.145-149; HUGON, *Philosophia naturalis,* p.616-621; GREDT, *Elementa Philosophiae,* I p.405 n.512; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.30-35 n.162; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.159-199 n.134-137; MORÁN, *Psychologia* (1949) I p.300-302 n.355-358; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.97-156; FRÖBES, *Psychologia speculativa,* I p.230-240; IDEM, *Tratado de Psicología empírica y experimental* (3.ª ed.) II p.411-436; DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, (3.ª ed.) p.167-185 n.42-47.

267. Nexus et ordo capitis. Doctrina hucusque tradita de vita sensitiva tendentiali seu appetitiva, manca maneret, nisi de motu locali etiam ageremus, qui in ipsa elucet, et experientiae evidenter apparet cum vi appetitiva entis sensitivi intime connexa. Est enim motus localis, vitalis quaedam *continuatio ipsius tendentiae* et insuper *complementum omnino necessarium* totius vitae sensitivae, quae illo orbata, nec exerceri, nec fere concipi posset.

Ut praecipuas tantum et fundamentales quaestiones de locomotione breviter perstringamus, 1.°, in experientia innixi *quid et quotuplex motus localis* sit breviter memorabimus, ut motum localem de quo agendum est definiamus; 2.° realitatem *potentiae vitalis locomotivae* ipsiusque distinctionem ab aliis potentiis vindicabimus.

---

[12] Haec passionum classificatio, in *genera, species* et *varietates accidentales,* ulterius declaratur et demonstratur in *Cursu,* atque etiam apud DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* ed.3.ª p.192-195 n.52.

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT MOTUS LOCALIS

268. Quid veniat nomine motus localis. Motus, *stricte* et *propriissime* dictus, sumitur pro quacumque mutatione successiva, quae triplex esse potest, videlicet: secundum *quantitatem,* ut cum res parvi voluminis augescendo maius volumen assequitur; secundum *qualitatem,* ut cum caelum obscurum albescendo fit caerulem, vel cum aegrotus fit sanus; et tandem secundum *locum* vel situm quem ens aliquod in spatio occupat.

Motus autem secundum locum bifariam haberi potest. Uno modo per quandam *dilatationem* vel *contractionem entis* quod locum fixum occupat, quin ab eo hic locus deseratur ut alium occupet. Talis est motus naturalis cordis in systole et diastole, vel pulmonum in inspiratione et respiratione, atque etiam musculorum, quorum tensione vel relaxatione distinctae corporis partes apte moventur.

Alio modo habetur per translationem rei quae mutatur, a loco in quo sita erat in alium, primo relicto.

De hac tantum mutatione hic nobis agendum est, cui *proprie nomen locomotionis seu translationis localis* convenit, vi cuius, res unam ubicationem relinquit ut aliam assequatur.

Cum eiusmodi mutatio frequentissima sit et nobis magis nota, ex ea nomen motus translatum esse videtur ad alias etiam mutationes significandas.

269. Diversitas motuum translationis localis. *Distinguendum* imprimis inter motum localem *continuum* qui successive sine intermissione fit; et *non-continuum* seu interruptum, qui potius in pluralitate motuum continuorum sibi succedentium consistit.

Motus localis, *si ad causas attenditur* quibus producitur, potest esse *pure mechanicus,* sicut motus aquae e puteo salientis vi pompae impellentis productus; vel *mechanico-vitalis,* ut motus sanguinis per totum corpus circulantis vi contractionis et dilatationis vitalis cordis; vel *per accidens,* seu per meram coniunctionem cum aliqua re quae movetur, ut motus illius qui curru ferreo vel automovili vehitur; vel etiam *violentus,* si forsitan contra inclinationem illius qui movetur producitur, ut esset motus illius qui ab alio impelleretur, vel qui leges mechanicas aequilibrii, quacumque de causa non observans, ex inopinato humi eiceretur.

Tandem, quod quidem ad rem praesentem maxime spectat, motus translationis localis potest esse *transiens* vel *immanens*.

Transiens erit, si id quod localiter movetur distinctum sit a re cuius vi movetur, ut motus fidium quas citharista digitis suis promovet. Erit autem *immanens,* si id quod localiter movetur sit ipsum suppositum quod vi sua propria, semetipsum totum, vel saltem aliquam sui partem movet.

Duplex etiam motus immanens translationis possibilis est et de facto datur. *Unus* est motus suppositi se totum moventis et transferentis a loco quem occupat in alium. *Alius* est motus alicuius tantum partis vel membri suppositi, ipso in eodem loco perstante.

270. Motus translationis localis de quo agendum est. Omnes eiusmodi motus in viventibus sensitivis inveniuntur, et quodammodo dici possunt ad vitam sensitivam pertinere; quatenus haec radicatur in vita vegetativa et non exercetur nisi in corpore et per corpus. Sed *non omnes solius vitae sensitivae sunt;* siquidem independenter ab ea non pauci ex illis proveniunt ex viribus physicis et iuxta leges mechanicas exercentur a corporibus etiam inorganicis, et plures etiam reperiuntur in viventibus pure vegetativis. Attamen inter hos omnes motus *unus tantum est qui non nisi in viventibus sensitivis reperitur.* Talis est *motus localis et immanens,* ac proinde *vitalis,* quo animal se ipsum ab uno loco ad alium se transfert, distincta sua membra localiter movendo, modo apto ad aliquid assequendum vel vitandum, quod praevia cognitione ut sibi conveniens vel inconveniens apprehendit.

Ideo eiusmodi motus ad ordinem vitae sensitivae proprie et exclusive pertinere dicuntur, quia *psychismum sensitivum supponunt,* sine quo non darentur.

Recte etiam ab antiquis *motus animales* dicebantur, quia non nisi in animalibus et in homine quatenus animal est, reperiuntur. Quatenus vero ope horum motuum animal capax redditur ab uno in alium locum se transferendi, sive *gradiendo,* sive *serpendo,* sive *volando,* sive *natando,* ipsis proprie convenit etiam nomen *motus progressivi.*

De hac igitur LOCOMOTIONE ANIMALI atque etiam PROGRESSIVA agendum est cuius naturam et causas proximas investigare intendimus; quae quidem, quamvis plane ab aliis motibus localibus quorum meminimus distinguatur, ab illis tamen non separatur; et adeo dependet ab ipsis in suo exercitio ut, illis deficientibus, impossibilis evaderet; illisque perturbatis, pariter perturbaretur.

271. Quid cavendum sit in hac quaestione. In ratione ergo reddenda causarum proximarum motuum trans-

lationis localis, cavendum est, ne *vires physicae* quae, iuxta leges mechanicas, in executione cuiuslibet motus localis, simul cum *viribus vitae vegetativae* et *sensitivae* animalis concurrunt, ita vigere existimentur in viventi sensitivo, tamquam si separatae in distinctis suppositis darentur.

Nam, licet leges harum virium semper adamussim adimpleantur in omni motu locali animalis, ita tamen illae vires adhibentur a vivente et ita temperantur et inter se coordinantur, ut omnes mira teleologia conspirent ad motum localem animali convenientem, perfecte exsequendum. Viget enim inter eas illa unitas et solidaritas quae propria est omnium operationum vitalium (56-57), eo quod licet vires plane distinctae sint, ad idem suppositum pertinent, et in bonum ipsius ordinantur.

Sic, ut uno alterove exemplo rem declaremus, si homo stans, ita sinistrorsum se inclinat ut linea verticalis, ab eius centro gravitatis ducta extra basim suae sustentationis vergat, stare iam non poterit et aequilibrium amittens in solum cadet. Ut autem id non eveniat, sponte adest motus localis quo brachium vel crus vel utrumque destrorsum elevat et extendit, quo assequitur ut linea verticalis ab eius centro gravitatis ducta, non iam extra basim sustentationis cadat. Tunc nota lex mechanica aequilibrii adimpleta est; at non nisi opportune et vitaliter interveniente motu locali brachii vel cruris in bonum suppositi.

Sic etiam rithmus contractionis et dilatationis cordis quo circulatio sanguinis promovetur, atque etiam profunditas et frequentia inspirationis, quae operationes sunt ad vitam vegetativam spectantes, convenienter accelerantur in homine celeriter currente vel laborem aliquem intensiorem exantlante; qui quidem labor impossibilis fuisset, nisi convenienter ipsi aptarentur motus cordis et respirationis.

Simili modo omnes vires viventis sensitivi, cuiuscumque ordinis sint, perfecta solidaritate seu correlatione functionali, teleologice subordinatae fini vel bono suppositi operantur.

ARTICULUS II

REALITAS POTENTIAE VITALIS LOCOMOTIVAE, IPSIUSQUE DISTINCTIO AB ALIIS POTENTIIS

Thesis 16. Admittenda est potentia vitalis aliqua locomotiva a reliquis potentiis vitalibus entis sensitivi realiter distincta.

272. Notiones. POTENTIA VITALIS LOCOMOTIVA est principium proximum *activum,* ac proinde non potentia mere passiva vel receptiva, quo ens vivens vita sensitiva praeditum, semetipsum localiter movet.

MOTUS autem LOCOMOTIONIS, ut supra dictum est (268) duplex esse potest: *totalis,* nempe, seu quo totum suppositum

quod se movet ab uno in alium locum transfertur; vel tantum *partialis*, quo suppositum in eodem loco perstans, membra sua localiter movet.

RELIQUAE POTENTIAE vitales, a quibus realiter distingui asseritur potentia aliqua locomotiva, sunt potentiae quaelibet sive *cognoscitivae* sive *appetitivae;* et utraeque, vel ordinis *sensitivi*, de quibus hucusque egimus, vel ordinis *rationalis*, scilicet intellectus et voluntas de quarum exsistentia in homine, non autem in animali, constat iam aliquo modo ex thesi 8 (108-120) et in libro sequenti, vitae rationali dicato, ulterius de ipsarum realitate et natura agendum erit.

Dicimus POTENTIA ALIQUA VITALIS LOCOMOTIVA, ut significemus non omnem potentiam vitalem locomotivam esse ab aliis potentiis vitalibus entis sensitivi realiter distinctam.

Potentia enim vitalis locomotiva *triplex esse potest:* videlicet, *imperans*, sive impulsu suo determinans motum localem; *dirigens*, seu directionem et terminum motus indicans et se moventem quodammodo ducens ne in executione motus perturbetur: et *exsequens*, seu actu per semetipsam motum exercens [1].

273. Status quaestionis. Quod ad rectam executionem motuum vitalium locomotionis multiplices vires diversi ordinis concurrere possint, et quod, saltem dum agitur de motu locali magis complexo, non modo vires cognoscitivae sed etiam appetitivae concurrant ad *imperandum* et *dirigendum* motum localem, *extra dubium est.*

Ab omnibus etiam qui de thesi disputant *admittitur*, praeter potentias aliquas activas *imperantes* et *dirigentes* motum, cum potentiis cognoscitivis et appetitivis realiter identificatas, admittendum quoque esse in membris ad effectionem motus localis destinatis, quae musculi striati corporis sunt convenientibus nervis instructi, *saltem potentiam passivam ad se contrahendum vel relaxandum*, ex quorum contractionibus et relaxationibus motus localis consequitur.

Nemo enim est qui identificet cum cognitione et appetitione eiusmodi contractiones et relaxationes musculorum, ex quibus motus, iuxta leges mechanicas consequitur.

[1] Sanctus THOMAS, vel auctor Opusculi 40, *De potentiis animae*, c.5 sic scribit: "Potentia motiva animalis est quae movet per apprehensionem; et haec dividitur: quia quaenam movet per modum *dirigentis*, quaedam per modum *imperantis*, quaedam per modum *exsequentis*. Motivae per *modum dirigentis* sunt phantasia et aestimativa, in quantum appetitui ostendunt formam vel intentionem convenientem vel disconvenientem... Motivae autem *imperantes* et facientes motum sunt concupiscibilis et irascibilis, quae sunt partes appetitus sensitivi... *Vis exsequens* motum istum est vis exterior, quae difussa est in musculis et lacertis et nervis membrorum."

Tota, igitur, QUAESTIO PRAESENS huc devolvitur: utrum, videlicet, haec potentia sit *mere passiva,* consistens in mera structuratione dispositiva qua membra corporis reddantur habilia ut mere suscipiant motum ab appetitione vel cognitione tantum active producendum; vel e contra, utrum haec potentia *sit etiam de se activa,* et active se habens in effectione motus localis, subordinata quidem psychismo imperanti et dirigenti motum.

Si primum dicitur, thesis proposita negatur: nulla quippe potentia executiva activa motus localis daretur ab aliis potentiis entis sensitivi realiter distincta. Si vero alterum affirmatur, stat thesis.

274. Sententiae. Thesim negant, consequenter ad doctrinam generalem quam profitentur circa influxum causalem animae in operationibus vitalibus corporis, *omnes qui animae tribuunt influxum effectivum immediatum* in operationes vitales corporis, ac proinde, etiam in eius motum localem. Sic platonici et cartesiani, qui consequenter, motus locomotionis viventis sensitivi mere mechanicos esse dicunt.

Inter auctores *scholasticos* nonnulli fuerunt, praesertim antiquiores et quidem magni nominis, qui auctoritatem ARISTOTELIS et SANCTI THOMAE invocantes, potentiam executricem motus localis *passivam esse tenuerunt,* quos inter CAIETANUS, FERRARIENSIS, CAPREOLUS aliique computantur, quos citatos reperies apud URRÁBURU [2], qui textus quoque SANCTI THOMAE, ab his auctoribus pro sua sententia allegatos, affert et interpretatur.

Esse autem *potentiam activam* distinctam a potentia appetitiva et cognoscitiva qualibet, iuxta assertionem theseos, affirmarunt iam plures scholastici veteres, ut HENRICUS GANDAVENSIS, praeter plures alios etiam doctrinae SANCTI THOMAE addictissimos, quos inter recensendus est TOLETUS et IOANNES a SANCTO THOMA; et ex recentioribus fere omnes, ut TONGIORGI, LAHOUSE, DE BACKER, PESCH, GREDT, FARGES, HUGON, MERCIER, MAQUART et ipse URRÁBURU in opere et loco citato, rem profunde et erudite pertractans. Hi omnes patrocinium quoque SANCTI THOMAE invocant.

Inter omnes autem auctores potentiam activam locomotivam distinctam ab appetitu sensitivo asserentes. *eminet* SUÁREZ [3]; qui, licet admodum parcus sit in admittenda distinctione reali inter potentias sensitivas, tamen distinctionem realem potentiae activae motum lo-

[2] URRÁBURU, *Psychologia,* p.1.ª p.1941.
[3] SUÁREZ, *De anima,* l.5 c.10 n.5-10.

calem effectricis, ab aliis potentiis, ut probabiliorem sustinet et ab obiectionibus liberat.

Mens SANCTI THOMAE, hac super re, ab aliquibus ambigua esse dicitur. Cum autem admitti nequeat SANCTUM THOMAM non sibi constare, et regula sanae interpretationis sit, ut ea quae in aliquo auctore obscuriora sint vel tantum obiter seu occasionaliter scripta, interpretanda sint cohaerenter cum assertis eiusdem omnino explicitis de eadem re agentis, non autem e converso; existimamus thesim propositam veram doctrinam SANCTI THOMAE etiam continere [4].

275. Probatio. Iuxta omnes, ad executionem motus localis animalis vis aliqua motiva, seu potentia aliqua activa requiritur.

Secus enim effectus daretur sine causa.

Atqui haec vis motiva seu potentia activa executiva motus localis non identificatur cum potentia aliqua psychica sive *a)* cognoscitiva, sive *b)* appetitiva, animalis vel hominis.

Ergo vis motiva seu potentia activa aliqua admittenda est a reliquis potentiis hominis vel animalis distincta.

Consequentia patet; quia reliquae potentiae animalis vel hominis sunt vel cognoscitivae vel appetitivae; et, praeterea, ad eas tantum, praesertim ad potentiam appetitivam, recurrunt theseos adversarii.

Minor demonstratur:

276. 1.° Ex OBIECTO ET OPERATIONIBUS potentiarum de quibus agitur.

a) Ad potentias *cognoscitivas* quod attinet, earum operatio et obiectum est cognoscere seu apprehendere intentionaliter aliquod obiectum concretum et materiale, si de potentia sensitiva; vel abstractum et universale, si de intellectiva agitur; nec ad aliud vis cognoscitiva ut talis se extendit.

---

[4] En praecipui textus SANCTI THOMAE doctrinam theseos exprimentes: "Anima sensibilis... nec habet esse subsistens, nec hoc ipsum quod est movere motu progressivo facit sine corporali organo. Est enim duplex virtus motiva: una imperans et altera imperata. *Imperans* est virtus appetitiva sensitiva... *Virtus autem imperata exsequens motum est vis quaedam musculis et lacertis affixa*, ad quorum motum corpus movetur" (2 dist.18 q.2 a.3). Item: "Intellectus et appetitus movent sicut imperantes motum; sed oportet esse *potentiam motivam, quae* motum exsequatur, secundum quam scilicet membra sequuntur imperium appetitus et intellectus vel sensus" *(De anima,* a.13 ad 13). Et clarius adhuc in scriptis posterioribus, videlicet in *Summa Theologica*, ubi ARISTOTELEM sequens, explicite demonstrat (1 q.78 a.1) quinque genera potentiarum vitalium esse admittenda, quas inter recenset *potentiam motivam* secundum locum; et adversus eos qui dicunt hanc non dari eo quod motum explicandum sufficit potentia appetitiva sensitiva, respondet (ad 4): "Dicendum quod quamvis sensus et appetitus sint principia moventia in animalibus perfectis; non tamen sensus et appetitus, in quantum huiusmodi sufficiunt ad movendum, *nisi superadderetur eis aliqua virtus.* Nam in inmobilibus animalibus est sensus et appetitus; non tamen habent *vim motivam.* Et haec autem *vis motiva non solum est in appetitu et sensu ut imperante motum; sed etiam est in ipsis partibus corporis,* ut sint habiles ad obediendum appetitui animae moventis Cuius signum est, quod quando membra removentur a sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum."

Obiectum autem *potentiae activae motricis* est motus translationis localis producere, ope aptae et coordinatae contractionis vel dilatationis multiplicium musculorum qui partibus corporis movilibus alligati, eas diversimode localiter movent iuxta leges mechanicas.

Patet, igitur, operationes et obiecta potentiae cognoscitivae cuiuscumque, et obiectum operationesque potentiae activae motum exsequentis, esse inter se *adeo diversas* et ad ordines activitatis adeo inter se *irreductibiles,* ut tamquam ad idem obiectum formale pertinentes considerari nequeant.

Fieri, quidem, potest ut ad motum perfecte ordinateque exsequendum, imo etiam ad illud simpliciter determinandum, requiratur cognitio praevia motus peragendi; ac, proinde, nihil obstat quominus potentia cognoscitiva haberi possit ut potentia *directiva* motus localis. Sed dirigere motum localem vel etiam imperare ut ipse fiat, non idem est ac ipsum *elicere* vel *exsequi.*

Qui enim machinam automovilem regit, eius motus locomotionis dirigit quidem et imperat, sed non *elicit* vel exsequitur; nec per se sola eiusmodi directio sufficeret ad motum localem efficiendum, nisi machina automovilis vi motrici praedita esset. Sic, igitur, a pari, motus membrorum corporis, quo hoc ab uno in alium locum transfertur, cognitione quidem hominis vel animalis se moventis dirigitur; sed a sola potentia cognoscitiva nequaquam exsequi posset, nisi machina viva corporis movendi convenienter vigeat, et instructa sit potentia activa locomotiva.

277. b) *Similiter dicendum est de potentia appetitiva.* Operatio enim omnis potentiae appetitivae eiusque obiectum est tantum inclinatio seu propensio, *ordinis psychici* seu intentionalis et conscii, versus obiectum praevie cognitum ut conveniens; vel aversio ab illo, si ut inconveniens apprehenditur.

Haec autem propensio vel aversio, quae activitas est ordinis intentionalis et conscii, *confundi nequit cum executione* motus localis, quae licet activitati psychicae deserviat non est activitas psychica; nec sola appetitione efficitur, sed tantum *vi motrici* musculorum animalis vel hominis, qua illi ita apte et coordinate contrahuntur et dilatantur, ut ex ipsis, motus ab appetitu intentus, iuxta leges mechanicas, consequatur.

Appetitus, quidem, *imperare* potest eiusmodi motus, eos tamen *exsequi* non posset per semetipsum, nec per musculos mere passive se habentes, nisi in illis esset potentia activa ad se ordinate et vitaliter contrahendum vel relaxandum, qua deficiente vel perturbata, motus desideratus prorsus impeditur vel perturbatur.

Quemadmodum, igitur, appetitus imperat operationes aliarum potentiarum, quin ipsas per se efficiat vel eliciat; ita etiam imperat motus locales, qui non ab ipso efficiuntur vel eliciuntur, sed tantum a potentia activa motrice musculorum corporis.

Sic, exempli causa, appetitus vel voluntas imperat motum localem digitorum ad scribendum. Actus, autem, quo scribo, ut verbis utar SUAREZII [5], "non solum est actus vitae prout ab ipso appetitu elicitur et appetitur, sed etiam prout ab ipsa manu executioni mandatur, nam ipsemet motus manus est vere vitalis". *Ergo,* respectu illius motus, manus non se habet mere passive, sed active etiam. *Ergo* est in manu potentia aliqua illius motus ab appetitu distincta.

278. 2.° EXPERIENTIA PROBATUR EADEM MINOR. Cultores scientiarum biologicarum uno ore affirmant [6] apparatum locomotorem constare duplici genere textorum, quorum alia, ut *ossa* et partes duriores quae sceletum constituunt, in motu exsequendo, mere passive se habent; alia vero quae *musculi* dicuntur et ossibus durioribusque textis inseruntur, omnino active se habere ad motum localem producendum; suis enim contractionibus et relaxationibus, mechanice movent partes sceleticas, ex quarum motu, motus translationis localis iuxta leges mechanicas consequitur. Attamen, licet motus diversorum membrorum mechanice sequantur ex contractionibus et relaxationibus diversorum musculorum, ipsae tamen contractiones vel relaxationes, non mechanice, sed vitaliter efficiuntur. Unde sic arguo:

279. *a)* Eiusmodi contractiones vel relaxationes musculorum *sunt vere vitales,* et immanentes; quia in ipsis musculis vi activa ipsorum propria exercentur; et ipsi musculi sunt qui movent et moventur.

Nam vis activa qua praediti sunt musculi ad se opportune et ordinate contrahendum et relaxandum, quae *contractibilitas activa* dici potest, cum *contractibilitate pure passiva* confundi nequit propria elasticitatis, qua quaedam corpora non viventia gaudent. Quia vi contractibilitatis *activae,* musculus contrahitur quin prius dilatatus fuerit. Corpus vero elasticum non vivens, sola contractibilitate *passiva* praeditum, non contrahitur nisi prius distentum fuerit, vi ipsi extrinsecus illata.

Insuper, vi contractibilitatis propriae elasticitatis, corpus quod contrahitur, violenter a suo statu naturali distentum, *pristinum statum quietis* recuperat. Vi autem contractibilitatis vitalis, musculus vivus *suum statum quietis relinquit,* ut, se contrahens et movens, ossa vel alias partes corporis quibus affigitur convenienter moveat.

b) Musculus id exsequens vere active se habet et laborem aliquem plus minusve intensum exercet, quo *fatigatur.* Non autem defatigaretur, si mere passive se haberet ad productionem motus membrorum corporis. Aratrum tractum a mulo arante, nullatenus defatigatur, quia ad arandum mere passive se habet; defatigatur vero mulus aratrum trahens, et homo ipsum premens et ducens, quia ambo active seu vi activa suorum musculorum laborant.

c) Tandem, si musculi mere passive se haberent in motu exsequendo, et unica potentia activa executiva motus esset appetitus, *ap-*

[5] SUÁREZ, *De anima,* V c.10 n.5.
[6] Cf. inter alios, PUJIULA, *Biología moderna* (Casals, Barcelona 1949) p.23-24 n.211-228.

petitu se movendi perseverante, motus continuari posset. Quod quidem prorsus aliter accidere experientia testatur. Nam saepe celeriter ambulare vel currere vehementer appetimus et cupimus, cum tamen id impossibile evadat, non defectu appetitus, sed quia vires activae musculorum defatigatione deficiunt.

280. Obiectiones. Posita directione cognitionis, et efficaci determinatione appetitus, et dispositione mere passiva organorum motus, nihil iam deest ut motus localis producatur. *Ergo* superflue adstruitur potentia activa locomotiva ab aliis potentiis sensitivis distincta.

Resp.: nego ant. Dispositio enim mere passiva, mechanica seu non vitalis organorum non sufficit, sed requiritur ut sit vitalis et activa, quae sine potentia activa in organis exsistente non daretur.

281. Potentia locomotiva activa, si datur, vitalis est; ac, proinde, vel pertinet ad vitam vegetativam, vel ad vitam sensitivam vel ad vitam rationalem. *Atqui* nihil horum dici potest.

Non primum: quia evidenter, ut supra demonstratum est, non datur in plantis, quae sola vita vegetativa gaudent ut supra in thesi 6 (93-99) dictum est, nec motu locali translationis potiuntur (99).

Sed neque *alterum* dici potest. Quia vita sensitiva est vita psychica, cuius operationes sunt intentionales et consciae.

Nec *tandem* locomotio ad vitam rationalem ut talem pertinet, eadem ratione.

Resp. 1.°: Argumentum *instari* potest quoad locomotionem, quae *si vitalis* esse admittitur, etiam ad aliquod vitae genus pertinere debet; et *si ut vitalis non habetur,* perperam cum motu mere mechanico identificatur, iuxta postulata absurda materialismi, vel cartesianismi. Unde, si argumentum vim aliquam haberet, neganda esset quoque realitas locomotionis animalis, quae factum evidentissimum est.

Resp. 2.°: Potentia vitalis locomotiva, *propria* et *exclusiva* est vitae sensitivae seu animalis, sed consequenter invenitur etiam in vita rationali hominis, quatenus homo animal etiam est, et insuper suo psychismo rationali in locomotionem propriam non parum influit, ipsam *imperando* et *dirigendo,* non autem *exsequendo.*

Remote etiam potentia locomotiva *radicatur* in vita vegetativa, cuius vigorem vitalem praesupponit, sine qua vita sensitiva impossibilis evaderet; estque veluti *ulterior expansio et perfectio irritabilitatis vitalis vegetativae* ut supra dictum est (96).

Ex his, igitur, patet iam quaenam sit *responsio* danda ad *primum* et *tertium* membrum trilemmatis.

Ad *secundum,* autem, sic *distinguo:* Vita sensitiva est vita psychica complectens sensationes et appetitiones, quae sunt operationes intentionales et consciae, et insuper operationes locomotionis, quae licet de se et formaliter intentionales et consciae non sint, sunt tamen complementum vitae necessarium operationum psychicarum sensitive cognoscendi et appetendi quae motu locali destitutae essent prorsus inutiles, imo et impossibiles, *conc.;* est vita psychica complectens tantum operationes intentionales et conscias sensitive cognoscendi et appetendi, *nego.*

CAPUT VII

Vita affectiva emotionalis seu sentimentalis

S. TH., 1-2 passim a q.26 ad 48; BALMES, *El Criterio,* c.19; IDEM, *Filosofía fundamental,* l.1 c.16; IDEM, *Filosofía elemental,* Lógica, c.3; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.192-195.334-335; FRÖBES, *Psychologia speculativa,* I 216-230; IDEM, *Psicología empírica y experimental* (3.ª ed.) II p.289-384; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.1-30 n.146-161; DONAT, *Psychologia* (1936) p.257-273 n.381-205; MORÁN, *Psychologia,* n.172.336-340.527-530; WILLWOLL. *Psychologia metaphysica* (1952) n.145-149.171-172; IDEM, *Alma y espíritu* (1953) p.116-129; DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* 3.ª ed. (1952) p.217-223 n.62-67, et p.300-314 n.93-100; PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª ed. (1952) p.368-388 n.314-336; GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicologia,* 3.ª ed. (1952) p.223-257; RIBOT, *Psychologie des sentiments* (1905); IDEM, *La logique des sentiments* (1905); IDEM, *Problèmes de Psychologie affective* (1910); MURCHISON et plures alii, *Feelings and emotions:* The Wittenberg Symposium (1928); PALCOS, A., *Los fundamentos de las emociones* (1943); YOUNG, P. THOMAS, *La emoción en el hombre y en él animal* (1946); McDOUGALL, *An introduction to social Psychology* (1926); STÖRRING, *Psychologie des menschlichen Gefühlsleben* (1916); LEHEMANN, A., *Die hauptgesetze des menschlichen Gefühlsleben* (1914); SCHAND, *The foundation of character* (1920); BRENNAN, *Psicología general* (ed.hisp. 1952), p.289.307; MIOTTO, *Psicologia del sentimiento* (1941); DEWEY, J., *The theory of emotion:* Psychological Review, 2 (1895) p.13; RUCKMIK, *The psychology of feelings and emotions* (1936); CANNON, *Agein the James-Lange and the thalamic theories of emotions:* Psychological Review, 38 (1931) p.281-295; RAITZ von FRENTZ, *Bedeutung, Ursprung und Sein des Gefühle:* Scholastik, 2 (1927) p.380-411; PRADINES, *Traité de Psychologie générale* (1948), I p.171-186; III p.219-338.

282. Nexus et ordo capitis. Ex *quattuor adspectibus* vitae psychicae, quos in ea phaenomenologice inspecta, iam ab initio (198 c) ad nostrum studium didactice ordinandum distinximus, hucusque conati sumus rationem reddere *trium priorum* quatenus ad vitam sensitivam pertinentium. Remanet igitur aliquid, licet breviter dicendum de *quarto adspectu,* seu de modificationibus diversis vitae psychicae, quas ibidem dispescebamus: *a)* in modificationes vitae psychicae quas subeunt *cognitiones,* praesertim ex earum directione versus obiectum quae *attentio* dicitur; *b)* in modificationes quae ex ipso exercitio operationum psychicarum ipsis accedunt et praesertim ad adspectum *tendentialem* spectant, ut *habitus;* et *c)* in modificationes vitae psychicae *ex relatione* provenientes totius activitatis psychicae ad subiectum ipsam exercens, quod ea diversimode *afficitur.* Duae priores competunt vitae psychicae *quatenus intentionali;* tertia vero *quatenus consciae.*

De triplici hoc genere modificationum agi posset etiam ad vitam sensitivam de qua in hoc libro tractamus. Cum autem a) *attentio* et b) *habitus* perfectius et proprius habentur in vita rationali, de illis melius agemus in libro V.

c) *Affectiones* vero vitae psychicae admodum vigent et plenissime habentur in vita sensitiva tum animalis tum hominis; quamobrem hic iam aliqua de hoc adspectu exponere iuvabit.

Omissis in hac *Summa* innumeris quaestionibus [1] quae circa vitam psychicam affectivam proponi possent, claritas expositionis requirit ut 1.° *rem* de qua agendum est et diversa ipsius *nomina* declaremus, quae inter nomen sentimentum adhibebimus. Tunc 2.° an sentimentum

[1] Plures alias quaestiones propositas et solutas vide sis in *Cursu.*

phaenomenologice consideratum habendum sit necne ut aliquid distinctum ab omni alio adspectu vitae psychicae decidemus. Tandem 3.° quid sentimentum sit, *ontologice* consideratum, determinabimus.

ARTICULUS I

RES DE QUA AGENDUM EST DIVERSAQUE IPSIUS NOMINA

283. Quaestio praesens. Quodlibet ens corporeum vita psychica praeditum, sive animal sit sive homo, ipso exercitio huius vitae, saepe saltem diversimode affici *affectione conscia,* id est non mere physica vel physiologica, nemo est qui neget. Quomodo autem huiusmodi *affectiones* phaenomenologice consideratae se habeant respectu *cognitionum* et *tendentiarum,* quarum natura iam ex dictis hucusque nobis innotescit; an videlicet ad has operationes intentionales reduci possint, vel ab ipsis in introspectione aliquomodo distinctae apareant, *quaestio est fundamentalis* praevie solvenda, priusquam ad naturam *ontologicam* harum affectionum in articulo sequenti determinandam procedamus.

284. Quaestionis momentum et difficultas. Quaestio praesens de realitate, et specificitate atque natura affectionum vitae psychicae non mera curiositas est, sed *momentum habet gravissimum;* tum quia nostris praesertim temporibus inter psychologos experimentales sub diversis nominibus magno aestu agitatur et saepe sub luce falsae philosophiae perperam solvitur; tum etiam quia si recte solvitur, magnam utilitatem prae se fert, non modo in *psychologia theoretica* ad vitam psychicam profundius cognoscendam, sed etiam in *psychologia practica* ad operationes psychicas et morales proprias ordinandas, et alienas dirigendas.

Attamen huiusmodi quaestiones, in statu actuali scientiae psychologicae *perdifficiles* solutu sunt et densissima obscuritate multiplici de causa perfunduntur; 1.°, quia nec ARISTOTELES nec antiqui scholastici directe et data opera, sed tantum sub adspectu tendentiae de hac re tractavisse videntur; 2.°, qui primi philosophi qui de hac re directe et data opera egerunt sub luce falsae philosophiae eam consideraverunt, nec psychologi experimentales posteriores ab huius philosophiae influxu immunes exstiterunt; 3.°, quia insignes philosophi neoscholastici qui de hac re disserere coeperunt fortasse nondum viam invenerunt ad concilianda facta experientiae cum placitis antiquorum, quos laudabiliter sequi nituntur, et 4.° demum et maxime quia circa adspectum affectivum vitae psychicae desideratur adhuc terminologia apta et ab omnibus admissa, quae plerumque desumitur ex locutione vulgari qua plerumque non pure affectiones significantur, sed etiam alios vitae psychicae adspectus connotantur.

285. Diversa nomina rei cui studere intendimus. Praeter innumera vocabula quae in lexicis omnium idiomatum reperiuntur et plus minusve adspectum affectivum con-

notant, de hoc adspectu loquuntur omnes qui in tractatibus scientificis agunt de *statibus affectivis*, vel de *vita affectiva*, vel *emotionali*, vel *sentimentali*, et rem de qua agendum est vocant *affectionem* vel *emotionem* vel *sentimentum*.

Emotio propriissime dicitur de affectionibus quae notabilem et subitam commotionem organicam prae se ferunt; *sentimentum* vero, de illis quae leniores sunt vel ordinis superioris seu spiritualis. Deest igitur nomen generale quae ab illis diversitatibus praescindat. Ad praesentem autem quaestionem quod attinet, *affectio, emotio* et *sentimentum* in eodem sensu sumi possunt, ad indicandum *adspectum affectivum* vitae psychicae. Id enim sufficit ad quaestionem in articulo sequenti dilucidandam, quae est tantummodo *utrum sentimentum phaenomenologice spectatum*, dici possit idem esse ac cognitio vel tendentia; vel e contra ab his operationibus intentionalibus distinctum appareat, ita ut speciali studio et investigatione dignum sit.

ARTICULUS II

AN SIT SENTIMENTUM PHAENOMENOLOGICE CONSIDERATUM

286. Sententia quam amplectimur. Tenendum esse existimamus sentimentum phaenomenologice inspectum, omnino distinctum dicendum esse tum a cognitione tum etiam a tendentia esseque ad huiusmodi operationes intentionales penitus irreductibile. ARISTOTELES et antiqui scholastici praesertim S. THOMAS multa quidem vera et pulcherrima de sentimentis dixerunt agentes de passionibus quo nomine tendentias significabant, ut supra dictum est (284). De *sentimentis autem ut talibus* non data opera tractaverunt. Non igitur ut adversarii habendi sunt, cum praesentem quaestionem non sibi proposuerint, et ea quae dicturi sumus nullatenus eorum doctrinae opponuntur sed eam tantummodo complent. A pluribus et insignioribus neoscholasticis [2] necessitas iam agnoscitur de sentimento expresse tractandi quamvis aliqui ut suam sententiam cum doctrina scholastica concilient, existimant sentimentum esse speciem aliquam tendentiae, ipsum tendentiam improprie et late dictam appellantes.

Existimamus autem hanc sententiam sustineri non posse, et *sentimentum nullatenus confundendum esse* cum aliqua ten-

[2] Sic exempli causa, FRÖBES, DONAT et WILLWOLL, locis in bibliographia huius capitis citatis.

dentia quae vere talis sit, nec affectionem esse quae tantummodo in tendentia appareat; sed talis quae etiam in pura cognitione invenitur.

287. Fundamenta huius sententiae. Tum cognitiones tum tendentiae, ut in praecedentibus capitibus huius libri demonstratum est, sunt essentialiter: a) *operationes* seu activitates quaedam quae ut tales potentiam seu *vim activam* requirunt, et *b)* sunt quoque essentialiter *intentionales,* seu intelligi nequeunt sine relatione aliqua inter obiectum ipsarum et subiectum, quae *centripetalis* est in cognitione et *centrifugalis* in tendentia.

E contra sentimentum ut tale introspicienti apparet: *a)* non ut *operatio* vel activitas quaedam qua aliquid producatur, sed ut aliquid quod potius rationem passionis prae se fert; et insuper *b)* ut aliquid quod in semetipso formaliter et ut tale considerato non est *intentionale.* Ergo, saltem vi introspectionis seu *phaenomenologice,* dicendum est sentimentum esse aliquid essentialiter et fundamentaliter diversum a quacumque operatione psychica, sive haec cognitio sit sive tendentia, licet absque his operationibus et ab illis seiunctum exsistere non possit.

288. *a)* Sentimentum introspicienti apparet non ut aliqua activitas psychica. Apparet enim potius ut aliquid quo simpliciter *immutamur et afficimur* in ipso exercitio activitatis psychicae.

Nam, sin minus semper, saltem saepe conscii sumus plurium sentimentorum quae, licet cum cognitionibus vel appetitionibus coniuncta appareant, cum illis tamen identificari nequeunt.

Talia sunt, ut aliqua tantum exempla afferamus ex innumeris quae afferri possent: *satisfactio* quam artifex experitur de opere artistico a se perfecte exsecuto; vel mathematici, de solutione inventa problematis difficilis sibi propositi; *sentimenta aesthetica* quae in animo exsurgunt ex mera contemplatione obiecti pulchri; sentimenta *superbiae, vanitatis, humilitatis, verecundiae, pudoris, responsabilitatis; remorsus conscientiae moralis* ex peccato commisso, vel *pacis* et *gaudii* in adimpletione alicuius obligationis vel officii difficilis; sentimenta quae vocantur *tristitia* vel *laetitia, consolationes* et *desolationes; securitas* et *confidentia* in semetipso in aliquo opere exercendo, vel e contra *turbatio* et *anxietas, maeror* et *angor,* et innumera alia quae non nisi interveniente psychismo superiori producuntur, quae alibi [3] conati sumus classificare et describere.

---

[3] Cf. De la Vaissière-Palmés, *Psicología experimental,* ed. 3.ª (1952) p.304-314 n.95-99.

Praeterea alia multa sentimenta afferri possunt *ordinis pure sensitivi* etiam periphaerici, quae similiter non ut activitates haberi possunt, nec ad cognitiones vel tendentias reduci.

Tales sunt, exempli causa, sentimenta *famis* et *sitis, doloris* et *voluptatis;* illud quod vulgo dicitur *bonus* vel *malus humor; affectiones coenaesthesicae* quibus admodum diversimode afficimur, prout functiones organicae recte vel perturbate peragantur; *defatigatio* vel *alacritas,* sive in labore musculari aliquo peragendo, videlicet in ambulando vel in exercitio aliquo corporali, sive etiam in *studendo* et in *scribendo,* in *loquendo* et in omnibus laboribus mentalibus qui non nisi organismo cooperante exercentur.

Si eiusmodi sentimenta prorsus cum cognitionibus vel cum tendentiis, sive ordinis rationalis, sive ordinis sensitivi, etiam periphaerici identificarentur, *cum illis strictam proportionem servarent* quoad eorum *exsistentiam, intensitatem, qualitatem;* ita ut determinatis cognitionibus vel appetitionibus semper eadem sentimenta responderent; et mutatis cognitionibus vel tendentiis, sentimenta quoque pari passu mutarentur. Quod quidem experientia uniuscuiusque testatur, saepe saltem, *prorsus aliter evenire.*

Potest enim exempli causa ille qui vehementi *tristitia* afficitur, in mentem suam revocare memoriam eventuum felicium, et aciem suae cognitionis ad cogitandum de rebus laetis convertere, quin saepe hoc pacto propriam tristitiam valeat dissipare; imo potius fieri potest ut in maiorem tristitiam incidat. Si *defatigatio,* quae certe sentimentum est, cum appetitione identificaretur, nulla reddi posset ratio de facto evidentissimo, scilicet: quod ille qui prae nimio et diuturno labore defessus, pergere in laborando non possit, licet id vehementer cupiat, non modo voluntate rationali, sed etiam appetitione sensitiva seria et, quoad ad ipsum spectat, omnino efficaci.

289. Nec *b)* SENTIMENTUM FORMALITER SPECTATUM NON EST INTENTIONALE. Non enim importat illam relationem inter subiectum et obiectum, per quam intentionalitas definitur (191). Introspectio enim, saltem saepe, ut in multis sentimentis supra commemoratis, non aliam relationem videt quam *inter ipsum sentimentum et subiectum* quod eo afficitur; qua relatione posita, sentimentum perfecte adesse intelligitur, prius quam causa illius, ope discursus, a nobis inquiritur, et licet illius causa assignare non possimus.

Quod si sentimentum interdum aliquomodo referimus ad aliquod obiectum, *huic obiecto valorem aliquem tribuentes,* cuius adeptione gaudemus, et cuius privatione tristamur, non id facimus nisi *mediante cognitione* vel *tendentia* aliqua quae quidem semper in semetipsis intentionales sunt.

Intentionalitas ergo, quam aliquando sentimento tribuimus non essentialis ipsi est, nec nisi *mediata,* mediante videlicet cognitione vel tendentia. Aliis verbis; omnis cognitio atque etiam appetitio, sunt quidem eventus *immanentes* subiecto cognoscenti et appetenti, sed simul sunt *transcendentes,* quatenus obiectum aliquomodo a subiecto distinctum ipsique contrapositum apprehendunt vel appetunt (223). Sentimentum e contra est eventus *pure immanens,* et nullatenus vi sui ipsius transcendens, sed vi cognitionis, vel tendentiae, cuius experientia psychica, quae idem est ac *conscientia* quam fundamentalem diximus (192), secum fert immediate sentimentum.

ARTICULUS III

Quid sentimentum sit ontologice consideratum

Thesis 17. Sentimentum ontologice consideratum: 1) est modus conscientiae fundamentalis activitatis psychicae totalis ab hac realiter distinctus, ad cuius productionem diversitatemque explicandam; 2) nulla vis seu potentia activa requiritur distincta a potentiis cognoscitivis et appetitivis.

290. Notiones. Sentimentum sumitur hic in sensu universaliori supra definito (285), complectens quamcumque speciem affectionum vel emotionum. Est videlicet id ipsum quod in articulo praecedenti ostendimus, phaenomenologice spectatum, praebere adspectum distinctum ab activitatibus cognoscendi et appetendi.

Ontologice sentimentum considerare, idem est ac illud considerare quoad suam realitatem, seu prout est in se, independenter a mentis consideratione.

Modus multiplicem significationem prae se fert, tum in sermone vulgari, tum etiam in technicismo scientifico. Omissis significationibus vulgaribus, philosophice et in genere loquendo, dici potest actualis determinatio rei indifferentis.

Eiusmodi determinatio, si est tantum in mente concipiente rem nunc sic nunc aliter, *modus* erit *logicus.* Si vero determinatio actualis est etiam extra mentem in ipsa re, quae nunc sic determinata est, et postea aliter ex sua parte determinata esse potest, idque nulla entitate proprie dicta vel absolute accepta vel amissa, quae esse proprium habeat, *modus* erit *physicus* et realis.

Modus physicus definiri potest cum Lossada [4]: "Realis et ultima determinatio condistinctae a se indifferentiae ad aliquam denominationem rei exsistentis propriam."

[4] Lossada, *Cursus philosophicus* (ed. Subirana, 1883) t.10 p.187 n.21.

Describi potest cum URRÁBURU[5]: "Entitas vel realitas a subiecto realiter distincta, cuius totum esse consistit in ultima determinatione rei ad aliquod munus obeundum vel ad aliquam realem denominationem actu habenda sine qua, saltem in individuo sumpta, res eadem potest exsistere absolute".

291. CONSCIENTIA FUNDAMENTALIS, quae etiam *directa* et *exercita* dici potest, ut supra dictum est (192), in ipsa experientia consistit cuiuscumque activitatis psychicae seu intentionalis, quae ab hac inseparabilis est.

Nam immanentia, quae cuique vitae essentialis est, in vita psychica non est immanentia quasi caeca et mere praesentiae, ut in vita vegetativa; sed immanentia exercite apprehensa a subiecto operationem psychicam intellectualem exercente, et ipso facto eam experiente, in cuius experientia immanenti conscientia fundamentalis consistit.

CONSCIENTIAM FUNDAMENTALEM, dicimus, ACTIVITATIS PSYCHICAE, quod non idem est ac dicere simpliciter *activitatem psychicam.* Quia licet conscientia fundamentalis essentialis est cuicumque eventui vere psychico, sive intentionali sive non intentionali, aliter tamen definitur quam intentionalitas. Activitas enim seu operatio psychica, utpote quae intentionalis est, seu obiectum connotans essentialiter, *definitur, specificatur* et *diversificatur* ab obiecto ad quod essentialem relationem dicit. *Conscientia* vero *fundamentalis,* non obstante eiusdem inseparabilitate ab aliqua activitate vel operatione intentionali, non *definitur* per relationem ad obiectum, sed *per relationem* activitatis psychicae ad *subiectum* eam exercens et in se recipiens.

292. Addimus esse MODUM CONSCIENTIAE FUNDAMENTALIS ACTIVITATIS PSYCHICAE TOTALIS.

Activitas autem psychica *totalis,* nullatenus excludit activitates psychicas *partiales,* sed potius eas omnes complectitur quae in unoquoque momento exercentur, et diversissimi ordinis esse possunt.

Complectitur autem omnes activitates psychicas actuales *non ad modum simplicis summae* seu aggregationis vel iuxtapositionis, sed quatenus ex illis de facto resultat una *activitas,* vere una et totalis ratione ipsarum interdependentiae, correlationis et solidaritatis vitalis. Huic unitati et totalitati activitatum vitae psychicae respondet etiam *specialis modus totalis et unus conscientiae illarum,* in quo sentimentum consistere dicimus, quod est etiam unum aliquid et totum ex pluribus sentimentis coalescens.

Possumus quidem reflectendo supra psychismum proprium, in eo distinguere distinctas activitates easque separatim alias ab aliis in-

[5] URRÁBURU, *Ontologia,* p.380 n.120.

vestigare, et sic etiam distinguere inter diversos modos peculiares, distinctis experientiis consciis distinctarum activitatum respondentes. Sed de facto, et nisi hanc analysim instituamus modus cum quo sentimentum identificandum esse dicimus, licet multiplex sit pro diversitate operationum psychicarum quae actu exercentur, non ut multiplex, sed ut unum et totum se praebet; sicut etiam aliquid totale et unum conficiunt innumerae et diversae operationes quae actu exercentur.

293. Tandem affirmamus, HUNC MODUM esse REALITER DISTINCTUM a conscientia fundamentali activitatis psychicae cuius est modus.

Distinctio enim alia est *rationis*, alia *realis*. *Distinctio realis* dicitur quae in rebus inest independenter a mentis consideratione, ut distinctio inter hominem et lapidem. *Rationis distinctio* ea est quae convenit rebus dependenter a mentis consideratione, seu prout cognitis per conceptos inadaequatos et praecisivos, ut distinctio inter hominem et animal, agendo de individuo homine. Nam etsi animal et homo realiter in homine individuo identificantur, habent tamen expressiones mentales diversas, siquidem conceptus animalis et rationalis exhibent notas intelligibiles diversas, perque diversas definitiones describuntur.

Porro distinctio realis potest esse *positiva*, vel *negativa*, prout detur inter ens aliquod et aliud ens, vel inter ens et eius negationem, ut inter hominem exsistentem et hominem possibilem.

Rursus *positiva* dividi solet in realem positivam *maiorem* quae datur inter res quae de se habent aliquam perfectionem absolutam sive substantialem sive accidentalem; et *minorem* quae etiam *modalis* dicitur, quia datur inter rem et eius modum qui nullam perfectionem absolutam habet sed in pura determinatione consistit rei indifferentis ad talem modum habendum, ut sessio Petri a Petro distinguitur.

294. Status quaestionis. Supposita veritate analysis phaenomenologicae articuli praecedentis, seu *sentimentum esse*, et quidem *esse aliquid a cognitione et a tendentia fundamentaliter diversum*, progredimur in hac thesi ad determinandam naturam realem sentimenti sub *adspectu* ontologico, et *duo quaeruntur:* 1.° quid tandem sit sentimentum in semetipso et in *actu secundo* consideratum; et 2.° quid sit sentimentum in *actu primo* vel quaenam sint causae sentimenti, et ingentis diversitatis sentimentorum.

295. Sententiae. In *prima parte* theseos respondemus primae quaestioni, *asserentes* sentimentum probabilius esse *modum physicum conscientiae fundamentalis cuiuscumque activitatis psychicae* et quidem activitatis psychicae *totalis* et *unificatae,* prout in experientia sponte se prodit. In *secunda* autem *parte* affirmamus, ut certum, quod, si admittitur prima pars, ad explicandam exsistentiam diversitatemque sen-

timentorum, *nulla iam alia vis seu potentia activa est admittenda,* a potentiis cognoscitivis et appetitivis distincta.

Adversantur primae parti omnes illi qui conantur reducere sentimentum ad cognitionem, imo aliquando ad solam cognitionem sensitivam. Saepe id dicitur a multis, qui in hunc errorem adducuntur ob originem nominis sentimenti, quod phylologice a *sentiendo* derivatur, et capacitatem sentimenti, *sensibilitatem* vocant. Auctores praecipui qui sentimentum aliquomodo ad cognitionem reducere conantur sunt STUMPF, ZIEHEN, LOCKE, HERBART, NAHLOWSKI.

Primae parti theseos *adversantur quoque* omnes qui sentimentum confundunt cum tendentia, vel qui tenent illud esse speciem aliquam tendentiae, quos inter insigniores sunt FRÖBES, DONAT et WILLWOLL.

Item assertioni primae partis *adversaretur,* qui admittens sentimentum esse quidem realiter distinctum a cognitione vel tendentia, assereret illud esse modum physicum *ipsius cognitionis* vel *tendentiae,* ut aliquando dicitur, brevitatis causa, et rem superficialiter considerando. Modus enim in quo sentimentum consistit non est modus harum operationum intentionalium *quatenus huiusmodi operationes intentionales* sunt seu ad obiectum referuntur, sed tantum *quatenus consciae essentialiter sunt* conscientia fundamentali.

Secundae parti adversantur omnes qui statuunt *divisionem tripartitam facultatum* vitae psychicae, admittentes praeter facultates cognoscitivas et appetitivas, *facultatem sentimenti;* quos inter, numerantur: TETENS, KANT, HAMILTON, LOTZE, aliique.

296. Probatio. PARS 1.ª: SENTIMENTUM EST MODUS CONSCIENTIAE FUNDAMENTALIS.

Sentimentum, iuxta omnium experientiam et rei veritatem, est aliquid certo certius pertinens ad vitam psychicam in actu secundo, seu in suo exercitio consideratam.

Ergo vel est 1) ipsa activitas quae *cognitio* dicitur; vel 2) illa quae *tendentia* vocatur; vel 3) modus aliquis essendi *cognitionis;* vel 4) modus aliquis essendi *tendentiae;* vel 5) modus aliquis essendi, *non alicuius activitatis psychicae* intentionalis quatenus intentionalis, sed *conscientiae fundamentalis* huius activitatis.

Atqui tantum ultima assertio cum factis phaenomenologice inspectis cohaeret.

Ergo haec sententia est amplectenda, et aliae respuendae.

Antecedens ab omnibus admittitur. *Prima consequentia*

constat ex sufficienti enumeratione, non enim alia hypothesis afferri posse videtur. *Ultima consequentia* est evidens, si in hac quaestione, sicut in reliquis, prae primis in experientia innitendum est. *Minor* subsumpta per partes demonstratur.

Quod sentimentum distinguatur 1) *ab activitate quae cognitio* dicitur, et 2) ab ea quae *tendentia* veri nominis nuncupatur, quae activitates sunt proprie et in se intentionales, constat ex analysi phaenomenologica in articulo praecedenti praemissa.

297. Nec dici potest 3) *sentimentum esse modum cognitionis*. Certe dantur modificationes cognitionis pro diversitate obiectorum cognitorum et pro diversa *attentione* circa ipsa. Nemo autem est qui confundat sentimentum cum his modificationibus ex obiecto immediate provenientibus.

Nam *a)* si sentimentum esset modus cognitionis, *determinatum obiectum* habentis, mutata cognitione, sentimentum semper mutaretur; et succedentibus sibi diversis cognitionibus diversa quoque sentimenta sibi semper succederent. Quod quidem non semper evenit; sed saepe contrarium. Qui tristis est licet de rebus laetis cogitet non semper tristitiam dissipat, sed non raro ipsam intensiorem reddit.

Insuper *b)* si sentimentum esset modus cognitionis, quoniam cognitiones definitum quodlibet obiectum habentes eaedem seu similes in omnibus sunt, modus cognitionis in quo sentimentum consisteret, idem etiam esset in omnibus subiectis easdem vel similes cognitiones exercentibus. Quod quidem omnino experientiae contrarium est; nam una eademque cognitione *in diversis subiectis* cognoscentibus idem obiectum, *diversa saepe sentimenta* in illis excitantur.

298. Nec dici potest 4) *sentimentum esse modum aliquem tendentiae*. Certe etiam dantur modificationes, sive modi proprie sint sive non, tendentiarum, quae diversae sunt pro diversis obiectis atque etiam pro *diversa applicatione* ad obiecta, vi cuius tendentiae possunt esse plus minusve intensae, plus minusve tenues, plus minusve efficaces; atque etiam tales ut exerceri possint plus minusve perfecte et expedite, *vi habitus et exercitii* praevii ipsarum. Sentimentum autem nequit confundi cum his modificationibus tendentiae.

a) Quia etiam eiusmodi modificationes apparent introspicienti, ut aliquid *penitus diversum a sentimento*. Omnes enim distinguimus inter robur et debilitatem tendentiae, et hoc quod sentimentum vocamus. Magnum enim robur tendentiae dari potest sine ullo vel cum debili sentimento; e contra magna debilitas tendentiae, cum vehementi sentimento coniungi potest.

b) Quia si sentimentum identificaretur cum modificationibus tendentiae *ex habitu* provenientibus, exempli causa cum facilitate qua vi

habitus tendentia aliqua exercetur, perstante hac facilitate, pari passu sentimentum perstaret. Quod quidem omnino contrarium est experientiae. Saepe enim exercitium aliquod tendentiarum habitualium quae primum placenter et iucunde exercebantur, taedium vel displicentiam vel defatigationem generant, *quin facilitas ex habitu proveniens destruatur.*

299. 5) *Remanet ergo admittenda, saltem per exclusionem, sententia in thesi proposita.* Sed praeterea, haec sententia *positive suadetur* ex facilitate explicandi iuxta eam, omnia facta sentimenti quae adduci possint.

Nam si sentimentum dicitur, iuxta thesim, modus quidem, non cognitionis vel tendentiae, seu, generatim loquendo, alicuius activitatis psychicae intentionalis et qua intentionalis, sed *modus conscientiae fundamentalis* quam habemus cuiuscumque activitatis psychicae; facillime explicatur quod sentimentum diversissime producatur, tum in diversis subiectis, tum etiam in eodem subiecto in diversis adiunctis constituto.

Tunc enim modus seu sentimentum quo conscientia fundamentalis activitatis psychicae afficitur, non pendet solummodo ex sola activitate psychica intentionali cognitionis et tendentiae quae actu exercetur, nec consequenter tantum ex obiectis circa quae eiusmodi activitates versantur, sed *etiam ex natura et indole peculiari,* atque etiam *ex dispositione actuali subiecti,* quod eiusmodi operationes exercens, et, utpote stricte immanentes, in se recipiens, quodammodo immutatur dum eas experitur, ea experientia in qua conscientia fundamentalis consistit.

Immutatur enim et *afficitur diversimode pro diversitate naturae et status* et *dispositionis actualis* subiecti; nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Quemadmodum igitur effectus ictus mallei ferrei in incude diversus est ab effectu producto a simili et eiusdem intensitatis ictu mallei, qui non in incude sed in corpori molli excipitur; sic una eademque activitas psychica diversas affectiones producit in diversis subiectis quae eam exercent et exercendo excipiunt; et, ea excipiendo immutantur, et afficiuntur diversimode pro diversa ipsorum constitutione organica seu temperamento, pro diversa personalitate vel charactere, pro diversa cultura et educatione, pro diverso statu psychico actuali, qui multis de causis non semper idem est.

Nihil inde mirandum, si id quod uni placet alteri displiceat; et si res quae uni ipsi homini antea placebat nunc displiceat, et e contra. Nam quod res placeat vel displiceat, quod hic vel ille modus sentimenti exsurgat, *partim* quidem

ex obiecto activitatis exercitae pendet, sed etiam ex *indole et dispositione* actuali cognoscentis et tendentis.

300. PARS 2.ª: NULLA POTENTIA ACTIVA SENTIMENTI A POTENTIIS COGNOSCITIVIS ET APPETITIVIS DISTINCTA EST ADMITTENDA.

Sentimentum quod iuxta primam partem theseos est modus conscientiae fundamentalis activitatis psychicae, sive cognitionis sive tendentiae, quoad suam productionem et exsistentiam a) *pendet quidem a causis a quibus producitur cognitio et tendentia ac proinde consciencia fundamentalis harum operationum* quarum sentimentum *est modus;* sed *b)* quod conscientia fundamentalis cognitionis vel tendentiae, *subiectum afficiat uno vel altero modo,* exempli causa, iucunde vel iniucunde, grate vel ingrate, scilicet: quod hic vel alius modus conscientiae fundamentalis producatur, *non ex solis potentiis activis cognoscendi et appetendi explicari* potest, et aliquid amplius requirendum est, *quod tamen non est potentia aliqua activa sentimenti.*

301. Nam imprimis *a)* ad hoc ut *conscientia fundamentalis* activitatis psychicae producatur vel simpliciter exsistat, *nulla potentia activa psychica a potentiis cognoscitivis vel appetitivis distincta requiritur.*

Cognitiones enim et appetitiones quae ab illis potentiis activis efficiuntur secum ferunt essentialiter conscientiam fundamentalem ipsarum, sine qua nec concipi quidem possent ut operationes psychicae.

302. Sed *b)* neque ulla potentia activa distincta a cognoscitivis et appetitivis requiritur ad explicandam *apparitionem distinctorum modorum conscientiae fundamentalis illarum operationum.* Modus enim diversi quos induit conscientia fundamentalis illarum activitatum, non quidem a solis activitatibus cognoscitivis et appetitivis causaliter pendent, sed, ut supra probatum est (299) etiam, tamquam a causa materiali quae mere passiva est, a natura, indole et statu actuali subiecti eas excipientis et conscie experientis. Subiectum autem *in quantum eas excipit* eisque diversimode immutatur, non est proprie loquendo causa efficiens, sed tantum materialis, conscientiae fundamentalis ipsiusque modi in quo sentimentum consistit.

Nulla ergo alia potentia activa ad rationem sentimenti reddendam requiritur quam potentia activa cognoscendi et tendendi; licet illis solis sentimentum, propter immanentiam conscientiae fundamentalis, cuius sentimentum est modus, non

possit explicari nisi etiam recurratur ad potentiam aliquam sentimenti propriam subiecti, quae tamen *non est potentia activa* seu facultas aliqua; sed potentia tantum passiva, quae proprie loquendo, dici nequit facultas.

303. Obiectiones. 1. Sentimentum, maxime apud modernos psychologos atque etiam apud omnes homines, magni fit; mirum enim in modum influit in ratione tum externa tum interna, sese gerendi omnium hominum. *Atqui* si consisteret tantummodo in modo aliquo qui vix quidquam realitatis habet, non daretur ratio sufficiens tantae aestimationis sentimenti, et tanti influxus in vitam psychicam. *Ergo* sentimentum videtur non posse reduci ad purum modum.

Resp.: conc. mai. et *nego min.* Quia sentimentum, quamvis *ontologice consideratum,* sit purus modus; praecise quia modus est conscientiae fundamentalis omnium operationum vitae psychicae, sive seorsim sive globatim consideratarum, omnem vitam psychicam fovet vel impedit, et per hanc etiam operationes vitae vegetativae quae mirum in modum sentimento promoventur vel compescuntur, et convenienter vel inconvenienter modificantur, quemadmodum omnes propria et aliena experientia agnoscunt.

304. 2. Sensus communis in propria experientia sentimenti fundatus admittit facultatem aliquam sentimenti, distinctam ab aliis facultatibus, sive cognoscitivis sive appetitivis, quae *sensibilitas* interdum dicitur. *Atqui* id quod sensui communi opponitur, nisi evidenter probetur, non est admittendum *Ergo* neganda non est exsistentia facultatis sentimenti ab aliis facultatibus distincta.

Resp.: dist. mai.: sensus communis omnium in propria experientia fundatus admittit facultatem aliquam sentimenti distinctam ab aliis facultatibus cognoscitivis et appetitivis, si nomine facultatis intelligitur potentia aliqua passiva sentimenti, *conc.;* si intelligitur potentia activa sentimenti, *subdist.:* et tunc sensui communi standum non esset, *conc.;* et tunc admittendum esset quod sensus communis diceret, *nego.*

Transmissa minore, contra *dist. cons.:* neganda non esset exsistentia potentiae passivae sentimenti, *conc.;* potentiae activae distinctae a potentia activa cognoscendi et appetendi, quae ut aliquid independens a cognitione et appetitione, sentimentum efficiat, sicut potentia cognoscitiva, cognitionem et potentia appetitiva appetitionem, *nego.* Non enim proprium est sensus communis sed philosophicae investigationis rerum naturas sciscitari, et in hac quaestione sicut in multis aliis ad sensum communem potius pertinet his quae sufficienter demonstrantur adquiescere.

CAPUT VIII

De instinctu animali

S. TH., 1 q.78 a.4; *De anima,* a.13; *De veritate,* q.24 a.1; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.884-917; PESCH, *Institutiones psychologicae,* II p.319-327 n.638-640; p.336-340 n.651-654; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.12-16 n.153-154; MAHER, *Psychology* (1915) p.213-214 337 449 586-588; DONAT, *Psychologia* (1936) p.115-117 n.168-169; *Cosmologia,* p.135-145 n.328-339; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.167-184 n.115-125; FRÖBES, *Psychologia speculativa,* I p.34-35; IDEM, *Psicología empírica y experimental,* II p.460-463; MERCIER, *Psychologie* (7.ª ed.) I p.278-300 n.120-127; LAHR, *Philosophie* (1920) I p.313-323; BAUDIN, *Psychologie* (1924) p.539-557; GRUENDER, *Experimental Psychology* (ed. Bruce, 1932) c.12; RUSSELL, E. S., *The Beaviour of animals* (1934); TOLMAN, *Purposive behaviour in animals and men* (1932); MORGAN, *Instink und Erfahrung* (1913); ALVERDES, *Tierpsychologie* (1932); LINDWORSKI, *Theoretische Psychologie im Umris* (Leipzig 1926) p.95-99; MIR, J., *La creación,* II p.161-170; HEMPELMANN, *Tierpsychologie* (1926); MCDOUGALL, *An introduction to social Psychology,* c.2; BIERENS DE HANN, *Die tierischen Instinkte und ihr Umbau durch Erfahrung* (Leiden 1941); GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicologia,* 3.ª ed. (1952) p.319-340; REINHARDT, *Psicología animal* (1944); FABRE, *Souvenirs entomologiques,* vol.3 et 4; SALZ, *El instinto de los animales* (1938); IDEM, *Costumbres de los insectos* (1943); WASMANN, *Istinto e intelligenza nel regno animale* (versio a GEMELLI, 1908); LOTZ, *Einzelding und Allgemeinbegriff:* Scholastik, 14 (1939) p.325-333; JOLY, *L'home et l'animal* (1911) p.99-129; KÖHLER, W., *Intelligenzprufüngen und Menschenaffen* (1921); WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.98-99 n.158; IDEM, *Alma y espíritu,* 2.ª ed. (1953) 134-138; BRENNAN, *Psychologia general* (1952) p.255-267.

305. Nexus et ordo doctrinae. Clauditur hoc capite liber IV, vitae sensitivae dicatus. Doctrina enim de instinctu animali vix intelligi potuisset prius quam diversos vitae sensitivae adspectus consideravissemus de quibus hucusque egimus. Agemus 1.º de *instinctu dynamice seu in suo exercitio considerato,* notas characteristicas operationum instinctivarum determinantes; quod omnino opus est praemittere, ut 2.º *quid sit instinctus statice* seu in suis causis inspectus determinare valeamus.

ARTICULUS I

INSTINCTUS ANIMALIS DYNAMICE SEU IN SUO EXERCITIO CONSIDERATUS

306. Definitio quaedam nominalis praevia. Vox instinctus ab obsoleto verbo latino *instinguo* derivari videtur. Hoc autem utpote compositum ex praepositione *in* et verbo **stinguo** quod vicissim a graeco **stizo** provenit quod pungere significat, accipitur pro eodem ac movere, excitare, stimulare aliquem ad aliquam actionem.

Vox autem instinctus, quae adeo frequens est tum apud vulgus tum apud psychologos et naturalistas, raro invenitur apud antiquos scholasticos, qui plerumque non de instinctu simpliciter et substantive accepto loquebantur, sed potius, ut exempli gratia S. THOMAS, de

apum "inclinatione naturali" [1] vel de "instinctu naturali" vel "instinctu naturae" [2]; quasi dicerent *natura instigante* vel *stimulante*.

307. Operationum instinctivarum ingens diversitas. Operationes instinctivae ingentem diversitatem prae se ferunt, non modo pro diversis speciebus animalium, sed etiam in unaquaque ipsorum specie; quaelibet enim species animalium instinctibus aliquibus ipsi propriis gaudet, quibus ab instinctibus peculiaribus aliarum specierum distinguitur.

Ideo instinctus, ratione huius diversitatis multifariam ordinari et classificari possunt, praesertim sub triplice adspectu, scilicet: 1.º *ratione finis simpliciter assequendi* operatione instinctiva, 2.º *ratione finis defendendi*, sive in eius actuali possessione sive in eius adeptione, et 3.º *ratione finis peculiari modo* sive assequendi sive defendendi. Omnes tamen operationes instinctivae quantumvis inter se diversae quasdam notas vel characteres prae se ferunt quae omni operationi instinctivae conveniunt.

Omissa autem hic [3], brevitatis causa, multiplici descriptione peculiari et classificatione operationum instinctivarum ratione ipsarum diversitatis, exponemus tantummodo *quaenam sint notae communes* vel characteres proprii cuiusque operationis instinctivae.

308. Notae communes omni operationi instinctivae. Iuxta scientias biologicas naturales, speciatim iuxta Historiam naturalem, instinctus dynamice consideratus dicendus est: 1) *Tendentia psychophysiologica complexa*, 2) *specifica et uniformis* pro unaquaque specie animalium *ad finem* aliquem

---

[1] S. TH., *In De anima*, III lect.5.
[2] S. TH., 3 d.26 q.1 a.1 ad 4.
[3] Cf. *Cursum*, et ad descriptionem quandam generalem operationum mirabilium quae instinctui animalium tribuuntur, videri potest J. MIR, *La Creación*, ed. 2.ª (Gr. del Amo, Madrid 1903) t.2 p.161-170. Circa animalia inferiora, celeberrimae sunt observationes a FABRE peractae, editae in 10 voluminibus, sub titulo *Souvenirs entomologiques* (ed. Delagave, Paris), partim in linguam hispanicam translatae. Hic auctor describit insecta, quae se gerunt ut *chirurgi*, ut *geometrae*, ut *textores*, ut *aedificatores*.

Problema ad mathesim superiorem spectans quod suis operationibus instinctivis resolvit coleopterum *Rinchites betulae*, dum brevi tempore transformat folium aliquod arboris abedulii ipsi dans formam infundibuli in quo sua ova deponit; atque etiam illud non minus difficile et consideratione dignum, quod apes solvunt in fabricatione cellularum quibus earum favus cereus extruitur, expositum invenies apud V. MUEDRA, *El psiquismo de los animales en el terreno experimental* (Ibérica, t.19 [27 de octubre] n.199 p.265-269). Cf. etiam eiusdem auctoris, *El maravilloso instinto de los animales* (1954). In continuatione eiusdem articuli (l.c., t.20 n.201 p.297-298) explicatur quoque instinctus *Hymenoptheri Amophilae hirsutae* a KYRBY dicti, quae in praeparatione alimenti ad suas larvas procedit ut habilis chirurgus, iuxta observationes factas a FABRE art. cit. Similes observationes videri possunt apud EUG. SAZ, *Costumbres de los insectos*, ed.3.ª (Imprenta "Revista Ibérica", Barcelona 1943) editae in duobus voluminibus, atque in opere eiusdem auctoris, *El instinto de los animales* (ed. Vilamala, Barcelona 1938). Ad animalia superiora quod attinet, confert W. KÖHLER, *El problema de la psicología de la forma*, I. Observaciones en chimpancés y orangutanes, in compendium redactae apud "Anales de Orientación Profesional de la Escuela del Trabajo", Barcelona, año III n.3 n.57-69.

ordinata et mirabiliter adaptata, et insuper 3) *innata* et sine cognitione finis ipsius ab animali exercita [4]. Singulae huiusmodi assertiones ex ordine declarandae sunt et ostendendae.

309. 1) OPERATIO INSTINCTIVA EST TENDENTIA PSYCHOPHYSIOLOGICA COMPLEXA. Tria asseruntur, videlicet: *a)* operationem instinctivam esse *ordinis psychophysiologici; b)* esse *tendentiam* aliquam; et *c)* esse tendentiam *complexam.*

a) *Est aliquid ordinis psychophysiologici.* Operationes enim instinctivae animalis atque etiam hominis quatenus animal est, non ad eius vitam mere vegetativam seu *pure physiologicam*, sed ad eius vitam sensitivam pertinent quae, ut supra in thesi 14 (206-215) probatum manet, *psychophysiologica* est.

Operationes vitae vegetativae magna quidem finalitate etiam praeditae sunt et processus constituunt admodum complexos, qui tamen absque ullo psychismo exercetur, ut supra in thesi 6 (93-99) demonstravimus.

Eas tamen hac sola de causa, nemo ut operationes instinctivas habet, quae tantum in entibus psychismo praeditis agnoscuntur. Et multo minus operationes instinctivae animales ad vitam rationalem pertinent, qua penitus animalia carent, ut supra etiam in thesi 8 (108-120) probatum est.

b) *Instinctus est aliqua tendentia.* Quod aliquomodo sit tendentia patet; quia omnes operationes instinctivae animales nobis innotescunt praesertim, sin minus unice, ex motibus corporis quibus animal sibi procurat vel efficit id quod terminus est operationis instinctivae; motus autem animalis sponte consequitur ex tendentia psychica, cuius est naturalis executio et complementum ut supra dictum est (267).

c) *Est tendentia complexa.* Quod non sit tendentia *simplex* in uno tantum et simplicissimo inclinationis vel aversionis impulsu vel motu consistens, evidens est.

Operatio enim instinctiva non una tantum actione absolvitur, sed in processu plus minusve diuturno consistit, diversis activitatibus sibi succedentibus constituto, inter se coordinatis et fini alicui subordinatis quibus animal propriae vitae individuali providet, prolem generat, eique saepe et sibi semper apta alimenta et defensionem procurat. Quae quidem omnia non uno et mero actu appetitionis vel motus assequitur, sed non nisi ope plurium et admodum diversorum actuum *cognitionis* et *tendentiae* quibus diversimode *afficitur,* et *motibus* membrorum ex illis consequentibus.

310. 2) EST TENDENTIA SPECIFICA, UNIFORMIS INTRA CERTOS LIMITES PRO UNAQUAQUE SPECIE ANIMALIUM, AD FINEM ALIQUEM ORDINATA ET MIRABILITER ADAPTATA.

Tria quoque hic asserimus quibus proprietates quaedam tendentiae complexae in qua operatio instinctiva consistit describuntur, videlicet: *a)* Est tendentia *specifica; b) uniformis*

---

[4] Cf. W. McDOUGALL, *An introduction to Social Sociology*, ed. 29.ª (London), praesertim p.29.

et *c)* ad *finem* ad quem ordinatur mirabiliter *adaptata.* De singulis non nihil declarandum est.

a) Est tendentia *specifica.* Factum est enim omnibus notissimum, unamquemque speciem animalium, quae vera sit species, seu species naturalis (non enim agitur nunc de speciebus systematicis quae a taxonomia animali determinantur), operationes instinctivas exercere, quae si summatim in suo complexu considerentur, penitus diversae sunt a complexu operationum instinctivarum cuiuscumque alius speciei.

Aliter enim conservationi individui et speciei subvenit, exempli causa elephas, aliter bos, aliter passer. Operationes instinctivae apis mel conficientis eoque sibi et proli alimentum procurantis, penitus differunt ab operationibus instinctivis culicis qui sanguine alieno vescitur, quem mira arte sugit. Similiter dicendum est de quacumque alia specie animalium de qua constet speciem naturalem esse.

b) Sunt quoque operationes *uniformes* in unaquaque specie, tum in omnibus individuis actualibus ipsius, tum etiam in individuis quae temporibus praeteritis exstiterunt. Nullus quippe progressus, ut supra in thesi 8 (115-116) dictum est, in animalibus datur temporis decursu. Apes actuales eodem modo nunc laborant ac tempore VIRGILII. Animalium mores a PLINIO descripti, iidem sunt qui in actualibus animalibus apparent.

c) Operationes instinctivas animalium *ordinari ad fines determinatos,* eisque consequendis esse admodum proportionatas, patet ex eo quod eiusmodi fines de facto ab illis per se obtinentur, videlicet nisi per accidens eveniat ut a causis extrinsecis impediantur.

311. 3) EST OPERATIO INNATA, SINE COGNITIONE IPSIUS FINIS AB ANIMALI EXERCITA. Characteres operationum instinctivarum hucusque adducti nondum eas definiunt, quia absolute convenire possent etiam operationibus quae *non ad instinctum,* sed *ad habitum pertinent,* et ope exercitii vel disciplinae adquiruntur.

Notae igitur hucusque declaratae, omnibus tendentiis complexis conveniunt, et in descriptione operationis instinctivae vices *gerunt generis proximi. Ultima* autem *differentia,* qua operatio instinctiva ab habituali exercitio vel disciplina adquisita distinguitur est *a)* tum *negatio huius adquisitionis,* quae exprimitur dum dicitur operationem instinctivam esse *innatam,* tum *b) impossibilitas tribuendi operationes instinctivas animalis directioni rationis,* qua ratio finis et proportio mediorum ad finem assequendum apprehenderetur ab animali.

a) Quod quaelibet operatio instinctiva *innata* sit, patet quia perfecte exercetur iam ab initio atque etiam ab illis individuis quae eam nunquam viderunt nec addiscere potuerunt. Licet operationi instinctivae aliqua perfectio ipsi accidentalis aliquando accedat ab exercitio proveniens; id autem, nec naturam operationis instinctivae immutat sed *tantum eam perficit; nec semper id evenit,* nam plerumque operatio instinctiva iam perfecte ab initio se prodit. Ubi primum animal,

in sua vita, vires necessarias adquisivit et ad gradum evolutionis pervenit in quo operatio instinctiva possibilis et necesaria est, statim haec operatio ab illo exercetur omnimoda perfectione, sine errore nulloque praecedente tentamine.

Insuper constat etiam operationes instinctivas maximae complexitatis de facto exerceri ab individuis *qui nunquam eas percipere et consequenter addiscere potuerunt.* Sic passeres in cavea nati, qui nunquam nidum proprium suae speciei viderunt, si forte liberantur, nidum construunt prorsus similem illis quos fabricant alia individua eiusdem speciei. Sic anates, nati ex ovis a gallina incubatis simul cum aliis ovis gallinaceis, suo tempore aquam forte videntes, instinctu naturae in ea se immittent et natabunt, a qua tum gallina tum etiam pulli gallinacei abhorrent.

b) Quod demum animalia *finem et proportionem operationis instinctivae ad finem ut talem assequendum non percipiant,* constat imprimis *ex supra demonstratis.* Percipere enim finem ut talem et proportionem mediorum ad finem assequendum proprium est solius intelligentiae vel rationis, qua animalia penitus destituuntur, iuxta thesim 8 (108-120).

Tandem etiam *ab absurdo* demonstratur. Quia certo certius operationes instinctus, utpote quae mirabili ordine et finalitate resplendent, intelligentiam aliquam supponunt, sine qua de illis ratio tradi posset nulla. Et cum eiusmodi operationes instinctivae sponte a natura irrationali animalis fluant, illa intelligentia non animali, sed eius naturae Summo Conditori, Deo, tribuenda est. Secus animali largienda esset intelligentia multo excellentior quam intelligentia humana, quo nihil absurdius.

ARTICULUS II

DE INSTINCTU ANIMALI IN ACTU PRIMO CONSIDERATO

Thesis 18. Instinctus in actu primo consideratus 1) non est vis quaedam ab aliis facultatibus vitalibus entis sensitivi distincta, 2) nec cum vi aliqua peculiari adaequate identificata; 3) sed omnes facultates viventis sensitivi complectitur unitarie et teleologice operantes, influxu naturae animalis vita sensitiva praediti.

312. Notiones. INSTINCTUS IN ACTU PRIMO consideratus idem est ac consideratus ut principium et causa naturalis operationis instinctivae, prout supra definitum est.

Omissa causa absolute ultima et suprema instinctus, quae, quemadmodum cuiuslibet alius rei naturae, ut in Metaphysica demonstratur, non est nisi Deus naturae auctor, qui ad omnes operationes naturales efficienter etiam concurrit ut causa prima *agitur hic de causa naturali,* intrinseca viventi operationem instinctivam exercenti, licet extrinseca sit respectu huius operationis instinctivae. Causae autem extrinsecae respectu operationis cuiuslibet, sunt *causa efficiens*

et *finalis*, ut supra dictum est (17). Hic igitur instinctus sumitur ut causa efficiens operationis instinctivae.

FACULTATES VITALES ENTIS SENSITIVI sunt omnes illae vires accidentales, seu potentiae quarum exsistentiam et naturam in praecedentibus capitibus huius libri consideravimus, videlicet: potentiae sensitivae, cognoscitivae, appetitivae, locomotivae, cum affectionibus gratis vel ingratis quas animal, illas exercendo, experitur.

NATURA ANIMALIS VITA SENSITIVA PRAEDITA est eius ipsa substantia vel essentia; quae, utpote vivens vita sensitiva atque etiam vegetativa, est principium ultimum operationum vitalium in eas influens.

Natura autem suas operationes vitales non exercet nisi ope virium accidentalium, quae potentiae seu facultates dicuntur et respectu illius se habent tantum ut principium *quo* natura operatur (123-127).

313. Status quaestionis. Thesis praesens supponit fere omnes theses in hoc libro hucusque propositas et demonstratas, cuius est ultima assertio sponte et logice ex illis fluens.

QUAERIMUS *igitur quid instinctus sit ut principium vel causa consideratus,* seu quaenam sit causa *adaequata et totalis* tendentiae complexae in qua instinctus in exercitio consideratus consistit, iuxta analysim in articulo praecedenti praemissam; complectens proinde tum causas proximas tum remotam.

Quaestio *proponitur de operatione instinctiva quacumque, in genere considerata.*

Non autem mens theseos est, si forte causae plures sint assignandae, determinare quo ordine quave mensura unaquaeque ex illis concurrat ad operationem instinctivam *propriam alicuius speciei animalium;* nec multo minus, quod infinitum esset, explicare quo ordine et qua opportunitate, distinctae causae quae assignentur influant in *peculiaribus et concretis processibus instinctivis* ex paene infinitis quae de facto dantur in activitate instinctiva alicuius animalis.

314. Sententiae. Exclusis iam, in thesibus praecedentibus in hoc libro vitae sensitivae dicato, omnibus opinionibus quae ad reddendam rationem sufficientem operationum instinctivarum animalium, negata anima sensitiva, ad theorias *mechanicistas in materialismo inspiratas* recurrunt, quas in thesi 13 (200-205) reiecimus; atque etiam illis quae, *spiritualismum quemdam exaggeratum profitentes,* tribuunt operationes instinctivas, sicut et alias omnes operationes sensitivas, intelligentiae brutorum, quam in thesi 8 (108-120) re-

futavimus, remanent tantum *opiniones quae plerumque inter scholasticos circumferuntur*. Qui quidem, licet admittant operationes instinctivas esse ordinis psychophysiologici, seu ad vitam sensitivam pertinentes et per causas huius vitae proprias explicandas, thesi propositae tamen diversimode adversantur.

315. *Thesi* igitur *adversarentur, quoad primam partem*, omnes illi qui instinctum animalium conciperent veluti facultatem aliquam adaequate distinctam a quacumque alia facultate viventis sensitivi, et ab omnibus aliis facultatibus simul sumptis.

Quoad secundam partem, multi sunt et quidem magni nominis adversarii; qui omnes conveniunt in conatu identificandi causam operationis instinctivae *cum aliqua determinata facultate vitae sensitivae* in qua instinctus consisteret. Eiusmodi theoriae seu explicationes instinctus, pro diversis facultatibus quae invocantur, ad tres reduci posse videntur.

Sunt autem: A) Theoria *aestimativae;* B) Theoria *imaginationis;* C) *Theoria hedonica* seu doloris et voluptatis[5].

Omnes eiusmodi explicationes *opponuntur secundae parti* theseos propositae, non *positive* seu quoad affirmationem interventionis facultatum quae invocantur, quam libenter admittimus, sed tantum *negative* quatenus eiusmodi theoriae videntur indicare instinctum, in actu primo consideratum, adaequate identificari cum una tantum facultate peculiari.

Omnes eiusmodi theoriæ inter se conveniunt in tendentia *ab aliquo genere elementarismi non immuni*, qua nimium indulgetur considerationi mere analyticae instinctus; quod quidem est etiam *contra assertionem tertiae partis* theseos propositae.

In tertia parte theseos, sententiam quae nobis probabiliter videtur, proponimus.

In ea, a consideratione instinctus *nimium analytica* recedentes, quae illum potius destruere videtur quam explicare, sive novam facultatem sine fundamento adstruendo, sive illum cum aliqua tantum ex facultatibus ab omnibus admissis identificando, *syntheticam* potius et *totalitariam* conceptionem instinctus amplectimur, extra quam solutio problematis propositi frustra quaeri nobis videntur. Hanc conceptionem instinctus iam in descriptione activitatis instinctivae, in articulo praecedenti continetur; quae utpote in experientia fundata omnino prae oculis habenda est ad causam adaequatam instinctus in praesenti thesi assignandam.

316. *Asserimus*, ergo, *causam adaequatam* operationum instinctivarum identificari cum *omnibus viribus* vitalibus vel potentiis accidentalibus entis sensitivi simul sumptis, et *insuper cum natura* substantiali et specifica animalis a qua illae vires dimanant, et qua *instigante*, diversissimae et admodum

[5] Huiusmodi theoriae, auctoribus citatis qui ipsas propugnant, ulterius explicantur in *Cursu*.

variabiles operationes instinctivae illam coordinationem, harmoniam, subordinationem, unitatem, totietatem et teleologiam excipiunt, quas, experientia teste, mirabiliter praebent.

Thesim exsistimamus *sponte fluere ex hucusque demonstratis* in hoc tractatu, praesertim in hoc libro IV vitae sensitivae dicato; et eam non maiorem difficultatem prae se ferre, quam doctrinam generalem circa vitam in genere. Problema enim instinctus animalis, *aenigmaticum* quidem est et semper erit; eius tamen aenigma non *aliud est quam ipsum vitae aenigma.*

317. Probatio. PARS 1.ª: INSTINCTUS NON EST FACULTAS ALIQUA AB ALIIS FACULTATIBUS ADAEQUATE DISTINCTA. Licet vulgus aliquando de instinctu loquatur ut de facultate speciali ab aliis distincta, nemo philosophus eam admittere potest, quia haec facultas superflua esset et sine ratione sufficienti admitteretur.

Tota quippe ratio admittendae facultates seu vires accidentales quibus natura operatur et earumdem distinctionem, nititur in realitate et distinctione operationum, quae vicissim eruitur ex distinctione et diversitate obiectorum formalium quae nobis ex experientia innotescunt.

Atqui nullum obiectum nullamque operationem in vita instinctiva animalis assignari potest, quae non sit obiectum vel operatio alicuius ex multiplicibus facultatibus vitae sensitivae quarum realitatem probavimus in praecedentibus capitibus huius libri.

Ergo nulla ratio datur ad admittendam facultatem aliquam distinctam ab omnibus aliis facultatibus, quae instinctus sit.

Consequentia patet. *Minor* evidens est ex definitione descriptiva operationis instinctivae in articulo praecedenti proposita. *Tendentia enim complexa* in qua, iuxta hanc thesim, instinctus in suo exercitio consideratus consistit, conflatur tantum operationibus cognoscitivis, appetitivis et locomotivis, cum affectionibus forte ipsas concomitantibus.

318. PARS 2.ª: NEC INSTINCTUS UT CAUSA, ADAEQUATE IDENTIFICATUR CUM ALIQUA TANTUM EX FACULTATIBUS IAM AGNITIS. Nam secus, instinctus ut causa, identificaretur adaequate vel A) cum potentia seu *vi aestimativa;* vel B) cum potentia seu *vi imaginativa;* vel C) cum potentia seu *capacitate voluptatis vel doloris.*

Patet haec propositio ex sufficienti enumeratione; eiusmodi enim sunt assertiones quae de facto thesi nostrae adversantur, ut supra (315) dictum est.

Atqui nulla ex his potentiis vel facultatibus identificatur adaequate cum instinctu.

Ergo instinctus ut causa nequit identificari adaequate cum aliqua ex facultatibus vel potentiis iam agnitis.

Consequentia patet. *Minor* probatur per partes.

319. A) *Instinctus non adaequate identificatur cum aestimativa.* Quia vis aestimativa est tantum facultas sensitiva *ordinis cognoscitivi,* qua animal cognoscit, quomodolibet id explicetur, convenientiam et disconvenientiam obiecti cogniti (231).

Atqui processus operationis instinctivae non constat mera cognitione, sed praeter hanc cognitionem, consistit etiam in appetitionibus et motibus ex ipsis consequentibus, ut in articulo praecedenti, duce experientia, dictum est.

Ergo aestimativa non adaequate identificatur cum instinctu, ut causa, sed hic constituitur etiam aliis facultatibus vel potentiis, quibus efficiuntur aliae operationes processus instinctivi.

320. B) *Instinctus nec identificatur adaequate cum imaginatione.* Etiam permissis imaginibus vel speciebus imaginum innatis et associationibus quoque innatis imaginum quae instar exemplaria operum artificiosorum instinctus essent, eiusmodi opera non efficerentur nisi praeviis perceptionibus sensitivis concretis rerum ad constructionem operis artificiosi adhibendarum, nec nisi mediantibus innumerabilibus et variatissimis motibus instinctivis membrorum animalis apposite adhibitis.

321. Tandem C) *Instinctus ut causa efficiens operationis instinctivae nequit adaequate identificari cum capacitate doloris vel voluptatis,* ut theoria hedonica contendit.

Imprimis, quia causa operationis instinctivae est causa aliqua efficiens seu potentia vel facultas aliqua activa; capacitas autem doloris et voluptatis, seu adspectus hedonicus vitae animalis, *non est facultas aliqua* nec potentia aliqua activa, sed mere passiva.

Quapropter, licet dolor et voluptas, quatenus bonum delectabile sunt vel malum bono delectabili oppositum, animal adigere possunt et saepe de facto adigunt ad operandum instinctive; nihilominus ut causa adaequata operationis instinctivae haberi nequeunt, nec quidem ut causa efficiens partialis, si vera sunt ea quae in capite VII de natura sentimenti ediximus.

322. PARS 3.ª INSTINCTUS, UT CAUSA ADAEQUATA OPERATIONIS INSTINCTIVAE, OMNES VIRES ACTIVAS ANIMALIS COMPLECTITUR UNITARIE OPERANTES NATURAE IPSIUS INFLUXU.

Causa enim adaequata operationis instinctivae debet esse proportionata effectui qui ab ipsa producitur, vi principii causalitatis.

Atqui non nisi causa consistens in omnibus viribus seu potentiis vitalibus entis sensitivi, et insuper in ipsa natura seu substantia entis viventis, *est causa adaequate proportionata* omnibus operationibus instinctivis.

Ergo stat haec pars theseos.

Consequentia patet. Minor probatur.

Quia illa tantum causa adaequata operationis instinctivae est proportionata quae *sufficientem rationem reddere valet:* a) *multiplicium activitatum* inter se diversarum quae in processibus instinctivis exercentur; et insuper b) *cohaerentiae, unitatis* et *totietatis* illarum activitatum ad constituendam unam tendentiam complexam ad finem directam qui est conservatio individui et speciei.

Utrumque requiritur: nam effectus cuius causa adaequata quaeritur, utrumque amplectitur.

Iam vero evidens est *a)* rationem sufficientem diversarum activitatum processus instinctivi non inveniri nisi in complexu distinctarum virium seu potentiarum quibus natura animalis praedita est secundum suam speciem. Tota enim ratio admittendi eiusmodi vires accidentales sunt operationes quae nostrae experientiae subiciuntur.

Quod autem *b)* ratio sufficiens *cohaesionis, harmoniae, unitatis* et *totietatis,* quae propriae sunt operationis instinctivae, inveniri nequeat in solis viribus naturae quae multiplices et diversae sunt, per se patet. Multiplicitas enim nequit esse principium unitatis.

Ideo requirimus etiam quod causa adaequata operationis instinctivae comprehendat etiam *ipsam naturam* seu substantiam viventis sensitivi, quae *una est,* suisque viribus *vitaliter,* ac proinde *immanenter* et *teleologice* operatur, *ea unitate* et *totietate quae propria est omnis vitae,* ut supra probatum est in thesi 2 (49-59) et 5 (82-91).

Si vero ratio quaeratur, ultima in ordine physico, huius unitatis substantiae et operationis, illa non in materia viventis, sed in ipsius forma substantiali seu anima reperitur, quae principium radicale et ultimum est omnium perfectionum substantiae animalis.

323. Obiectiones. Sententia reponens instinctum ut causam, in vi aestimativa est SANCTI THOMAE. *Ergo* ab ea non facile recedendum est.

Resp. 1.° Negatur simpliciter antecedens, intellectum iuxta statum praesentis quaestionis (314), in qua de causa adaequata agitur.

Resp. 2.° Claritatis gratia, *dist. ant.:* est sententia SANCTI THOMAE illa quae admittit vim aestimativam, esse *causam partialem* operationis instinctivae, *conc.;* causam totalem seu adaequatam, *nego.*

Ad mentem SANCTI THOMAE hac super re intelligendam, quam nullatenus thesi propositae adversam esse sincere putamus, sed potius cum ea omnino cohaerere animadvertendum est, SANCTUM THOMAM nullibi, quod sciamus, directe et expresse sibi proposuisse quaestionem praesentem de *causa adaequata* operationis instinctivae. Nullibi enim invenies in operibus Doctoris Angelici quaestionem: "Utrum recte dicatur instinctus idem esse ac aestimativa" [6].

---

[6] Sanctus THOMAS, de realitate et natura *vis aestimativae,* data opera agit, eam ut unum de quattuor sensibus internis considerans, in *Summa Theologica,* 1 q.78 a.4, sub titulo: "Utrum interiores sensus convenienter distinguantur", atque etiam in *De anima,* a.13. Saepe etiam de illa per transennam aliquid dicit, occurrens plerumque difficultatibus quas de more sibi opponit in diversissimis quaestionibus theologicis, agens videlicet: de quaestione utrum imperium detur in brutis (S. TH., 1-2 q.17 a.2 ad 3); vel de libero arbitrio hominis (*De veritate,* q.24 a.1c); vel de scientia puerorum, si aliqui nati fuissent ab Adam in statu innocentiae (*De veritate,* d.18 a.7 ad 7; et 2 dist.20 q.2 a.2 ad 5); vel de quaestione utrum in Deo sit liberum arbitrium (2 dist.25 q.1 a.1 ad 7); vel in quaestionibus: utrum ratio superior et inferior sit una potentia (2 dist.24 q.2 a.2); vel utrum spes sit passio (3 dist.26 q.1 a.1 ad 4); vel utrum spes sit in concupiscibili (3 dist.26 q.1 a.2). Cf. etiam *S. Theol.,* 1 q.83 a.1c; 1-2 q.11 a.2s; q.15 a.2 ad 2; q.46 a.4 ad 2; 2 d.20 q.2 a.2 ad 5.

LIBER V

De natura vitae rationalis

324. Huius libri ratio et ordo. Vita sensitiva seu animalis, in libro praecedenti considerata, communis est animalibus et homini; ea autem quam nunc considerandam aggrèdimur propria est solius hominis, et merito *rationalis* appellatur, potius quam *spiritualis* vel *intellectualis*. Illa enim apellatione, non modo a vita sensitiva seu psychophysiologica hucusque considerata secernitur, sed etiam a quacumque alia vita superiori entium pure spiritualium, videlicet a vita angelorum et a vita Dei. Inter omnia entia, quae vita psychica seu intentionali et conscia gaudent, *non nisi homo vita rationali praeditus est,* quia solus homo ratiocinatur [1].

Haec igitur pars psychologiae philosophicae, *praecipua est inter omnes,* et huius tractatus veluti centrum se habet, quo reliquae partes confluunt. Eius enim obiectum, videlicet: *operationes* rationales, *anima rationalis* et tandem homo, obiectum constituunt *attributionis* seu principaliter intentum a nostra scientia (13).

Ut igitur methodice et ordinatim in hoc studio procedamus, et ab his quae, sive experientia, sive ex hucusque in hoc tractatu iam demonstratis, notiora nobis sunt, ad reconditiora sciscitanda progrediamur, primo solvenda est quaestio *an vita rationalis sit* distincta et irreductibilis ad vitam sensitivam. Hanc praeliminarem quaestionem solvimus in capite I. Reliqua huius libri capita in duas quasi sectiones divisa considerari possunt, quarum prima, complectens doctrinam veram circa *animae rationalis realitatem et naturam,* et quoad eius entitatem et quoad eius operationes, protenditur a capite II ad caput VIII; in altera vero, a capite IX ad XI, habitudo consideratur animae humanae ad corpus, seu vera doctrina circa naturam hominis propugnatur, qui non sola anima est, sed compositum substantiale ex anima et corpore.

[1] Sic S. Th., 1 q.58 a.2c.

CAPUT I

De realitate vitae rationalis

ARISTOTELES, *De anima*, III c.1 et 4; S. TH., *In De anima*, III lect.1 et 7; BALMES, *Filosofía fundamental*, l.4 c.1-6; URRÁBURU, *Psychologia*, II p.6-19 et et 976-986; DE BACKER, *Psychologia* (1904) p.23-60; MAHER, *Psychology* (1913) p.228-251; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.217-228 n.152-157; DONAT, *Psychologia*, p.118-124 n.172-180; MORÁN, *Psychologia* (1949) n.55 59 362-365 367-371 402; FRÖBES, *Psychologia speculativa*, II p.2-12; IDEM, *Psicología empírica y experimental* (1943) II p.176-199; GEMELLI, *Orientaciones de la Psicología experimental* (1927) p.3.ª; GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicología* (1952) p.259-278; LINDWORSKI, *Das schlussfolgernde Denken* (1916); SELZ, *Zur Psychologie des productiven Denkens und des Irrtums* (1924); MEILI, *L'analyse de l'intelligence:* Archives de Psychologie, 31 p.121 (1946); WILLWOLL, *Alma y espíritu* (1953) c.6 p.26-114; IDEM, *Begriffsbildung* (1929); PIAGET, *Le langage et la pensée chez l'enfant* (1923); *Le jugement et le raisonnement chez l'enfant* (1923); *La construction du reel chez l'enfant* (1937); *La formation du symbole chez l'enfant* (1945); *La psychologie de l'intelligence* (1947); BOVET, *Étude experimental du jugement et de la pensée:* Archives de Psychologie, 8 p.37; BARBADO, *Introducción a la Psicología experimental* (1943) p.327-345; GRUENDER, *Experimental Psychology* (1932) c.14 p.301-395; MARC, A., *Psychologie réflexive* (1948) I p.165-220; DELACROIX, *Les opérations intellectuelles,* ap. DUMAS, *Nouveau traité de Psychologie* (1936) V p.85-142; BAUDIN, *Psychologie* (1924) c.17-18; MANYÁ, *El pensament i l'imatge* (1935) c.1 et 2; FONT Y PUIG, *Irreductibilidad de la actividad mental a la sensitiva* (1940); SPEARMANN, *The nature of intelligence and the principles of cognition* (1923); WOODWORD *Experimental Psychology* (1947) c.30 praes. p.783-789; STERN, *Psicología general desde el punto de vista personalístico*, II c.15-17; PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica* (1952) c.6-7.9-10.12.14-15; DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental* (1952) p.69-79 n.21-23.

325. Capitis scopus et divisio. Natura vitae rationalis in hoc libro v investigaturi, oportet ut in hoc capite, primo eius realitatem demonstremus. Vitae rationalis exsistentia prima fonte videri posset ab omnibus admitti et consequenter quaestionem praesentem supervacaneam esse. Nemo enim est qui hanc vitam in semetipso non experiatur et de ipsa non loquatur. Nihilominus multi sunt philosophi et psychologi experimentales qui, quamvis verbo tenus operationes vitae rationalis admittant, eas tamen reapse negant dum asserunt vel supponunt, huiusmodi operationes vitae rationalis non essentialiter sed *tantum accidentaliter* ab operationibus vitae sensitivae differre.

Scopus igitur praesentis capitis est hunc errorem reicere, licet non nisi tantum quantum sufficit ut de realitate vitae rationalis a sensitiva constet, et ulterius in nostro studio progredi possimus. Ad hoc praestat ut 1.° in mentem revocemus facta iam alibi *phaenomenologice* descripta vel saltem aliquomodo nota. Tunc 2.° ex his factis unum tantum seligemus quod, licet inter omnia simplicius apparet, fundamentale est ad demonstrandam irreductibilitatem vitae rationalis ad vitam sensitivam.

ARTICULUS I

FACTA PSYCHICA DE QUIBUS AGITUR ET LIMITATIO QUAESTIONIS

326. Descriptio phaenomenologica factorum vitae rationalis. De vita psychica in genere agentes, duplex genus operationum intentionalium agnovimus (160), videlicet: I) *ordinis cognoscitivi*; et II) *ordinis tendentialis* seu appetitivi. Atque in illis quae sunt ordinis cognoscitivi, de vita psychica in genere loquentes, triplex genus functionum cognoscitivarum distinximus (226), videlicet: A) *functiones adquisitionis*, B) *functiones reproductionis* seu repraesentationis, et C) *functiones productivas* seu inventionis; quarum in studio vitae sensitivae tantum duas priores invenimus (227). In vita autem rationali praeter duas priores inveniuntur etiam *functiones productivae*, quibus, ex datis a duobus functionibus prioribus, mens humana ad ulteriora cognoscenda et nova invenienda progreditur.

A) *Functiones adquisitionis* vitae rationalis sunt: a) *efformatio conceptus universalis*, sive a′) illius quo in homine rationis compote, obiectum sensibus perceptum completur, vi cuius dici potest quod obiectum perceptum *est*, et *quid est*; sive b′) conceptus universales qui ab actuali perceptione sensibili independentes se produnt.

Maxime etiam ad functiones *adquisitivas* intellectuales pertinent: b) perceptio intellectualis multiplicium *relationum*; c) *perceptio reflexa* propriarum activitatum psychicarum et proprii ego, ope conscientiae quam eventualem diximus seu formaliter reflexam, atque etiam *d)* efformatio iudiciorum.

B) *Functiones reproductivae* vitae cognoscitivae rationales sunt: a) *memoria* et b) *reminiscentia*.

C) *Functiones* tandem *productivae* eiusdem vitae sunt: a) *imaginatio creatrix* quatenus intellectionem importat et multiplex est et b) *ratiocinium*.

Ulteriorem descriptionem phaenomenologicam singularum huiusmodi functionum, brevitatis causa hic omittitur, utpote quae iam nota supponi potest, partim ex notionibus iam in Logica et Critica traditis, praesertim vero ex studio praevio Psychologiae experimentalis [2].

327. Praesens quaestio. De omnibus et singulis huiusmodi functionibus vitae psychicae rationalis quaestio magni momenti proponitur, utrum videlicet eiusmodi activi-

[2] Cf. PALMÉS. *Psicología experimental y filosófica*, ed. 4.ª (1952, ed. Balmes) c.6 et 7.9 et 10.12.14 et 15.

tates, quae ab omnibus ut rationales habentur, reduci possint necne ad activitates pure sensitivas diversimode inter se combinatas vel aliquomodo inter se associatas; ita ut, consequenter, nullum detur discrimen essentiale inter activitates vitae psychicae sensitivae et eas quae rationales ab omnibus dicuntur.

Quaestio enim de irreductibilitate vitae rationalis ad vitam sensitivam non modo ad functiones cognitionis reducitur, sed omnes praefatas functiones vitae rationalis attingit, licet quaestio circa adspectum cognoscitivum, ut fundamentalis ab omnibus habetur.

Sententiae irreductibilitatem negans, ut uno verbo designetur, nomine *sensismi* vel etiam *sensualismi* donatur, quia omnes activitates psychicas ad eas quae sunt ordinis sensitivi seu psychophysiologici reducit. Quod si eiusmodi activitates explicare contendit ex solis viribus materiae, *materialismus* dicitur; si vero ad eas explicandas ad theoriam associationis recurrit, *associationismus* nuncupatur.

328. Momentum quaestionis ipsiusque limitatio. *Sensismus* funestissimus error est, semper secum ferens alios errores; qui, serpens per omnes anfractus psychologiae, doctrinam circa veram hominis naturam pervertit. Sensismum ergo iterum novis argumentis in hoc libro 5 refutabimus, cum de adspectu *tendentiali* et *sentimentali* vitae rationalis agendum erit. Hic autem, ut ulterius in nostro studio progredi possimus sufficit ipsum sub adspectu cognoscitivo, imo tantum sub adspectu ipsius simpliciori, ceterum fundamentali, conceptus universalis.

ARTICULUS II

DISCRIMEN INTER OPERATIONES COGNOSCITIVAS VITAE SENSITIVAE ET VITAE RATIONALIS

Thesis 19. Congnitio intellectualis irreductibilis est ad cognitionem sensitivam.

329. COGNITIO INTELLECTUALIS idem est atque intellectio. Multiplices sunt et diversae functiones cognoscitivae intellectuales ut infra dictum est (337). Hic agitur de simpliciori cognitione intellectuali ad functionem adquisitivam pertinente, qua aliquod obiectum simpliciter percipitur et ideo in Logica simplex apprehensio dici solet.

Perceptio autem intellectualis diversis nominibus designatur. Vocatur enim *conceptus*, quia a mente quasi *concipitur* et *paritur;* dicitur etiam *notio intellectualis*, quia ope illius intellectualiter percipienti *notum fit* aliquod obiectum. Item dicitur *species expressa intellec-*

tualis quia *exprimit* intentionaliter similitudinem obiecti cogniti. Et tandem, *verbum* mentis vel cordis nuncupatur, quia ut S. THOMAS scribit [3]: "quicumque intelligit, eo ipso quod intelligit, procedit aliquid intra se ipsum, quod est *conceptio* rei intellectae, ex vi intellectiva proveniens, et ex eius *notitia* procedens. Quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur *verbum cordis* significatum verbo vocis".

Apud modernos auctores perceptio intellectiva *idea* etiam appellari consuevit, quo nomine opponitur perceptioni pure sensitivae quae etiam simpliciter *sensatio* vel *apprehensio sensitiva* dici potest (277). Et quoniam haec ope imaginationis completur et perficitur, perceptio sensitiva in suo ordine completa, simpliciter nomine *imaginis* vel *phantasmatis* designari solet. *Phantasma* igitur vel *imago*, contraponitur *ideae*, ut aliquid ab hac aliquomodo distinctum.

330. Operationes cognoscitivas vitae rationalis seu intellectivas ESSE IRREDUCTIBILES ad operationes cognoscitivas vitae sensitivae, idem est ac affirmare eiusmodi operationes *essentialiter* seu quoad suam naturam, *non mere accidentaliter* et quasi per gradus differre.

Essentialiter differrent, si nec per analysim obiecti cognitionis intellectualis detegi possint obiecta cognitionum sensitivarum ex quarum diversa dispositione et combinatione cognitiones intellectivae conflarentur; nec per ullam synthesim obiectorum perceptionum sensitivarum, obiectum proprium alicuius cognitionis intellectualis obtineri vel explicari possit, contra assertum in quo omnes qui thesim negant conveniunt.

Sic, intra ipsum ordinem perceptionis sensitivae *visio* irreductibilis est et essentialiter diversa ab *auditione;* quia quantumvis visio analysi subiciatur nunquam sonitus aliquis invenietur; et quantumvis sonitus diversimode coniungantur et disponantur, nunquam obiectum aliquod coloratum vel luce perfusum videbitur.

331. Status quaestionis. Libenter admittimus factum saepe invocatum ab illis qui thesim negant, videlicet: intellectionem numquam solam seu sine aliqua activitate ordinis sensitivi exerceri; modo non inde perperam deducatur obiectum cognitionis intellectualis non aliud esse quam obiectum cognitionis sensitivae.

Intellectionem enim nunquam exsistere in homine quin simul in eo detur aliqua operatio cognoscitiva sensitiva, est sententia communis inter scholasticos praeeunte ARISTOTELE [4].

QUAESTIO igitur praesens unice est, utrum non obstante aliquali dependentia cognitionum intellectualium a cognitioni-

[3] S. TH., 1 q.27 a.1c.

[4] Cf. ARISTOTELEM, *De anima,* III c.8 (432a5-10), et commentarium S. THOMAE. III lect.13. Cf. etiam *Sum. Theol.,* 1 q.84 a.7c et ad 3; et 3 CG c.84. Item SUÁREZ, *De anima,* IV c.7 n.3.

bus sensitivis, sint illae necne ab his *essentialiter distinctae* et *inter se irreductibiles.* Vel aliis verbis: utrum cognitiones intellectuales sint ipsae cognitiones sensitivae diversimode dispositae et combinatae; vel aliae prorsus diversae naturae cognitiones, quae ad cognitiones sensitivas reduci nequeant.

332. Sententiae. Quaestioni sic propositae et intellectae, duae tantum possibiles sunt sententiae: altera negans; affirmans altera.

Negant thesim, praeter aliquos antiquos philosophos quos iam ARISTOTELES confutaverat, modernis temporibus *innumeri philosophi* et *psychologi* etiam experimentales, quorum sententiam, ut uno nomine communi designemus, *sensismum* vel *sensualismum* appellabimus.

Sensismus autem, sic dictus, quia omnem psychismum ad psychismum sensitivum reducere contendit, non modo, ut supra diximus, serpit per omnes anfractus Psychologiae, sed etiam explicite tenetur vel saltem supponitur a pluribus et admodum inter se diversis doctrinis psychologicis quae ob alios errores quibus etiam implicantur, diversa nomina sortiuntur.

Sensismo enim inficiuntur: materialismus, positivismus, empirismus, phaenomenismus, atomismus physicus, chimia mentalis, elementarismus evolutionismus, associationismus, quorum placita, quoad alias assertiones uniuscuiusque doctrinae peculiares a *sensismo* quem profitentur distinctas suis locis in hoc tractatu, vel hucusque iam refutatae sunt, vel deinceps refutabuntur.

Quatenus *sensismus,* conceptus universales de facto et explicite negat vel saltem si sibi stare vult, negare debet, errorem nominalium medii aevi instauravit, et ideo nomine *nominalismi moderni* etiam donatur.

333. Ut initiator *sensismi* in moderna philosophia solet computari JOHN LOCKE (1632-1704); qui, licet dubium sit, eo quod incoherenter loquitur an *sensismum* proprie talem professus sit certe viam *sensismo* paravit postea a E. B. DE CONDILLAC (1715-1780) crude et pueriliter exposito, in sua allegoria statuae sentientis quam noster BALMES[5] mirifice refutavit. Inter *sensistas* numerantur DAVIT HUME (1711-1776); DAVIT HARTLEY (cir. 1705-1757), qui ut parens psychologiae associationis habetur; JAMES MILL (773-1836), JOHN STUART MILL (1806-1873), ALEXANDER BAIN (1818-1903), HERBERT SPENCER (1820-1903) J. P HERBART (1776-1841), H. TAINE (1828-1893).

Psychologi experimentales qui sub luce doctrinae philosophicae associationismi, activitates psychicas in laboratoriis methodo experimentali investigare coeperunt, facta ab ipsis inventa iuxta *sensismum* explicare conati sunt. Inter psychologos experimentales *sensistas* eminent: T. RIBOT (1839-1916), J. F. EBBINGHAUS (1850-1909), J. V. KRIES (1853-1921), W. WUNDT (1832-1921), J. JAMES (1842-1910) G. T. ZIEHEN (1862-1898), E. B. TITCHENER (1867-1927).

Quo factum est, ut error *sensismi* in multos quoque textus didac-

[5] BALMES, *Filosofía fundamental,* l.4 c.2.

ticos Psychologiae experimentalis et Physiologiae irrepserit, in quibus frequenter interpretationes factorum psychicorum reperiuntur penitus *sensistae* vel saltem *sensismum* redolentes; quae tamen ut conclusiones scientiae experimentalis ab aliquibus imprudenter habentur. Nec a *sensismo* videntur liberari aliqui psychologi, qui, *Psychologiam Formae* seu Gestaltismum contra elementarismum et associationismum legitime quidem et invicte promoventes, tamen non videntur nisi unum psychismum admittere, nec recte distinguere inter psychismum intellectualem et sensitivum.

334. *Sententia thesim affirmans* interdum, non omnino proprie, *intelectualismus* dicitur, per contrapositionem ad *sensismum.*

Non autem omnis intellectualismus, si hoc nomine intelligitur sententia intellectum admittens, thesim propositam amplectitur; datur enim intellectualismus plus minusve idealisticus, qui intellectum admittens negat realitatem operationum sensitivarum eas ad intellectivas reducens.

Thesim igitur illi tantum profitentur, qui, admissa realitate psychismi tum sensitivi, tum rationalis, eos esse tenent inter se irreductibiles.

In hoc igitur sensu thesim tenent maximi omnium temporum philisophi: ARISTOTELES, SANCTUS AUGUSTINUS, SANCTUS THOMAS, SCOTUS, SUÁREZ et generatim omnes philosophi neoscholastici.

"Neque inter recentiores philosophos, scribit FRÖBES [6], desunt defensores huius doctrinae communissimae, ut BRENTANO, HOFFLER, WITASEK et alii plurimi, maxime logici."

Irreductibilitas intellectionis seu cogitationis (pensamiento) ad sensationes et imagines admittitur quoque et demonstratur a psychologis tanti nominis ut W. STERN (1871-1938) [7] et C. SPEARMAN (1863-1840) [8].

Sed mirum in modum ad sententiam scholasticorum accesserunt psychologi Scholae Wurzburgensis a KÜLPE (1862-1915) directi, qui processus cognitionis intellectualis methodis experimentalibus investigarunt, et irreductibilitatem cognitionis intellectualis ad cognitiones sensitivas demonstrarunt. Inter eiusmodi psychologos experimentales eminent: MARBE (1900), BINET (1903), WATT (1905), MESSER (1867-), BÜHLER (1907), BOVET (1908), BETTS (1909) [9]; et independenter ab his WOODWORD [10], et deinceps AVELING, LINDWORSKI, SELZ aliique.

---

[6] FRÖBES, *Psychologia speculativa,* II p.4.

[7] W. STERN, *Psicologia general desde el punto de vista personalístico* (Ed. "Paidos", Bs. As.) II c.15-18 p.15-94.

[8] C. SPEARMANN, *The nature of intelligence and de Principles of Comition* (MacMillan, London 1927).

[9] Horum psychologorum experimenta, ipsorumque scopus, methodus et conclusiones, breviter recensita videri possunt apud LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* ed. 3.ª (Subirana, Barcelona 1952) p.282-292 n.86-89.

[10] Cf. WOODWORTH, *Experimental Psychology* (Holt a. C.º, New-York 1947) ch.30 praes. p.783-789.

Haec thesis fundamentalis est in systemate psychologico scholastico stabiliendo, *quatenus ex ea sequitur hominem duplici psychismo esse praeditum,* sensitivo nempe et rationali; qui licet duo sint et diversi, intime coniunguntur et coordinantur ad unam tantum activitatem psychicam hominis propriam constituendam.

Et e contra, omnis doctrina psychologica quae alterutrum ex his psychismis in homine non admittat vel non sufficienter defendat, ipso facto a doctrina communi omnibus scholasticis discedit, vel eam insufficienter defendit, in idealismum vel in materialismum incidens vel ipsis plus minusve appropinquans, prout psychismum intellectivum, vel psychismum sensitivum, neget vel nimium extollat cum detrimento alterius.

Thesim proinde *certam esse* existimamus, et innumeris argumentis posset demonstrari. Brevitati consulentes, et vitandae repetitionis causa, argumenta hic omittemus, deinde pro aliis huius libri thesibus demonstrandis explananda, et thesim quasi experimentaliter demonstrabimus argumentis tantummodo ex perceptione petitis.

335. Probatio. *Obiecta* intentionalia, quae homo rationis compos sua intellectione percipit, ipsi introspicienti apparent prorsus *diversa* ab obiectis sensitive ab ipso perceptis vel imaginatione sua reproductis, et ad haec obiecta prorsus *irreductibilia.*

Ergo cognitiones quae ut intellectiones ab omnibus habentur prorsus diversae sunt a cognitionibus sensitivis vel imaginatione reproductis, et ad has prorsus irreductibiles.

Consequentia ab obiectis ad cognitiones quibus obiecta cognoscuntur omnino legitima est; nec aliter quam ex obiectis de cognitionibus iudicium ferre possumus.

336. *Antecedens* enthimematis probatur.

Obiecta enim quae homo rationis compos sua perceptione cognoscere potest sunt sine numero. Ut autem veritas antecedentis pateat, quae ex analysi et comparatione obiectorum perceptionis intellectualis cum obiectis perceptionis sensitivae demonstranda est; obiecta eiusmodi in duo generalia agmina dispescemus.

A) Alia enim sunt *obiecta conceptuum universalium* quibus quaelibet perceptio sensitiva humana *intrinsece completur.* Eiusmodi obiecta conceptuum apparent proinde simul cum obiecto perceptionis sensitivae, ipsum complent, et sic unam

perceptionem humanam cum eo constituunt, vere unam, licet compositam ex perceptione sensitiva et intellectuali. Sic cum sensibus percipio obiectum aliquod sensibile concretum, exempli causa hunc hominem, huic perceptioni concretae sponte addo conceptum universalem: homo.

B) Alia vero sunt *obiecta, sive singularia et concreta, sive universalia et abstracta,* perceptionis intellectualis propria; quae, licet non cognoscantur nisi aliquibus aliis obiectis sensitive simul cognitis, obiectum perceptionis sensitivae *non intrinsece complent,* nec cum eo necessario vinculantur. Quae quidem aliquomodo *immaterialia* sunt, eo quod nullas proprietates materiae prae se ferunt, ut essent, exempli causa, moles aliqua vel volumen, extensio, situs in spatio et, generatim, qualitas aliqua ex multiplicibus quae sensibus percipiuntur et imaginatione reproducuntur.

Eiusmodi cognitiones immateriales, *a)* aliae praebent obiectum *positive immaterialem,* seu tale quod in suo ipso conceptu positive excludat omnem materialitatem; aliae vero *b)* sunt tantum *praecisive immateriales* eo quod in suo conceptu nec includant nec excludant aliquam materialitatem, sed respectu huius praecisive se habent, ita ut obiectum illis praebitum possit convenire, tum rebus materialibus tum immaterialibus.

Constant eiusmodi assertiones.

Quoad A) ex descriptione phaenomenologica humanae perceptionis.

Quoad B), patebit ex aliquibus cognitionibus adductis per modum exempli unicuique experientia notis.

a) *Cognitiones enim obiectorum positive immaterialium sunt:* idea quam habemus de Deo, de angelo, de anima humana a corpore separata. Cum de his omnes agant, sive ad eorum realitatem affirmandam sive negandam, omnes de illis aliquam ideam vel conceptum habeant opus est, secus nescirent de quo ageretur.

b) *Cognitiones obiectorum praecisive immaterialium* sunt idea iuris, obligationis negationis, carentiae, privationis, similitudinis, possibilitatis, contingentiae, identitatis, contradictionis, causalitatis et alia eiusmodi innumera.

337. *Iam vero,* obiecta harum cognitionum intellectualium esse irreductibilia ad cognitiones sensitivas vel imagines eas reproducentes, sic ostenditur.

Si eiusmodi ideae non essent irreductibiles ad cognitiones sensitivas, iuxta definitionem irreductibilitatis supra traditam (330), eiusmodi ideae essent vel 1) *ipsae sensationes vel imagines quae forte actu et simul dantur;* vel 2) *aliquid resultans ex sensationibus et imaginibus praeteritis diversimo-*

de combinatis vel inter se quodammodo fusis. Neutrum autem horum dici potest, nec aliud ab adversariis dicitur.

338. 1) Nequit dici ideas reduci ad imagines simul cum illis menti apparentes.

Probatur ex diversitate quam prae se ferunt iuxta experientiam.

A) *Quoad obiecta conceptuum universalium perceptionem complentium,* et *generatim quoad omnes alias ideas universales.*

1.° Quia cognitiones sensitivas et imagines semper exhibent *qualitates sensibiles determinatas obiecti, in determinato ct singulari* individuo *concrete* exsistentes.

Sic, exempli causa. perceptio vel imago mensae alicuius, eam mihi praebet determinato et singulari modo. Est enim haec mensa quam hic et nunc video, magna vel parva, lignea vel lapidea vel ferrea, tribus vel quattuor vel pluribus pedibus constans.

Obiectum e contra prout in conceptu intellectuali universali relucet, *praescindit* ab omnibus peculiaribus determinationibus concretis et singularibus, et tantum exhibet obiectum quidem unum quod tamen vere praedicari potest per identitatem de multis individuis.

Sic mensa apparens in conceptu vere praedicari potest per identitatem de singulis mensis individualibus exsistentibus, praesentibus, futuris et possibilibus et quidem secundum eandem prorsus rationem, ita ut in eis multiplicetur, et de quacumque mensa possim dicere hoc est mensa, hoc etiam est mensa, etc...

2.° Perceptiones sensitivae et imagines praebent obiecta *fragmentaria,* seu rem exhibent tantummodo quoad aliquem eius adspectum.

Sic mensa visu cognita menti obicitur sub aliqua proiectione visuali aliorum lineamentorum mensae supra alia, ita ut si mensa praebeatur sub uno adspectu, alii adspectus mensae possibiles non percipiantur.

E contra conceptus universalis mensae, eam mihi praebet *totam et indivisam,* secundum omnia quae sufficiunt et requiruntur ut mensa sit, et quae omnibus et solis mensis conveniunt.

3.° Tandem perceptiones et imagines sunt *admodum variabiles et fluctuantes,* tum in eodem homine individuo diversis temporibus, tum in distinctis hominibus.

In *eodem homine,* in diverso statu vel adiunctis constituto perceptiones et imagines erunt plus minusve praecisae, plus

minusve complexae. In *distinctis hominibus* vel subiectis cognoscentibus, diversae quoque erunt pro uniuscuiusque sensibilitate vel typo imaginationis, seu pro maiori vel minori facilitate qua subiectum, sive a natura, sive ex exercitio praeditum sit ad res sibi repraesentandas imaginibus visualibus, acusticis, vel tactilibus.

Prorsus aliud evenit quoad obiectum conceptus universalis, quod semper *idem est,* tum in eodem homine in quibuscumque adiunctis constituto, tum in distinctis hominibus, qui conceptus universales locutione expressis etiam in distinctis idiomatibus, eodem pacto intelligunt.

339. B) *Quoad obiecta conceptuum, quae perceptionem sensitivam non complent* nec intrinsece cum obiecto huius vinculantur, sive sint conceptus positive immateriales, sive tantum praecisive immateriales.

Tria sunt genera sensationum vel imaginum simul cum conceptu intellectuali apparentium, quae cum hoc confundi possent, videlicet: 1.° *imagines symbolicae* quae verbis ipsis suggeruntur; 2.° *imagines quoque symbolicae* sponte cogitanti occurrentes; 3.° *sensationes vel imagines verborum materialium,* visuales, acusticae, vel cinaesthesicae. Nec aliquod aliud genus imaginum adduci posse videtur, quorum obiectum cum obiecto cognitionis intellectualis confundi vel identificari possit.

Quod autem obiectum conceptus irreductibile sit ad obiectum harum sensationum vel imaginum sic per partes declaratur.

1.° *Quoad imagines symbolicas quae verbis ipsis* suggeruntur. Tales sunt exempli causa imagines quae forte suscitantur cum in arithmetica sermo est de "extrahendis radicibus alicuius numeri"; vel quando in psychologia dicimus "ideam esse conceptum vel partum mentis". Evidenter obiectum eiusmodi imaginum confundi vel identificari nequit cum obiecto conceptus illis verbis expresso, nisi ab illo qui absurde metaphoram a realitate per metaphoram significata non distinguat.

2.° *Quoad imagines symbolicas sponte occurrentes.* Tales essent exempli causa imago forte in mente surgens illius qui philosophice de actione quae causalitas est causae efficientis cogitans, eam sibi imaginatione repraesentaret veluti fluidum aliquod manantem a causa in effectum; vel etiam imago qua quis de aeternitate disserens eam sibi imaginatione fingeret tamquam pelagus immensum sine ripis; vel imago horologii illi occurrens qui de natura temporis speculatur. Evidenter nequit actio identificari cum fluido aliquo, nec aeternitas cum pelago, nec horologium cum tempore.

3.° Quoad *imagines et sensationes verborum* materialium quibus conceptus significantur. Quod ad eiusmodi sensationes seu imagines

acusticas verbi ore prolati, vel visuales verbi scripti, reduci nequeunt conceptus et obiecta conceptuum quae in mente excitantur iam per se patet.

Sed praeterea, imagines verborum non solum diversae sunt in distinctis hominibus pro diversitate typi imaginationis, sed etiam pro diversitate idiomatum.

Conceptus autem idem semper est in omnibus, quocumque idiomate scribantur, cum tamen sensationes et imagines verborum materialium quibus exprimitur, valde diversae sunt prout unicus et idem conceptus, exprimatur lingua latina vel hispana vel anglica vel germana.

Ergo ex hucusque dictis sufficientissime constat absurdum esse identificare actus intellectionis sive conceptus vel ideas, cum imaginibus quibuscumque quae quomodolibet menti simul obversentur.

340. *Sed* 2) IMPOSSIBILE QUOQUE EST QUOD CONCEPTUS HUCUSQUE DESCRIPTI SINT REDUCTIBILES AD IMAGINES PRAECEDENTES.

Non enim ex illis quomodolibet combinatis vel fusis originem ducere possunt. Hoc autem sic generaliter demonstratur.

Combinationes vel dispositiones possibiles quae fingi possunt imaginum praeteritae experientiae, ex quibus obiectum conceptus vel ideae conflarentur iuxta sensistas, sequentes esse videntur.

1.° *Per additionem et associationem* obtentam, sive *a)* per *iuxtapositionem*, ut cum imaginatione fingo equum alatum; sive *b)* per *suprapositionem*, ut in photographia composita ex multis photographiis rerum similium; sive *c)* per quandam *fusionem*, ut funduntur colores in picturis quae trichromiae dicuntur.

2.° *Per substractionem:* sive *a)* alicuius partis imaginis, ut cum imaginor mensam sine capsulam; sive *b)* quorundam modificationum vel affectionum rei imaginatae, sicut cum mensam albam, nigram esse imaginor; sive *c)* omnium prorsus qualitatum sensibilium, praeter lineamenta rei propria in *schemate pure lineali* repraesentata, ut cum simplicissimis lineis, figura humana, vel alicuius rei praebetur.

3.° *Per additionem simul et substractionem* quarumcumque imaginum elementarium et iuxta omnes combinationes possibiles illarum, modo imagines esse pergant.

Nihil enim amplius fingi potest in hypothesi sensismi, nec de facto quidquam aliud a sensistis allegatur.

341. *Iam vero,* impossibile prorsus est quod ex aliqua ex his combinationibus possibilibus imaginum experientiae prae-

teritae obtineatur conceptus aliquis, sive rei universalis, sive rei immaterialis praecisive, nedum positive immaterialis.

Quia elementa sensibilia quae iuxta sensistas actu constituerent imaginem complexam in qua conceptus universalis vel immaterialis consisteret, exempli causa, ut concrete loquamur, conceptum universalem mensae, essent elementa aliqua: a, b, c, d, ..., desumpta a mensa A prius concepta; vel elementa: f, g, h, i, ..., provenientia ex perceptione olim habita mensae B; vel elementa: k, l, m, n, ..., mensae C, antea etiam perceptae; et ita porro.

Constat hoc ex ipsa natura imaginis, quae ut experimentaliter demonstratur [11] et a sensistis etiam admittitur, nullam qualitatem elementalem repraesentare valet, quae prius sensibus non fuerit percepta.

Ergo complexus quilibet imaginum elementalium non potest esse nisi summa vel coniunctio elementorum: a, b, c, d, ..., vel summa vel coniunctio elementorum: c, b, h, k, ..., vel quodlibet ex innumeris possibilibus, iuxta numerum combinationum possibilium pro diversis elementis quibus complexus earum constaret et in quo conceptus universalis vel immaterialis consisteret.

Obiectum ergo menti apparens, si tantum in complexu imaginum diversimode combinatarum consistit, erit semper obiectum aliquod *concretum, singulare, individuale* et *determinatum*, sicut elementa quibus actu conflatur, quae iuxta hypothesim sensistam sunt eadem quae sensibus percepta fuere, quaeque proinde poterunt etiam pingi, sculpi vel sonitu exprimi quamvis diversimode misceantur et combinentur.

342. *Prorsus aliud est quod menti apparet,* in conceptu universali quolibet et in perceptione intellectuali rei spiritualis. Nec ulla combinatio imaginum fingi potest, in quo consistant innumerae relationes quas omnes clarissime et cognoscimus et loquendo exprimimus. Nullus enim sensista est qui valeat dicere quaenam sint imagines vel complexus imaginum elementarium ex quibus constituantur innumerae relationes quas, inter loquendum, omnis homo etiam rudis exprimit, dum exempli causa particulis utitur: *et, etiam, quoniam, quia, ergo, quando, semper, ut, in,* aliisque innumerabilibus; nec multo minus quaenam imagines constituant relationes quas terminationibus grammaticalibus exprimimus ope declinationis nominum et coniugatione verborum.

[11] Cf. DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental* (o.c., 3.ª ed.) p.69-79 n.21-23; et PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica* (o.c., 4.ª ed.) p.225-226 n.210-211.

Igitur omnes qui sensismum profitentur, vel contra experientiam evidentissimam omnium hominum, ipsis sensistis non exceptis, eiusmodi cognitiones mentis humanae ignorant vel negare coguntur, ut illi qui conceptus universales negent eo quod cum sua theoria non cohaerent; vel si eiusmodi experientias admittunt absque ulla tergiversatione, de illis rationem reddere possunt nullam, quae non sit puerilis et absurda et talis quae serio ab aliquo philosopho admitti possit.

Iure merito, ergo, MENÉNDEZ PELAYO scripsit[12] sensismum esse supremum gradum degradationis philosophicae, eo quod haec doctrina negat humanam intelligentiam, ope cuius tantummodo homo capax est philosophandi.

343. Obiectiones. 1. Obiectum quod ab homine cognoscitur conceptu universali qui perceptioni eius sensitivae adiungitur, est ipsum perceptionis sensitivae obiectum. *Ergo* cognitio obiecti universalis non essentialiter differt a cognitione sensitiva.

Resp.: dist. ant.: obiectum *reale* seu *extramentale* quod ab homine cognoscitur conceptu universali adiuncto perceptioni sensitivae est ipsum obiectum huius perceptionis sensitivae, *conc.;* obiectum *intentionale,* seu prout in mente relucet hominis percipientis, et quo obiectum reale et extramentale cognoscitur, est ipsum obiectum perceptionis sensitivae, ita tamen ut in eo homo aliquid amplius et diverso modo percipiat, quam percipere posset perceptione pure sensitiva *conc.;* ita ut homo in obiecto perceptionis sensitivae nihil aliud percipiat et eodem modo percipiat ac perciperet cognitio pure sensitiva, *nego.*

Sub datis distinctionibus *nego consequens* et *consequentiam.*

Explicatur solutio. Homo, perceptione sensitiva percipit tantum qualitates sensibiles concrete exsistentes in aliquo obiecto singulare et individuo; sed insuper, ope conceptus universalis qui obiecto perceptionis sensitivae adiungitur percipit *illud esse* et *esse aliquid.*

Sic homo percipiens sensibus aliquam mensam vel domum singularem et concretam, simul scit illas esse mensam vel domum, praescindendo a notis individuantibus huius mensae vel domus; seu habet conceptum universalem mensae vel domus, abstractum ab obiecto dato a perceptione pure sensitiva. Obiectum hoc pacto conceptum, utpote quod praescindit a notis omnibus individuantibus obiecti operatione pure sensitiva percepti, licet ab hoc abstractum fuerit, praedicabile evadit per identitatem etiam de quibuscumque aliis mensis vel domibus singularibus, quia omnes habent quod sufficit et requiritur ad definitionem mensae vel domus verificandam.

344. 2. Licet talis sit conceptus universalis, non tamen inde sequitur eum esse irreductibilem ad obiectum perceptionis pure sensitivae, saltem cooperante imaginatione.

Nam, operatione propria *imaginationis creatricis,* formae novae obiectorum producuntur et inveniuntur, quae in meris combinationibus et dispositionibus imaginum et sensationum consistunt et in his

[12] MENÉNDEZ Y PELAYO, *Historia de los heterodoxos españoles.* Obras completas. Ed. nacional, 1947, t. V, p. 289.

resolvi possunt, ut sunt illae omnes cognitiones, quibus opera artistica, technica atque etiam scientifica producuntur.

Ergo nulla est ratio propter quam imaginatio saltem creatrix, non possit etiam sibi fingere imaginem aliquam quae obiectum aliquod praebeat illis conditionibus ornatum quae tribuuntur conceptui universali.

Resp : nego assertum. Ad probationem *dist. ant.:* operatione propria imaginationis creatricis quae nullatenus mera cognitio sensitiva est sed imaginatio reproductiva cognitione intellectuali directa, novae formae obiectorum producuntur et inveniuntur, *conc.;* imaginatione creatrici quae pura operatio vitae sensitivae sit nullo interveniente et dirigente conceptu intellectuali, *nego.*

Et sub data distinctione, *nego consequens* et *consequentiam.*

Declaratur solutio. Opera quae imaginationi creatrici tribuuntur, licet peragantur ope operationum cognoscitivarum ad imaginationem et perceptiones sensitivas pertinentium diversimode inter se combinatarum; at haec omnia ad psychismum quidem sensitivum spectantia, non sunt nisi *materia* operis proprii imaginationis creatricis. *Forma* autem horum operum, ac proinde haec ipsa opera, non nisi a psychismo rationali producuntur, quae, sine conceptibus universalibus et pluribus aliis cognitionibus relationum et obiectorum immaterialium non produceretur, ut alibi explicavimus [13]. Propterea imaginatio creatrix non datur in vita pure sensitiva animalis, ut supra probatum manet (th.8, praesertim 115-116).

345. 3. Saltem imaginatio, *vi attentionis* quae datur etiam in vita pure sensitiva, obiecta perceptione sensitiva cognita, potest ita reproducere ut praescindendo a characteribus vel notis eorum disparibus, eas tantum cognoscat quae sint inter se similes, et omnibus obiectis perceptione sensitiva cognitis vel cognoscibilibus conveniant. *Atqui* haec imago quae omnibus obiectis perceptis vel perceptibilibus conveniat, et de omnibus illis praedicari poterit per identitatem, est conceptus universalis. *Ergo* imaginatio vi attentionis quae datur etiam in vita sensitiva cognitionem universalem conficere potest.

Resp.: nego mai., vel claritatis gratia *dist.:* imaginatio vi attentionis potest *praescindere* a notis vel characteribus multorum obiectorum quae inter se non sunt similes et imaginari obiectum aliquod *concretum* et *singulare* quod praebeat characteres vel notas quasdam etiam *singulares* et *concretas* quae in mentem revocent characteres singulares et concretos qui in multis aliis obiectis reperiuntur, *conc.;* potest obiectum aliquod confingere *praecisum* ab *omni individualitate et singularitate,* quod possit praedicari per identitatem de singulis individuis quae characteres singulares et individuales habeant similes, *nego.*

Contra *distincta minore, nego consequens* et *consequentiam.*

Solutio declaratur. Attentione quidem fieri potest ut imaginatio retineat quasdam notas vel characteres singulares et materiales qui sint inter se plus minusve similes omissis aliis quae inter se differunt, sed tantum *inter ea quae imaginatione perceptibilia* sunt. Attentio enim non est nova aliqua vis cognoscitiva, sed tantummodo directio vel orientatio vis cognoscitivae. Non igitur attentione fieri potest ut cognitio efformetur obiecti universalis, nisi perperam supponatur

[13] PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* o. y ed. c., c.15 n.302-311. n.258-263.

obiectum universale esse perceptum vel perceptibile cognitione sensitiva. Si obiectum universale aliquando fuisset sensibus perceptum, imaginatio quidem ipsum reproducere posset omissis aliis obiectis perceptionis sensitivae. Perceptione autem sensitiva et imaginatione reproductiva, ut constat ex experientia non nisi obiecta percipiuntur materialia, singularia, concreta et in spatio sita quibus tantum immutari possunt organa sensoria. Imaginatio ergo quae nihil aliud facere valet quam reproducere vel omittere sensationes praehabitas, nunquam poterit obiectum reproducere quale relucet in conceptu intellectuali, quia nunquam hoc obiectum sensitive ab ea perceptum est, nec est sensatione perceptibile, sed percipitur tantum perceptione intellectuali.

346. 4. Obiectum cognitionis sensitivae, exempli causa, verbum orale vel scriptum, est signum aliquod cognitionis obiecti universalis. *Ergo* obiectum cognitionis sensitivae, est ipsum obiectum cognitionis universalis.

Resp. 1.°: conc. ant.; et *nego cons.* et *consequentiam,* quae certe non fluit ex antecedenti.

Resp. 2.°: Claritatis gratia, *dist. ant.:* obiectum cognitionis sensitivae, exempli causa verbum orale vel scriptum, est signum *formale* obiecti cognitionis universalis, seu est ipsa cognitio quae formaliter apparere facit obiectum cognitionis universalis, in quo sensu tantum consequentia valeret. *nego:* est signum *instrumentale*, seu quod prius cognitum ducit in cognitionem obiecti universalis vi affinitatis associativae praevie exercitio vel disciplina efformatae, si supponitur conceptus universalis iam praevie fuisse adquisitus *conc.;* si conceptus universalis non fuerit praevie adquisitus, ac proinde cum verbo non associatus, *subdist.:* verba possunt suscitare per associationem conceptus praevie adquisitos, ex quarum comparatione novi conceptus in mente audientis vel legentis excitentur, ope iudicii et ratiocinii *conc.;* secus, *nego.*

Explicatur solutio. Verbis quidem scriptis vel ore prolatis, in mente legentis vel colloquentis conceptus universales aliqui per associationem excitantur, si tamen prius eiusmodi conceptus fuerint efformati et convenienter associati. Non enim quodlibet verbum conceptus universales suscitat in mente legentis vel audientis, ut patet cum aliquis legit vel audit verba idiomatis ignoti. Sed ubi primum conceptus aliqui prius efformati sunt et cum determinatis vocabulis associati, his possumus eiusmodi conceptus in mente loquentis vel audientis suscitare, et ope illorum ad alios conceptus suscitandos in mente audientis manuducere, ope iudicii et ratiocinii. Iudicium autem et ratiocinium non iam in meris associationibus consistunt, sed functiones sunt rationales; quae impossibiles essent sine conceptibus universalibus et sine perceptione relationum; quae omnia ad activitatem pure sensitivam penitus sunt irreductibilia.

Alia argumenta pro sensismo invocari solita, ut *imago typica* plurium individuorum, similis illi quae obtinetur in photographia composita; *imago schematica* alicuius obiecti materialis; *imago symbolica* et alia similia quae a sensistis cum conceptu universali confunduntur, explosa manent in probatione theseos.

CAPUT II

De realitate et natura principii ultimi vitae rationalis

ARISTOTELES, *De anima*, II c.1-2; III c.4; S. TH., *In De anima*, II lect.1-4; III lect.7-9; *Sum. Theol.*, 1 q.75 a.1 et 2; 2 CG c.49-51 et 65; *De veritate*, q.10; *De mente*, a.1; *De anima*, a.2; *De potentia*, q.3 a.2; a.8 ad 7, et a.9c; SUÁREZ, *De anima*, I c.9; BALMES, *Filosofía fundamental*, 1.4 c.3; 1.9 c.11-12; IDEM, *Filosofía elemental*, Psicología, c.2 n.9; URRÁBURU, *Psychologia*, III p.544-548.565-619; PESCH, *Institutiones psychologicae*, I p.241-247 n.190-192; p.322-366 n.261-284; DE BACKER, *Psychologia*, II p.66-81; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis*, II p.159-174 n.237-243; MERCIER, *Psychologie* (7.ª ed.) II p.238-270; n.247-258; FRÖBES, *Psychologia speculativa*, II p.235-275; SIWEK, *Psychologia metaphysica*, p.382-402 n.268-279; MORÁN, *Psychologia* (1949) II p.189-226; n.608-650, DONAT, *Psychologia* (1936) p.388-406 n.564-590; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.8-16 n.13-23; IDEM, *Alma y espíritu* (1953) p.16-48; GRUENDER, *Psicología sin alma* (versio a Domínguez, 7.ª ed., 1945); PALMÉS, articuli *Substancialidad* et *Espiritualidad del alma*: Encycl. ESPASA.

347. Nexus et ordo doctrinae tradendae. Postquam *realitatem* operationum vitae rationalis, saltem quoad operationes cognoscitivas, adversus sensistas in capite praecedenti sufficienter probavimus, ad investigandas exsistentiam et naturam *principii ultimi* harum operationum progredimur, quod vi principii causalitatis et rationis sufficientis omnino requiritur, nihil interdum dicentes de *principiis proximis* seu de viribus, quibus forte hoc principium ultimum ad operationes rationales utitur, de quo postmodum agendum erit. Hoc principium ultimum, *intrinsecum esse cuicumque homini individuo* seu supposito rationali, et pro distinctis hominibus multiplicatum; seu non extrinsecum ipsis nec unicum pro omnibus, contra averroistarum sententiam olim vigentem et nunc penitus obsoletam, patet ex immanentia operationum rationalium; quae cum evidenti experientia in unoquoque individuo humano reperiantur, non possunt non a principio ipsi intrinseco procedere. Hac igitur quaestione hic omissa [1], agendum est: 1.º de *substantialitate*, 2.º de *simplicitate* et 3.º de *spiritualitate* principii ultimi vitae rationalis.

ARTICULUS I

DE SUBSTANTIALITATE ET PERMANENTIA PRINCIPII ULTIMI VITAE PSYCHICAE RATIONALIS

Thesis 20. Mens seu principium ultimum vitae rationalis est 1) aliquid substantiale, 2) sibi identicum et permanens sub diversis operationibus psychicis.

348. Notiones. MENS hic sumitur pro principio ultimo, homini intrinseco, operationum vitae rationalis.

Hoc principium diversis nominibus insignitur et ab auctoribus aristotelico-scholasticis *anima* vocatur. Hic autem ab

[1] Vide in *Cursu*, th.33.

hoc nomine praescindimus, et illud *mentem* appellamus, ut in ratione loquendi cum adversariis conveniamus, qui libentius illud *mentem* quam *animam* vocant.

Vita psychica rationalis complectitur omnes operationes proprie rationales.

Eiusmodi operationes, quae *facta psychica* realia sunt, experientiae nostrae subiecta, ab adversariis *phaenomena psychica* appellantur; in quo etiam ipsis morem gerere possumus, modo vox phaenomenon intelligatur in *sensu praecisivo* qui praescindit ab eorum realitate, non autem in sensu negativo quo realitas harum operationum, in thesi 19 (329-346), iam demonstrata arbitrarie negetur.

Nihil igitur aliud sunt eiusmodi operationes vel facta psychica vel phaenomena, quae etiam *phaenomena conscientiae* dici solent, quam operationes *intentionales* et *consciae* (190-192); tum de linea cognoscitiva, ut perceptiones sensitivae, imaginationes, conceptus universales, iudicia et ratiocinia; tum de linea appetitiva, ut desiderium, aversio, volitiones; cum harum operationum modificationibus de linea affectiva seu sentimentali, ut dolor, voluptas, gaudium, tristitia.

349. Haec omnia facta vel operationes vel phaenomena, homo merito vel immerito, sed irresistibiliter et sponte natura *sibi attribuit*, tamquam aliquid a se distinctum, sed *proprium;* eo quod sibi apertissime videatur esse illorum et *principium* et *subiectum*.

Porro hoc principium et subiectum, non modo apparet ut distinctum a propria activitate, ut per se patet: verum etiam ut 1) *unum*, tum *in sua entitate*, cui varia et diversa phaenomena psychica *simultanea* actu attribuuntur: tum 2) etiam *in tempore*, seu permanens *unum et indivisum in duratione*, cui 3) varia et diversa phaenomena psychica *successiva* imputantur et ut illius propria iudicantur.

Horum *primum* exprimimus passim dicentes: "ego cogito", "ego volo" "ego dolore afficior", "ego ipse qui cogito, sum qui volo et qui dolore afficior".

Alterum vero significamus quando his verbis proferimus, id quod evidentissime etiam nobis innotescit: "ego qui nunc scribo, sum ipse qui hodie primo mane surgebam, qui heri deambulabam, qui nudius tertius quendam librum perlegebam, qui tot abhinc annis, laetus vel tristis in tali loco vel urbe degebam, qui puer eram et scholam adire coepi".

350. Quoniam principium et subiectum actionum psychicarum pronomine "ego" in omni lingua exprimitur, multiplicem acceptionem huius vocabuli apud auctores modernos, quibuscum disputandum est, hic declarare iuvat.

Igitur "to ego" semper subiectum aliquod significat diversimode tamen. Etenim si subiectum quod hoc pronomine exprimitur, consideratur ut *exsistens* realiter a parte rei et independenter a mentis consideratione, vocabitur "ego ontologicum".

Si consideratur *quatenus munere fungitur subiecti* in enuntiatione iudicii dicitur "ego logicum".

Si vero praescinditur ab eius exsistentia reali et obiectiva, et inspicitur tantum *prout apparet* quasi involutum in nostris actibus psychicis, vel tamquam a conscientia relatum, appellatur "ego psychologicum".

Praeterea, apud auctores praesertim qui thesim negant, "ego" dicitur *actuale* vel *historicum*. "Ego actuale" est ipsum "ego psychologicum" *prout apparet in singulis* actibus psychicis; "ego vero historicum" non est nisi series "ton ego" actualium quae in serie actuum successiva relucent, tamquam inter se, *saltem apparenter identificata*.

Eiusmodi denominationes sapiunt quidem "theoriam actualitatis animae", a nobis statim reiciendam; possunt tamen etiam permitti ut cum adversariis disputationem ineamus, modo ab exsistentia obiectiva et reali permanentia "tou ego" *mere praescindant* et nullatenus illas denegent.

351. Insuper, ut *omnis confusio amandetur*, quam terminologia modernorum in hanc quaestionem inducere posset, animadvertendum est, "to ego ontologicum" bifariam sumi posse, scilicet, *inadaequate*, seu pro *mente* seu principio eliciente reflexionem quae pronomine "ego" significatur; et adaequate pro *supposito* vel persona, cuius proprium est eiusmodi reflexionem instituere.

Ut igitur cum adversariis etiam conveniamus, "to ego" in thesi sumitur inadaequate; quo sensu "ego" iuxta scholasticos identificatur cum *mente* vel cum *anima* hominis. Non sumitur adaequate, siquidem "ego" adaequate sumptum iuxta doctrinam scholasticam postmodum defendendam, importat corpus et animam seu totum compositum substantiale.

352. SUBSTANTIA quae vi nominis dicitur a *substando*, vi vero rei a *subsistendo*, idem est ac ens per se stans, vel ens in se subsistens, sicque ad mentem SANCTI THOMAE [2] describitur: "Substantia est res cuius naturae debetur esse non in alio" tamquam in subiecto inhaesionis. Accidens vero, substantiae oppositum, "est res cuius naturae debetur esse in alio" tamquam in subiecto inhaesionis [3].

Id exprimunt alii dicentes: substantiam esse ens *non indigens alio cui inhaereat ad exsistendum. Subiectum inhaesionis*, quod excluditur in definitione substantiae, est ens iam completum in aliqua specie plene constitutum, vel saltem in se perfecte subsistens, quod suscipit in se formam a qua in suo esse non pendet, licet haec vicissim ab eo dependeat in exsistendo.

Hoc subiectum inhaesionis plane differt a *subiecto sustentationis* et *purae informationis;* quia haec sunt entia incompleta secundum speciem, quae cum formis suis constituunt unam simpliciter essentiam

[2] S. TH., *Quodlibet.* 9, a.5 ad 2; et in multis aliis locis.
[3] Cf. in hac SUMMA *Metaphysicam generalem,* n.547.

completam unius praedicamenti, cuius partes essentiales sunt eiusmodi subiectum et forma ex quorum coniunctione unum esse specificum resultat.

Substantia autem *transcendentaliter accepta dividitur iuxta scholasticos* in *incompletam* et *completam;* prout naturaliter ordinetur ad constituendum cum alia, a qua afficiatur et perficiatur, totum aliquod *substantiale* maioris perfectionis, vel secus.

Incompletae substantiae ab scholasticis, proprius et verius *substantiales partes,* quam substantiae simpliciter dicuntur; quo nomine, absolute prolato, substantiae praedicamentales seu completae designantur.

Hic tamen ne quaestionem perdifficilem informationis animae, cum praesenti de eius substantialitate inutiliter permisceamus, ab hoc discrimine verborum praescindemus.

Substantiae autem incompletae, si sint formae, ulterius a *philosophis dividuntur* in *perfectas* seu in se subsistentes, quae proinde, ut animae humanae, non habent nisi subiectum *pure informationis* a quo in essendo non pendent; et *imperfectas,* ut animae plantarum et animalium quae subiectum habent *substentationis* a quo in essendo dependent.

Omnibus his substantiis convenit notio transcendentalis substantiae, quia nullae sunt quae subiectum exigant inhaesionis.

Utrum autem subiectum aliquod sit inhaesionis necne, ex experientia tandem innotescit, prout, ablata forma, subiectum mutetur substantialiter, vel secus.

353. Illud hic *animadvertere iuvat* ad praecavendas nonnullas adversariorum impugnationes, scilicet: quod, licet perseitas substantiae a nobis per negationes declaretur, non tamen formaliter *consistit in negatione,* sed in *positiva perfectione* et praestantia entitatis, quae apta est ad exsistendum sine adminiculo alieni sustentaculi.

Insuper prae oculis habendum est *notionem primariam substantiae* esse quidem perseitatem seu perfectionem positivam quae fundamentum est eius independentiae ab alio ente; concedendum tamen est nos de facto non pervenire ad hunc conceptum primarium substantiae, nisi *experientia mutationum quas res in se permanentes subeunt tamquam ipsarum subiectum.*

Substare igitur in notione substantiae est *conceptus secundarius,* et relativus ad cognitionem nostram; *subsistere* vero vel exsistere in se est *conceptus primarius* et absolutus. Hic est prior in ordine ontologico consideratus; ille vero in ordine quidem ontologico posterior nec necessarius, verum prior in ordine logico seu quoad cognitionem nostram et quoad nominis impositionem.

In creatis vero unus conceptus sine alio non datur: quare *in re praesenti idem erit* mentem sive animam esse ens per se stans, ac esse subiectum phaenomenorum psychicorum quae in homine dantur.

Addimus praeterea in carmine theseos *subiectum hoc sibi identicum permanere* sub diversis operationibus; quod quidem non necessario consequitur ex eius substantialitate. Fin-

gi enim possent substantiae quae ipso momento quo exsistere incipiunt illico perirent aliis substantiis perpetuo succedentibus quae illico ab aliis substitueruntur.

354. Status quaestionis. Quod dentur facta psychica a nobis descripta admittitur ab adversariis.

Tota QUAESTIO EST utrum mens cui ab illis huiusmodi facta adscribuntur sit necne aliquid, non modo *substantiale,* sed etiam aliquid sibi identicum, *permanens* et perdurans sub diversis operationibus vel phaenomenis sibi succedentibus.

Quod quidem idem est ac quaerere utrum "to ego ontologicum" vere gaudeat proprietatibus quae attribuuntur "to ego psychologico, actuali vel historico"; ita ut sit aliquid *per se stans,* proprium unicuique homini, subiectum factorum conscientiae, saltem vitae rationalis; et praeterea *identicum sibimetipsi* in duratione, seu *permanens* sub diversis modificationibus vel actibus psychicis, non modo apparenter, verum secundum rei veritatem; ita ut mutationes quas certe subiit sint ipsi mere accidentales, sua entitate substantiali identica sibi manente in duratione.

355. Sententiae. Thesis nostra *admittitur* vel potius perpetuo supponitur a sensu hominum communi atque ab omnibus omnino philosophis christianis, eamque *defendimus ut omnino certam.*

Scholastici auctores, hanc quaestionem vix ex professo sibi proposuerunt, ita ut plerumque thesim praesentem potius videantur supponere quam probare; et merito quidem, cum nemo ipsis hac super re serio adversaretur.

Thesim *reiciunt* tamquam commentum metaphysicum vel conceptionem vulgarem, scientiae modernae contrariam, plures nostrorum temporum philosophi, praesertim psychologi experimentales, quorum doctrina nuncupari solet, in Germania "Theoria actualitatis animae", in Gallia "Phaenomenismus psychologicus", in Anglia "Doctrina associationis", actuum videlicet inter se absque ullo substrato vel subiecto substantiali.

356. Hanc doctrinam quam forte in antiquitate tenuerat HERACLITUS, fovit LOCKE suo empirismo, clare iam exposuit HUME, et nostris temporibus professi sunt WUNDT, PAULSEN, RIEHL, JOLD, ZIEHEN et WITASEK, inter germanos; TAINE, RIBOT, BINET, FOUILLÉE, in Gallia; W. JAMES, TITCHENER, et BALDWIND in Statibus foederatis Americae septentrionalis.

Diversae admodum explicationes huius theoriae a diversis auctoribus propositae circumferuntur prout in empirismo associationista, vel in critica kantiana inspirentur, qui tamen omnes *incuntanter* exsistentiam animae substantialis denegant; quod saepe exprimunt dicentes se agere de "Psychologis sine anima", scilicet, sine anima

sumpta, sensu obvio, pro principio vel subiecto substantiali et permanente actuum psychicorum.

Plerumque *potius de mente* quam de anima loqui malunt; quod si vocabulum animam usurpant, hoc nomine apud eos tantum phaenomena psychica ipsorumque coniunctiones veniunt. Itaque mens seu anima non est, iuxta hanc sententiam, nisi *summa actionum psychicarum,* nempe cogitationum, tendentiarum et affectuum; vel iuxta JAMES, tantum, actualis cogitatio [4], quin ulla prorsus detur substantia cogitans, tendens vel affecta.

Omnes tamen eiusmodi actiones eadem donantur conscientia, atque hoc causa esse dicitur cur, stante ipsorum phaenomenorum multiplicitate et successione, "to ego", quod non nisi illorum summa constituitur, videatur tamen unum tantum esse et idem permanere.

Inde concludunt "to ego", quatenus hoc nomine significatur essentia quaedam permanens et ornata viribus et activitate, *non esse nisi illusionem* vel fictionem quandam. Ideo consequenter ad suum systema asserunt, non apte a sensu communi hominum dici: "ego cogito"; quia hac ratione loquendi, cogitatio a cogitante distinguitur; sed potius esse dicendum impersonali modo: "cogitatur", vel "dantur cogitationes in mundo", quemadmodum dicimus: "pluit" vel "ningit" [5].

Inter praecipuos adversarios huius theseos computandus est KANT; qui, quamvis in "Critica rationis practicae", animae exsistentiam imo et immortalitatem ut postulatum necessarium admittat; tamen in "Critica rationis purae", consequenter ad suam doctrinam iam in Criteriologia refutatam, demonstrationem rationalem substantialitatis animae, paralogismum esse asserit, eo quod in ea fieret transitus illegitimus a subiecto logico ad subiectum ontologicum phaenomenorum psychicorum.

357. Probatio. PARS 1.ª MENS UT PRINCIPIUM ULTIMUM VITAE RATIONALIS EST SUBSTANTIA. Omnis qui substantialitatem mentis negat pugnantia loquitur, sibimetipsi saltem implicite contradicens. Nam vel admittit realitatem phaenomenorum psychicorum; vel non admittit. *Si non admittit* nihil admittere nec asserere potest, quia non nisi per phaenomena psychica aliquid cognoscimus. Si vero admittit huiusmodi phaenomenorum realitatem, ut de facto ab adversariis admittuntur, nulla ipsorum ratio sufficiens assignabilis est in sententia substantialitatem mentis negante, quod idem est ac id quod admittitur negare; cum sine ratione sufficiente nihil detur, iuxta principium quod in Ontologia demonstratur.

Quod negata substantialitate mentis nulla assignari possit

---

[4] "El Pensamiento transitorio, escribe JAMES *(Principios de Psicología,* trad. cast. Barnés, ed. Jorro, Madrid 1909, I p.365) parece, pues, ser el Pensador, y aunque puede haber otro pensador no fenomenal detrás de éste, no parece que lo necesitemos para explicar los hechos."

[5] "Si pudiéramos decir en inglés, scribit ipse JAMES (o.c., I p.242) "it thinks" (piensa, impersonal), como decimos "it rains" o "it blows" (llueve o graniza), estableceríamos el hecho más sencillamente y con el mínimo de hipótesis. Como no podemos, debemos decir simplemente que ocurre el *pensamiento.*"

ratio sufficiens phaenomenorum psychicorum quorum exsistentia admittitur, sic ostenditur.

Nam praefata phaenomena psychica, vel *exsistunt in se,* ita ut ad exsistentiam non indigeant aliquo cui inhaereant; vel *non exsistunt in se*, sed in alio, ita ut indigeant hoc alio cui inhaereant ad exsistendum.

Dilemma negari nequit, siquidem duo illi modi habendi esse adaequate dividunt ens; constituuntur enim terminis contradictorie oppositis.

Atqui in neutra hypothesi traditur ab adversariis ratio sufficiens.

Siquidem *si alterum* eligatur, videlicet quod phaenomena psychica indigent alio cui inhaereat, de hoc alio idem dilemma proponi potest, et ita fieret processus in infinitum, in quo ratio sufficiens nequit inveniri; vel veniendum erit ad ens quod alio cui inhaereat non indigeat, nempe ad substantiam, in qua adversarii rationem sufficientem quaesitam invenire nequeunt, siquidem substantiam quae sit subiectum inhaesionis phaenomenorum psychicorum, non admittunt.

Si vero primum assumitur, seu quod praefata phaenomena exsistunt in se, tunc neque ratio sufficiens tradi potest in systemate adversariorum; tum propter intrinsecam impossibilitatem rei quae asseritur; tum etiam propter impossibilitatem extrinsecam seu propter defectum determinativi ad exsistendum: seu aliis verbis: tunc deficit A) et *ratio sufficiens "quae"*, B) et *ratio sufficiens "cur"*.

Probatur per partes.

358. Et *primum quidem nequit tradi* A) *ratio sufficiens "quae"*, seu impossibile intrinsece est quod talia phaenomena exsistant in se.

Siquidem eiusmodi phaenomena vel actiones psychicae, si exsistunt in se ut asseritur, erunt totidem substantiae, habebunt enim id quod est characteristicum substantiae, seu id quod sufficit et requiritur ad essentiam substantiae, scilicet subsistentiam in se.

Hoc, autem, in primis est plane contradictorium stante systemate adversariorum qui ad suos actus psychicos explicandos nequeunt admittere substantiam; et deinde, in concreto loquendo, res videtur plane absurda, non enim capi potest actus psychicos esse substantias vel per se stare.

Res *exemplis patebit* desumptis ex aliis actibus quibuscumque. Sic motus exempli causa, nequit concipi exsistere sine alia re cui inhaereat, quaeque proprie moveatur; sic actio nequit concipi sine agente. *Ergo* a pari nequit concipi cogitatio in se stans quasi in aëre haerens sine subiecto; nec dolor in se solus quin aliquod subiectum sensibile afficiat; nec volitio sine volente a quo procedat.

359. *Deinde* B) *neque reddi potest ratio sufficiens "cur"*, seu causa vel determinativum exsistentiae talium phaenomenorum.

Nam talia phaenomena non habent rationem suae exsistentiae *in semetipsis,* seu non sunt entia a se; sunt enim entia contingentia; siquidem fatentibus adversariis, ista phaenomena sibi succedunt, et incipiunt, desinuntque esse.

Neque habent rationem suae exsistentiae *ab alio.* Nam hoc aliud, si non est substantia aliqua permanens, non potest esse nisi phaenomenon praecedens.

Atqui hoc dici nequit. Etenim phaenomeno praecedenti non potest convenire virtus activa respectu phaenomeni subsequentis; tum *a)* quia talis virtus esset creativa, siquidem esset productiva rei ex nihilo sui et subiecti nam subiectum in sententia adversariorum non datur; virtus autem creativa rebus finitis non conceditur, nec quidem ab ipsis adversariis, qui creationem ut absurdam generatim reiciunt; tum *b)* quia quamvis permittatur haec virtus creativa, phaenomena non possent eam exercere, siquidem antecedens quodque phaenomenon iam esset in nihil redactum, cum praesens ex nihilo emergeret; ad causandum autem efficienter actualis exsistentia causae requiritur.

Ergo nulla datur ratio sufficiens phaenomenorum psychicorum in sententia negante substantialitatem mentis seu animae.

Ergo, vel non exsistunt eiusmodi phaenomena, exempli causa, cogitationes, et consequenter non constat aliquid exsistere; vel exsistit substantia cogitans, hoc est *mens,* vel *anima* substantialis *quod nobis propositum erat demonstrandum.*

360. PARS 2.ª MENS SEU PRINCIPIUM ULTIMUM VITAE RATIONALIS EST SUBSTANTIA PERMANENS. Plura sunt et diversa facta psychica, quae, quatenus talia, non explicantur in systemate adversariorum, mentis vel animae substantialis permanentiam negantium; quae tamen omnia in nostris principiis facili explicatione declarantur.

Ergo theoria actualitatis est reiicienda; et thesis nostra amplectenda.

Consequentia patet; *antecedens* multifariam ostenditur.

361. A) *In genere* explicanda sunt ab omnibus illa tria quae, in analysi actus psychici in praenotionibus facta (349) invenimus, quaeque sponte natura, et intuitiva atque ineluctabili certitudine omnes persentiscimus, videlicet: 1) *unitas in entitate,* quae supponitur quando uni eidemque subiecto tamquam causae et substrato diversos actus psychicos simultaneos attribuimus; 2) *unitas seu continuitas subiecti in tempore,* quae apparet quando eidem subiecto attribuimus distincta atque etiam diversa facta successiva; et tandem 3) *proprietas huius subiecti, seu distinctio* "tou ego" ab ipsis actibus psychicis et ab aliis entibus, quae quidem patefit quando nostra ab alienis ineluctabiliter distinguimus.

Iam vero, haec tria facillime in nostra theoria explicantur, siquidem in ea asseritur ut realiter exsistens quidquid conscientia immediate testatur, et merito quidem; tum quia,

quando agitur de testimonio conscientiae immediato, esse et cognosci coincidunt; tum etiam quia, si de his dubitare liceret, iam nulla esset certitudo possibilis, nec scepticismus vitari posset.

Theoria vero adversariorum, praeterquamquod evidenter in scepticismum ruit, nullatenus illa tria introspectione apprehensa explicare valet. Etenim explicationes diversae quae circumferuntur, *ad duplex caput reduci posse* videntur, nimirum; *a)* ad eas quae supponunt "to ego" *identificari cum serie* successiva phaenomenorum, quae series esset conscia suimetipsius, ut contendunt plerique phaenomenistae, praesertim HUME, STUART MILL et TAINE; vel *b)* ad illam quae supponit "to ego" *identificari cum phaenomeno* tantummodo actuali, quod per quandam haereditariam transmissionem, ea quae propria fuerunt phaenomenorum praeteritorum sibi attribuat, ut contendit W. JAMES.[6]

362. a) *Quod in prima hypothesi* illa tria non explicentur, patet: 1) quia "to ego" apparet in introspectione ut causa suae activitatis; series autem est quidem activitas quaedam non autem causa suimetipsius. 2) "To ego" apparet ut aliquid permanens; series autem est essentialiter aliquid successivum et probabiliter non continuo fluens. Et tandem 3) "to ego" apparet ut distinctum a suis actibus adaequate sumptis, series vero ab illis adaequate non distinguitur.

363. b) *Quod neque altera hypothesis* idipsum valeat explicare, patet: 1) Quia multo minus explicatur sic distinctio "tou ego" a propria activitate, cum phaenomenon actuale adaequate cum semetipso identificetur.

Nec 2) permanentia ipsius "tou ego" explicatur, quod ex hypothesi perpetuo evanescit.

Nec tandem 3) ratio redditur appropriationis experientiarum praeteritarum. Quia quamvis permittatur quod actus praesens valeat percipere quidquid perceperint actus praecedentes; et licet concedatur etiam successionem phaenomenorum esse continuam, et potius ad instar fluminis quam seriei: attamen, in quolibet momento non exsistit, iuxta eandem hypothesim, nisi sectio aliqua eiusdem fluminis conscientiae, priore sectione perpetuo evanescente, ad quam, sicut ad praecedentes sectiones, sectio vel actus praesens ad summum *relationem obiecti apprehensi sibi externi,* vel *effectus ad causam* habere potest.

Iam vero, quod tales relationes non sufficiant ad explicanda facta praefata, patet ex eo quod, tum relatio obiecti apprehensi, tum relatio effectus ad causam, inveniuntur passim in nostris actibus respectu actuum aliorum individuorum, saltem parentum, quin tamen phaenomena obiectiva et ea quae a parentibus nostris procedunt, nobis ut subiectiva et propria attribuamus.

364. B) *Speciatim* vero non explicantur in sententia adversa, explicantur autem in nostra nulla difficultate:

[6] JAMES, *Principios de Psicología,* ob. y ed.c., I c.9 et 10.

a) *Iudicia et ratiocinia.* Nam in iudiciis unus idemque debet esse qui cognoscit subiectum, qui cognoscit praedicatum, et qui comparationem instituens, iudicium tandem pronuntiet; in ratiociniis pariter unus idemque esse debet qui maiorem, minorem et illationem seu consequentiam cognoscens, tandem consequens eliciat.

Iam vero, in doctrina quam tuemur, admisso subiecto permanente quod iudicet et discurrat nullo prorsus negotio haec explicantur; in adversariorum vero hypothesi, tali subiecto dempto, nulla apparet explicatio possibilis: series enim non est unum "ego" psychologicum, sed plura; totidem enim essent subiecta seu "ego" cognoscentia, quot sunt actus cognoscentes diversi.

b) *Nexus inter diversas cognitiones non explicantur.* Cognitiones enim inter se vinculo quodam devinciuntur, ex effectu enim ad cognitionem causae assurgimus, ex praemissis deducimus conclusionem, atque ita porro iuxta leges logicas.

Haec igitur omnia haud difficulter capiuntur, si admittitur subiectum aliquod permanens, quod natura sua sit ordinatum ad verum attingendum; in sententia vero adversariorum nulla ratio tradi potest ad explicandam hanc constantiam nisi ipsae leges associationis, quae factum tantummodo enuntiant, eiusdem vero rationem intrinsecam reddunt nullam.

c) *Tandem, nec memoriae actus explicantur.* Etenim actus memoriae formaliter inspectus, consistit in recognitione alicuius obiecti alias cogniti, vel potius, ad rem nostram quod attinet, in recognitione alicuius actus vel status psychici praeteriti ut praeteriti.

Iam vero, ut haec recognitio status praeteriti ut praeteriti locum habere possit, absolute necessarium est, ut ens quod nunc recordatur, vel actum memoriae elicit, *sit idem* ac ens praeteritum cuius priores actus vel status nunc in memoriam revocantur; siquidem recordari ut proprias experientias vel affectiones psychicas alterius, esset recordari se fuisse aliquando aliquid aliud quam nunc, seu aliquod ens distinctum a semetipso. Aliis verbis: hoc esset simultanea affirmatio et negatio propriae identitatis, scilicet, mera et absurdissima contradictio.

365. UTRAQUE PARS PROBATUR AB ABSURDO. Posita enim thesi adversariorum, perit libertas, ratio meriti et demeriti, imputabilitas, spiritualitas animae, eius immortalitas, sanctio legis naturalis, etc.; quae omnia absurda sunt et contraria iis

quae ut certa in aliis Philosophiae partibus demonstrantur.

366. Obiectiones. 1. Scientia experimentalis psychologica, nihil de anima substantiali cognoscit. *Ergo* anima substantialis non est admittenda.

Antecedens probatur, nam introspectio, sive pura sive experimentis perfecta non nisi phaenomena psychica vel series phaenomenorum psychicorum invenit. *Ergo,* si Psychologia experimentalis aliquid de anima scit, debet negare eam esse substantiam.

Resp.: nego antecedens; quo permisso, adhuc merito *consequentia negaretur;* cum animae substantialitas aliter quam experientia, scilicet argumentis a priori, etiam nobis certo constare possit.

Ad probationem antecedentis *dist.:* introspectio non invenit nisi phaenomena psychica vel series phaenomenorum psychicorum, ita ut eiusmodi phaenomena psychica in abstracto attingantur, *nego;* ita ut eiusmodi phaenomena psychica semper in concreto attingantur, hoc est, tamquam pertinentia ad aliquod subiectum quod pronomine "ego" designamus, quodque saltem inadaequate cum anima substantiali identificatur, *conc.* Et sub data distinctione, *nego consequens* et *consequentiam.*

INST. Cognoscere introspectione, est cognoscere immediate. *Atqui* cognoscere in concreto phaenomena psychica, non est cognoscere immediate ipsorum subiectum. *Ergo* introspectione non cognoscitur subiectum phaenomenorum psychicorum, ac proinde Psychologia experimentalis nihil scit de anima substantiali.

Resp.: nego min. subsumptam. Ad probationem. *Conc. mai.* et *dist. min.:* cognoscere in concreto phaenomena psychica non est cognoscere immediate ipsorum subiectum, quoad eius essentiam, et quidditatem vel naturam, seu quoad *quid est conc.;* cognoscere in concreto phaenomena psychica non est cognoscere immediate exsistentiam subiecti ipsorum, seu quoad *an est, nego*[7].

INST.: Subiectum substantiale in tantum introspectione cognosceretur in quantum introspectione aliquid apprehenderetur quod esset perdurans et immutabile. *Atqui* introspectione nihil perdurans et immutabile apprehenditur. *Ergo* introspectione subiectum substantiale non ostenditur.

Resp.: trans. mai. vel claritatis gratia *dist.:* introspectione apprehenderetur aliquid perdurans et immutabile in sua entitate substantiali, *conc. mai.;* in suis modificationibus accidentalibus, quibus subicitur, *nego mai.* Et contra *distincta* minore, *nego consequentiam.*

367. 2. Ipsa analysis introspectionum nostrarum ostendit "to ego" esse purum phaenomenon. Sic TAINE[8], cuius argumentum ab

---

[7] "Per actum suum se cognoscit intellectus noster, scribit SANCTUS THOMAS (*Sum. Theol.*, 1 q.87 a.1 c). Et hoc dupliciter. *Uno* quidem modo particulariter, secundum quod SOCRATES vel PLATO percipit se intelligere. *Alio modo* in universali, secundum quod naturam humanae mentis ex actu intellectus consideramus... Est autem differentia inter has *duas* cognitiones. Nam *ad primam cognitionem* de mente habendam sufficit ipsa mentis praesentia, quae est principium actus, ex quo mens percipit seipsam; et ideo dicitur se cognoscere per suam praesentiam. Sed *ad secundam cognitionem* de mente habendam non sufficit eius praesentia, sed requiritur diligens et subtilis inquisitio. Unde et multi naturam animae ignorant; et multi etiam circa naturam animae erraverunt."

[8] TAINE, *L'Intelligence,* I p.34.

illo eleganter expositum, sic in forma scholastica proponi posse videtur.

In omni iudicio de affectione aliqua interna et subiectiva, de subiecto "ego" praedicatur status aliquis psychicus ope vocabuli "est", quod includitur in quolibet verbo; ita exempli causa: "ego sentio", idem est ac "ego sum sentiens"; "ego dolore afficior", idem est ac "ego sum dolore affectus". *Atqui* in his iudiciis de statu aliquo psychico, verbum "est" significat quod praedicatum est de essentia subiecti, seu quod est fragmentum vel pars subiecti, quae in eo est inclusa. *Ergo* "to ego" nihil aliud est quam sensatio quam habeo, dolor quo afficior, et ita porro.

Resp.: nego assertum. Ad probationem, *conc. mai.* et *nego min.* Hoc enim verum est tantummodo de orationibus quae necessariae dicuntur; non autem de contingentibus. Supponere orationes praefatas esse necessarias, est pura petitio principii, seu assumere ut verum id quod praecise a TAINE erat probandum. Utrum autem oratio aliqua sit necessaria vel contingens, videndum est ex diversa habitudine obiectiva subiecti ad praedicatum [9] quae quidem rationibus non autem meris affirmationibus, est probanda. Quod praeter orationes necessarias dentur et contingentes; ac proinde quod minor posita a TAINE non sit admittenda, patet si dico: cera est rotunda, est alba...; nemo enim dicit esse substantiale cerae, esse albam, vel habere hanc vel illam figuram. Igitur analysis a TAINE promissa, non est analysis, sed interpretatio quaedam nova et distincta ab ea quam facerent homines recti iudicii; nec praeiudiciis phaenomenismi imbuti.

368. 3. Si anima esset substantia permanens, unica esset persona in unoquoque homine simultanee et successive. *Atqui* saepe accidit, praesertim in hysteria atque in statu hynoptico, ut persona duplicetur, vel multiplicetur, tum simultanee, tum successive. *Ergo* anima hominis non est substantia permanens.

Minor probatur. Etenim ut ait BINET (*Les altérations de la personalité*): "duo elementa fundamentalia constituunt personam, scilicet, memoriam et characterem". *Atqui* in Felida est mutatio characteris et memoriae. *Ergo* in Felida realiter inveniuntur duo personalitates, seu quod idem est, Felida habet realiter duplex "ego".

Resp.: conc. mai. et *dist. min.:* saepe accidit ut persona multiplicetur vel duplicetur simultanee, *nego min.;* non enim id probatum factis videtur; successive, *subdist.:* mutatur persona quae vere sit talis, seu "to ego ontologicum", *nego min.:* mutatur cognitio personae seu "to ego psychologicum" sive "actuale" sive "historicum", iterum *subdist.:* ita ut haec cognitio habenda sit ut mera hallucinatio, cuius ratio optime traditur sine ullo recursu ad phaenomenismum, *conc.;* ita ut haec cognitio habenda sit ut vera, *nego.*

Ad probationem *dist.* similiter *mai.:* memoria et character constituunt personam in sensu phaenomenologico, id est constituunt cognitionem et exhibitionem personae, seu "to ego psychologicum", vel "historicum", *conc. mai.;* constituunt personam in vero sensu, seu "to ego ontologicum", *nego mai.* Concessa minore, *dist.* pariter *cons.*: ergo in Felida realiter inveniuntur duae personalitates in sensu phaenomenistico, hoc est, duae repraesentationes vel exhibitiones distinctae unius personae realis, vel unius "ego ontologici", *conc.;* in Felida

[9] Cf. L. DE LOSSADA, *Dialectica vulgo Summulae* (Ed. Rosalius, Barcinone 1882) p.142 n.11.

inveniuntur duae personae in sensu proprio, seu "duplex ego ontologicum", *nego*.

Factum ex quo arguitur, et alia plura eiusdem generis, ipsorumque interpretationes diversas tum pro *phaenomenismo*, tum pro occultismo, tum iuxta rei veritatem et sanam doctrinam, exposita invenies in aliis operibus auctoris huius tractatus [10].

Adversarii perperam eiusmodi facta interpretantur, si ex illis aliquid contra exsistentiam et unitatem "tou ego ontologici" concludere audent. Ad summum enim duplicatur vel multiplicatur *status* "tou ego ontologici"; nullatenus vero *ipsum* "ego ontologicum" quod cum persona identificatur.

Etiam permissa notione praepostera personae vel personalitatis a phaenomenistis inductam, dicendum est, ex factis et experimentis hucusque cognitis, nondum probari distinctionem perfectam inter duos "ego" (actuales vel historicos), quae sit mutua; semper enim apparet aliqualis continuitas, qua fit ut semper detur aliquis "ego", qui reliqua alia phaenomena sibi attribuat et cognoscat, etiam in casibus plurium personalitatum, quae allegantur in casu Miss Beaucham.

369. 4. Quemadmodum multa verba componunt unum sermonem multi versus poësim unam, ita phaenomena interna, mutua sua relatione unam animam constituere possunt. Sic PAULSEN [11].

Resp. nego paritatem. Nam imprimis sermo vel poësis ex multis verbis vel versibus inter se coordinatis constituunt tantummodo totum aliquid *artificiale*, id est aliquid *unum per accidens* et *logicum;* anima autem, seu "ego" apparet introspectioni ut aliquid *totum naturale, per se* et *physicum*. Unde paritas est omnino neganda. Praeterea sermo et poësis sunt essentialiter aliquid accidentale et fluens seu successivum; anima vero, ut constat ex probatione theseos, est aliquid substantiale, immutabile et permanens.

370. 5. "Simplex exemplum doceat qua ratione fieri possit, ut aliquid non in se sit sed in subiecto haereat, et nihilominus hoc subiectum non sit ens speciale distinctum ab his quae portat. Adspiciatur planta, quae habet radices ramos, folia, cellas, portat flores fructus, etc." Ita EBBINGHAUS [12]. Haec omnia non exsistunt nisi in planta tamquam in subiecto; et tamen planta ab illis omnibus adaequate sumptis non distinguitur. *Ergo* a pari: phaenomena psychica sunt quidem in anima; sed anima ab illis adaequate sumptis non distinguitur.

Resp. 1.°: nego paritatem. Nam partes plantarum sunt in se iam substantiae licet incompletae integraliter, quae unam substantiam integraliter completam constituunt; actus autem conscientiae neque sunt substantiae, neque proinde substantiam constituunt ullam. Paritas tunc haberetur, si EBBINGHAUS comparationem institueret inter phaenomena psychica et actiones vel activitatem plantae, exempli causa, eius irritabilitatem vitalem, inspirationem et expirationem, productionem seminis, etc.; quae quidem sunt in planta, sed plantam non constituunt.

---

[10] Cf. PALMÉS, art. *Personalidad:* in Encyclopedia ESPASA; LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* ed.3.ª (Subirana, Barcelona 1952) p.265-272 n.80-81; PALMÉS, *Metapsíquica y Espiritismo,* ed.2.ª ("Labor", Barcelona 1950) c.25-27 p.259-274.28-318; PALMÉS, *Las enfermedades de la Personalidad:* Ibérica, t.18 p.61.139.173.

[11] PAULSEN. *Einleitung in die Philosophie,* ed.15.ª p.384s.

[12] EBBINGHAUS, *Grudzüge der Psychologie,* ed.2.ª I 12s.

Resp. 2.°: argumentum retorqueri potest. Nam partes plantae ideo unam substantiam constituunt, quia ut alibi demonstratur (th.5,82-91) substantialiter uniuntur inter se, ope unius principii vitalis quod est forma substantialis intrinsece cum illis plantam constituens: quo recedente, tota compago plantae disiiceretur. Ita etiam, ut unitas habeatur, quam prae se ferunt actus psychici praesentes cum praeteritis, anima est statuenda quae sit quasi centrum et subiectum perdurans omnis vitae et activitatis.

371. 6. Sensus communis praescientificus et scholastici confundunt subiectum logicum (subiectum attributionis), cum subiecto metaphysico (subiecto inhaesionis); imo et illud faciunt personam. Sicut virtus, honor, ratio... atque etiam alia nomina substantiva quae tantummodo significant complexus actionum seu experientiarum, quondam substantias vel personas designare credebantur. *Ergo* a pari, anima licet non sit nisi complexus activitatum psychicarum, adhuc substantia a vulgo et scholasticis philosophis existimatur.

Resp.: negatur assertum. Ad probationem, *negatur* etiam quod unquam virtus, honor, ratio... ut substantiae habitae sint nisi forte a poëtis per fictionem.

372. 7. Ratio cur theoria actualitatis animae nondum ab omnibus accipiatur, est quia exsistentia phaenomenorum psychicorum sine sustentaculo, nondum nobis familiaris est; quemadmodum nec familiare olim erat vulgo id quod nunc ab omnibus incuntanter admittitur, scilicet, astra, sive stellas sive planetas, spatia immensa percurrere, certis quidem gravitationis legibus subiecta, verum absque ullo prorsus sustentaculo in quo defigantur.

Resp.: *negatur* quod ratio reiiciendi theoriam actualitatis sit eius novitas; est enim tantum eius absurditas in probationibus demonstrata, et sensui hominum communi omnino evidens.

Ad similitudinem adductam *nego paritatem.*

Nam stellas esse sine sustentaculo, seu sine alio corpore in quo defigantur, nec repugnabat metaphysice nec ulla erat difficultas physica ad id admittendum, sicut admissum est ab omnibus ubi primum scientifice demonstratum est. Phaenomena vero psychica esse sine subiecto, et metaphysice repugnat, et physicae experientiae adversatur, et hucusque demonstratum non est nec unquam demonstrabitur.

ARTICULUS II

DE SIMPLICITATE INTEGRALI MENTIS SEU PRINCIPII ULTIMI VITAE RATIONALIS

Thesis 21. Mens seu principium ultimum vitae rationalis est integraliter simplex.

373. NOTIONES. Quid hic veniat nomine MENTIS, et quatenus mens, sumpta pro principio ultimo et substantiali operationum vitae psychicae rationalis, identificatur cum principio quod pronomine "ego" designatur, iam supra (348-351) declaratum est.

374. SIMPLEX generatim illud dicitur quod compositione caret. *Compositio* autem est distinctorum unio. Quamobrem ens simplex, in genere loquendo, illud erit, quod, unum cum sit et indivisum in se, insuper sit etiam indivisibile, non quomodocumque, sed eo praecise quia partibus careat.

Simplicitas autem potest esse *absoluta* omnem prorsus compositionem excludens, quo sensu tantum Deus simplex est; et *relativa* seu secundum quid, scilicet, excludens tantum aliquod genus compositionis.

Simplicitas *relativa* seu *secundum quid,* rursus potest esse *ordinis metaphysici,* si excludit compositionem ex partibus non realiter sed solo conceptu distinctis, ut est exempli causa, compositio ex genere et differentia; vel *ordinis physici* seu naturalis, si excludit compositionem ex partibus inter se realiter distinctis.

Talis est compositio ex substantia et accidente; vel ex materia et forma substantiali, quibus natura aliqua componitur per modum actus et potentiae; vel ex natura et subsistentia seu suppositalitate; vel ex essentia et exsistentia, si inter eas datur distinctio realis, secus erit compositio metaphysica; vel demum ex partibus substantialibus integrantibus.

De hac tantummodo in thesi agitur, quae proinde ulterius declaranda est.

375. INTEGRALITER simplex illa substantia dicenda est, quae caret partibus integrantibus.

Partes, vero, *integrantes* illae sunt quae ita uniuntur ad aliquid totum constituendum, et ita compositum integrant, ut sine qualibet earum intelligi possit id quod sufficit et requiritur ad illius definitionem essentialem verificandam.

Etsi plures fortasse diversae rationis compositiones integrales fingi possent, in compositis corporibus quae novimus, eiusmodi partes, vel constituuntur quantitate, vel sunt partes substantiales quantitate affectae, et partes *extensivae,* vel *entitativae,* dici possunt, quae de facto nobis per quantitatem patefiunt.

Animadvertendum est, simplicitatem a nobis iuxta nostrum modum concipiendi in statu unionis animae cum corpore, non aliter quidem quam per negationes posse explicari; attamen hoc non impedit quominus eadem in se sit *positiva perfectio,* siquidem perfectio est possidere propriam realitatem non diffusam per partes separabiles, sed per modum unius entitatis, in qua omnes perfectiones sint re identificatae.

376. Status quaestionis. Constat ex thesi praecedenti, mentem, seu principium eliciens et recipiens diversos actus psychicos vitae rationalis qui in homine dantur, esse aliquid unum substantiale et permanens; atque eiusmodi principium, quod pronomine "ego" significatur, supra se suosque actus

intentionaliter reflectere, dicens: "ego cogito, ego volo, ego ipse qui cogito sum qui volo", etc.

Quod hoc principium elicitivum, seu effectivum et receptivum, operationum psychicarum superiorum intelligendi videlicet, volendi et reflectendi, quod etiam pronomine "ego" in reflexione designatur, non sit totum suppositum per omnes suas partes substantiales, si forte suppositum partibus substantialibus constet, ut reapse constat prout deinde demonstrabitur, est evidentissimum.

Non enim mente vegetamus, ambulamus nec innumeras alias operationes exercemus, quas tamen vere nobis ut suppositis *denominative* tribuimus.

Non igitur agitur de "to ego" sumpto ut supposito, sed tantum de "to ego" *sumpto pro mente* vel principio ultimo substantiali effectivo et receptivo operationum rationalium, quod etiam mens dicitur.

QUAESTIO, igitur, praesens est, utrum mens, seu anima quatenus est principium elicitivum operationum superiorum intelligendi, volendi et supra se suosque actus reflectendi, careat partibus entitativis vel integralibus, necne; seu, quod idem est, utrum "to ego" reflexionem eliciens sit simplex integraliter.

377. Sententiae. *Thesim negarunt* tenentes compositionem integralem vel entitativam animae, aliqui scriptores antiqui, ut TERTULIANUS [13] iam montanista factus, qui animam, corpus esse aliquod, licet subtilissimum, dixisse videtur.

Similem errorem professi sunt multi antiqui gnostici, et nostris temporibus amplectuntur omnes *spiritistae* et *theosophi,* qui animam vel spiritum hominis tamquam aliquid aliquomodo extensum concipiunt.

Item compositionem integralem sustineant oportet, *consequenter ad suas doctrinas,* omnes qui negant substantialitatem mentis, quos iam in thesi praecedenti confutavimus; atque etiam illi omnes, qui realitatem principii alicuius substantialis homini intrinseci, saltem practice admittentes, illud tenent esse cerebrum humanum. Sic omnes *sensistae* et *materialistae.*

378. *Thesim,* e contra, *profitentur omnes philosophi spiritualistae,* qui animae realitatem a corpore distinctam aliquomodo admittunt.

Quos inter numerantur omnes *spiritualistae immoderati,* qui tamen spiritualitatem animae eiusque independentiam a corpore erronee exaggerant, et insuper *perperam* confundunt simplicitatem animae cum eius spiritualitate.

---

[13] Cf. art. *Ame:* Dictionnaire de Théologie Catholique.

Perperam quidem, quia conceptus simplicitatis animae est plane distinctus a conceptu eius spiritualitatis. Spiritualitas enim, licet secum ferat simplicitatem, consistit in independent a intrinseca a materia quae de se non exigitur a simplicitate. Nec repugnat aliquid esse integraliter simplex et tamen a materia intrinsece dependens. Sic animae brutorum, saltem superiorum, quae certe materiales sunt, et simul simplices integraliter iuxta probabilem sententiam.

Inter *defensores* simplicitatis mentis numerantur etiam *omnes omnino scholastici* et *neoscholastici philosophi* spiritualismum moderatum profitentes; qui, tamen, non eodem ordine procedunt in simplicitate animae demonstranda.

379. *Antiqui* enim *scholastici,* modo suo tempore consentaneo, simplicitatem animae ex huius spiritualitate prius probata, inferebant. Et merito quidem; siquidem omnis substantia spiritualis necessario est etiam simplex integraliter; at non e converso, ut nuper diximus.

Inter *scholasticos* autem *modernos* seu *neoscholasticos,* aliqui etiam prius spiritualitatem animae demonstrant, ex qua simplicitatem facile inferunt. Plerumque tamen, prius simplicitatem integralem mentis statuunt, prius quam spiritualitatem. Hanc nobis methodum expositionis tenendam esse censemus, ut expeditior nobis via pateat ad spiritualitatem animae in thesi sequenti demonstrandam contra obiectiones materialismi moderni; quae faciliter dissipantur sola demonstratione simplicitatis integralis humanae mentis praemissa.

Argumenta multiplicia pro simplicitate integrali mentis adduci possunt ex quacumque operatione vitae rationalis petita; ut ea quae profunde et sapienter, contra fallaces cavillationes KANTII, primus fortasse exposuit noster BALMES [14], qui simplicitatem demonstrat, tum ex perceptione entium simplicium, tum ex iudicio, tum ex ratiocinio et reflexione qua a mens supra proprios actus reflectit.

Brevitatis causa unum tantum argumentum proponemus ex reflexione mentis seu principii cogitantis depromptum, quod sufficit ad thesim praesentem ut certam demonstrandam.

380. Probatio. Factum est omnibus notum, mentem seu "to ego", sumptum non ut suppositum sed ut principium operationes rationales exercens, supra semetipsum *reflectere* et, reflectendo, *semetipsum apprehendere actu operationes rationales exercentem;* quod exprimitur dum dicimus "ego cogito, ego volo, ego iudico", etc., etc. *Atqui* hoc factum nullam explicationem patitur nisi admissa simplicitate integrali mentis seu principii cogitantis vel volentis. *Ergo* mens seu principium cogitans et reflectens est integraliter simplex.

Maior patet et a nemine negari potest. *Consequentia* est bona. *Minor* sic probatur.

Etenim, reiectis suppositionibus omnibus quae partes aliquas in principio substantiali cogitante fingerent quae non cogitarent, id enim ipso statu quaestionis excluditur cum

[14] BALMES, *Filosofía fundamental,* l.9 c.11 et 12.

quaestio hic instituatur de mente seu de principio cogitante et reflectente quatenus tali; *tres dantur tantummodo hypotheses* possibiles, in quibus sententia adversariorum locum habere concipitur, quae sic se habent.

1.ª HYPOTHESIS. *Singulae* partes *singulas et proprias* cogitationes habeant a cogitationibus aliarum partium distinctas, sive tantum *numero,* sive etiam *specie* seu obiecto.

2.ª HYPOTHESIS. Singulae partes, singulas unius eiusdemque cogitationis habeant *partes,* ut evenit in sensatione extensa, quae organo elicitur extenso.

3.ª HYPOTHESIS. *Singulae partes unam eandemque cogitationem* habeant, ac proinde sit cogitatio in illis, sicut simplex est in extenso.

Atqui qualibet ex his hypothesibus reici debet, utpote experientiae internae evidentissime contraria.

Ergo thesis adversariorum est reicienda, et simplicitas integralis mentis asserenda est.

Consequentia patet. *Maior* constat ex sufficienti enumeratione; cum nulla alia afferri possit hypothesis quae ad praefatas non reducatur, vel saltem eisdem rationibus ac illae non reiciatur. *Minor* probatur per partes.

381. 1.ª HYPOTHESIS, *quod singulae singulas et proprias cogitationes habeant, admitti nequit.*

Non ita ut cogitationes singularum partium sint tantum *numero distinctae;* nam tunc singulae partes, utpote principia intelligentia, deberent in se reflectere dicentes: "ego pars *A* cogito obiectum *O;* ego, pars *B* cogito obiectum *O;* ego, pars *C,* cogito obiectum *O*" et ita porro. Hoc enim est omnino contra experientiam internam, quae non plura, sed unum tantum invenit subiectum supra se suamque cogitationem reflectens.

Neque ita ut cogitationes singularium partium sint etiam obiecto seu *specie distinctae;* siquidem tunc haec reflexio haberetur: "ego, pars *A* cogito obiectum *O;* ego pars *B,* cogito obiectum *P;* ego pars *C,* cogito obiectum *Q*". et ita porro. Nam hoc rursus est contra experientiam, quae, quamvis reflexione inveniat plura principia proxima, scilicet distinctas sensationes a distinctis corporis partibus factas, et intellectionem in nulla corporis parte affixa; tamen principium reflectens et omnia cognoscens non apparet nisi unum.

Praeterea in hac hypothesi cogitatio quae erit in *A,* non cognosceretur a cogitatione quae erit in *B* neque a cogitatione posita in *C,* et ita porro et vicissim. Unde *impossibilis erit unitas* conscientiae, scilicet, quod diversae numero et specie cogitationes apprehendantur ab uno eodemque cognoscente ut experientia fert, et apparet evidentissime in *copula iudicii* et *illatione ratiocinii,* quae poni nequeunt nisi ab uno eodemque subiecto cognoscente terminos vel propositiones.

382. 2.ª HYPOTHESIS, *quod singulae partes, singulas unius eiusdemque cogitationis habeant partes, reici quoque debet.*

Quia *imprimis* plures sunt cogitationes obiectorum quae *nullatenus partes habent*, ut cognitio veritatis, virtutis, entis ut sic, negationis, copulae iudicii...

Praeterea quia quamvis aliquando ex parte obiecti repraesentati non repugnet, quando videlicet obiectum est extensum, ut evenit in sensatione tactus; tunc etiam impossibile est subiectum cogitans distinctis constans partibus, percipere obiectum extensum totum, ut reapse percipitur.

Nam si pars *A* percipit partem *a* obiecti O; et pars B percipit partem *b* obiecti *O;* et pars C partem *c* obiecti *O;* nulla pars perciperet totum obiectum *O;* et consequenter pars *A,* in se reflectens non posset dicere: "ego percipio obiectum O"; imo, nec dicere posset: "ego *A* percipio partem obiecti *O*, ut obiecti *O*", nempe: appellando obiectum *O* ut tale totum, cum obiectum *O* ut tale totum minime percipiat.

383. 3ª HYPOTHESIS, *quod singulae partes unam eandemque cogitationem habeant, etiam est reicienda.*

Imprimis, quia obstat ut antea experientia interna, quae non invenit plura subiecta cogitantia et dicentia: "ego pars A cogito obiectum O; ego pars B cogito obiectum O; ego pars C cogito obiectum O"...

Praeterea arguo cum BALMES[15]: "Partes A, B et C erunt simplices vel compositae: si simplices, habemus entia cogitantia simplicia, quae nos animas dicimus; quapropter dum adversarii renuunt homini unam concedere tres admittunt; si compositae, recidimus in argumentum...; proindeque vel perveniemus ad entia simplicia cogitantia, vel procedere oportebit usque ad infinitum; non erit igitur in singulis hominibus una conscientia, sed conscientiae numero infinitae".

384. Obiectiones. 1. Vis argumenti eliditur, si supponitur unamquemque partem communicare singulis aliis partibus suam cogitationem.

Resp. 1.° cum eodem BALMES: Hypothesis est prorsus arbitraria. 2° Nec ita experientiae satisfit cum in hac hypothesi non unum sed plura entia cogitantia reflectentia dari deberent, tot videlicet quot essent partes 3.° Si unitas conscientiae in reflexione ducit ad simplicitatem subiecti cogitantis, cur eiusmodi entia multiplicari debent sine ratione sufficienti?

INST.: Saltem multiplicitas partium cogitantium stare posset si adstrueretur reflexio, non singularium partium supra semetipsas, sed totius supra totum.

Resp.: Negatur; nam si illud totum supra se ipsum reflectens non est quid simplex; vel unaquaeque pars totius reflectit supra semetipsam vel ad summum supra cogitationes aliarum, non quatenus in aliis sunt (hoc esset absurdum), sed quatenus unaquaeque pars eas in se habet ab aliis partibus communicatas. Utrumque iam reiectum manet in praecedentibus.

Haec qui obicit oblivisci videtur suae assertionis fundamentalis, fingens sibi animo totum aliquod aliquomodo simplex, contra suum assertum.

385. 2. Argumenta nostra nimis probant. Quia de sensatione habentur similes reflexiones. *Ergo* similiter probarent simplicitatem

[15] BALMES, *Filosofía elemental, Psicología,* c.2 n.9.

principii sentientis, quod est nobis contrarium scilicet contra thesim 14 (206-215 et 216-218).

Resp.: nego ant.; ad probationem, *nego* iterum *ant.;* vel claritatis gratia *dist.:* de sensatione habentur similes reflexiones quae fiant a principio eliciente et recipiente sensationem, scilicet a systemate nerveo, *nego;* quae fiant a principio intelligente, spiritualiter apprehendente sensationes, *subdist.:* reflectente supra perceptionem intellectualem seu spiritualem sensationis praehabitae a facultate sensitiva eiusdem suppositi, *conc.;* a principio reflectente supra sensationem ipsam a systemate nerveo productam, iterum *subdist.;* reflexione vere et proprie tali quae feratur in actum eiusdem potentiae cognoscitivae, *nego;* reflexione analogice tali, consistente in eo quod cognoscatur actus quidem eiusdem suppositi, sed distinctae potentiae cognoscitivae subordinatae, *conc.*

Inst.: Iuxta argumenta theseos, canis, v.gr., non videret dominum; imo, nec homo videret decagonum, cum visiones, iuxta nos non sint simplices sed ex partialibus partium obiecti visionibus totalis visio componatur. *Atqui* hoc est absurdum et contra experientiam.

Resp.: dist. maioris primam partem: canis non videret dominum, cognoscens reflexione formali se videre dominum, *conc.;* non videret dominum, hoc est totum obiectum *subdist.:* parte aliqua visionis vel principii videntis non videret dominum, *conc.;* visione totali vel principio vidente, illa totali visione extensa informato, non videret dominum, *nego.*

Similiter *dist. alteram partem mai.:* homo non videret decagonum, hoc est, non perciperet intellectu sensationem integram decagoni relucentem in phantasmate, sive directe intuendo similitudinem integram phantasmatis sive reflectendo supra actum intellectualem et spiritualem quo sensationem percipit, *nego;* cognitione pure sensitiva homo non cognosceret decagonum seu integram figuram, *subdist.* ut antea.

Cognoscere decagonum quatenus talem, sicut apprehendere partem ut partem non esse functionem sensuum, sed intellectus tantummodo, nemini mirum esse potest, qui sciat sensus non posse reflectere. Hoc solius intellectus est.

386. 3. Mens seu anima movet corpus proprium extensum. *Atqui* res simplex nequit movere corpus extensum. *Ergo* anima non est simplex.

Resp.: dist. mai.: anima movet corpus proprium extensum per semetipsam, immediate et quasi propulsu mechanico, *nego;* mediate per potentias locomotivas corporis extensi, *conc.* Et *contra dist. min.:* res simplex nequit movere corpus extensum immediate per semetipsam et quasi propulsu mechanico, *trans.;* saltem mediate per potentias locomotivas corporis extensi, *subdist.:* nisi res simplex sit forma substantialis corporis, *trans.;* si sit forma substantialis corporis et consequenter principium radicale potentiarum ipsius, *nego.*

Inst.: Id quod habet potentias extensas, extensum esse debet. *Atqui* potentiae quibus anima corpus extensum moveret essent extensae. *Ergo* anima est extensa, seu habet partes integrales.

Resp.: dist. mai: id quod habet potentias extensas et est subiectum potentiarum extensarum extensum esse debet, *conc. mai.;* id quod habet potentias extensas et est principium tantum radicale potentiarum extensarum debet esse extensum, *nego mai.* Transeat minor et *nego cons.* et *conseq.*

Mentem sumptam pro anima rationali esse principium radicale potentiarum extensarum et materialium vitae sensitivae, supponit animam rationalem secum identificare animam vegetativam et sensitivam, seu unicam in homine dari animam eamque esse substantiam incompletam et formam substantialem corporis humani, atque cum hoc constituere unum suppositum, unam naturam unamque substantiam, ut deinceps in hoc tractatu suo loco demonstrabitur. Omnes difficultates contra simplicitatem mentis seu animae rationalis ex hac doctrina petitae, optime in ea et tantum in ea solutionem habere ostendemus, pari passu ac singulas praefatas theses demonstrabimus.

387. 4. Extensum esse debet quod ab extensis corporibus afficitur. *Atqui* anima afficitur ab extensis corporibus. *Ergo* anima est extensa, seu non integraliter simplex.

Resp.: dist. mai.: extensum esse debet quod immediate et per se afficitur ab extensis corporibus, *trans.;* quod afficitur ab extensis corporibus solum ratione corporis, cui anima substantialiter unita est et ratione facultatum sensitivarum corporis, *nego.* Contra *dist. min.* et *nego cons.* et *consq.*

ARTICULUS III

DE SPIRITUALITATE MENTIS SEU PRINCIPII ULTIMI RATIONALIS

Thesis 22. Mens seu principium ultimum vitae rationalis est substantia spiritualis.

388. Notiones. Quid hic veniat nomine MENTIS vel PRINCIPII ULTIMI vitae rationalis iam supra explicatum est (348-351). Est videlicet principium effectivum et receptivum operationum vitae rationalis, quod idem est ac *anima;* et iuxta demonstrata in duabus praecedentibus thesibus, est aliquid homini *intrinsecum, substantiale* et *integraliter simplex.*

Addimus nunc illud esse quoque *spirituale.*

Quid hoc nomine significetur accurate intelligendum est, eo vel maxime quia haec vox a verbo *spiritus* derivata, multiplicem significationem prae se fert apud philosophos omnis temporis, quae confusionem parere posset, nisi sensus in quo in praesenti thesi accipitur clarissime explicetur.

"*Nomen spiritus,* prout scribit SANCTUS THOMAS [16], *a respiratione animalium* sumptum videtur. in quo aër cum quodam motu infertur et emittitur; unde nomen spiritus ad omnem impulsum et motum cuiuscumque aërei corporis trahitur, et sic ventus dicitur spiritus". Et alibi [17]: "Sipiritus est nomen positum ad significandam *subtilitatem* alicuius naturae; unde dicitur tam de corporalibus quam de incorporeis: aër enim spiritus dicitur propter subtilitatem; et exinde

[16] S. TH., 4 CG c.23.
[17] S. TH., I *Dist.* 10 q.1 a.4 c.

attractio aëris et expulsio dicitur inspiratio et respiratio; et ex inde ventus etiam dicitur spiritus; et exinde etiam subtilissimi vapores, per quos diffunduntur virtutes animae in partes corporis, dicuntur spiritus; et similiter *incorporea* propter suam subtilitatem dicuntur spiritus, sicut dicimus Spiritum, Deum et angelum et animam".

Omnes huiuscemodi acceptiones vocis "spiritus" et consequenter "spiritualis", praeter ultimam, ad praesentem quaestionem non pertinent.

Ad mentem igitur S. THOMAE et scholasticorum omnium, ut in hac gravissima quaestione omnis ambigüitas praecludatur spiritualitatem de qua agendum est, definiemus per *negationem materialitatis*, quae nobis magis nota est.

389. Quapropter SPIRITUALE idem esse dicimus ac incorporeum; *incorporeum* autem est quidquid *nec corpus* seu materia est; nec *forma* aliqua sive substantialis sive accidentalis *a corpore in exsistendo* vel in subsistendo dependens.

E contra MATERIALE erit quidquid *corpus* seu materia est, vel *forma aliqua* sive accidentalis sive substantialis, quae a materia seu corpore *in exsistendo vel subsistendo dependeat.*

Definitio sic proposita omnino praescindit a quaestione utrum res aliqua vere spiritualis, in suo fieri, dependere possit necne a causa efficiente materiali saltem tamquam *a causa secundaria seu instrumentali.* Sic intellecta definitio, convenit omni et soli rei quae spiritualis est.

390. Prae oculis habendum est, non idem esse *spirituale* ac *spiritum;* nec *corporale* seu materiale ac *corpus* seu materia. Latius enim patet spirituale quam spiritus, et materiale seu corporeum quam materia seu corpus; quia *a)* non omne ens spirituale proprie loquendo spiritus dicitur; nec *b)* omne ens materiale seu corporeum corpus est.

a) *Non omne ens spirituale est spiritus.*

Substantiae enim spirituales aliae sunt a corpore separatae et *formae separatae* vel *irreceptae* dici solent, ut, exempli causa, substantia angeli; aliae vero, ut animae humanae, sunt saltem ab initio et durante vita hominis cum materia coniunctae, et vocantur *formae informantes. Spiritus* autem proprie vocantur tantummodo formae *separatae seu irreceptae*, et anima humana proprius *spiritualis* quam spiritus dicenda est. A fortiori *formae accidentales* quae subiecto spirituali inhaerent, ut operationes vitae rationalis ipsiusque potentiae seu energiae, spirituales tantum, non *spiritus* dici possunt.

Spirituale igitur, quod et immateriale dicitur, est in genere, quidquid ad solam substantiam a corpore in subsistendo independentem spectat; sive per *identitatem*, ita ut ipsum non sit corpus vel materia; sive per *intrinsecam dependentiam*, ita ut non sit forma dependens a materia in exsistendo vel subsistendo.

b) *Similiter non omne ens corporeum corpus vel materia est.*

Corpus autem vel materia per cuius negationem spiritus definitur, nihil est aliud quam substantia quae *natura sua quantitatem exi-*

git inhaerentem sibi; molem proinde aliquam vel extensionem habens vel saltem habere exigens.

Corporeum autem est omne illud quod naturaliter spectat ad corpus, sive *per identitatem,* ut corpus; sive *per dependentiam in exsistendo* vel *subsistendo* a corpore vel materia, ut omnis forma substantialis vel accidentalis quae, ex sua natura, exsistere vel subsistere nequeat nisi unita corpori.

Inde patet quod *inter materiale et immateriale non datur medium;* quamvis medium detur *inter materiam seu corpus et spiritum.* Tale enim medium erit, forma aliqua, sive accidentalis sive substantialis a materia seu a corpore in exsistendo vel subsistendo dependens, quae materialis erit quin tamen materia vel corpus sit. Et similiter etiam accidens spirituale quod nec corpus nec spiritus erit.

Corporeum in hac quaestione saepe dicitur *organicum;* et incorporeum, *inorganicum.* Corporeum autem et materiale etiam latius patet quam organicum; quia quamvis omne organicum seu dependens ab organo corporali sit corporeum et materiale; non tamen ex suo conceptu, omne corporeum et materiale seu dependens a corpore est organicum; anima enim materialis et corporea animalium est corporea et materialis, licet proprie et in sua entitate organica non sit.

391. Status quaestionis. Admittimus iuxta rei veritatem, operationes cognoscitivas vitae rationalis intime connexas esse cum operationibus cognoscitivis vitae sensitivae; quin tamen illae cum his confundi possint.

Operationes enim cognoscitivae vitae rationalis *tripliciter* connectuntur cum operationibus vitae cognoscitivae sensitivae, videlicet: a) *inchoative,* seu quatenus ante operationem rationalem praecedere debent operationes sensitivae; b) *concomitanter,* seu quatenus simul cum operationibus vitae rationalis, menti obversantur aliquomodo, etiam operationes vitae sensitivae; et tandem c) *obiective,* quatenus operatio sensitiva menti praebet materiam circa quam plerumque, non autem semper, exercetur operatio vitae rationalis. Nihilominus operatio cognoscitiva rationalis nullatenus confundenda est cum operatione cognoscitiva sensitiva; harum enim cognitionum obiecta sunt, saltem plerumque, penitus diversa et inter se irreductibilia, ut supra in thesi 10 (320-346) demonstratum est; et insuper operatio sensitiva est tantum aliquid praevium vel saltem extrinsecum operationi rationali. Quapropter huius dependentia ab illa est tantum *mediata* et *extrinseca,* seu tamquam a conditione, vel si forte aliquando tamquam a causa efficienti immediata, non tamquam a causa principali, sed solummodo tamquam a causa secundaria vel instrumentali.

Ex hucusque demonstratis constat animam humanam esse substantiam integraliter *simplicem;* ex quo evidenter iam sequitur, contra sententiam materialistarum, eam quatenus mentem seu principium actuum psychicorum superiorum cognoscendi et volendi, non esse cerebrum neque partem ullam integralem systematis nervei quae, utpote organica, simplex esse nequit.

Quod, semel demonstrata *simplicitate integrali* animae hu-

manae, eius spiritualitas iam omnino demonstrata maneat, asserunt philosophi spiritualistae exaggerati seu platonici et cartesiani, qui *perperam confundunt* simplicitatem cum spiritualitate; nec nos id ipsum negamus, modo illa demonstratio habeatur tantummodo ut pure *negativa,* etsi *efficax* de facto *contra omnes veros adversarios spiritualitatis.*

Assertionem simplicitatis integralis animae humanae, secum ferre ipsius spiritualitatem, *contra veros spiritualitatis adversarios,* patet quia admissa simplicitate integrali, iam nulla reapse ipsis suppetunt argumenta, ad asserendum, iuxta placita materialismi, principium vitae rationalis esse organismum.

Demonstrationem autem eiusmodi esse tantummodo *negativam,* seu obtentam ex refutatione argumentorum partis adversae, constat ex eo quod, probare positive simplicitatem mentis nondum est positive probare eius spiritualitatem. Quia quamvis spiritualitas substantiae secum ferat, saltem de facto, eius simplicitatem; non tamen e converso. Quia simplex et spirituale, *nec eodem modo definiuntur,* nec *realiter identificantur,* cum de facto, saltem probabilius, dentur formae simplices, ut animae brutorum, quae tamen materiales sunt.

392. Sententiae. Posito praecedenti statu quaestionis, *nullus reapse datur adversarius verus* spiritualitatis animae, cuius omnes rationes non sint iam reiectae in thesibus praevie demonstratis.

Theseos igitur adversarii sunt ipsi qui mentis simplicitatem negant (376).

Thesim tenent omnes philosophi spiritualistae et omnes omnino scholastici et neoscholastici; qui tamen inter se non omnino conveniunt, non quidem circa rationem generalem eam demonstrandi, omnes enim aliquomodo *ex operationibus vitae rationalis* eam demonstrandam esse sentiunt, sed potius *in operatione seligenda* ex qua melius argumentum proponi possit.

Existimamus ex quocumque adspectu vitae psychicae rationalis spiritualitatem animae cum certitudine posse demonstrari, tum videlicet ex *cognitione rationali,* tum ex *tendentia,* tum etiam ex *sentimento* vitae rationalis proprio; ita tamen ut pro diversitate ingeniorum, unumquodque ex his argumentis maiori vel minori efficacia donetur.

Hic nos, omisso brevitatis causa, argumento quod ex tendentiis atque ex sentimento *vitae rationalis* proponi posset, quod fusiorem explanationem exposceret, thesim demonstrabimus unico argumento ex cognitione rationali deprompto.

393. Probatio. EX OPERATIONIBUS COGNOSCITIVIS.

Operationes vitae rationalis sunt spirituales. *Ergo* principium eas efficiens et recipiens, scilicet mens seu anima est spiritualis.

Consequentia huius enthimematis est evidens, et si negaretur bifariam ostendi posset, nimirum *a)* uno modo, *quasi a priori,* sub adspectu *causae materialis* seu subiecti operationis spiritualis, comparatione facta notionis operationis spiritualis cum notione accidentis; et *b)* alio modo, *quasi a posteriori,* et sub adspectu *causae efficientis* cognitionis rationalis, cuius obiectum spirituale principium cognoscitivum spirituale requirit.

394. a) *A priori et sub adspectu causae materialis operationis rationalis.* Operationes enim vitae rationalis, utpote quae non sunt substantiae sed accidentia, necessario dependent intrinsece in exsistendo a subiecto seu substantia cuius sunt operationes. Hoc enim essentiale est omni accidenti, scilicet quod naturaliter exsistere non possit nisi cum intrinseca dependentia a suo subiecto. Si igitur operationes rationales sunt spirituales, ut affirmatur in antecedenti et statim probabimus necessarium admittendum est eius subiectum esse quoque spirituale. Qui enim aliud diceret, *pugnantia loqueretur* admittens operationes vitae rationalis esse spirituales ac proinde intrinsece independentes a subiecto materiali, et simul eas non esse spirituales eo quod in exsistendo a subiecto materiali dependerent.

b) *A posteriori seu sub adspectu causae efficientis* cognitionis rationalis. Quia "operatio sequitur esse" seu esse vel natura cuiuslibet substantiae dignoscitur ex natura operationum ipsius. Hoc autem tum vi principii causalitatis, quod requirit ut substantia quae causa est et principium operationum spiritualium sit proportionata operationibus quorum est principium efficiens; tum etiam quia de facto naturas rerum non in semetipsis cognoscimus, nec nisi ex operationibus ipsarum diagnosci possunt.

"Operatio enim rei, scribit SANCTUS THOMAS [18], demonstrat substantiam et esse ipsius; quia unumquodque operatur secundum quod est ens, et propria operatio rei sequitur propriam eius naturam".

395. *Antecedens* demonstrari posset quoad quamcumque operationem rationalem pertinentem ad quamcumque ex illis tribus functionibus quas in vita rationali supra (326) distinximus, videlicet quoad functiones sive a) *adquisitionis,* sive b) *repraesentationis,* sive c) *reproductionis* seu *inventionis.* Sufficiat tamen hic brevitatis causa spiritualitatem ostendere in *aliquibus* tantummodo *factis ad functiones adquisitivas* pertinentibus; quae, licet prima fronte minus diversificari videntur a functionibus adquisitivis vitae sensitivae, sunt tamen fundamentales in vita rationali.

---

[18] S. TH., 2 CG c.79, *Adhuc...*

396. 1.° Ex facto, iam ab ARISTOTELE[19] adducto, videlicet quod potentia sensitiva, utpote quae organica et materialis est et a sensibili materiali alteratur praevie ad sensationem, impeditur vel impotens redditur ad sentiendum, postquam sensibile valde intensum percepit; quod quidem nullatenus evenit in perceptionibus vitae rationalis, quae, postquam excellentiora intelligibilia percepit, minus excellentia et quidem melius percipere valet, nedum illis impeditur. Quapropter principium harum operationum inorganicum sit oportet.

ARISTOTELEM commentans S. THOMAS[20] scribit: "Sensus efficitur impotens ad sentiendum ex valde sensibili, sicut auditus non potest audire sonum propter hoc quod motus est a magnis sonis, neque visus potest videre, neque olfatus odorare ex eo quod hi sensus moti sunt prius ex fortibus odoribus et coloribus *corrumpentibus organum.* Sed intellectus, *quia non habet organum corporeum quod corrumpi possit* ob excellentiam proprii obiecti, cum intelligit aliquid valde intelligibile, non minus postea intelligit infima sed magis; et idem accideret de sensu, si non haberet organum corporale... *Causa igitur diversitatis est,* quia sensitivum non est sine corpore, sed intellectus est separatus".

Concordat omnino factum adductum cum factis a moderna psychologia comprobatis et cum legibus a WEBER et FECHNER formulatis[21].

397. 2.° Proprium est cuiuscumque potentiae organicae cognoscitivae, quales sunt omnes sensitivae, ut sua natura coarctentur ad percipiendas tantummodo qualitates quasdam determinatae modalitatis quae *sensibilia propria* vocantur, et ad aliqua *sensibilia communia* cum illis coniuncta, iuxta stimulos ipsis proprios et adaequatos, ita ut si forte stimulis ipsis impropriis et inadaequatis excitentur, ad alia obiecta vel qualitates cognoscendas non pertingant, sed illa tantum percipiant quae propria sunt, iuxta *legem energiae specificae* a J. MÜLLER propositam et in Psychologia experimentali explicatam[22]. Sphaera autem obiectiva rerum quae operatione intellectuali percipi possunt comprehendit, ut deinde demonstrabitur, quidquid rationem entis vel veri prae se fert absque ulla limitatione. Cognoscimus enim res omnes singulares, et

[19] ARISTOTELES, *De anima,* III c.4 (429a29-b5).
[20] S. TH., *In De anima,* III lect.7 (Pirotta, n.688).
[21] Cf. DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental* (1952) p.60-64 n.18.
[22] Cf. PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª ed. (1952) p.119-122 n.119-122; et DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* p.54-55 n.16.

concretas quas sensibus et imaginatione percipimus etiam universali modo, quo ab individualitate praescinditur. Exemplo sit, cognitio sensitiva trianguli in tabella descripti et sensibus percepti, qui longe aliud est quam triangulus mente conceptus de quo tantummodo theoremata geometrica verificantur [23]. *Generatim* essentias rerum cognitione rationali, non sensitiva et organica, cognoscimus; apprehendimus affirmationes, negationes, privationes; ideam habemus veritatis, iustitiae, honoris, iuris et obligationis, et generatim multiplicium relationum; quae, ut tales, sunt saltem praecisive immateriales, et principium cognoscitivum quod esset materiale et organicum percellere non possunt.

398. 3.° Ut supra dictum est (350 et 380) et evidenti experientia constat, principium vitae rationalis, ut cognoscitivum, *supra semetipsum ut cognitum cognoscendo reflectit,* quod exprimit dicens "ego cogito". Impossibile autem est quod principium quod organum aliquod vel corpus esset vel quod, licet simplex, organo ad operandum uteretur, eiusmodi reflexiones eliciat.

Nam organum vel principium etiam simplex operans per organum, est, ut principium operationis, extensum; quod cognoscens, nequit cognoscendo supra seipsum reflectere reflexione totali et perfecta; seu nequit cognoscendo supra seipsum ut cognoscens *redire reditione completa.* Sic pars aliqua chartae extensae flecti et super aliam ipsius chartae partem applicari quidem potest; impossibile autem est quod tota charta supra semetipsam totam applicetur.

399. 4.° Substantia praedita aliqua facultate spirituali est et ipsa spiritualis.

Atqui principium ultimum vitae rationalis, seu anima humana, est substantia praedita aliqua facultate spirituali.

Ergo principium ultimum vitae rationalis seu anima hominis est spiritualis.

Consequentia patet. *Maior* probatur. Talis enim facultas spiritualis, vel *a)* identificatur cum substantia animae, et tunc assertio est evidens; vel *b)* ab ea realiter distinguitur ut accidens a substantia, et tunc impossibile est quod accidens spirituale, seu facultas de qua agitur sit tamquam in subiecto in anima quae non sit spiritualis, ut supra iam (349 a) ostensum est.

Minor sic ostenditur. Omnis facultas cognoscitiva mate-

[23] Cf. BALMES, *Filosofía fundamental,* l.4 c.3.

rialis, ut sunt omnes facultates sensitivae, nullum obiectum cognoscere valent nisi ab eo vel ab aliqua qualitate ab ipso immissa stimulentur et immutentur. Constat hoc quoad sensus externos, experientia; et quoad internos, quia eadem experiencia constat obiecta sensuum internorum, saltem ipsarum elementa, eadem prorsus esse quae sensibus externis prius percepta fuere; et cognitiones sensuum internorum non esse nisi ulteriores elaborationes et organizationes sensationum externarum.

Atqui intellectus humanus percipit innumera obiecta quae nullatenus aliquam facultatem cognoscitivam materialem percellere vel immutare possunt.

Ergo intellectus humanus non est facultas cognoscitiva materialis.

Consequentia fluit. *Maior,* ex rationibus additis probatur.

Minor, ostenditur inspectione obiectorum quae generatim ab intellectu percipiuntur, et supra in 2.º argumento (397) dictum est.

400. Obiectiones. 1. Sensus communis omnium tenet nos capite, non pedibus; cerebro, et non musculis vel alia corporis parte cogitare. *Ergo* principium efficiens et recipiens operationes vitae rationalis est substantia nervea in capite exsistens.

Resp.: sensus communis ascientificus hominis rudis et inculti, *conc.;* sensus communis hominis non rudis et culti, *subd.:* dicit nos capite cogitare metonymice et *improprie* loquendo, eo quod in capite anima cogitans invenit cognitiones sensitivas magis elaboratas, a quibus in cogitando extrinsece dependet, *conc.;* scientifice et proprie loquendo, *nego.*

Inst.: Scientiae psychophysiologicae modernae experimentaliter demonstrant principium efficiens et recipiens operationes vitae rationalis cerebrum esse. *Ergo* iuxta scientiam experimentalem affirmandum est principium cogitans esse cerebrum.

Resp.: nego iterum *antecedens* et *consequens.* Et merito quidem. Nam cerebrum esse principium efficiens et recipiens operationes rationales bifariam intelligi potest et de facto a diversis auctoribus materialistis vel sensistis affirmatum esse videmus: *a)* ita ut dicatur cerebrum intelligere *penes aliquam tantum sui partem,* maioris vel minoris extensionis, quae area vel regio vel centrum dici solet; *b)* ita ut dicatur non partem aliquam cerebri, sed *totum cerebrum organum esse* harum operationum.

Iam vero certum est in statu actuali scientiae psychophysiologicae, eiusmodi affirmationes non esse experimentaliter demonstratas, nec limites excedere assertionis coniecturalis, in praeiudiciis falsis fundatae. Quod sic per partes declaratur.

401. *a)* Nondum demonstratum est aliquam aream vel centrum cerebri organum esse intellectionis.

Partes cerebri a diversis auctoribus praecipuae assignatae ut organum intelligentiae sunt lobuli praefrontales vel parietales vel occi-

pitales vel corpus callosum[24]. Has assertiones in argumentis experimentalibus non esse fundatas, patet:

1.° Ex diversitate conclusionum ad quas experimentatores suis experimentis pervenerunt, quae inter se non cohaerent et mutuo eliduntur.

2.° Quia experimenta invocata plerumque facta sunt in animalibus, quae ut antea demonstravimus (th.11 n.253-273), intelligentia proprie dicta destituuntur; unde per illa ad summum organum psychismi sensitivi investigari potuisset.

3.° Quia facta quae in homine methodo anatomico-clinica observata sunt sufficienter explicantur admissa tantummodo dependentia extrinseca et mediata intellectionis a psychismo sensitivo, quam ultro concedimus.

4.° Quia non desunt psychophysiologi non ignobiles, qui licet sensismum profiteantur et materialismum, asserant tamen impossibile esse organum intelligentiae in aliqua parte cerebri reponere, sed omnino esse dicendum eiusmodi organum esse totum cerebrum.

Hanc sententiam tenet PIERON[25], non quidem innixus in specialibus experimentis sed in praepostera notione intelligentiae ut in sequentibus declaratur.

402. NEC DEMONSTRATUR ORGANUM INTELLIGENTIAE ESSE TOTUM CEREBRUM.

Ratio propter quam dicitur totum cerebrum, non aliquam eiusdem partem, esse organum intelligentiae ita ad mentem H. PIERON afferri potest. "Nomine intelligentiae, ait, non nisi valor significatur quem nos attribuimus activitati machinae cerebralis". Valor autem machinae cerebralis, sicut cuiuslibet machinae, non dependet ex aliqua activitate exercita ab aliqua parte ipsius limitata, sed ex activitatibus diversarum machinae partium, harmonice et coordinate operantium. *Ergo* organum intelligentiae est totum cerebrum penes omnes suas partes.

Iam vero, argumentum hoc rem non evincere patet.

1.° Quia falsa nititur notione intelligentiae. Intelligentia enim sumpta non pro facultate (quo sensu proprius intellectus diceretur), sed pro operatione (quo sensu idem est ac intellectio), nequit consistere in mera harmonia vel coordinatione distinctarum cognitionum organicarum, neque ex ipsis resultare, si vera sunt quae in thesi 19 (329-346) demonstravimus. Intellectio enim activitas positiva et realis est irreductibilis ad cognitiones sensitivas.

2.° Quia licet operationes intellectus propter suam dependentiam extrinsecam a processibus sensitivis requirant ut hi ordinate procedant, hoc tamen nullatenus ratio esse potest ad identificandos actus proprios vitae rationalis cum actibus psychismi inferioris a cerebro intrinsece dependentibus.

Stat ergo quod scientia psychophysiologica non potuit hucusque demonstrare nec partem aliquam determinatam cerebri, nec totum cerebrum principium activum et receptivum esse vitae rationalis. Et consequenter, sensistae et materialistae, asserentes cerebrum vel partem cerebri aliquam organum esse intellectionis, non in scientia experimentali innituntur, sed in falsis praeiudiciis philosophicis, praesertim

[24] Cf. DE LA VASSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental* (1952) p.297-300 n.92.
[25] H. PIERON, *Le cerveau et la pensée*, c.1 p.5.

in falso postulato reductibilitatis intellectionis ad sensationem, supra explosum [26].

403. 2. Innumera sunt facta experimentaliter comprobata, quae evincunt operationes rationales a cerebro fieri.

Praecipua sunt sequentia:

a) Operationes rationales non dantur in puero donec eius cerebrum certum gradum evolutionis et perfectionis anatomicophysiologicae attingit; et deficiunt in senibus pari passu ac in ipsis deficit vigor cerebralis.

b) Affecto, laeso vel debilitato aut perturbato cerebro, quacumque de causa, pari passu afficiuntur laeduntur, debilitantur et perturbantur quoque operationes vitae rationalis, ut evenit in dormientibus, in ebriis, in delirantibus et in amentibus.

c) Homo normalis laborans mentaliter, etiam in studiis ad ordinem pure intellectualem pertinentibus, defatigatur; quod explicari nequit si intellectus vel mens est spiritualis.

d) Datur perfectus parallelismus inter operationes rationales et sensitivas. Unde sicut ex parallelismo inter immutationes physiologicas et operationes sensitivas, nos ipsi inferebamus sensationes fieri a systemate nerveo, sic etiam ex parallelismo inter operationes rationales et sensitivas concludendum est operationes rationales fieri etiam a cerebro a quo operationes sensitivae efficiuntur.

e) Gradus perfectionis intelligentiae proportionalis est gradibus perfectionis cerebri, ita ut illam d metiri possimus ex mensura istius

Resp.: dist. antecedens: innumera sunt facta experimentaliter comprobata quae evincunt operationes rationales dependere *extrinsece*, mediate et tamquam a condicione ab activitate cerebri, *conc.:* quae evincant eas dependere *intrinsece*, immediate, directe et elicitive ab activitate cerebri, *nego*.

Eiusmodi enim facta sicut et innumera alia quae allegari possent omnino quidem probant, contra spiritualismum immoderatum, mentem humanam *extrinsece* dependere in suis activitatibus, a cognitionibus sensitivis; quae quidem intrinsece dependent a cerebro. Haec dependentia extrinseca, iuxta theoriam aristotelico-scholasticam, tam certo tenenda est quam certo neganda est dependentia intrinseca; nec haec stare potest, nisi illa affirmetur [27].

Hac autem dependentia extrinseca admissa, ratiunculae materialistarum, sensistarum et associanistarum qui spiritualitatem mentis negant, facillime dissipantur. Ad recte eas solvendas in singulis factis quae a materialistis adducuntur, oportet primo factum invocatum, quod saepe exaggerate describitur, ad suos veros limites reducere; ut deinceps, quatenus mera dependentia extrinseca explicari possit, declaretur.

Nonnihil innuere iuvabit, per modum exempli, circa facta supra adducta.

404. Ad *a)* Verum est perfectum usum rationis *in puero* non dari nisi postquam eius operationes sensitivae certum gradum perfectionis attigerint versus septimum aetatis annum, licet pueri iam multo antea intelligentiae proprie talis non pauca praebeant indicia.

---

[26] Ad praesentem quaestionem legi possunt LADD, *Elements of Physiological Psychologie*, c.10 praes. p.24; et GEMELLI, *Orientaciones de la Psicología experimental* (trad. PALMÉS, ed. Subirana, Barcelona 1927) p.1.ª 3 p.8-24

[27] Hanc dependentiam extrinsecam descriptam et probatam videas apud S. THOMAM, *Sum. Theol.*, 1 q.84 a.7c.

Id autem explicatur eo quod operationes rationales dependent *extrinsece* et *inchoative* ab operationibus sensitivis, quibus absolute deficientibus, nunquam homo intelligeret.

Inde tamen non sequitur operationes rationales identificari cum operationibus sensitivis, nec proinde eas a cerebro effici. Ad perfectum autem usum rationis non sufficit quaecumque operatio sensitiva, sed opus est ut ordinate exerceantur operationes sensitivae, maxime operationes potentiae cogitativae quae, ut verbis utar SANCTI THOMAE [28], "est in confinio sensitivae et intellectivae partis, ubi pars sensitiva intellectivam attingit". Non enim ad perfectum usum rationis sufficit imaginatio vel memoria, quae saepe in pueris ante usum rationis magnam vim et perfectionem attingunt.

Ad senes quod attinet, falsum omnino est operationes rationales in eis deficere pari passu ac in ipsis deficit vigor cerebralis, nisi haec deficientia ad vim cogitativam extendatur; quod quidem non semper evenit, sed potius contrarium plerumque dicendum est. Nam iuxta sensum communem omnium, teste TULLIO: "Mens, enim, ratio, consilium et prudentia, in senibus est" [29]. Et "res magnae geruntur... consilio, auctoritate, sententia, quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet" [30].

405. Ad *b)* non quaecumque affectio laesio vel debilitatio vel perturbatio cerebri secum fert affectionem, laesionem, debilitationem aut perturbationem operationum vitae rationalis, sed illae tantummodo perturbationes quibus impeditur functio cerebri praebendi intellectui obiectum sensitive apprehensum, convenienter unificatum et structuratum; quae propria est potentiae cogitativae. Operationes enim rationales dependent quidem *obiective* ab his operationibus sensitivis, sed tantum *extrinsece*.

Falsum proinde est et experientiae contrarium, quod operationes rationales pari passu deficiant ac operationes sensitivae si de omnibus operationibus sensitivis agitur. E contra, experientia constat quod, deficientibus summis sensibus externis ac proinde etiam imaginibus sensationibus ipsorum respondentibus, adhuc possibile est ad plenam evolutionem pervenire, ut constat in pluribus caecis et sordo-mutis a nativitate [31], praesertim vero in mirabili casu HALENAE KELLER [32], quae cum surda, muta et caeca fere a nativitate fuisset tamen ad illum gradum evolutionis intellectualis pervenit ut suam ipsius vitam scribere potuisset.

406. Ad *c)* verissimum est hominem mentaliter laboratorem defatigari; sed falsum est, proprie loquendo mentem spiritualem defatigari; res enim spiritualis defatigari nequit. Dicitur autem defatigatio hominis mentaliter laborantis, defatigatio mentalis, ratione defatigationis cerebri in suo labore phantasiandi qui semper plus minusve

[28] S. TH., *In De anima*, l.2 lect.13 n.396.
[29] M. TULLIUS CICERO, *De senectute*, XIX 6: Bibliotheca classica latina Lemaire (ed. Leclerc, 1831) vol.6 p.488.
[30] M. TULLIUS CICERO, ibid. VVI 19.20 (ed.cit.) p.449
[31] Cf. ARNOULD, *Une âme en prison*. Histoire de l'éducation d'une aveugle-sourde-muette de naissance et ses soeurs des deux mondes (Oudin, Paris 1904)
[32] H. KELLER, *The history of my life* (London 1911). Innumerae investigationes statisticae hac super re peractae a distinctis auctoribus ipsarumque conclusiones, videri possunt breviter expositae apud LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental*, ed. 3.ª (a cit.) p.293-300 n.90-92; et fusius magna cum eruditione, apud BARBADO, *Estudios de Psicología experimental*, I p.378-440.

operationes rationalis mentis *comitatur,* a qua ille labor phantasiandi interdum promovetur, interdum compescitur et semper dirigitur.

407. Ad *d)* Negandum prorsus est, quia contrarium probatum manet in thesi, inter operationes vitae rationalis et vitae sensitivae similem parallelismum inveniri ei qui datur inter functiones vitae sensitivae et immutationes physiologicas ipsis comitantes.

408. Tandem ad *e*) dicendum in genere hoc esse ipsum postulatum materialismi, quod non simpliciter asserendum esset sed demonstrandum, et hucusque nondum demonstratum est, nec demonstrabitur umquam.

Tamen ut granum veritatis quae in hac assertione, quae simpliciter falsa est, agnoscamus, respondemus *distinguendo:* gradus perfectionis intelligentiae, in unoquoque homine, proportionalis est tantummodo gradibus perfectionis ipsius cerebri. *nego;* etiam, seu partialiter, *subdist.:* gradibus perfectionis consistentibus, non in mera eius morphologia vel volumine vel pondere, sive absolutis sive relativis seu ad reliquum corpus consideratis, sed insuper in eius interna complexione ordinis biochimici. *conc.;* consistentibus in mera eius morphologia vel volumine vel pondere, *nego.*

CAPUT III

De principio proximo vitae cognoscitvae rationalis statice seu in se considerato

ARISTOTELES, *De anima,* III c.4 et 7; S. TH., *In De anima,* III lect.8 et 12; *In De memoria et reminiscentia,* lect.1; *Sum. Theol.*. 1 q 79 a.1 et 6 ad 13; q.85 a.1; *De veritate,* q.17 a.1; SUÁREZ, *De anima,* IV c.1 n.1-4 et c 7.9-10; URRÁBURU, *Psychologia,* II p.793-900; PESCH, *Psychologia,* III, p.1-32 n.715-740; MERCIER, *Psychologie* (ed.7.ª) II p.3-39 n.162-173; DE BACKER *Metaphysica specialis,* III (1904) p.165-169; HUGON, *Metaphysica* (1935) p.114-121; GREDT, *Elementa philosophiae,* I (1932) p.432-453 n.544-570; MONACO, *Psychologia* (1917) p.414-422 n.247-253; GRUENDER, *Praelectiones psychologicae. De obiecto intellectus;* SIWEK, *Metaphysica specialis* (1948) p.236-244 n.162-171; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.51-55 n.84-93; FRÖBES, *Psychologia speculativa,* II p.12-30.

409. Capitis ratio et divisio. Principium ultimum vitae cognoscitivae rationalis, cuius realitatem et naturam in capite praecedenti vindicavimus, vi vel viribus spiritualibus praeditum esse quibus, si privaretur, impotens esset ad operationes vitae rationalis exercendas, evidens est; tum, ut patet, si huiusmodi vires cum ipsa eius substantia identificantur; tum etiam si ab ea realiter distinguuntur, ut accidens a substantia, iuxta communem et veram inter scholasticos auctores sententiam. Accidens enim naturam sortitur substantiae cuius est accidens. Huiusmodi principium proximum, quod interdum etiam *mens* dicitur, apud omnes nomine intellectus vel vis intellectivae donatur; potestque bifariam considerari, videlicet *statice seu in semetipso,* et sic nobis innotescit ex obiectis

quae cognoscere valet; vel *dynamice* seu *in processu* suae activitatis cognoscitivae inspectus, quo ad ipsius obiecta propria cognoscenda devenit. Sub hoc *secundo adspectu*, in capite sequenti considerabitur. Tantum sub *primo adspectu* seu statice ipsum in hoc capite perpendemus, determinantes 1.° *quodnam sit eius obiectum;* et 2.° considerantes, num ob ingentem multitudinem et diversitatem suarum cognitionum, *unicum* vel *multiplex* illud esse dicendum sit.

ARTICULUS I

DE OBIECTO HUMANI INTELLECTUS

Thesis 23. Obiectum formale humani intellectus est 1) ens seu verum; 2) eius obiectum materiale adaequatum omnia entia complectitur; 3) quorum, in statu unionis animae cum corpore, obiectum maxime proportionatum est quidditas rei materialis vel sensibilis: 4) quod est etiam obiectum intellectus proprium et specificativum.

410. Notiones. INTELLECTUS nomine venit apud omnes potentia aliqua cognoscitiva propria vitae rationalis. Dicitur non inepte intellectus ab intelligendo, quod idem esse videtur ac intus legendo, ut a S. THOMA[1] explicatur, cuius verba non sine magna utilitate ad praesentem quaestionem intelligendam legentur.

411. OBIECTUM in genere, cuiuscumque potentiae cognoscitivae, est quidquid ope cognitionis ab ea elicitae, subiecto cognoscenti aliquomodo innotescit, ipsi se conscienter et intentionaliter obiiciens.

Licet vox obiectum grammatice singularis est, saepe tamen in hac quaestione collective sumitur, videlicet ad significandum complexum vel summam omnium obiectorum quae a potentia cognoscitiva de qua agitur quomodolibet cognosci possunt.

Obiectum autem cuiuscumque potentiae cognoscitivae, ac proinde etiam obiectum intellectus de quo nunc agitur, dividi solet in obiectum *formale* et *materiale*.

412. OBIECTI FORMALIS venit ille adspectus, vel illa nota vel ratio, sub qua semper obiectum cognoscitur a potentia cognoscitiva; et qua deficiente, obiectum non cognosceretur.

[1] S. TH., 1-2 q.8 a.1c.

Declarari hoc potest exemplo potentiarum sensitivarum quarum unaquaeque suum habet obiectum formale. Sic obiecta omnia quae visu cognoscuntur sunt semper vel lucida vel illuminata, sub qua ratione obiecta visibilia cognoscuntur et quo deficiente, non cognoscerentur. Sic etiam obiecta quae auditu apprehenduntur, sonora esse debent, secus non audirentur. Obiecta visibilia innumera quidem sunt, et inter aliqua eorum inveniri possunt aliquae rationes communes, ut verbi gratia, quod sint corpora, vel quod sint imagines cynematographicae, et cetera. Nulla autem est ratio omnibus obiectis visilibus communis, praeter quam quod sint lucida vel illuminata; quae quidem ratio est omnino necessaria ut sint visibilia. Similiter dicendum est de quacumque alia potentia cognoscitiva; ac proinde etiam de intellectu, qui obiectum etiam formale aliquod habeat necesse est.

413. OBIECTUM AUTEM MATERIALE est quodcumque ex obiectis ab intellectu cognoscibilibus, ac proinde idem est ac intelligibile. Obiectum materiale dicitur ADAEQUATUM seu totale, si summam vel collectionem omnium obiectorum aliquo modo intelligibilium complectitur; secus erit INADAEQUATUM seu partiale, tantummodo complectens aliquod eorum genus quae sint peculiari modo cognoscibilia.

414. Cum autem obiecta ab intellectu absolute cognoscibilia natura sua diversissima sint, nec ob earum diversitatem eodem modo naturae intellectus humani aptentur, distingui potest inter obiecta *plus minusve ipsi proportionata,* quorum aliquod esse debet quod MAXIME, seu in summo gradu, PROPORTIONATUM dici possit.

De obiecto proportionato intellectus humani, omnes fere auctores scholastici pertractant; at de illo saepe loquuntur *tamquam si unum tantum esset obiectum proportionatum,* unde sequeretur reliqua omnia obiecta in nullo gradu proportionata esse; quod quidem non sine magno incommodo diceretur. Propterea malumus non de obiecto proportionato simpliciter thesim proponere, sed *de obiecto maxime proportionato.*

Etiam obiectum proportionatum intellectus *diversimode definitur* a distinctis scholis et doctoribus, pro diversitate suarum sententiarum circa innumeras alias quaestiones cum obiecto intellectus plus minusve connexas[2]; a quibus tamen hic, quoad eius fieri possit, praescindendum esse censemus, ut una omnes in hac quaestione, obviam eamus erroribus certis positivismi et rationalismi.

415. Nomine igitur obiecti MAXIME PROPORTIONATI intellectus humani in statu coniunctionis animae cum corpore, intelligimus illud obiectum quod ab intellectu humano, sponte natura *directe, per se* et *primo* cognoscitur.

Directe, excludit cognitionem reflexam. *Per se,* cognitio-

[2] Eiusmodi quaestiones videri possunt tractatae apud URRÁBURU, *Psychologia,* II p.819-861.

nem per aliquod medium excludit, ut est cognitio per ratiocinium habita. Quod *primo* cognoscitur, significat quod cognitio huius obiecti est *prima seu primaria inter omnes intellectuales;* tum quia *fundamentum* est necessarium omnium aliarum cognitionum intellectualium hominis; tum quia *prima* est per quam intellectus humanus a quocumque alio intellectu *distingui possit,* quidquid sit de quaestione utrum prima quoque sit *in tempore,* a qua hic praescindimus.

Praeter obiectum intellectui humano maxime proportionatum, sic definitum, *alia quoque obiecta ipsi etiam plus minusve proportionata dari,* ambigendum non est. Nemo enim dicet obiecta cognita per *reflexionem,* scilicet: proprios actus psychicos et proprium "ego"; et obiecta *mediate* cognita per ratiocinium non esse intellectui humano proportionata.

416. Hactenus, *subiecta quadruplicis assertionis* in thesi contentae definivimus; definienda nunc veniunt *ipsius praedicata.*

1) *In prima parte* propositionis dicimus obiectum formale intellectus esse ENS UT TALE COGNITUM.

Ens est id quod aptum est esse vel exsistere; et potest esse actu exsistens vel solum possibile; atque etiam praesens, praeteritum vel futurum. Ens autem TRIPLICITER COGNOSCI potest et esse obiectum alicuius potentiae cognoscitivae.

Primo modo, ita ut mere *materialiter* cognoscatur, seu non in se et prout ens est, sed tantum quatenus id quod cognoscitur cum ente materialiter identificatur. Sic facultates sensitivae et animalia cognoscunt quidem *id quod est ens,* sed *non quatenus ens est.*

Altero modo, ita ut ens *directe* cognoscatur *quatenus ens,* seu apprehendendo *directe* rationem entis.

Tertio modo, ita ut ratio entis *reflexe* cognoscatur *quatenus ens.*

Secundo et tertio modo, ens ab homine, non autem ab animali, cognoscitur.

Dicimus quoque obiectum formale intellectus esse ens quatenus tale seu *verum.* Verum enim transcendentaliter seu ontologice acceptum non differt ab ente nisi penes explicitum, cum idem sit verum transcendentaliter acceptum ac ens quatenus cognoscibile.

2) *In altera parte theseos* affirmamus *obiectum adaequatum* intellectus humani esse OMNE ENS, seu quidquid ens aliquod sit, et eo modo quo ens sit; quod etiam exprimi solet dicendo, esse *ens in tota sua latitudine spectatum,* modo ens

intellectui rite proponatur, et quomodolibet ab illo cognoscatur.

3) *Tandem in tertia parte* asserimus obiectum *maxime proportionatum proprium* et *specificativum* intellectus humani in statu coniunctionis animae cum corpore, esse QUIDDITATEM REI MATERIALIS vel SENSIBILIS.

Nomine *quidditatis* intelligitur aliquid pertinens ad essentiam vel naturam rei, seu aliquid quo res est id quod est.

Intellectus enim, essentias rerum aliquomodo valet cognoscere, easque ab ipsarum exsistentia distinguere. Exsistentiam cognoscit cum apprehendit *quod res est;* essentiam, aliquo modo, cum apprehendit *quid res est.*

"Cognitio sensitiva, iuxta verba S. THOMAE[3], occupatur circa cognitiones sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad *essentiam rei.* Obiectum enim intellectus est *quod quid est.*"

Non autem affirmamus quidditatem vel essentiam vel naturam rei, semper in semetipsa, nec multo minus perfecte ab intellectu cognosci; siquidem ad definitionem essentialem rei sensibilis non nisi magna difficultate et post assiduam speculationem pervenitur. Quidditas autem rei materialis et sensibilis, seu sensibus perceptae, aliquomodo ab intellectu cognoscitur, quotiescumque de re sensibiliter percepta possumus aliquid asserere, quo eam ab alia re distinguamus, et respondere possimus quaerenti, *quid res* sensibiliter percepta sit vel non sit.

RES AUTEM SENSIBILES vel MATERIALES, sunt res corporeae, quae sensibus percipiuntur. Suntque *materiales,* quia res percepta vel est materia vel a materia dependet tamquam accidens; sunt etiam *sensibiles,* quia sensibus percipiuntur. Utroque modo loquitur S. THOMAS[4] ad id significandum.

4) *Obiectum proprium* hic significat non modo ad intellectum pertinere, sed esse etiam ipsius exclusivum; non quasi *unicum* ab intellectu cognitum, sed tamquam *ab unico intellectu humano* cognitum. Quamobrem *specificativum* quoque est intellectus humani.

417. Status quaestionis. 1) *Quoad primam partem,* dum dicimus obiectum formale esse ens, non id affirmamus de ente *primo modo* seu mere materialiter cognito. Sic enim

[3] S. TH., 1-2 q.8 a.1; cf. 4 CG c.1 et passim.

[4] "Proprium obiectum intellectus nostri proportionatum est natura *rei sensibilis...* Omnia autem quae praesenti statu intelligimus, cognoscuntur a nobis per comparationem ad *res sensibiles* naturales" (*S. Theol.*, 1 q.84 a.8). Et in a.7 eiusdem quaestionis, dicit obiectum intellectus humani esse *quidditatem* vel *naturam in materia* corporali exsistentem. Et alibi (opusc. *De principio individuationis*): "*Quidditas* autem rei sensibilis est obiectum intellectus proprium, ut dicitur in III *De anima.*

ens attingitur etiam a mera potentia sensitiva et ab animali. Animal autem percipiens obiecta sensibilia, percipit aliquid quod est ens, sed non *percipit ut ens.*

Neque necessario accipiendum est *tertio modo,* seu pro ente *reflexe cognitum ut ens,* scilicet cognitione quae reduplicationem importet cognitionis supra ens iam ut tale cognitum.

Sed ratio entis quam dicimus esse obiectum formale intellectus sphaeram eius obiectivam delimitans, est ratio entis *directe cogniti ut talis* et in communi, non ratio alicuius determinati entis. Non enim est ratio entis abstracte cognita, sed apprehensa prout reperitur et imbibita est in omnibus obiectis intelligibilibus, nullo excepto.

2) *Quoad alteram partem* theseos, cum dicimus *obiectum adaequatum intellectus* esse ens in tota sua latitudine acceptum, *non intendimus* asserere, quod falsum esset, intellectum humanum *de facto* pervenire ad cognitionem omnium entium, sed tantum quod, ex sua natura et de se, potens est quodcumque ens cognoscere, nullo excepto, *modo hoc obiectum ipsi rite applicetur,* si agitur de entibus ad ordinem naturalem spectantibus; vel saltem *ope iuvaminis supernaturalis* quo eius vis roboretur et elevetur, si agitur de rebus quae, ob eius supernaturalitatem, ab eo naturaliter attingi non possent.

Nec thesis affirmat intellectum naturaliter posse omnia attingere eadem perfectione, claritate et distinctione; nec multo minus ea eodem modo cognoscere.

Sed ea diversissimis quidem modis cognoscere posse, videlicet: sive cognitione *clara* et distincta, sive *obscura* et confusa; sive cognitione *directa,* sive *reflexa;* sive *positive* in semetipsis, sive *negative* per negationem vel privationem entis; sive obiecto per semetipsum vel *per speciem propriam* influente in intellectum; sive per aliud vel *per species alienas;* sive *prout est in se,* sive per ordinem et *comparationem ad alia;* sive *univoce,* sive tantum *analogice.*

3) *Quoad tertiam theseos partem,* non dicimus obiectum maxime proprium intellectus humani esse quidditatem rei *perfecte cognitam,* sed *aliquomodo* tantum et imperfectissime saltem apprehensam, ita ut aliquomodo de illa conceptus aliquis universalis praedicari possit.

Quodcumque sit obiectum huius conceptus universalis, sive ad substantiam obiecti sensibiliter cogniti referatur, sive tantum ad suum adspectum qualitativum; sive hic conceptus abstractissimus sit, sive plus minusve determinatus. Obiectum igitur huius conceptus universalis *dicimus esse obiectum maxime intellectui humano proportionatum.*

4) Tandem *quoad quartam partem,* assertio non excludit quod intellectus percipiat quoque obiecta *singularia spiritualia:* percipimus enim proprias operationes spirituales propriumque "ego", saltem *quoad an est.* Nec quidem excludit quod *singularia materialia* ab intellectu percipiantur, sive indirecte per conversionem tantum ad cognitionem sensibilem, iuxta sententiam S. THOMAE, sive etiam directe iuxta sententiam a P. SUÁREZ propugnatam.

Ab his enim quaestionibus inter scholasticos controversas, in hac thesi prorsus praescindimus. Affirmamus tamen quidditatem rei materialis vel sensibilis, quatenus abstracte percipitur ab intellectu humano, esse obiectum ipsius proprium, eo quod a nulla alia potentia cognoscitiva, sive spirituali, sive etiam sensitiva et materiali, naturaliter cognoscitur.

418. Sententiae. Thesis sic intellecta, et quatenus praescindit a quaestionibus inter scholasticos controversas ipsi affinibus, ab omnibus illis admitti posse videtur, et omnino *cohaeret cum empirismo moderato* aristotelico-scholastico in quaestione de origine idearum, in capite sequenti pertractanda, cui praesens thesis viam sternit.

Mediam enim viam tenet thesis inter doctrinas exaggeratas circa exsistentiam, naturam et obiectum intellectus humani, quae evidenter erroneae sunt et reiciendae, videlicet: inter *empirismum exaggeratum positivismi, sensismi et materialismi* qui nimium coarctant ambitum obiecti cognitionis intellectualis; et *rationalismum, innatismum,* et *apriorismum kantianum,* nimiam ipsi independentiam ab experientia largientes.

419. Probatio. PARS 1.ª: OBIECTUM FORMALE INTELLECTUS EST ENS UT TALE.

Obiectum formale intellectus est illa ratio vel nota sub qua omne ens semper *cognoscitur ut tale, seu non mere materialiter,* in obiectis ab intellectu cognoscibilibus; et talis quae si in obiecto aliquo non cognosceretur, illud obiectum non esset ab intellectu cognoscibile. *Atqui* talis est ratio entis ut talis. *Ergo* ens ut tale est obiectum formale intellectus.

Consequentia patet. *Maior* constat ex definitione. *Minor* sic ostenditur.

a) Nullum obiectum est cognoscibile ab intellectu, de quo ipse intellectus non possit *indicare,* aliquid de ipso affirmando vel negando, dicens saltem illud esse clarum vel obscurum; vel illud esse ens aliquod, sin minus reale, saltem ens fictum; sin minus positivum, saltem negativum seu negationem entis. *Atqui* haec omnia ab intellectu cognoscuntur, sin minus directe et explicite, saltem indirecte et implicite

sub ratione entis; secus dicere non posset ea esse aliquid. *Ergo* nihil intellectus humanus intelligit quod aliquomodo non cognoscat ut ens, siquidem ens et aliquid idem sunt.

b) Qui negat obiectum formale intellectus esse ens ut tale, ac proinde affirmat aliquid ab intellectu humano cognosci posse, quod non aliquomodo non ut ens ut tale cognoscatur, vel *scit* quid sit hoc aliquid quod cognoscitur quin sit ens ut tale, vel *nescit.*

Si scit quid sit, iam de illo affirmat quod est aliquomodo ens, sive positivum sive negativum sive privativum.

Si vero nescit quid sit, eius negatio fundamento caret et reicienda est.

420. PARS 2.ª: OBIECTUM ADAEQUATUM INTELLECTUS HUMANI COMPLECTITUR OMNE ENS.

Obiectum adaequatum intellectus humani complectitur quidquid quomodolibet ab illo cognosci potest. *Atqui* intellectus humanus aliquomodo cognoscere potest quidquid quomodolibet est ens. *Ergo* obiectum adaequatum intellectus humani complectitur omne ens.

Consequentia patet. *Maior* est definitio obiecti adaequati intellectus.

Minor bifariam probatur:

a) *Deductione* ex prima parte. Nam si obiectum formale intellectus est ratio entis, intellectus potest aliquomodo cognoscere quodcumque obiectum in quo ratio entis aliquomodo inveniatur. *Atqui* ratio entis invenitur aliquomodo in omnibus entibus. *Ergo* intellectus omnia entia cognoscere aliquomodo valet.

Maior constat ex definitione obiecti formalis intellectus.

Minor, quia secus admitteretur aliquid contradictorium, videlicet, quod dari possit aliquod ens quod non habet rationem entis.

b) *Experientia* et inductione. Certum est nos aliquomodo cognoscere Deum, substantiam, accidens, materiam, spiritum, res exsistentes et possibiles, necessarias et contingentes, entia realia et rationis, negationes et privationes; uno verbo: omnia quae ad aliquod ex decem praedicamentis spectant. De his enim loquimur et disputamus, et ad invicem intelligimus res de quibus ad invicem loquimur et disputamus. *Atqui* nullum ens est, quod sub aliquo ex his obiectis de quibus loquimur et disputamus, non comprehendatur aliquo modo. *Ergo* aliquo modo omne ens, saltem sub conceptibus plus minusve communibus et analogicis intelligere possumus.

—"Est proprium obiectum intellectus, scribit S. THOMAS[5], ens intelligibile quod quidem comprehendit omnes differentias et species entis possibiles: quidquid enim est intelligi potest".

421. PARS 3.ª: OBIECTUM MAXIME PROPORTIONATUM INTELLECTUS EST QUIDDITAS REI MATERIALIS VEL SENSIBILIS.

Obiectum intellectus humani maxime proportionatum, est illud obiectum quod intellectus humanus sponte natura cognoscit a) *directe;* b) *per se,* et c) *primo,* iuxta definitionem in praenotandis traditam, et iuxta sensum horum verborum ibidem explicatum (415-417).

Atqui quidditas rei materialis vel sensibilis, in sensu quoque ibidem explicato, secundum quem est obiectum quodlibet universale quod de re sensibus percepta praedicari potest, est id quod sponte natura intellectus humanus a) *directe,* b) *per se* et c) *primo* cognoscit in re materiali vel sensibili a sensibus ipsi oblata.

Ergo obiectum maxime proportionatum, proprium et specificativum intellectus humani est quidditas rei materialis et sensibilis.

Consequentia patet. *Maior* est ipsa definitio obiecti maxime proportionati, et de obiecto tantum sic intellecto defendimus thesim.

422. *Minor* per partes ostenditur.

a) Quidditas rei materialis vel sensibilis sponte natura cognoscitur ab intellectu humano *directe,* id est, non per actum reflexum.

Quod cognoscitur quidditas rei materialis et quod sine reflexione sponte natura cognoscatur, constat ex investigationibus experimentalibus circa perceptionem humanam phaenomenologice descriptam[6]. In tertio enim perceptionis humanae stadio, obiectum sensibus iam apprehensum et unificatum in anterioribus stadiis, sponte natura completur et integratur conceptu intellectuali, vi cuius de obiecto sensibiliter percepto possumus dicere quod *est* et quod *quid est.* Huiusmodi autem conceptus de re aliqua, sunt conceptus eius quidditatis.

b) Quidditas rei materialis apprehenditur *per se,* hoc est, immediate, seu non praevia aliqua comparatione intellectuali, iudicio vel ratiocinio, sed sponte cognoscitur a puero, ubi primum de rebus sensibus perceptis eas *esse* et *quid* illae sint easque inter se distinguere valet. Seu, quod idem est, ubi primum puer sponte pervenit in sua evolutione psychica, ad stadium tertium perceptionis, seu *integrationis intellectualis.*

Tandem *c)* quidditas rei sensibilis vel materialis est obiectum quod *primo* cognoscitur ab intellectu humano, sumpta voce primo, in sensu etiam in praenotandis explicato. Nam, quidquid sit de quaestione utrum cognitioni universali quidditatis rei, tempore praecedant necne cognitiones intellectuales quibus directe et concrete cognoscantur

[5] S. TH., 2 CG c.98, *Hoc autem sic manifestum esse potest.*
[6] Cf. PALMÉS, *Psicología experimental y filosófica,* 4.ª (Ed. Balmes) c.6 p.85-105 n.85-105.

res materiales et sensibiles, a qua in praesenti thesi praescindimus: certum est *cognitionem universalem* quidditatis, sumpta quidditate etiam in sensu antea explicato, habendam esse ut primam. Prima enim est, sin minus tempore, saltem quatenus ea sola, non autem cognitionibus intellectualibus de singulari materiali, humanus intellectus *primo* et *experimentaliter* a quacumque alia potentia cognoscitiva *distingui* potest; *prima* enim est, qua menti praebetur obiectum abstracte cognitum et universale.

Est insuper *prima* quatenus *fundamentum* est necessarium et *initium* omnium aliarum cognitionum intellectualium quibus tota scientia humana construitur, quae solis cognitionibus de rebus singularibus nunquam construeretur.

423. PARS 4.ª: QUIDDITAS REI MATERIALIS VEL SENSIBILIS EST OBIECTUM PROPRIUM ET SPECIFICATIVUM INTELLECTUS HUMANI.

Nullus enim alius intellectus est, nec ulla est potentia alia cognoscitiva quae sponte natura suum obiectum abstracte et universaliter cognoscat. Et ideo, quamvis intellectus etiam cognoscit multa alia obiecta non modo abstracte et universaliter sed etiam singulariter et concrete; tamen *unica facultas cognoscitiva est* quae obiecta abstracte et universaliter cognoscat. Nam nec facultates cognoscitivae sensitivae, nec intellectus aliquis ab intellectu hominis distinctus, ut esset intellectus angeli vel Dei, sponte natura obiecta abstracte et universaliter cognoscunt.

Inde sequitur quidditatem rei materialis vel sensibilis, vere dici posse etiam obiectum *specificativum* intellectus humani, per quod hic ab omni alio intellectu specifice distinguitur.

424. Obiectiones. 1. Ratio entis quae dicitur esse obiectum intellectus, vel *non cognoscitur* cum intellectus intelligit vel *cognoscitur.*

Si *non cognoscitur,* non est simpliciter obiectum intellectus, nec formale nec materiale.

Si vero cognoscitur, vel *aliquando tantum* cognoscitur, vel *semper.*

Si *aliquando tantum,* nequit esse obiectum formale; obiectum enim formale iuxta eius definitionem est ratio sub qua omnia et semper cognoscuntur a potentia cuius est obiectum formale.

Si vero dicitur quod semper seu in omnibus cognitionibus intellectualibus ratio entis cognoscitur, aliquid asseritur quod est experientiae evidenter contrarium.

Resp.: Admitto propositiones disiunctivas seu dilemmata. Ad assertiones circa ipsorum membra, *conc.* quod si ratio entis nullo pacto cognoscitur, non est obiectum ullum intellectus; atque etiam quod si aliquando tantum cognosceretur, non esset obiectum formale, ob rationem additam, quae vera etiam est.

Ultimam vero affirmationem *distinguo:* est contra experientiam dicere quod in omnibus cognitionibus intellectualibus ratio entis sem-

per abstracte cognoscitur et quasi praecisa ab aliis determinationibus conceptus entis, *conc.;* si vero dicitur quod ens cognoscitur ab intellectu tamquam contenta in omni re ab intellectu cognita, *subdist.*: est contra experientiam dicere quod semper explicite cognoscitur ratio entis, *conc.;* est contra experientiam dicere quod ratio entis semper et in omnibus cognitionibus intellectualibus cognoscitur, saltem *implicite, nego.*

Ratio entis, ut supra dictum est (415) tripliciter cognosci potest, videlicet: *pure materialiter* seu *non ut talis, reflexe ut talis* et *directe etiam ut talis;* et tunc sive *explicite,* ut cum assero: hoc quod percipio est ens; vel tantum *implicite,* ut cum dico: hoc est domus, est arbor, est homo. Tantum in hoc tertio sensu dicimus obiectum formale intellectus esse *ens ut tale,* seu rationem entis esse obiectum formale intellectus. Quia talis est ut ea, saltem implicite, ab intellectu cognoscatur, qui simul ac cognoscit domum, arborem, hominem, etc., percipit has res ut entia; secus dicere non posset vi harum cognitionum, hoc cognoscit *esse aliquid,* nec illud *ut aliquid* apprehendere, nec ab alio distinguere.

425. 2. Experientia evidentissima constat *obiectum adaequatum* intellectus humani esse valde limitatum. *Atqui* si obiectum adaequatum intellectus humani esset ens in tota sua latitudine, non ita esset. *Ergo* obiectum adaequatum intellectus humani non est ens in tota sua latitudine.

Resp.: nego mai. et *dist. min.* Non ita esset, si obiectum *adaequatum* intellectus humani esset idem ac eius obiectum *proportionatum, conc.;* si obiectum adaequatum intellectus humani non est idem ac eius obiectum *proportionatum, nego.*

426. 3. Incongruum est dicere obiectum maxime proportionatum intellectus humani esse quidditatem rei materialis vel sensibilis. Nam quidditas rei materialis vel sensibilis est materialis. *Atqui* incongruum est dicere obiectum facultatis spiritualis esse aliquid materiale. *Ergo* incongruum est dicere obiectum maxime proportionatum intellectus humani esse quidditatem rei materialis et sensibilis.

Resp. nego assertum. Ad probationem, *dist. mai.:* quidditas rei materialis et sensibilis est aliquid materiale in se consideratum, *conc.;* est aliquid materiale prout ab intellectu cognoscitur, *subd.:* si ab intellectu cognoscitur eodem modo ac a sensu percipitur, scilicet: ut aliquid singulare materiale et concretum, si forte hoc modo ab intellectu percipitur, *trans.;* si vero cognoscitur ab intellectu conceptu universali, seu praescindendo a materialitate, in quo sensu affirmatur *quidditatem rei materialis esse obiectum proportionatum* intellectus humani, *nego.* Obiectum enim in se materiale praecisive conceptum, basis est et fundamentum omnium aliarum cognitionum intellectus humani rerum spiritualium et suprasensibilium.

427. Inst.: Si intellectus est spiritualis, eius obiectum proprium et maxime proportionatum non potest non esse obiectum spirituale, non autem quidditas rei materialis vel sensibilis.

Nam obiectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivae. *Atqui* virtus intellectualiter cognoscitiva seu intellectus humanus est spiritualis. *Ergo* obiectum maxime proportionatum intellectus humani est res spiritualis, non quidditas rei materialis vel sensibilis, quae materialis est.

Resp.: nego assertum, et ad probationem, *conc. mai.* et *dist. min.:* intellectus humanus est quidem virtus spiritualis substantiae quoque spiritualis, quae tamen non est substantia spiritualis complete subsistens separata a corpore, sed sua natura ordinata ad constituendum corpus, tamquam eius forma substantialis, *conc.;* est virtus spiritualis substantiae spiritualis complete in se subsistentis, seu est spiritus purus, *nego.*

428. *Ratio ultima* ob quam maxime proportionatum obiectum intellectus humani, in statu coniunctionis animae cum corpore, non sint res spirituales, sed quidditates tantum rerum materialium et sensibilium, tandem repetenda est a natura animae humanae quae *non est spiritus purus;* sed licet spiritualis sit, est tamen *forma substantialis* corporis. "Operatio, scribit S. THOMAS[7], proportionatur virtuti et essentiae; intellectivum autem hominis est in sensitivo; et ideo propria operatio eius est intelligere intelligibilia in phantasmatibus".

Triplicem gradum cognoscitivae virtutis distinguit S. THOMAS[8]. "Quaedam enim cognoscitiva virtus est *actus organi corporalis,* scilicet sensus; et ideo obiectum cuiuslibet sensitivae potentiae est forma *prout in materia existit...* Quaedam autem virtus cognoscitiva est, quae *neque est actus organismi corporalis, neque est aliquo modo corporali materiae coniuncta,* sicut *intellectus angelicus;* et ideo huius virtutis cognoscitivae obiectum est *forma sine materia subsistens.* Etsi materialia cognoscant non tamen nisi in immaterialibus ea intuentur, scilicet vel in seipsis vel in Deo. *Intellectus autem humanus medio modo se habet;* non enim est actus alicuius organi, sed tamen est *quaedam virtus animae quae est forma corporis,* et ideo proprium eius est cognoscere formam, in materia quidem corporali individualiter exsistens, non tamen prout est in tali materia: cognoscere vero id quod est in materia individuali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam a materia individuali, quam repraesentant phantasmata; et ideo necesse est dicere quod intellectus noster intelligit materialia abstrahendo a phantasmatibus; et per meterialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem devenimus; sicut e contra angeli per immaterialia, materialia cognoscunt".

ARTICULUS II

UNICITAS POTENTIAE INTELLECTUALITER COGNOSCITIVAE HUMANAE

429. Functionum intellectualium magna diversitas. Innumerae et mira varietate praeditae sunt, functiones quae ad ordinem intellectualem spectant, quas exercent non modo homines exculti et labori scientifico dediti, sed omnes quoque quantumvis rudes, atque etiam in vita quotidiana omnibus hominibus adultis communi.

De huiusmodi functionibus intellectualibus, saepe iam in

[7] S. TH., in ARIST., *De memoria et reminiscentia,* lect.1.
[8] S. TH., 1 q.85 a.1c.

hac tractatione obiter mentionem facere debuimus, ad propriam uniuscuiusque experientiam provocantes.

Eiusmodi functiones intellectuales, dividi solent a logicis in *simplices apprehensiones,* in *iudicia* et *ratiocinia.* Et recte quidem *sub adspectu logico.*

Sub adspectu autem psychologico, diversitas operationum intellectualium hominis non in hac sola triplici et nimis generali divisione absolvitur, sed unaquaeque ex his tribus functionibus, ad quas reliquae omnes reduci possunt, diversimode exercentur, tum pro diversitate *finis,* tum pro diversitate *indolis obiectorum* materialium quae his operationibus attinguntur.

430. Nomina praecipua quibus diversae functiones cognoscitivae vitae rationalis designantur. Operationes cognoscitivae vitae rationalis, pro ipsarum psychologica diversitate, distincta nomina sortiuntur, quorum praecipua haec esse videntur, nimirum: *apprehensio, intellectio, comprehensio, species, idea, conceptus, comparatio, iudicium, ratiocinium, cogitatio, intuitio, inspiratio.* De singulis, brevem notitiam subiungimus.

Apprehensio, vi vocis, et *latissime* accepta, quaecumque mentis cognoscentis operationem significare potest. *Pressius* autem accepta pro simplici apprehensione, tantum significat operationem qua mens obiectum cognoscit, quin de eo quidquam affirmet vel neget.

Intellectio, generatim loquendo, est quaelibet operatio intellectus. *Pressius* loquendo, ad solas operationes intellectuales apprehensivas refertur. *Arctius* adhuc accepta, sumitur pro perfecta cognitione rei intellectae.

Comprehensio, accipi solet pro intellectione in ultimo sensu accepta. Vulgo enim dicitur, aliquis rem aliquam comprehendere, si eam perfecte intelligit.

Species, dicitur quaecumque cognitio, maxime intellectualis, quia omnis cognitio est similitudo seu imago, rem cognitam menti intentionaliter praebens.

Idea, apud *modernos,* est etiam *ipsa* cognitio intellectualis quatenus est forma rei cognitae in genere. Apud *antiquos* vero, vox idea tantum ad cognitiones practicas referebatur, et definiebatur tamquam rei factibilis exemplar expressum in intellectu artificis, qui illud intuens in sua operatione dirigitur.

Conceptus vocatur, quatenus cognitio est veluti partus mentis ab obiecto cognito praevie fecundata.

Conceptus autem dicitur *obiectivus,* si ad illud esse ideale attenditur, quod intellectivo actu menti exhibetur; actus vero ipse intellectionis, vocari solet *conceptus formalis.*

Conceptus intellectualis, si aliquomodo praebet aliquid obiecti sensibiliter cogniti, ut exempli causa, conceptus quidditatis rei materialis vel sensibilis, *sensualis* dici potest; si vero ab omni repraesentatione rei sensibilis praescindit, excepta extensione, dicitur *geometricus;* si vero ab omni repraesentatione rei sensibus perceptibilis abstrahit dicitur *conceptus purus.*

Verbum mentis, dicitur quia dum intellectus cognoscit, similitudinem obiecti cogniti profert, eaque sibimetipsi quasi loquitur.

Notio vocatur quatenus est ratio qua ipsa res menti ope cognitionis innotescit.

Intentio appellatur quia est actus quo mens in obiectum tendit cognoscendum, vel illud ad aliud cognoscendum aliquomodo ordinat.

Comparatio est operatio mentis qua, ad multas sive res, sive ideas attendendo, illas inter se conferendo, ipsarum inter se ordo inquiritur.

431. *Iudicium* dicitur actus intellectus aliquid de aliquo affirmantis vel negantis. Potest esse *verum* vel *falsum,* prout res de alia affirmata vel negata, illi de qua affirmatur, vel negatur reapse conveniat vel secus.

Potest etiam esse *explicitum,* vel tantum *implicitum,* prout illud verbis, sive internis tantum sive ore prolatis, enuntietur vel secus.

Multae saltem apprehensiones, quae in exercitio vitae psychicae habentur, secum ferunt iudicium aliquod *implicitum;* quotiescumque videlicet rem ita apprehendimus, ut vi illius apprehensionis nullaque alia cognitione interveniente, iudicium aliquod explicitum enuntiare valemus. Non autem ut iudicium vere et proprie tale habendae sunt simplices associationes cognitionum, quae tamen etiam quando de cognitionibus sensitivis agitur, iudicia *virtualia* dici possunt, eo quod, ad praxim quod attinet, vices gerunt veri iudicii, ut evenit in ratione sese gerendi animalium.

Ratiocinium sive discursus est actus quo mens humana ex duabus iudiciis inter se comparatis, vi illationis logicae, tertium iudicium infertur. Estque *deductivum* vel *inductivum,* prout ex iudicio generali antecedenti, eruitur consequens minus generale; vel e contra, ex iudiciis multis particularibus, iudicium generale eruitur.

Cogitatio, latissime accipitur pro quacumque cognitione intellectuali; *strictius,* est inquisitio veritatis per discursum ex multis aliis cognitionibus; quapropter non unum tantum actum significat sed potius plurium actuum successionem.

432. *Intuitio,* quae idem sonat ac visio, in genere est simplex intuitus mentis cognoscentis, in obiectum quod ipsi *immediate* proponitur.

Pro diversitate indolis huius *immediationis* diversimode definitur. *Quintupliciter* vox intuitio sumi potest et de facto adhibetur inter modernos psychologos et philosophos.

1.° Sensu *strictissimo,* sumitur pro cognitione obiecti praesentis absque ullo medio interposito, etiam absque medio quod in se non cognoscatur, ut esset species impressa intellectum fecundans ad cognitionem.

2.° In sensu *minus stricto* sed proprio, intuitio frequenter opponitur cognitioni abstractivae, quae videlicet ab intellectu adquiratur per abstractionem speciei ex sensatione, seu pro cognitione intellectuali plus minusve ab experientia seiuncta.

3.° Intuito sumitur *pro quacumque cognitione immediata* obiecti, immediatione excludente tantum aliam cognitionem praeviam; seu sumitur pro omni cognitione ad quam per discursum conscium ratiocinativum non perveniatur.

4.° Intuitio magis adhuc contrahitur, cum hoc nomine significatur *apprehensio alicuius relationis* quae subito et absque immediate praecedenti labore mentali conscio in intellectu assurgit.

5.° Tandem vox intuitio *perperam adhibetur* ab illis qui admittunt intuitionem aliquam, quam *emotionalem* vel *instinctivam* appellant, eam concipientes tamquam omnino independentem a cognitione, quae proinde non esset operatio cognoscitiva, sed pura emotio vel sentimentum, vel purus impulsus irrationalis versus aliquid. Intuitio irrationalis et non cognoscitiva sic intellecta est purum mentis figmentum penitus reiciendum. Pugnat enim in terminis intuitio quae cognitio non sit; et insuper, ut supra demonstratum est in thesi 17 (309-304), sentimentum vel emotio, sub adspectu tum psychologico tum ontologico, est aliquid inseparabile sive a cognitione sive a tendentia, quarum est tantum modus; nec, ut supra etiam demonstratum est in thesi 18 (312-323), instinctus separabilis est a cognitione.

Inspiratio tandem dici solet intuitio in 4.° sensu intellecta; quae ita vocatur, quia est cognitio subita quae videtur ab extrinseco advenire, eo quod connexio cum labore psychico praecedente, fortasse inconscio, non apparet.

433. Quaestio de unicitate principii proximi intellectualiter cognoscitivi in homine. Cum igitur tot sint tamque diversae operationes cognoscitivae vitae rationalis, totque diversis nominibus designentur, nihil mirandum si plura etiam nomina in locutione tum vulgari tum scientifica inveniantur, quae *illarum operationum principia* proxima significent. Praecipua eiusmodi nomina, praeter vocem intellectus, sunt: *ratio, ratio superior, intellectus speculativus et intellectus practicus, intellectus* vel *habitus principiorum, synderesis, conscientia* et *memoria intellectualis;* quae quidem ut totidem principia proxima concipiuntur a quibus diversae functiones intellectuales elicerentur.

Dubium ergo oriri potest utrum principia proxima quae his nominibus designantur sint totidem potentiae realiter, vel tantum ratione, distinctae.

Si primum diceretur, plures admittendae essent in homine potentiae intellectualiter cognoscitivae realiter distinctae. Secus, seu si tantum ratione eiusmodi potentiae distinguuntur, unica erit potentia intellectualiter cognoscitiva.

Consulto in hac quaestione loquimur, claritatis gratia, de potentia intellectualiter cognoscitiva, et non de intellectu; quia iuxta doctrinam fere communem omnium scholasticorum, praeter intellectum, quae est potentia cognoscitiva, et *intellectus possibilis* vel *passibilis* dicitur; alia potentia activa admittenda est in vita intellectuali, quae *intellectus agens* nuncupatur; qui tamen iuxta omnes, licet ad cognitionem intellectualem explicandam requiratur, non est potentia aliqua formaliter cognoscitiva.

Quaeritur ergo utrum potentia intellectualiter cognoscitiva unica in homine sit, licet pro diversitate operationum diversis nominibus designetur; vel distinctae realiter potentiae intellectualiter cognoscitivae sint admittendae.

434. Aristotelico-scholasticorum communis sententia. Omissis ergo opinionibus circa distinctionem inter *intellectum agentem* de quo nondum egimus, et *intellectum sumptum pro potentia proxima intellectualiter cognoscitiva,* hanc esse in homine *unicam,* sententia communis est omnium scholasticorum, etiam eorum qui distinctionem realem quattuor sensuum internorum propugnant. Iuxta eos, potentiae intellectivae, quae diversis nominibus etiam ab illis designantur, non nisi ad summum ratione distinguuntur.

Fundamentum generale ad eiusmodi potentias cum unico intellectu cognoscitivo humano realiter identificandas, est quia omnes operationes quae ipsis attribuuntur, quamtumvis diversae sint, conveniunt tamen in *suo obiecto formali,* quod, ut in thesi 23 (410-428) diximus est ratio entis; et hac de causa, iuxta normas ad distinguendas potentias pro diversitate obiecti formalis, scholastici non nisi unam potentiam intellectualiter cognoscitivam admittunt, quae ob diversas operationes quae ab illa exercentur diversis nominibus designantur.

"Intellectus, ait S. THOMAS [9], respicit suum obiectum secundum communem rationem entis... Unde secundum nullam differentiam entium diversificatur potentia intellectus."

435. *Ratio* igitur, iuxta scholasticos, nihil est aliud quam *ipse intellectus,* quatenus vi eius, ex noto ad ignotum cognoscendum progreditur. Et *ratio superior* dicitur, denominatione a S. AUGUSTINO proposita, quatenus per aeterna cognita descendit ad temporalia diiudicanda; *inferior* vero dicitur quatenus per temporalia cognita ascendit ad aeterna invenienda [10].

Intellectus speculativus et *intellectus practicus* non sunt duae potentiae realiter inter se et ab unico intellectu distinctae. Sed unus idemque intellectus dicitur *speculativus,* quatenus vi eius simpliciter veritatem apprehendimus seu res consideramus ut cognoscibiles. Dicitur autem *practicus* seu operativus quatenus vi eius veritatem cognitam ad praxim ordinamus quatenus res consideramus ut operabiles. Differunt ergo tantum *ratione finis* operationis intellectualis, qui pro *intellectu speculativo* est tantum *veritas;* pro practico autem est *ordinatio cognitionis in ipso opere perficiendo imbibita,* vel qua dirigente, recte opus exequendum est. Finis autem est aliquid intellectuali potentiae extrinsecum; et nihil impedit quominus una eademque potentia possit ad distinctos fines sibi extrinsecos ordinari [11].

Intellectus principiorum est etiam ipse intellectus quatenus innata facilitate praeditus est ad prima principia rationis speculativa sponte apprehendenda, vel ipse intellectus cum habitu quodam naturali ab ipso innate profluente et ab ipso inseparabili, et tunc *habitus principiorum* dicitur. Inter scholasticos, disputatur utrum hic habitus sit admittendus necne; et utrum, si datur, sit adquisitus vel cum specie

---

[9] S. TH., 1 q.79 a.7c.
[10] S. TH., 1 q.79 a.8 et 9.
[11] S. TH., 1 q.79 a.11; et SUÁREZ, *De anima,* l.4 c.9 n.1-2 et 13.

intellectum fecundante ad prima principia cognoscenda, identificetur [12].

Synderesis, etiam aliud quoque nomen est quo designatur intellectus, quatenus facilitate praeditus est ad prima quoque principia operabilium cognoscenda, sive ex sua natura sive vi alicuius habitus intellectui superadditi.

De *intellectu principiorum* et *synderesi*, haec scribit S. THOMAS [13]: "Sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis; ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus; oportet igitur naturaliter esse *nobis indita*, sicut *principia speculabilium*, ita et *principia operabilium*. Prima autem principia speculabilium nobis naturaliter indita, non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad quendam specialem habitum, qui dicitur *intellectus principiorum*, ut patet in 6 *Ethic.* (c.6). Unde et principia operabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad specialem habitum quem dicimus *synderesim*".

Quod *conscientia* etiam et *memoria* non sint potentiae activae realiter ab intellectu distinctae, specialem declarationem requirit, in sequentibus quaestionibus proponendam.

436. An conscientia sit potentia cognoscitiva realiter ab intellectu distincta. Sententia communis et certa scholasticorum est *conscientiam* non esse potentiam cognoscitivam realiter ab intellectu distinctam. Quod quidem non obstat quominus eiusmodi potentiae ratione distingui possint; definiuntur quippe diversis conceptibus ex diversis functionibus desumptis, quas unus idemque intellectus exercere valet.

Vox *conscientia* accipi potest pro *conscientia morali*, vel pro *conscientia psychologica*. Non hic agitur de conscientia morali, sed tantum de psychologica, quae tamen illius fundamentum necessarium est.

Conscientia autem psychologice accepta, est semper aliquid ad ordinem cognoscitivum spectans, vel saltem aliquo modo connotans adspectum vitae psychicae quae cognitio dicitur.

"Dicimus habere conscientiam alicuius actus, ait S. THOMAS [14], in quantum scimus illum actum esse factum vel non factum; sicut est in communi usu loquendi quando dicitur, hoc non esse factum de conscientia mea, id est, nescio vel nescivi an hoc factum sit vel fuerit... et secundum hunc modum loquendi... conscientia dicitur testificari aliquid".

---

[12] Cf. URRÁBURU, *Logica*, p.780.

[13] S. TH., 1 q.79 a.12c.

[14] Perperam aliqui moderni psychologi existimant scholasticos antiquos praeteriisse adspectum conscientiae, vitae psychicae proprium, in quo moderni praesertim, imo saepe unice, insistere solent. Ut alibi scripsimus (*Psicología experimental y filosófica*, ed.4.ª [Ed. Balmes, 1952] n.25-29 p.30-33), scholastici in rebus psychologicis tractandis praecipue intentionalitatem vitae psychicae respiciebant, quin tamen de conscientia agere omiserint, ut patet S. THOMAM legenti (S. TH., 1 q.79 a.13, et *De veritate*, q.17 a.1). Verba S. THOMAE quae circa conscientiam in textu adducuntur, ex a.1 q.17 *De veritate*, desumuntur

Haec notio conscientiae, ex ratione vulgari loquendi desumpta, confirmatur ipsa ethimologia vocabuli conscientia; et in graeco, *synéidesis,* a vocibus *syn* et *eidesis.* Iuxta S. THOMAM conscientiam habere seu conscire idem est ac simul scire.

"Nomen enim conscientiae significat applicationem scientiae ad aliquid; unde conscire dicitur quasi simul scire".

Verbum igitur conscientia, tum ratione usus communis, tum etiam ratione ethymologiae, primario et ratione sui originis refertur ad aliquid quod, vel est activitas quaedam, vel proprietas aliqua vel character alicuius activitatis.

Nihilominus eiusmodi vox, tum *apud antiquos,* tum maxime *apud modernos psychologos,* non tantummodo activitatem aliquam significat, sed alia quae activitates non sunt, licet cum activitate intime connectantur.

Sic, "quandoque, iuxta S. THOMAM, conscientia sumitur *pro re conscita,* sicut fides accipitur *pro re credita*", ut cum dicitur: dicam tibi conscientiam meam, id est, quod est in conscientia mea... Quandoque pro *potentia* qua conscimus". Tamen "proprie loquendo hoc nomen attribui non potest potentiae, sed solum actui; in qua significatione sola concordant omnia quae de conscientia dicuntur".

Psychologi moderni nihilominus, saepe ambigue de conscientia loquentes, ita hoc nomen interdum usurpant in sensu *abusivo,* ut eo significare videantur *potentiam* aliquam cognoscitivam, ut cum dicitur quod conscientia apprehendit aliquid vel dirigitur versus aliquid vel aliquid cogitat.

437. His praeiactis, praesens *quaestio* est, ut patet, tantum de conscientia considerata, valde quidem improprie, ut potentia cognoscitiva, de qua unice dubium esse potest; et quaeritur *num ab intellectu distinguatur necne.* Nec quaestio est de conscientia sumpta pro potentia cognoscitiva ordinis pure sensitivi. Conscientia enim datur etiam in vita pure sensitiva. Sed tota quaestio est de conscientia ordinis intellectualis, sumpta pro potentia qua homo valet non modo apprehendere proprias operationes psychicas, illa conscientia quam *fundamentalem* diximus (192), sed de conscientia intellectuali *eventuali,* qua homo valet, reflexione formali et explicita, supra proprias operationes psychicas et supra semetipsum eas exercenti redire, *reditione completa* [15], dicens: ego cogito, et alia huiusmodi, cognoscens non modo suam cognitionem sed etiam semetipsum cogitantem.

---

[15] "Substantiae intellectuales, scribit S. THOMAS (*De veritate,* q.1 a.9) redeunt ad essentiam suam *reditione completa:* in hoc enim quod cognoscunt aliquid extra se positum quodammodo *extra se procedunt;* secundum vero quod cognoscunt se cognoscere, iam *ad se redire incipiunt,* quia actus cognitionis est medius inter cognoscentem et cognitum. *Sed reditus iste completur* secundum quod cognoscunt essentias proprias; unde dicitur in lib. *De causis* prop.15, quod omnis sciens essentiam suam, est *rediens ad essentiam suam reditione completa.* Sensus autem, qui inter ceteros est propinquior intellectuali substantiae, *redire quidem incipit* ad essentiam suam, quia non solum *cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire;* non tamen completur eius reditio; quia sensus non cognoscit essentiam suam."

Iam vero, si principium eiusmodi quod reditionem completam, seu perfectam reflexionem supra proprium actum, ipsum ut proprium apprehendens, exercet (in quo conscientia eventualis seu perfecte reflexa consistit), non esset ipse intellectus, sed potentia ab intellectu realiter distincta; non supra proprium actum rediret, sed supra alienum, et necessario adstruendum esset principium aliud ab intellectu distinctum, quod etiam intelligeret et supra suum proprium actum reflecteret. Nulla autem necessitas est admittendi hanc potentiam ab intellectu distinctam, cum id praestare possit, propter suam simplicitatem et spiritualitatem, ipse intellectus.

438. An memoria intellectiva sit potentia ab intellectu realiter distinta. Munus memoriae est species cognitionum praeteritarum *conservare,* ope quarum *denuo suscitari* possint cognitiones prius habitae, easque ut prius habitas ipsarumque obiecta ut prius cognita *recognoscere.*

Eiusmodi munera ab ipso intellectu aliquomodo exerceri, non a vi aliqua vel potentia ab intellectu distincta, sententia communis est omnium scholasticorum.

Nec aliter fieri posse videtur; nam ex duplici munere memoriae, videlicet: munere *conservandi* species, ope quarum tantum cognitiones praehabitae denuo *suscitentur;* et munere *recognoscendi* cognitiones iteratas ut prius habitas ipsorumque obiecta ut prius cognita, utrumque non potest non ad unam eandemque potentiam, videlicet intellectum pertinere.

Quoad primum ex his muneribus, quia secus admittendum esset memoriam quae realiter distingueretur ab intellectu, conservare species cognitionum praeteritarum, quas ipsa non elicuit; easque iterare, quas non illa sed intellectus prius habuisset.

Implicat autem in terminis potentiam aliquam iterare aliquam cognitionem quam ipsa prius non habuit, sed ab alia potentia realiter distincta elicita sit.

Nec apparet quo pacto fieri possit ut species relictae a cognitione intellectuali, non in intellectu, sed in alia potentia ab intellectu realiter distincta, videlicet: in *memoria,* relinquantur

Quoad alterum munus, videlicet, recognoscendi praeteritas cognitiones ipsorumque obiecta denuo suscitata, implicat quoque in terminis, quod memoria recognoscat ut proprias et prius habitas, cognitiones denuo suscitatas; quae non ab ea, sed ab intellectu realiter ab ipsa distincto habitae fuissent.

Unica igitur et eadem est potentia, videlicet, intellectus, qui prius *cognovit;* et, functione memoriae. *denuo suscitat* cognitiones praeteritas, ope specierum in illa a praeteritis cognitionibus relictarum, eas, ipsarumque obiecta ut prius cognita *recognoscens.*

Pro distinctione reali memoriae intellectivae ab intellectu, *allegari posset* divisio a S. AUGUSTINO proposita, saepe ab omnibus accepta, et etiam a pueris qui catechismum addiscunt repetita, qua dicitur

tres esse animae potentias, videlicet: *memoriam, intellectum* et *voluntatem.*

Hanc sibi S. THOMAS difficultatem opponens [16], solvit dicens, "quod ista tria non accipit AUGUSTINUS pro tribus potentiis; sed *memoriam accipit pro habituali animae retentione;* intelligentiam autem, pro actu intellectus; voluntatem autem, pro actu voluntatis".

CAPUT IV

Principium proximum vitae rationalis dynamice seu in sua activitate ideogenica consideratum

ARISTOTELES, *De anima,* III c.4-5; S. TH., *In De anima,* III lect.9-10; *Sum. Theol.,* I q.84 a.3.6-7; *Quodl,* 8 a.3; Opusc. 2, c.8.81-82; *De veritate* q.10 a.4 et 6; SUÁREZ, *De anima,* III c.1-4; IV c.2.7-8; LOSSADA, *Cursus philosophicus,* IX p.5-29; BALMES, *Filosofía fundamental,* l.4 c.7; URRÁBURU, *Psychologia,* II p.317-511 et 976.1109; PESCH, *Psychologia,* III p.62-136 n.776-938; PALMIERI, *Anthropologia* (1875) p.467-502; TONGIORGI, *Psychologia* (1873) p.189-193; MENDIVE, *Psychologia* (1877) p.84-128; SCHIFFINI, *Disputationes methaphysicae specialis* (1888) p.424-464 n.274-295; SERTILLANGES, *Saint Thomas d'Aquin* (1910) II p.164-170; BOEDER, *Psychologia rationalis* (1899) p.124-164 n.174-281; VAN DER AA., *Praelectiones philosophiae scholasticae,* III p.31-65; GREDT, *Elementa philosophiae* (1932) I p.453-465 n.571-590; MAHER, *Psychology* (1915) c.14 p.292-313; MERCIER, *Psychologie* (7.ª ed.) II p.40-70 n.174-188; GRUENDER, *Praelectiones philosophicae,* De origine idearum; FRÖBES, *Psychologia speculativa* (1927) II p.92-125; MANYÁ, *El pensament i la imatge* (1935); SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.245-284; FABRO, *Percezione e Pensiero;* IDEM, *La fenomenologia della percepzione* (Milano 1941); BARBADO, *Estudios de Psicología experimental.* II (1948) p.77-119; MARC, *Psychologie réflexive* (1948) I c.4 p.132-220; MORÁN (1949) II p.39-85 n.229-464; WILWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.47-61 n.76-83; IDEM, *Begriffsbildung* (Leizig 1926); IDEM, *Alma y espíritu,* p.77-80; DONAT, *Psychologia* (1936) p.138-162 n.207-242; PÉREZ ARGOS, *Psychologia speculativa humana* (1949) p.143-174.

439. Nexus et ordo capitis. Nota iam ex dictis in capite praecedenti, mirabili et ingenti amplitudine obiectorum ab intellectu humano cognoscibilium, quod spectat ad intellectum quasi *statice* inspectum, progredimur in hoc capite ad ipsum quasi *dynamice* considerandum, videlicet: ad investigandum processum quo intellectus ad huiusmodi obiecta cognoscenda pervenit. Proponemus 1.° quaestionem praesentem, quae, cum vastissima sit, ad ea tantum quae *fundamentalia sunt* reducenda erit; 2.° *solutiones certo falsas* quae nondum confutate sunt, reiciemus; 3.° *eam quae vera* habenda est declarabimus, et tuebimur.

ARTICULUS I

QUAESTIO PRAESENS IPSIUSQUE LIMITATIO

440. Factum adquisitionis idearum. Omnibus notum est et a nemine in dubium vertitur, psychismum humanum non ab initio vitae perfectum esse, sed labentibus annis paulatim evolvi, donec ad maturitatem propriam hominis adulti pervenitur.

[16] S. TH., 1 q.79 a.7 ad 1.

Cognitiones enim hominis, sive actuales, sive latentes et potentiales quae iterum suscitari possunt et ad usum vitae adhiberi, paulatim augentur, ampliantur et perficiuntur plus minusve pro ingenio uniuscuiusque individui humani et subsidiis quae ipsi praesto sunt ad propriam culturam intellectualem promovendam. Ideas ergo seu intellectuales cognitiones, sin minus omnes, saltem fere omnes de facto ab omni homine, non nisi proprii intellectus *exercitio et labore adquiri* evidentissimum est et a nemine negatur.

441. Limitatio quaestionis ad ideas primigenias. Non autem hic agimus de processu quo adquiri possint vel de facto adquirantur ideae seu cognitiones intellectuales quibus homo iam ideis praeditus perfici possit, quod potius ad paedagogiam vel didacticam spectat; sed tantum de *processu psychico* quo *primae ideae* seu cognitiones intellectuales adquirantur, quae *ideae primigeniae* dici possunt, eo quod illis obtentis, aliarum idearum quarumcumque adquisitio iam facile explicentur.

Huiusmodi ideae primigeniae, vel sunt tales tantum *relative* ad aliquod genus cognitionum, exempli causa, ad mathesim, vel grammaticam, vel ad quamcumquae aliam disciplinam; vel *absolute primigeniae* seu respectu omnium aliarum quarumcumque idearum. De his igitur tantum sciscitari intendimus, quo processu homo ad *primas ideas* vere tales seu conceptus intellectuales naturaliter assequendos perveniat, qui ut supra in thesi 19 (329-346) probatum est, sunt *irreductibiles* ad quascumque cognitiones sensitivas, imo etiam *spirituales,* ut in thesi 22 (388-408) demonstravimus.

Agitur igitur de invenienda theoria aliqua vel explicatione, qua satisfactorie declaretur prima in mente hominis apparitio *conceptus spiritualis;* et, si forte ad hanc apparitionem praerequiritur exercitium praevium cognitionis sensitivae, quo pacto transitus fiat a psychismo sensitivo materiali, ad psychismum rationalem spiritualem.

442. Problema de origine idearum omnem philosophiam pervadit. His positis, evidens est nullum umquam exstitisse philosophum nec systema aliquod philosophicum possibile esse, quod, sin minus explicite et expressis verbis, saltem implicite aliquam huius magni problematis solutionem, ex multiplicibus quae propositae sunt non amplectatur vel tacite saltem non supponat.

Antiquiores philosophi in plures abierunt sententias donec doctrina aristotelica, ceterum in hac re non omnino completa, melius cognita et a platonicorum interpretationibus paulatim purgata, a S. Thoma Aquinate completam et cohaerentem cum aliis doctrinis solutionem accepit. Hanc etiam magni nominis Doctores scholastici posteriores, ut Scotus et Suárez, amplexi sunt quoad essentialia,

licet non sine pluribus modificationibus quae, plerumque saltem, ut accessoriae habendae esse videntur.

Moderni *neoscholastici* hanc quoque solutionem amplectuntur, *tanquam theoriam* philosophicam, quae, ut quaelibet alia theoria scientifica, praeter assertiones certissimas et fundamentales, aliis quoque constituitur, quae in re adeo obscura et ab immediata experientia remota, limites probabilitatis excedere non videntur. Cohaerent tamen apprime cum doctrina certa circa naturam cognitionis intellectualis.

Cum autem in *philosophia moderna,* a tempore CARTESII, tot systemata philosophica nova apparuerint, vel philosophiae aristotelico-scholasticae ignara, vel ipsi manifeste infensa, quae erroneas doctrinas profitentur circa naturam cognitionis humanae, nihil mirandum si in praesentiarum tot sint tamque diversae solutiones intentatae huius quaestionis, quae apud philosophos modernos circumferuntur.

443. Diversarum opinionum generalis classificatio. Omittentes, brevitatis causa, in hac Summa [1], logicam et completam classificationem et descriptionem omnium opinionum circa originem idearum, ad huius tractatus scopum sufficit eas dispescere in *tria agmina generalia.*

Primum est earum opinionum quae *empiristae* dici possunt, eo quod ad explicandum originem nostrarum idearum, eas mera experientia cognitionum sensitivarum adquiri profitentur; et *sensistae* quoque vel *sensualistae* dici possunt, eo quod teneant ideas non esse nisi ipsas sensationes diversimode combinatas. Huiusmodi opiniones in solvendo problemate de origine idearum, *peccant per defectum* minus requirentes quam opus est, et insuper *omnia petunt ab extrinseco,* videlicet ab obiectis sensatione perceptis. Huius agminis opiniones, ut patet, cum ideas proprie non admittant, problema de ipsarum origine, proprie e medio tollunt, nedum solvunt.

Alterum agmen opinionum constituitur illis qui e contra *peccant per excessum,* et omnia ab intrinseco petunt asserentes ideas saltem aliquas non adquiri sed innatas menti esse; *ideo innatistae* proprie dici possunt. Ad hos quodammodo accedunt illi qui, duce KANTIO, ideas adquiri asserunt ope categoriarum vel *formarum a priori* quibus intellectus data sensuum suo modo construit, quin sciamus utrum hoc quod ideis intellectus percipit vere res in se sit; atque etiam omnes qui *idealismum profitentur* et omnem influxum cognitionis sensitivae in ideis adquirendis denegant existimantes intellectum solum sibi sufficere.

Tandem *tertia est opinio,* quam unicam veram esse existimamus, in iusto medio consistens et originem idearum explicans ope intellectus et obiecti ipsum fecundantis, ideas sic explicans, influxu tum ab intrinseco, tum ab extrinseco proveniente. Ideae iuxta hanc theoriam efficiuntur quidem ab intellectu et in eo tantum recipiuntur, sed non nisi obiecto in intellectum causaliter influente, a psychismo sensitivo praevie cognito.

444. Assertiones fundamentales theoriae scholasticae. In huius theoriae expositione et defensione, a multis quaestionibus inter ipsos auctores qui eam profitentur controversis, quae ut secundariae habendae sunt, praescindentes, eas tantum tuebimur, quas fundamenta-

---

[1] Cf. *Cursum Psychologiae,* a.1 huius capitis, ubi quaestio de ideogenia introducitur.

les esse existimamus. Assertiones autem fundamentales theoriae ideogenicae scholasticorum ad quattuor sequentes reduci posse videntur:

1.ª *Assertio:* Anima humana, sola sua vi intelligendi quae intellectus dicitur, impar est ad cognitionem aliquam intellectualem habendam, nisi eius intellectus aliquo modo *determinetur* et *compleatur* in ratione virtutis, ab aliquo principio ab illo distincto, ut possit similitudinem obiecti cognoscendi in cognitionem refundere.

2.ª *Assertio*: Id quo intellectus humanus completur in ratione virtutis ad ideas primigenias eliciendas, *non est aliquid ipsi naturaliter a natura inditum seu innatum*, sed tantum ab experientia obiectorum proveniens, quae a potentiis sensitivis hominis apte cognoscuntur.

3.ª *Assertio:* Obiectum experientia sensitiva cognitum, quod quatenus sic cognitum, in hac quaestione, brevitatis causa, *phantasma* nuncupatur, non per semetipsum intellectum determinat et complet in ratione virtutis, ad similitudinem obiecti cognitione exprimendam, sed tantum ope qualitatis cuiusdam activae et spiritualis quae *species impressa spiritualis* dicitur.

4.ª *Assertio: Causa adaequata speciei spiritualis impressae* est tum *phantasma, tamquam causa secundaria* vel *instrumentalis,* tum quaedam vis spiritualis animae, non cognoscitiva et pure activa, quae nomine *intellectus agentis* donatur, ut *causa principalis.*

445. Assertiones hic demonstrandae. Primae assertionis demonstrationem hic sine incommodo omittere possumus, est enim evidens tum experientia uniuscuiusque, tum etiam ab absurdo. Nam ut scribit S. THOMAS [2], "si aliquis intellectus est qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet quod essentia eius habeat in se immaterialiter omnia...; hoc autem est proprium Dei, ut eius essentia sit immaterialiter comprehensiva omnium, prout effectus virtute praeexsistunt in causa. Solus igitur Deus per essentiam suam omnia intelligit, non autem anima humana neque angelus" [2*].

Ad alteram assertionem quod attinet, sufficiat ideas proprie innatas reiicere in articulo 2, quin opus sit apriorismum kantianum vel idealismum refutare, cum huiusmodi philosophias iam in Critica reiectas supponere liceat.

Tertiam et quartam, in quibus positive systema aristotelico-scholasticum asseritur, in articulo 3 et 4 tuebimur.

ARTICULUS II

REICITUR INNATISMUS

Thesis. 24. Nullae sunt admittendae ideae vel species innatae.

446. Notiones. Nomine IDEAE venit cognitio intellectualis quae, iuxta demonstrata in thesi 19 (329-346) et in thesi 22 (388-408), irreductibilis est ad cognitiones sensitivas et insuper spiritualis.

[2] S. TH., 1 q.84 a.2,
[2*] Vide thesim 38 *Cursus.*

Dicimus ideas INNATAS vel SPECIES, quia proprie loquendo, controversia non est de ideis seu cognitionibus proprie talibus, sed de principiis quae ad ideas eliciendas concurrunt cum intellectu, qui, prout in prima assertione theoriae scholasticae dictum est (444), non sibi sufficit ad cognoscendum, nisi in ratione virtutis compleantur ad similitudinem obiecti cognoscendi in cognitionem refundendam.

SPECIES igitur quae impressa dicitur, ut a cognitione, quae species expressa vocatur, distinguatur, est principium aliquod activum, seu qualitas aliqua activa, quae titulo similitudinis in cognitionem refundendae, intellectum compleret in ratione virtutis, ad cognitiones primo eliciendas; quemadmodum species rememorativae intellectum quoque complent in ratione virtutis ad obiecta prius cognita iterum in mentem revocanda et recognoscenda.

SPECIES INNATAE, essent species naturaliter inditae intellectui quae, ut proprietates quaedam vel quidam habitus, darentur, ab ipso naturaliter dimanantes. Opponuntur proinde speciebus *adquisitis* quae ab unoquoque individuo humano, proprio exercitio vitae psychicae adquirirentur.

Species dicimus innatas et *naturaliter* inditas: non enim agitur de speciebus naturae indebitis, ut essent illae quae forte supernaturaliter et gratis a Deo intellectui infunderentur. Quapropter eiusmodi species *infusae* dicerentur.

447. Status quaestionis. *Quaestio praesens non est,* utrum ad cognoscendum intellectualiter necessaria sint necne principia quaedam innata quae sint *potentiae seu facultates.* Nam tum *intellectus cognoscitivus,* tum etiam alia potentia non cognoscitiva et mere activa, quae *intellectus agens* dicitur, cuius exsistentiam postmodum vindicabimus, principia quidem sunt innata cognitionis intellectualis sed *per modum facultatis.*

Nec thesis negat *absolutam possibilitatem* specierum innatarum, quam a priori fatemur non repugnare; sed tantum negat species quibus intellectus indiget ad cognoscendum *esse de facto* innatas.

QUAESTIO quamobrem est tantum, utrum supposita insufficientia intellectus ad ideas sibi comparandas, *ob defectum virtutis requisitae ad similitudinem obiecti cognoscendi in cognitionem refundendam,* eius virtus deficiens *compleatur de facto* principio aliquo quod sit animae vel intellectui *naturaliter inditum,* seu non propria activitate adquisitum; vel, e

contra, an eiusmodi principium ab intellectu aliquomodo propria activitate *hauriatur ex experientia sensibili.*

Si primum, *innatismus aliquis* esset admittendus; si alterum, praesens thesis ut vera habenda erit.

448. Sententiae. Thesi *adversantur,* innatismum aliquem profitentes, plures philosophi tum antiqui tum moderni; qui, recte admittentes vel supponentes intellectum humanum non sibi sufficere ad ideas eliciendas quas de facto elicit vel elicere valet, affirmant principium quo completur intellectus, saltem quoad aliquas ideas, esse animae vel intellectui naturaliter inditum seu *innatum.*

Eiusmodi autem adversarii sunt duplicis generis. *Nam alii* sunt A) qui putant id quo intellectus proxime aptus redditur ad cognoscendum esse *cognitionem aliquam formalem* humano intellectui naturaliter inditam seu innatam, quae esset veluti *medium* in quo reliqua omnia cognoscerentur. Eiusmodi philosophi, licet vere innatistae sint, plerumque non hac denominatione donantur, eo quod eius innatismus logice sequitur ex aliis doctrinis certo falsis, quas profitentur et quarum nomine designantur.

Huc pertinent: *a)* omnes qui aliquod genus *ontologismi* profitentur ut MALEBRANCHE et GIOBERTI, asserentes cognitionem in qua intellectus humanus omnia cognoscit, esse cognitionem aliquam innatam Dei. Similis huic est opinio ROSMINI dicentis hanc cognitionem esse ideam entis indeterminati quam identificat cum idea Entis realissimi seu Dei. *b)* Ad hoc genus opinionum reduci quoque posse videtur opinio, iam obsoleta, plurium philosophorum qui a medio aevo ad saeculum XVII, doctrinam averroistam profitebantur, iuxta quam intellectum hominis individualem negabant, unicum pro omnibus hominibus intellectum admittentes a quo cognitiones intellectuales omnium hominum derivarentur.

Alii vero B), qui *innatistae proprie nominantur,* asserunt intellectum humanum compleri ad cognoscendum principiis aliquibus quae non essent cognitiones formales, sed aliquid ad modum dispositionis vel habitus, non quidem proprio exercitio ab intellectu hominis adquisitum et ex cognitionibus sensitivis haustum; sed animae inditum et connaturale.

Huc pertinet *a)* opinio PLATONIS, qui tamen non absolute negat ideas fuisse ab anima adquisitas, sed tantum negat, eas in actuali statu coniunctionis animae cum corpore ope experientiae posse adquiri.

Tenet enim animam, quam praeexsistisse autumat ante suam inclusionem in corpus, ideas quas nunc habet adquisivisse ex intuitione rationum universalium in semetipsis et a rebus materialibus separatis; nam, ut verbis utar S. THOMAE [3], "posuit formas rerum sensibilium per se sine materia subsistentes".

b) *Innatismum proprie talem,* non quidem omnium idearum hominis sed tantum aliquarum, tenent cartesiani, doctrinam CARTESII

[3] S. TH., 1 q.84 a.4c.

exponentes, cuius mens hac super re valde confusa, imo et contradictoria, esse videtur. Iuxta cartesianos enim tantum supremae ideae ordinis metaphysici essent *innatae;* reliquae vero, vel essent *adventitiae,* seu ex experientia haustae, ut ideae physicae et mathematicae; vel *factitiae,* seu a nobis factae vel compositae ex pluribus ideis sive innatis sive adventitiis.

449. *Thesim e contra tenent* omnes omnino auctores scholastici et neoscholastici cuiuscumque scholae, cum S. THOMA, SCOTO et SUÁREZ, uno ore cum ARISTOTELE [4] affirmantes: "intelligibile inesse ei (scilicet in intellectu) eodem modo, quo scriptura inest tabulae, in qua nihil adhuc adest actu scriptum"; seu ut a scholasticis dici solet: "intellectum esse tamquam tabulam rasam in qua nihil est scriptum"; "nihilque proinde esse in intellectu quod prius aliquomodo non fuerit in sensu".

Cum omnes opiniones ideas innatas quomodolibet adstruentes, non in experientia immediate fundentur, sed potius in doctrinis psychologicis vel metaphysicis evidenter falsis et alibi reiectis vel reiiciendis: thesis probari posset demonstrando singillatim falsitatem uniuscuiusque ex doctrinis ex quibus logice sequitur aliquod genus innatismi [5]. Ab hac tamen via thesim demonstrandi, brevitatis causa, abstinebimus, eamque probabimus unico et generali argumento contra quodcumque genus innatismi. Eam certam esse existimamus, utpote quae apprime cohaeret et cum experientia, et cum thesibus in hoc tractatu iam demonstratis, vel deinde demonstrandis.

450. Probatio. Ideae menti hominis naturaliter innatae, quomodolibet adstruantur: A) *gratis* seu sine sufficienti fundamento asseruntur; B) cum factis *experientia* comprobatis et certis non cohaerent; et C) ex earum assertione, *doctrinae certo falsae* logica consequentia deducuntur. *Ergo negandum* est ideas menti hominis esse naturaliter innatas.

Consequens, supposita veritate antecedentis, verissimum est, siquidem consequentia bona est.

Nam *quoad* A), philosophare non est, ut non pauci absurde arbitrantur, simpliciter aliquid mente fingere et plus minusve artificiose et litterarie exprimere; sed aliquid ut verum asserere et cur verum sit nec aliter esse possit ostendere.

Quoad B), quia necessarium fundamentum in philosophia naturali et consequenter in psychologia philosophica, eorum quae ut vera asseruntur, est experientia, cui legitima speculatio philosophica contraria esse nequit, ut iam in thesi 1 (26-34) probavimus.

Quoad C), quia, ut ex logica notum est, ex vero sequi nequit nisi

[4] ARISTOTELES, *De anima,* III c.4 (429b34-430a2).

[5] Accurata et peculiaris expositio et solida refutatio tum sententiae ROSMINI, tum Ontologismi quoad diversas eius formas, videri potest apud URRÁBURU, *Psychologia,* II a p.992 ad 1108. n.315-337.

verum; ac proinde vera esse nequit propositio ex qua legitima consequentia falsum sequitur.

Antecedens iam per partes probandum est.

451. A) GRATIS SEU SINE SUFFICIENTI FUNDAMENTO IDEAE INNATAE ASSERUNTUR. Origo enim quarumcumque idearum quas naturaliter mens humana habere potest, satis explicatur quin ad ideas innatas recurrendum sit. Nam omnes ideae seu cognitiones intellectuales humanae, vel sunt *a) conceptus quidditatis rerum materialium* sensibus perceptarum, vel *b)* sunt *aliae cognitiones altiores* de rebus spiritualibus et solius intellectus propriae.

Non enim datur tertium, et dilemma omnes cognitiones humanas naturaliter possibiles complectitur. *Atqui* origo tum *a) conceptuum quidditatis rerum materialium* seu sensibilium, tum *b)* aliarum cognitionum altiorum de rebus spiritualibus, bene explicantur quin ideae innatae admittantur. *Ergo* gratis et sine sufficienti fundamento ideae innatae asseruntur.

Minor probatur per partes.

Quoad a) seu ad rationem reddendam conceptuum quidditatis rerum materialium sensibus perceptarum sufficit vis innata intellectus percipiendi obiecta ipsa, iam sensibus percepta, non unice modo concreto et singulari ut a sensibus unice percipiuntur, sed modo universali et praecisivo a singularitate obiecti materialis cogniti.

Intellectum hac vi, universali modo res materiales percipiendi, praeditum esse, sive postquam res materiales cum sua singularitate perceperit, sive immediate in prima perceptione rei materialis, a quo nunc praescindendum est, constat ex supra iam demonstratis in parte 3.ª theseos 23 (410-428), ubi probavimus quidditatem rei materialis vel sensibilis esse obiectum maxime proprium et proportionatum intellectus humani.

Quoad b), seu quod ad rationem reddendam genesis aliarum idearum non opus est ad ideas innatas recurrere, facile patet.

Nam ubi primum intellectus humanus ideas aliquas vel plures universales de quidditatibus rerum sensibilium et materialium, vi sua abstrahendi a singularitatibus sibi comparavit, quae ideae *primigeniae* dici possunt, additis etiam ideis haustis ex experientia propriarum activitatum, quas consequenter ad illas sibi efformat, sive conscientia *fundamentali* seu *directa*, sive conscientia *reflexa* qua proprias activitates explicite cognoscit; iam vi sua praeexcellenti eiusmodi ideas denuo in mentem revocandi ope memoriae, easque inter se comparandi, ipsarum relationes percipiendi, iudicandi et ratiocinandi, prima principia rationis, tum speculativae tum

practicae, intuetur, et multarum rerum spiritualium et rationum suprasensibilium notitiam scientiamque adquirit.

Nullatenus ergo opus est admittere ideas aliquas esse innatas ad rationem reddendam originis quarumcumque cognitionum naturalium hominis.

452. B) IDEAE INNATAE CUM FACTIS EXPERIENTIA COMPROBATIS NON COHAERENT.

Multa ad id comprobandum congeri possent facta. Aliqua tantum afferre sufficiat.

a) Si ideae innatae dantur, non explicatur in *genere dependentia,* extrinseca quidem sed vera, a cognitionibus sensitivis, quam prae se ferunt cognitiones intellectuales hominis.

"Manifestum est, scribit S. THOMAS [6], quod ad hoc ut intellectus actu intelligat, non solum accipiendo scientiam de novo, sed etiam utendo scientia adquisita, *requiritur actus imaginationis* et ceterarum virtutum: videmus enim quod impedito actu virtutis imaginativae per laesionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu virtutis imaginativae, ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo actu etiam ea quorum scientiam praeaccepit".

Haec enim dependentia intellectionis a cognitionibus sensitivis non daretur, si ideae essent innatae. Tunc enim anima in se haberet quidquid sufficit et requiritur ad intelligendum.

b) Nec explicatur *cur ille qui aliquo sensu orbatus est* a nativitate, non *ideas proprias,* sed tantum analogicas, habeat sensibilium propriorum illius sensus quo caret et nunquam habuit, cum tamen ideas proprias et non analogicas habeat ille qui antequam sensibus orbaretur, illorum sensibilia propria percepit.

Sic, licet caecus natus ideam aliquam analogicam de coloribus, et surdus a nativitate, de sonis habeat, siquidem de illis loquuntur; carent tamen ideis propriis horum sensibilium propriorum, quos forte sibi repraesentant ut genus aliquod odorum vel qualitatum tactilium; dum ille qui olim vidit et audivit, valet, ope specierum adquisitarum, sibi eiusmodi sensibilia conceptu proprio repraesentare. Si ideae essent innatae nulla ratio horum factorum dari posset.

c) Nec explicat innatismus, cur nostrae *primae ideae sint de rebus experientia sensibili perceptis;* cur nostra prima iudicia circa illas versentur; cur, ut verbis utamur S. THOMAE [7] "quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet"; et cur "quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla ex quibus, sibi phantasmata formare possit ad intelligendum".

[6] S. TH., 1 q.84 a.7c.
[7] S. TH., 1 q.84 a.7c.

d) Nec cohaeret cum innatismo, quod saepe *vocabula* quibus res spirituales et experientiam sensitivam transcendentes significamus, philologice inspecta seu primario, res significent sensibus perceptibiles.

Ut cum res immateriales dicimus spirituales, ab spiritu vel aëre sensu perceptibili; vel cum nomen substantia, cui essentiale non est sub accidentibus stare, tamen a substando dicitur, quod obiectum nostrae experientiae est.

e) Saltem si omnes nostrae ideae essent innatae, ut contendit PLATO, non explicaretur *cur scientia perfecta non detur iam in puero,* cuius anima iam ab initio suae coniunctionis cum corpore omnes ideas suae scientiae futurae haberet.

Si dicitur eiusmodi species non excitari nisi occasione excitationis sensuum, praeterquam quod id gratis asseritur, explicandum esset saltem cur ubi primum homo ad maturitatem et plenam evolutionem suae vitae sensitivae pervenit, non omnem cognitionem scientiamque habeat; quam tamen experientia testatur non nisi proprio et diuturno labore adquiri, prorsus eodem modo ac si intellectus ideas innatas haberet nullas.

f) Tandem non explicatur *cur non omnes homines aeque perfectas cognitiones intellectivas* possideant, et adeo diversi sint in gradu culturae et scientiae. Omnes quippe eisdem speciebus vel ideis innatis praediti essent, utpote quae a natura animae procederent quae eadem in omnibus est.

453. C) EX ASSERTIONE IDEARUM INNATARUM DOCTRINAE FALSAE LOGICA CONSEQUENTIA DEDUCUNTUR. Cum omnis innatismus nimium exaggeret independentiam cognitionis intellectualis a cognitione sensitiva, et consequenter independentiam animae a corpore, non potest non fieri ut omnes qui ideas innatas profitentur *in plures errores* incidant.

Atque ita factum esse constat ex Historia Philosophiae.

Omnes enim qui aliquomodo ideas innatas esse tenuerunt, vel in aliquem gradum *idealismi* lapsi sunt, vel saltem idealismo viam sternunt; et exaggerantes independentiam animae a corpore, *falsum dualismum* in psychologia induxerunt, unitatem hominis pessumdantes. Quo factum est, ut doctrinae adeo erroneae propositae sint ad explicandum commercium animam inter et corpus hominis, ut illae sunt quae vocantur "doctrinae purae assistentiae", vel "doctrina interactionis activae", vel "harmonia praestabilita" vel "parallelismus psychophysicus"; quas omnes falsas esse postmodum suo loco demonstrabimus.

454. Obiectiones. 1. *Ad mentem* PLATONIS. "Nullus potest verum respondere nisi de eo quod scit". "*Sed* aliquis etiam idiota non habens scientiam adquisitam respondet verum de singulis, si tamen

ordinate interrogetur, ut narratur in MENONE PLATONIS de quodam". "*Ergo* antequam aliquis adquirat scientiam habet rerum cognitionem; quod non esset, nisi anima haberet species naturaliter inditas".

Resp.: conc. mai.; et *dist. min.:* aliquis non habens scientiam adquisitam respondet verum de singulis si ordinate interrogetur, si hac ipsa ordinata interrogatione scientiam adquirat ad recte respondendum, *conc.;* aliter, *nego.*

Et *sub data distinctione, nego utrumque consequens* et *consequentiam.*

Rem explicat S. THOMAS[8] hanc sibi obiectionem proponens et solvens.

455. 2. Ad mentem CARTESII. Id quod est proprietas essentialis animae, vel mentis humanae, nequit, ne quidem per aliquod temporis punctum, ipsi desse. *Atqui* cogitatio, seu intellectio, est proprietas essentialis animae seu mentis humanae. *Ergo* cogitatio seu intellectio animae seu menti inest iam a primo instanti suae exsistentiae, ac proinde datur saltem aliqua cognitio vel idea innata seu non adquisita.

Resp.: conc. mai.; et *dist. min.:* cogitatio sive intellectio est proprietas essentialis mentis humanae, quae in nullo puncto temporis ipsi deesse potest, si nomine cogitationis vel intellectionis significatur *facultas* cogitandi vel intelligendi, *conc.;* si significatur facultas cogitandi vel intelligendi *proxime apta* ad cogitandum, vel cogitationem actu elicientem aliquam, *nego.*

Et sub datis distinctionibus, *nego cons.* et *consequentiam.* Qui haec obiicit, perperam *confundit facultatem cogitandi cum ipsa cogitatione, quae* res sunt inter se realiter distinctae.

456. 3. Ad mentem ROSMINI. Fieri nequit ut idea entis possibilis hauriatur ab intellectu ex experientia sensibili. *Ergo* est innata.

Antecedens *probatur:* quia idea entis possibilis est universalis, necessaria, immutabilis, infinita et aeterna. *Atqui* nullum ex his praedicatis convenit obiecto cognitionis sensitivae quod est singulare, contingens, mutabile, finitum et non diu durabile. *Ergo* saltem idea entis possibilis non hauritur ex experientia sensibili, ac proinde est innata.

Resp.: nego ant. Ad probationem antecedentis, *dist. mai.:* idea entis possibilis est universalis in exsistendo *tantum fundamentaliter;* est necessaria et immutabilis *secundum suam intelligibilitatem;* est infinita *secundam suam extensionem et praedicabilitatem,* est aeterna *tantum negative, conc.;* idea entis possibilis est universalis *in exsistendo formaliter cum sua universalitate;* est necessaria et immutabilis *secundum suam entitatem;* est infinita *secundum suam comprehensionem;* est aeterna *positive, nego.*

Et *contradistincta minore, nego cons.* et *consequentiam.*

INST.: Si idea entis possibilis adquireretur, vel a) *iudicio* aliquo produceretur vel b) *abstractione. Atqui* neutrum dici potest. Nequit dici *a)* quod *iudicio* adquiratur, quia iudicium praesupponit ideam universalem iam obtentam.

Neque dici potest *b)* quod obtineatur *abstractione.* Quia in omni abstractione *tria* locum habent, scilicet: *analysis* rationis communis et particularis; *praecisio* differentiae particularis; et *consideratio* solius communioris rationis. *Atqui* cum tria haec circa ideam aliquam

[8] S. TH., 1 q.84 a.3 ad 3.

exercentur, iam haec supponitur praevie in mente exsistens. *Ergo* impossibile est quod idea generalissima entis possibilis adquiratur, ac proinde est innata.

Resp.: conc. mai. et *nego min.;* talis enim idea abstractione saltem obtinetur quidquid sit de quaestione utrum etiam iudicio obtineatur, *conc. mai.* quoad primam partem, et *nego* quoad secundam.

Ad probationem, *negatur* illa tria praerequiri ad productionem ideae universalis per abstractionem, nam haec habetur iam in simplici apprehensione quidditatis rei materialis vel sensibilis. Non enim ut intellectus hanc quidditatem universali modo apprehendat opus est, ut prius illam cognoscat; et, semel cognita, mente separet vel seorsim apprehendat a re singulari sensibus oblata; sed sufficit ut rem sensibus oblatam apprehendat conceptu universali et praecisivo; qui non consistit in aliqua separatione rerum prius cognitarum, nec tantum in praescindendo ab exsistentia rei cognitae, nec in aliqua negatione vel affirmatione alicuius notae singularis et concretae; sed in conceptu *praescindente* a singularitate vel individualitate rei sensibilis intellectu cognitae, quin eam affirmet vel neget. Ad hoc autem praestandum sufficit vis innata intellectus ita concipiendi immaterialiter seu universali et praecisivo modo, ipsas res materiales vel sensibiles ipsi a sensibus oblatas. Hanc vim esse propriam intellectus humani, constat iam ex supra dictis in thesi 23 (410-428): probavimus enim *obiectum proprium maxime proportionatum intellectus humani* in statu coniunctionis animae cum corpore, esse quidditatem rerum materialium vel sensibilium.

457. 4. Homo quilibet innate, id est, ex fundo suae naturae, appetit quod est sibi bonum; ac proinde iam ab initio suae exsistentiae illud appetit. *Atqui* nihil appetitur quod praevie non cognoscatur, nihil enim cognitum quin sit praecognitum. *Ergo* quilibet homo innate, id est, ex fundo naturae suae, habet ideam innatam boni sibi convenientis.

Resp.: dist. mai. Homo innate, id est, ex fundo suae naturae appetit bonum *appetitu naturali* seu *non psychico,* qui ex fundo naturae oritur, etiam sine praevia cognitione ipsius, *conc.;* appetitu, *non modo naturali sed etiam psychico* qui elicitus dicitur, seu qui feratur in bonum praevie cognitum, *subd.:* quando capax est cognoscendi illud quod est sibi bonum, hoc appetitu naturali et psychico seu elicito, bonum appetit, *conc.;* antequam hanc cognitionem boni assequatur, *nego.*

Et contra *distincta minore, nego cons.* et *consequentiam.*

Quid appetitus naturalis sit et quomodo ab appetitu psychico seu elicito differat, supra dictum est (249).

458. 5. Ut intellectus spiritualis hauriat suas cognitiones, pariter spirituales, ex cognitionibus sensitivis, quae sunt materiales, opus est ut cognitiones sensibiles aliquo modo influant in intellectum spiritualem vel ipsum moveant. *Atqui* impossibile est ut res materiales influant in potentiam spiritualem, vel ipsam moveant. *Ergo* nequit dici intellectum suas ideas haurire ex experientia sensibili.

Resp.: conc. mai., dist. min.: impossibile est quod res materiales *immediate* et per semetipsas *influant in potentiam spiritualem* vel ipsam moveant, *conc.;* impossibile est quod res materiales, non per semitipsas, sed *media aliqua virtute spirituali* a re meteriali aliquo-

modo procedente, in potentiam spiritualem influant et ipsam moveant, *nego.* Et sub datis dist. *nego cons.* et *consequentiam.*

Quo pacto experientia sensibilis influat in intellectum, vel ipsum moveat, est quaestio iam in articulo sequenti pertractanda.

ARTICULUS III

INDOLES INFLUXUS COGNITIONUM SENSITIVARUM IN IDEAS PRIMIGENIAS RERUM MATERIALIUM

Thesis 25. Ideas primigenias obiectorum sensibiliter perceptorum, intellectus humanus non adquirit, nisi mediis speciebus impressis spiritualibus.

459. Notiones. Nomine OBIECTORUM SENSIBILITER PERCEPTORUM intelligimus obiecta ope psychismi sensitivi percepta, videlicet: a sensibus externis captata et ab internis, ulterius elaborata et organizata, praesertim a vi *imaginativa, memorativa* et *cogitativa,* quarum postrema, ut verbis utamur S. THOMAE [9], "est in confinio sensitivae et intellectivae partis, ubi pars sensitiva intellectum attingit".

Eiusmodi cognitio sensitiva sic praeparata, in hac quaestione, brevitatis causa, simpliciter PHANTASMA dici consuevit [10].

Phantasma autem potest significare *ipsum* actum cognitionis, vel etiam eius *obiectum* quatenus cognitum, seu *contentum intentionale* phantasmatis.

IDEAE PRIMIGENIAE de rebus materialibus sunt cognitiones intellectuales, ac proinde spirituales, quas de rebus materialibus homo adquirit; quidquid sit de quaestione inter scholasticos controversa, utrum videlicet primae ideae sint iam universales, necne. Haec enim quaestio independens est a quaestione de exsistentia speciei impressae spiritualis, de qua nunc agendum est.

460. SPECIES, in genere, idem est ac similitudo aliqua. Agimus autem nunc de similitudine non in *essendo,* sed de similitudine intentionali seu in *repraesentando.* Quapropter, vox species, hic simpliciter prolata, intelligenda est semper *species intentionalis.*

Species autem intentionalis duplex distinguitur: *expressa,* videlicet, vel *impressa.*

---

[9] S. TH., 3 d.23 q.2 a.2 sol.1.ª ad 3.
[10] Haec videtur esse mens S. THOMAE. Cf. *De veritate,* q.18 a.8c; et 2 CG c.60 initio.

Species *expressa* est ipsa formalis cognitio plene constituta, seu qualitas vitalis quae obiecta *formaliter* apparere facit potentiae cognoscitivae.

Species vero *impressa* est etiam qualitas in potentia cognoscitiva recepta, quae cum eadem ad cognitionem efficiendam concurrit titulo similitudinis obiecti cognoscendi in cognitionem refundendae.

Controvertitur inter scholasticos, utrum species impressa dicenda sit *similitudo formalis,* vel tantum *virtualis* obiecti.

Species impressa similitudo formalis dici potest, si appellatio formalis refertur ad speciem non quatenus *similitudo* est, sed quatenus *entitas* quaedam est accidentalis. Entitas enim speciei utpote quae qualitas vel accidens est, forma dici potest quae intellectum informat praevie ad cognitionem.

Si vero appellatio formalis refertur ad speciem quatenus est similitudo, potest etiam dici formalis. quatenus ex ipsa resultat similitudo formalis propria cognitionis seu speciei expressae; non autem est formalis eo modo quo species expressa seu cognitio, similitudo formalis est; secus enim cum cognitione confunderetur.

Ideo malumus dicere eam esse tantum similitudinem *virtualem,* videlicet qualitatem quae tantum virtute habet similitudinem in cognitionem refundendam, veluti *semen* virtute tantum continet vivens eo generaturum.

Species impressa rursus duplex esse potest: alia enim est species impressa *sensibilis* et materialis; alia species impressa *intelligibilis* et spiritualis; prout ordinetur ad cognitionem sensitivam vel ad intellectualem eliciendam. Species *vicaria* obiecti cognoscendi dicitur, quia vices illius gerit, semper ac obiectum cognoscendum per semetipsum, potentiam cognoscitivam de qua agitur, attingere non possit.

De necessitate concursus obiecti in omnem sensationem, et specierum intentionalium realitate, quotiescumque obiectum per semetipsum potentiam complere nequeat, multa iam supra (240-243) diximus, de genesi cognitionis sensitivae tractantes. Nunc autem tantum de specie intelligibili et spirituali agitur.

461. Dicimus ergo intellectum IDEAS ADQUIRERE primigenias, MEDIANTE specie aliqua entitative spirituali, et non nisi hac specie informatum constitui in actu primo proximo ad cognitionem spiritualem eliciendam rei materialis ipsi a sensibus oblatae.

Quapropter species impressa spiritualis se habet veluti MEDIUM aliquod inter obiectum materiale cognoscendum ab intellectu et ipsius cognitionem.

MEDIUM autem, in quaestionibus ad activitatem cognoscitivam pertinentibus, multiplex distingui solet.

Presertim distinguitur inter *medium quod, medium in quo et medium quo.*

Species igitur impressa non est medium *quod,* seu id quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius.

Neque est medium *in quo,* seu id in quo cognito, simul aliud cognoscatur.

Sed, iuxta omnes scholasticos, est tantum medium *quo,* seu id *quo* aliquid cognoscitur quin in se cognoscatur.

Medium *quod,* certe facit cognitionem obiecti esse mediatam vel deductivam; disputatur inter scholasticos, utrum cognitio immediata obiecti stare possit in cognitione quae se habeat ut medium *in quo.* Omnes tamen admittunt medium *quo,* omnino cum cognitione immediata et intuitiva obiecti cohaerere. Etiam illi contendunt *speciem expressam esse medium in quo,* incuntanter tenent, *speciem impressam non esse nisi medium quo.*

462. Status quaestionis. Ut verus status quaestionis praesentis statuatur, imprimis *quid in ea supponatur* iam admissum vel probatum, omnino prae oculis habendum est.

Ab omnibus quos inter praesens quaestio controvertitur, admittitur: a) *spiritualitas* intellectionis, intellectus et animae ope huius intelligentis; b) *materialitas* omnis cognitionis sensitivae, seu phantasmatis, obiectum materiale praebentis ab intellectu spiritualiter cognoscendum; c) *immanentia perfectissima* cuiuscumque cognitionis praesertim cognitionis spiritualis, quae requirit ut cognitio in eodem prorsus principio recipiatur a quo efficitur; d) cognitionem esse *similitudinem intentionalem obiecti* cogniti; et, consequenter, principium cognoscens hanc similitudinem refundere in obiecto cognito; et e) cognoscens, hanc similitudinem obiecti in cognitione ipsius refundere non posse, *nisi ope concursus saltem mediati obiecti* cognoscendi.

His igitur praesuppositis, tota et unica quaestio praesens est, utrum hic concursus obiecti, qui omnino necessarius supponitur, sufficienter obtineatur immediate per merum phantasma, ita ut eo exsistente, intellectus iam habeat quidquid virtutis requiritur et sufficit ad primam cognitionem intellectualem de re sensibili eliciendam; vel e contra requiratur ut intellectus praevie fecundetur qualitate aliqua spirituali, quae species impressa spiritualis dicitur, et sic *in ratione virtutis* ad exprimendam similitudinem obiecti conceptu spirituali *compleatur.*

463. Quod semel ac intellectus ope speciei intelligibilis impressae fecundatus, possit a mero phantasmate vi sympathiae seu consensionis omnium facultatum suppositi, ad intelligendum determinari, non ambigitur. Tunc enim intellectus specie intellectuali praeditus iam virtutem completam habet ad intellectionem iterandam. *Quaestio* autem est *non de iteratione intellectionis* sed de *prima intellectione* obiecti materialis in phantasmate relucentis.

Item, si sensatio seu phantasma falso supponitur esse cognitio ab anima aliquomodo effecta et in anima quoque vi immanentiae per-

fectae recepta, supervacaneam esse speciem impressam ultro concedimus, et consequenter etiam intellectum agentem negandum esset, qui ad illam speciem producendam requiritur, prout in thesi 25 (474-487) declarabimus.

Si haec autem fuisset, circa subiectum sensationis SANCTI THOMAE sententia ipse et magna ingenia quae theoriam speciei impressae intelligibilis et consequenter intellectus agentis elaborarunt, operam et oleum perdidissent.

QUAESTIO igitur praesens vel nulla est; vel supponit phantasma nullatenus in anima esse, sed tantum in corpore animato. Nam si supponitur sensationem seu phantasma aliquomodo effici ab anima et in ea recipi, praesens quaestio quae est tantum de aliqua explicatione reddenda transitus a cognitione sensitiva alicuius obiecti materialis ad cognitionem intellectivam spiritualem ipsius, cum hic transitus in hac hypothesi, vel non datur vel iam factus supponitur, quaestio de illo supervacanea est. Quaestio igitur praesens, ponitur tantum in sententia S. THOMAE circa materialitatem sensationis, iuxta quam "anima sensitiva *non habet ullam operationem propriam,* sed omnis operatio sensitiva animae est coniuncti [11], ut supra (216-218) explicatum est.

464. Sententiae. Haec quaestio non nisi inter auctores scholasticos controvertitur; vel potius inter aliquos tantum auctores praesertim neoscholasticos, et fere omnes auctores scholasticos, tum antiquos tum modernos.

Inter neoscholasticos aliqui quidem nec ignobiles auctores fuerunt qui, influxu plus minusve aperto doctrinae platonicae vel cartesianae in explicanda natura materiali sensationis quam admittunt, cognitiones sensitivas qua tales, et ab anima aliquomodo effici et in ea quoque recipi autumant. Quo posito necessitatem speciei impressae negant, cum iuxta ipsos anima praevie ad intellectionem phantasma cognoscens, iam similitudinem in se habet obiecti materialis in cognitionem intellectualem refundendam. Consequenter etiam intellectum agentem negandum esse asserunt, sic theoriam ideogenicam scholasticorum reicientes, in qua elaboranda tantopere maxima cuiusque scholae ingenia insudarunt, videlicet post ARISTOTELEM, et ALBERTUM MAGNUM qui elementa doctrinae aristotelicae collegit et praeparavit, S. THOMAS, SCOTUS et SUÁREZ, praeter innumeros alios cuiusque scholae doctores; qui, quamvis ad ulteriores quaestiones, in diversas explicationes abeant, omnes tamen conveniunt in admittenda specie intelligibili impressa et consequenter intellectum agentem, qui ut ipsius causa necessaria ab illis agnoscitur.

465. Inter eos qui *thesim negant,* ut illos omittamus qui absolute omnes species impressas negant etiam in vita sensitiva, quos inter nominales sunt recensendi, non pauci numerantur ex illis qui circa naturam materialem sensationis a sententia S. THOMAE plus minusve recesserunt, ut inter antiquos GUILELMUS PARISIENSIS, HENRICUS GANDAVENSIS, GREGORIUS ARIMINENSIS, DURANDUS; recentioribus vero temporibus, auctores magni nominis qui tamen ante Encyclicam *Aeterni Patris* promulgatam, scripserunt; ut BALMES [11], TONGIOR-

[11] Licet BALMES, consequenter ad suam interpretationem circa naturam sensationis, non sentiat necessitatem admittendi speciem impressam intelligibilem

GI[12] et PALMIERI[13], quibus deinde accessit MENDIVE[14], PÉREZ ARGOS[15] aliique auctores qui suas elucubrationes nondum in lucem ediderunt.

466. Non autem omnes rem eodem modo explicant. Praecipuas horum auctorum explicationes, ut difficultates contra thesim colligemus et solvemus.

Contra horum auctorum sententias, *probabilius* nobis dicendum esse censemus cum S. THOMA[16], quod "phantasmata non sufficiunt immutare intellectum", et quod ad hanc immutationem intellectus ex parte obiecti cognoscendi quae ab omnibus supponitur necessaria "non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis".

467. Probatio. Phantasma quod iuxta adversarios requiritur et sufficit ad determinandum et complendum intellectum, vel id praestat: A) *praesentia,* absque ullo influxu causali, seu ut *pura condicio,* qua posita intellectus vi sua nativa, conceptum de re materiali in phantasmate cognita eliceret; vel B) phantasma *non est pura condicio* sed *influit ut vera causa,* sive praevie *complens intellectum* in ratione virtutis ad similitudinem obiecti materialis intellectualiter cognoscendi cognitione exprimendam; sive *influens* immediate et directe *in ipsam cognitionem intellectualem,* ut concausa cum intellectu.

Iam vero utrumque impossibile esse sic probatur.

468. QUOAD A) SEU IN HYPOTHESI QUOD PHANTASMA SIT MERA CONDICIO.

a) Quia in hac hypothesi intellectus manet tam intrinsece impotens, *in ratione similitudinis refundendae in cognitionem,* ac sine phantasmate. Non enim phantasma virtutem intellectus effectivam similitudinis obiecti intellectualiter cognoscendi *compleret,* quae, ut admittitur, de se insufficiens est; nec quidem ipsam determinaret in genere *causae efficientis,* cum in hac hypothesi, phantasma esset pura condicio.

Nec dici potest intellectum compleri a phantasmate in ge-

---

eamque negare videatur in c.20 l.4 n.126-127 suae *Philosophiae fundamentalis,* vehementer tamen falleretur, qui inde inferret BALMESIUM nostrum parvi fecisse, vel sprevisse theoriam ideogenicam scholasticorum, ut fere omnes auctores qui suo tempore leviter et insipienter id facere audebant. Accurate enim et maxima claritate et amore theoriam scholasticorum exponit non in uno loco (*Filosofía elemental,* Historia, c.39 n.227-238; ed. CASANOVAS t.22 p.164-172; et *Filosofía fundamental,* l.4 c.7. El entendimiento agente de los escolásticos, ed. CASANOVAS, t.18 p.44-50), eamque ab impugnationibus sui temporis defendit (n.50 capitis citati).

[12] TONGIORGI, *Psychologia* (Ed. Goemaere, Bruxelis 1873) p.196 n.369.

[13] PALMIERI, *Anthropologia* (Romae, Delle Pace) th.25 p.4.ª p.469.

[14] MENDIVE, *Psychologia* (Ed. Cuesta, Vallisoleti 1887) p.304.

[15] PÉREZ ARGOS, *Psychologia speculativa humana,* p.149.

[16] S. TH., 1 q.84 a.6c.

nere *causae exemplaris;* quia causa exemplaris non causat nisi prius cognoscatur; et, quoad possibilitatem cognoscendi intellectualiter phantasma, eadem quaestio recurrit.

Ideo, quamvis concedatur quod mera praesentia phantasmatis sufficere possit ad *determinandum* intellectum ad cognoscendum, vi consensionis teleologicae diversarum facultatum, quae *sympathia* dicitur, si supponitur intellectus iam completus in ratione virtutis ope specierum praeadquisitarum; at ipsum determinare nequit ad cognitionem eliciendam ad quam, sine specie impressa intellectus in se virtutem completam non haberet [17].

b) Quod si praesentia phantasmatis intelligitur non simplex exsistentia phantasmatis in suo organo corporeo, quod aliqua pars cerebri est, sed eius praesentia in anima ipsa, ita ut phantasma sit cognitio aliquomodo ab anima immediate elicita. et consequenter, in anima aliquomodo recepta, propter eius immanentiam perfectam; hoc dici non posse constat si, ut supra dictum est, sensatio ac proinde phantasma est materiale, nam cum accidens sit, non nisi in subiecto materiali videlicet in corpore animato recipi potest.

c) Praeterea, si phantasma est mera condicio, et si in intellectionem non influit ut causa, non explicatur cur anima semper determinetur ad cognoscendum intellectualiter non nisi ab obiecto materiali a phantasmate cognito, et non a quocumque alio obiecto a phantasmate praesente alieno.

469. QUOAD B) SEU IN HYPOTHESI QUOD PHANTASMA INFLUAT ETIAM UT CAUSA.

a) *Generatim,* quia phantasma iuxta omnes est cognitio materialis et organica, ac proinde accidens aliquod materiale a cerebro vivo intrinsece dependens in fieri et in esse; nulla autem res materialis potest se sola immediate influere in intellectum et in animam spiritualem. "Quia, ut SUÁREZ scribit [18], phantasma cum sit quid materiale et in inferiore potentia exsistens, non potest esse sufficiens ad operationem spiritualem potentiae superioris".

b) Quia *specialim,* in nullo genere causalitatis potest phantasma influere per se solum in intellectum vel intellectio-

[17] Hanc rationem invocat S. THOMAS scribens, *De veritate,* q.10 a.6c: "Alii dixerunt... quod ipsa anima in *praesentia sensibilium in se similitudines sensibilium format.* Sed haec positio non videtur totaliter rationabilis. Nullum enim agens nisi secundum quod est actu agit; unde si anima format in se omnium rerum *similitudines, oportet quod ipsa in se habeat illas similitudines* rerum, et sic redibit in praedictam opinionem quae ponit omnem rerum scientiam animae naturaliter inditam esse."

[18] SUÁREZ, *De anima,* III c.1 n.9.

nem. "Non, ut verbis utamur ipsius SUÁREZ[19], ut *forma inhaerens* illi, quia est materiale; neque etiam ut *obiectum,* quia intellectus non cognoscit rem in phantasmate (intellige nisi media specie impressa); neque denique ut cooperans intellectui, quia cum sit materiale non potest cooperari ad actum spiritualem."

470. Obiectiones. 1. Cognitio intellectualis de obiecto materiali a phantasmate cognito, sufficienter explicatur, nulla mediante specie spirituali, per *meram sympathiam* seu consensionem teleologicam et vitalem facultatiis sensitivae cum facultate intellectiva. *Ergo* supervacaneum est species intelligibiles admittere.

Resp.: nego ant.; vel claritatis gratia, *dist.:* sufficit sympathia, si intellectus iam speciebus intellectualibus instructus supponitur, sive innatis, sive exercitio praevio adquisitis, *conc.; secus,* seu si agitur de cognitionibus intellectualibus primigeniis de obiecto materiali, *nego.* Ratio est quia virtus intellectus essentialiter incompleta est in ratione similitudinis obiecti in cognitionem intellectualem refundendae; nec aliter compleri potest nisi speciebus intelligibilibus spiritualibus; sive innatis quae non dantur; sive exercitio praevio adquisitis. Species requiruntur, *non praecise ad determinandum,* sed *ad complendum intellectum* in ratione virtutis.

471. 2. Idem est subiectum sentiens et intelligens. *Ergo* ex eo solo quod subiectum sentiat, adest iam in eo ratio sufficiens ad hoc ut intelligat. *Ergo* superfluae sunt species.

Resp. dist. ant.: idem est subiectum, id est suppositum sentiens et intelligens, *conc.;* eadem est *facultas suppositi* sentiens ac intelligens, *nego.* Contra *dist. cons.:* ex eo solo quod facultas aliqua sentiat, adest ratio sufficiens ut ipsa intelligat, si facultas intellectiva non distingueretur realiter a sensitiva, *conc.;* si vero distinguitur, ut ipse adversarius nobiscum admittit *nego.* Nam idem est subiectum videns et audiens in eodem supposito; et nihilominus, ex eo quod videat non sequitur quod etiam audiat. Ubi potentiae cognoscitivae sunt diversae, diversae requirunt species.

472. 3. Sicut se habet *voluntas ad bonum*, ita *intellectus ad verum* seu intelligibile. *Atqui* voluntas ex praevia propositione boni facta ab intellectione, nulla alia re mediante, appetitionem elicit. *Ergo* intellectus ex sola sensatione vel phantasmate, quin aliqua species requiratur, sibi sufficit ad intelligendum.

Resp.: dist. mai.: obiectum *voluntatis est bonum,* sicut obiectum *intellectus est verum* et intelligibile, *conc.;* voluntas et intellectus eodem modo in operando se habent circa proprium obiectum, *nego.* Disparitas est quia volitiones non consistunt in *expressione similitudinis* obiecti boni, sed in *impulsu* vel tendentia versus bonum praevie cognitum; cognitiones vero sunt expressiones intentionales similitudinis obiecti cogniti, quam intellectus in se non habet et non nisi ab obiecto media specie adquirere potest. Praeterea obiectum in volitionem eliciendam concurrit, *non in genere causae efficientis,* sed *finalis;* ad cognitionem autem obiectum cum potentia intellectiva in genere causae efficientis concurrit; et cum obiectum materiale per

[19] SUÁREZ, *De anima,* l.c.

semetipsum concurrere nequeat ad efficiendam similitudinem intentionalem cognitionis intellectivae, ad ipsam concurrit ope speciei intellectualis quae ipsius vices gerit.

473. 4. Quamvis phantasma non sit in anima sed tantum in corpore animato tamquam in subiecto, nulla est necessitas admittendi species intellectuales; potest enim phantasma materiale influere simul cum intellectu spirituali in cognitionem intellectualem vices gerens obiecti materialis cognoscendi.

Resp.: nego assertum, ratione immanentiae perfectae cognitionis saltem intellectualis. Tunc enim intellectio, quae utpote spiritualis tantum recipi potest in intellectu vel anima, non esset perfecte immanens ipsis principiis a quibus efficitur, siquidem efficeretur etiam a phantasmate vel a facultate materiali in quo phantasma est, et impossibile est quod intellectio in facultate materiali recipiatur.

5. Species impressae spirituales non sunt admittendae, quia nulla assignari potest causa quae illas valeat producere.

Resp.: quamvis productio specierum *de facto* non explicaretur, non inde sequitur quod ipsarum productio explicari *nequeat.* Sed falsum est productionem specierum intellectualium non satisfactorie explicari, ut in articulo sequenti iam probandum venit [20].

ARTICULUS IV

Causa adaequata speciei impressae intelligibilis

Thesis 26. Causa efficiens adaequata speciei intelligibilis impressae 1) est virtus quaedam spiritualis animae, intellectus agens nuncupata, ut causa principalis, et phantasma cum illo concurrens aliquo genere causalitatis ut causa secundaria; 2) concurrit autem phantasma etiam ut causa efficiens et instrumentalis, ab intellectu agente aliquomodo elevatum.

474. Notiones. Causa efficiens illa est a qua proprie oritur actio sive effectio.

Multifariam dividitur; ad rem autem praesentem quod attinet, dividi potest in causam efficientem *physicam* et *moralem.* Agitur hic de causa efficiente physica quae virtute propria realiter et independenter ab aestimatione hominum, exequitur effectum.

Causa efficiens potest esse *adaequata* seu *totalis,* vel *inadaequata* seu *partialis,* prout possit influere quantum sufficit ut effectus exsisteat; vel alterius causae consortio ad id requirat.

Dividitur quoque in causam principalem seu primariam et instrumentalem, quae respectu principalis, *secundaria* est.

[20] Alia argumenta pro thesi et plures alias obiectiones solutas vide sis in *Cursu.*

Causa principalis est quae immediate producit effectum sibi aequalem, aut inferiorem, ita ut non indigeat speciali iuvamine *superioris agentis.*

Instrumentalis vero et *secundaria* erit causa quae producit effectum se nobiliorem, sive altioris ordinis [21] et consequenter ad causandum iuvamine indiget causae principalis.

Ratione huius iuvaminis, causa instrumentalis dicitur ELEVARI ad effectum suum producendum; quia scilicet eo evehitur quo ex propriis meritis non assurgit. Elevari autem potest a causa principali *intrinsece* vel *extrinsece,* prout ratione huius iuvaminis intrinsece immutetur et aliquid in se excipiat, vel secus.

475. SPECIES IMPRESSA intelligibilis illa qualitas activa est quae ab obiecto cognoscendo aliquomodo proveniens et ipsius vices gerens, potentiam intellectualiter cognoscitivam complet in ratione virtutis ad similitudinem obiecti cognoscendi in cognitionem refundendam.

Eius realitas vindicata manet in thesi praecedente. Est proinde, *accidens* aliquod *physicum,* non mere *logicum;* et insuper *spirituale,* quia recipitur in intellectu spirituali.

Producitur, non creatione, sed *eductione* ex ipso intellectu, omne enim accidens eductione producitur ex subiecto in quo recipitur.

Est praeterea hoc accidens *similitudo quaedam saltem virtualis,* obiecti ad cuius cognitionem ordinatur (460).

476. Nomine INTELLECTUS AGENTIS venit virtus quaedam spiritualis animae *non cognoscitiva* sed pure activa specierum impressarum intellectualium.

Dicitur *intellectus* non quia eius activitas consistat in intellectione aliqua, sed quia eius activitate res in phantasmate sensibiliter cognita, proxime intelligibilis redditur.

Dicitur *agens,* et quidem *pure agens,* quia proprium illius est tantum speciem intelligibilem producere in intellectu propriissime dicto, cuius solummodo est, specie impressa ab intellectu agente producta fecundati, cognitionem formalem elicere.

Eiusmodi intellectus formaliter et proprie cognoscitivus, ut ab intellectu agente distinguatur, apud S. THOMAM et generatim apud omnes scholasticos, *intellectus possibilis* dicitur; atque usus invaluit apud ipsos ut etiam *intellectus passibilis* diceretur, indiscriminatim adhibitis eiusmodi denominationibus.

"Possibilis dicitur, scribit LOSSADA [22], eo quod ex se sit possibiliter omnia, seu potens in omnia transformari quodammodo, recipiendo scilicet rerum omnium similitudines intentionales, tum virtuales, tum formales aut expressas; nominatur quoque *passibilis* aut *passivus,*

---

[21] Cf. SUÁREZ, DM d.17 s.2 n.17.
[22] LOSSADA, *Cursus philosophicus,* o.c., t.2 9 p.56 n.90:

quia licet sit activus cognitionum, prius tamen quam agat debet pati vel recipere speciem, ac deinde cognitionem ipsam non solum agit sed patitur".

PHANTASMATIS nomine venit hic cognitio sensitiva ultimata et praeparata in suo ordine, qua obiectum materiale cognoscitur, ut supra dictum est (459).

477. Status quaestionis. *Supponitur* admissa iam, iuxta thesim 25 (459-469) *realitas speciei* impressae intellectualis, ipsiusque necessitas ad constituendum intellectum possibilem in actu primo proximo ad intelligendum.

Supponimus etiam speciem intelligibilem impressam esse *entitatem aliquam physicam,* quae licet intentionalis dicitur quia ad actus formaliter cognoscitivos et intentionales ordinatur, est tamen in se *aliqua realitas physica accidentalis* quae producitur, non per creationem ex nihilo, sed *per eductionem ex praesupposito subiecto,* quod est ipse intellectus possibilis vel anima spiritualis quatenus intellectu praedita.

Item *prae oculis habendum* est, speciem impressam in sua entitate *simplicissimam esse et spiritualem* seu intrinsece a materia independentem, quia est accidens in subiecto spirituali exsistens, eamque esse etiam aliquid *secum identificans similitudinem* saltem virtualem obiecti materialis, ad cuius cognitionem intellectualem requiritur.

His igitur suppositis, QUAESTIO PRAESENS EST, quaenam sit causa efficiens non partialis, sed *totalis* seu adaequata eiusmodi accidentis sive qualitatis quae species impressa spiritualis dicitur.

478. Sententiae. Thesis, ut patet, duplici constat assertione. In PRIMA asseritur *exsistentia intellectus agentis,* non quomodolibet, sed ut virtus spiritualis ipsius animae, qua tamquam a causa principali species spirituales impressae vere efficiuntur, non tamen sine concursu causali phantasmatis *in aliquo genere causalitatis,* quod nondum determinatur.

Haec assertio sic intellecta nullos habet adversarios inter scholasticos auctores qui species impressas intellectuales admittunt.

479. *Ab* ALTERA *theseos parte,* in qua indoles concursus phantasmatis magis determinatur, *dissentiunt* aliqui et quidem non ignobiles auctores scholastici, tum antiqui tum moderni, qui tenent phantasma quidem concurrere non ut meram condicionem, sed ut causam influentem aliquo genere causali-

tatis, et *ab intellectu agente aliquomodo ad hoc elevari;* sed negant *causalitatem efficientem* phantasmatis in speciem et consequenter non admittunt phantasma se habere ut causam efficientem instrumentalem.

Auctores qui influxum effectivum et instrumentalem phantasmatis negant, diversimode explicare nituntur influxum causalem phantasmatis in speciem impressam intellectualem, speciali quodam modo causalitatis, quam non simpliciter *materialem,* vel *exemplarem* audent appellare, sed tantum *quasi materialem* vel *quasi exemplarem.*

Iuxta SUÁREZ[23]: "Dicitur ergo phantasma materialiter concurrere, eo quod *praebet veluti materiam* intellectui agenti ad efficiendam speciem intelligibilem".

Et infra: "arbitror intellectum possibilem de se nudum esse speciebus; inesse tamen animae rationali vim spiritualem ad efficiendas in intellectu possibili species earum rerum quas per sensum cognoscit, ipsa sensibili cognitione *minime concurrente efficienter* ad eam actionem, sed habente se *instar materiae,* aut *excitantis animam,* aut vero ad *instar exemplaris*".

Sic SUÁREZ, pro se allegans verba S. THOMAE[24]: "Non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo *materia* causae".

Hanc sententiam, quam SUÁREZ iuvenis in tractatu *De anima* proposuit senior factus, in *Metaphysicis disputationibus*[25] reliquisse videtur, siquidem concursus efficientis phantasmatis meminit quin ipsum improbet. Nihilominus haec sententia non paucis auctoribus arridet, forte propter eius apparentem facilitatem, quos inter recensendi sunt, inter antiquos, SYLVESTER MAURUS et inter modernos LAHOUSSE, VAN DER AA, GUTBERLET et maxime BOEDER.

480. Sententia vero in *altera parte theseos affirmata,* seu defendens *concursum effectivum et instrumentalem* phantasmatis in productione speciei impressae intelligibilis, *communissima est inter scholasticos,* tum antiquos tum modernos, quos inter eminent LIBERATORE, SCHIFFINI, URRÁBURU, PESCH, SIWEK, MERCIER.

Dissertis verbis a S. THOMA[26] approbatur, scribente: "In receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatibus, se habet phantasma ut *agens instrumentale et secundarium;* et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum condicionem utriusque et non secundum condicionem unius tantum; et ideo intellectus possibilis recipit formas *ut intelligibiles* actu ex virtute intellectus agentis; sed *ut similitudines* determinatarum rerum, ex cognitione phantasmatum; et sic formae intelligibiles in actu non sunt per se exsistentes neque in phantasia neque in intellectu agente, sed solum in intellectu possibili".

---

[23] SUÁREZ, *De anima,* l.4 c.2 n.10-12.
[24] S. TH., 1 q.89 a.6c.
[25] SUÁREZ, DM d.21 s.3 n.7.
[26] S. TH., *De veritate,* q.10 a.6 ad 7.

481. Quod autem S. THOMAS, ut in textu antea pro sententia contraria adducto, et in aliis qui fortasse adduci possint, dicat phantasma esse, "magis quodammodo materiam causae" speciei, non obstat causalitati effectivae et instrumentali tam clare assertae; quia cum species abstrahantur ex phantasmate, hoc, dum in illarum productionem active concurrit, ipso hoc concursu, speciei impressae affert id quod *obiectum* erit seu *materia* cognitionis subsequentis, scilicet similitudinem rei cognoscendae.

Auctores tamen qui tenent concursum effectivum et instrumentalem phantasmatis, ac proinde phantasma, virtute intellectus agentis, tamquam a causa principali, ad producendam speciem impressam aliquomodo *elevari,* non inter se conveniunt in natura eiusmodi elevationis explicanda. Modo igitur aliquomodo explicetur eiusmodi elevatio, stat secunda pars theseos. Attamen ad difficultates occurrentes contra thesim solvendas, hypothesim elevationis cuiusdam *merae extrinsecae* eligemus, in qua nobis videtur causalitatem effectivam et instrumentalem phantasmatis expeditius explicari. Quod si aliquis contenderet hanc causalitatem per *elevationem aliquam intrinsecam* melius explicari, ad thesim praesentem tuendam non opus esset ipsi contradicere.

482. Probatio. PARS 1.ª CAUSA ADAEQUATA SPECIEI IMPRESSAE EST INTELLECTUS AGENS UT CAUSA EFFICIENS PRINCIPALIS, SIMUL CUM PHANTASMATE ALIQUOMODO CAUSALITER CONCURRENTE UT CAUSA SECUNDARIA.

Causa efficiens adaequata alicuius effectus, sive unica sit, sive ex pluribus simul agentibus coalescat, praedita sit oportet virtute, quae *non modo requiratur,* sed etiam *sufficiat* ad effectum producendum cuius causa adaequata dicitur. Patet hoc; est enim ipsa notio generalis causae efficientis in principio causalitatis fundata.

Atqui admissa realitate *intellectus agentis* et *phantasmatis* simul aliquomodo concurrentis, causa assignatur quae non modo *requiritur* sed etiam *sufficit* ad speciem intelligibilem impressam producendam.

Ergo causa efficiens adaequata speciei impressae est intellectus agens phantasmate etiam aliquomodo concurrente.

Consequentia patet. *Minor* probatur.

Nam species impressa intelligibilis, ut supra (475) diximus, est entitas aliqua realis et physica, quae, in sua simplicitate, est simul: a) *spiritualis* et b) *similitudo* saltem virtualis obiecti cognoscendi. Quapropter, quatenus a) *spiritualis* est, requirit ut efficiatur ab intellectu agente, qui spiritualis est et ad productionem speciei concurrit *titulo spiritualitatis;* quatenus vero b) *similitudo* est, hanc similitudinem obiecti non nisi a phantasmate accipere potest, in quo tantum materialiter exprimitur similitudo obiecti intellectualiter cognoscendi. Phan-

tasma proinde ad productionem speciei concurrit *titulo similitudinis.*

Utrumque ergo *necessarium* est, et *sufficit,* ad speciem intelligibilem producendam.

Quoad denominationes causae *principalis* et *secundariae,* intellectus agens causa principalis dicitur, quia et ordinis superioris est videlicet spiritualis, et titulo spiritualitatis concurrit. Phantasma consequenter *causa secundaria* appellatur, non eo quod sit minus necessaria, sed quia ordinis inferioris est, scilicet materialis, nec nisi similitudinem materialem obiecti praebet, ope intellectus agentis, in spiritualem convertendam.

483. PARS. 2.ª PHANTASMA CONCURRIT EFFICIENTER ET INSTRUMENTALITER AB INTELLECTU AGENTE ELEVATUM.

Quod non quomodolibet sed *etiam efficienter* phantasma concurrat ad speciem impressam producendam, constat ex signis causalitatis efficientis quae communiter admitti solent, et in phantasmate dantur respectu speciei impressae.

Haec signa duo praecipue sunt: scilicet *a)* quod effectus *similitudinem* prae se ferat rei quae est eius causa efficiens; et *b)* quod perfectio effectus *proportionem* servet cum perfectione rei quae sit eius causa.

Atqui utrumque ex experientia asserendum est de specie impressa intelligibili respectu phantasmatis.

Ergo phantasma concurrit ut causa efficiens ad productionem speciei.

Maior probatur. Quoad a) quia effectus utpote virtualiter contentus in causa, non potest non eiusdem similitudinem prae se ferre. *Quoad* b) quia cum effectus totam suam perfectionem accipiat a causa, pronum est ut quanto perfectior causa sit, tanto perfectior sit effectus.

Minor, quoad a) quia species impressa quatenus similitudo est, non potest ab intellectu agente procedere, sed tantum a phantasmate in quo tantum est similitudo intentionalis obiecti cognoscendi.

Quoad b) quia cognitiones intellectuales de rebus materialibus, ac proinde species impressae quibus huiusmodi cognitiones producuntur, tanto perfectiores sunt quanto perfectiora sunt phantasmata, ut experientia docet.

Quod autem phantasma concurrat tamquam *instrumentum elevatum* ab intellectu agente, patet *ex notione instrumenti* supra tradita (474), quae evidenter phantasmati convenit, sive haec elevatio sit intrinseca ut in instrumento materiali, sive tantum extrinseca.

484. Obiectiones. 1. *Ex spiritualitate speciei impressae.* Nulla res omnino materialis efficienter producere potest rem aliquam undequaque spiritualem. *Atqui* phantasma est res omnino materialis et species impressa intelligibilis est res undequaque spiritualis. *Ergo* phantasma nequit efficienter producere speciem intelligibilem impressam.

Resp.: dist. mai.: nulla res omnino materialis efficienter producere potest rem aliquam undequaque spiritualem, *ut causa adaequata* seu totalis, *conc.; ut causa inadaequata* seu partialis, *subdist.:* nisi ab alia causa partiali et spirituali, scilicet in casu ab intellectu agente elevetur, *conc.;* si ab alia causa partiali, scilicet, ab intellectu agente elevetur, *nego.*

INST.: *Phantasma nequit elevari ab intellectu agente* ad producendam speciem intelligibilem impressam quae est undequaque spiritualis.

Nam phantasma in hac supposita elevatione, vel *aliquid in se excipit* quo in se immutetur; vel *nihil* accipit nec in se immutatur.

Si primum dicitur, id quod accipit et quo transmutaretur vel esset *aliquid spirituale,* quod impossibile est quia spirituale accidens nequit recipi in subiecto materiali; vel esset *aliquid materiale,* et tunc phantasma manet adeo inhabile ac antea.

Si vero alterum dicitur, seu si phantasma *nihil accipit,* a fortiori manet etiam materiale, et stat difficultas.

Resp.: nego assertum. Ad probationem, *conc. dilemma;* et eligo alterum membrum. Phantasma in elevatione *nihil accipit,* seu *non intrinsece* sed *tantum extrinsece* elevatur, elevatione consistente in eo quod *una simul,* ex intentione naturae, cum intellectu agente speciem impressam intelligibilem faciat.

485. 2. *Ex simplicitate speciei impressae.* Species intelligibilis impressa est accidens, non modo spirituale, sed etiam simplex ita ut non dentur in illo duae quasi partes realiter distinctae, quarum alia in spiritualitate et alia in similitudine consistat, sed una eademque entitas simplicissima est simul spiritualis et similitudo obiecti cognoscendi. *Ergo* nequit dici quod spiritualitas efficiatur ab intellectu agente et similitudo a phantasmate; sed principium quod unum ex his efficit, alterum quoque efficiat necesse est. *Atqui* iuxta omnes intellectus agens est causa efficiens spiritualitatis speciei impressae. *Ergo* etiam est causa similitudinis spiritualis in qua species consistit, ac proinde est causa totius speciei impressae. *Atqui* si ita est, nihil iam manet efficiendum a phantasmate. *Ergo* intellectus agens est causa non principalis, sed totalis speciei intellectualis impressae.

Resp.: conc. antecedens, et *dist.* primum *consequens:* ergo nequit dici quod spiritualitas efficiatur tantum ab intellectu agente, et similitudo tantum a phantasmate, *conc.;* non enim id dicimus. Nequit dici quod species intelligibilis impressa, tota quanta est, efficiatur, tum ab intellectu agente, tum etiam a phantasmate, ita tamen ut intellectus agens ad eam faciendam *concurrat titulo spiritualitatis;* phantasma vero, *titulo similitudinis, nego.*

Ad subsequens enthimema, *dist. ant.:* intellectus agens iuxta omnes est *causa saltem partialis* et principalis, efficiens speciem impressam, simul cum phantasmate ut causa instrumentali, *conc.;* est *causa unica* et adaequata efficiens spiritualitatem speciei impressae, quae non distinguitur realiter a similitudine, *nego.*

Consequentiam quae subiungitur admitto, et *min.* subsumptam *dist.:* nihil maneret efficiendum a phantasmate, si intellectus agens esset causa totalis speciei, *conc.;* si esset tantum causa partialis, *nego.*

Consequens etiam *dist.:* intellectus agens est causa totalis speciei intelligibilis impressae, *totalitate effectus, conc.; totalitate causae, nego.*

Totus effectus, videlicet, tota species intelligibilis impressa, quae quidem simplex et spiritualis est fit ab intellectu agente concurrente phantasmate; et tota fit etiam a phantasmate, ab intellectu agente elevato et simul cum illo operante; sed inde non sequitur quod species impressa fiat tantum ab intellectu agente, vel tantum a phantasmate.

486. 3. *Ex causalitate causae efficientis.* Causalitas causae efficientis est actio. Si igitur duae admittuntur causae efficientes, duplex admittenda est actio: *alia spiritualis* quae sit actio intellectus agentis; et *alia materialis* quae sit actio phantasmatis. *Atqui* hoc dici nequit. *Ergo* duae causae efficientes partiales speciei intelligibilis impressae non sunt admittendae.

Resp.: conc. mai.; sed *nego* illationem. *Sufficit enim una sola actio* ad ultimo determinandam utriusque causae indifferentiam.

Minorem conc.; et rationes quae allegantur contra duplicem actionem transmitto. Nam "actio instrumenti, in quantum est instrumentum non est alia ab actione principalis agentis", iuxta S. THOMAM [27].

INST.: Actio unica quae admittitur, vel esset materialis, vel spiritualis. *Atqui* neutrum dici potest. *Ergo* non est actio unica.

Min. prob. Nam, si est materialis, non potest esse ultima et formalis determinatio intellectus agentis ut ab eo species efficiatur; et si est *spiritualis,* non potest esse ultima et formalis determinatio phantasmatis.

Resp.: conc. mai. et *nego min.* Ad probationem, *conc.* primam partem, et *nego* secundam. Actio determinans intellectum agentem, et phantasma ad efficiendam speciem intelligibilem impressam, unica *quidem est et spiritualis;* quia omnis actio recipitur non in causa sed in effectu, ac proinde in specie intelligibili impressa quae est in intellectu possibili, non in phantasmate nec in intellectu agente.

487. 4. *Ex elevatione extrinseca phantasmatis ab intellectu agente.*

Si phantasma ab intellectu agente, *tantum extrinsece* elevatur, intelligi nequit mira consensio quae datur inter operationem phantasmatis et operationem intellectus agentis ad efficiendam simul speciem intelligibilem impressam.

Resp.: Haec consensio mutua phantasmatis et intellectus agentis ad efficiendam simul, et unica actione, speciem intelligibilem impressam, sufficienter explicatur ex consensione teleologica et vitali distinctarum facultatum entis viventis, quae uno verbo *sympathia* dici consuevit. Haec consensio vel sympathia inter operationes distinctarum facultatum, quae cavendum est ne ut totidem supposita concipiantur, oritur *ex radicatione omnium facultatum in una eademque anima,* et *ex ordinatione teleologica activitatum distinctarum facultatum* ad fines vitae individualis seu suppositi; nec aliud aenigma involvit quam ipsum vitae aenigma. Hac consensione et subordinatione

[27] S. TH., 3 q.19 a.1 ad 2; cf. ibid., q.62 a.1, et a.4 ad 3.

spontanea et vitali, explicabamus in thesi 18 (312-323) operationes instinctivas vitae animalis et sensitivae; et nulla adest ratio ad eam negandam quoad operationes rationales, quae quidem non mechanice fiunt, nec minus vitales sunt quam operationes vitae vegetativae et pure sensitivae, sed in ipsa ratione vitalitatis multo perfectiores, tum quoad *immanentiam* tum quoad *finalitatem.*

CAPUT V

De realitate, natura et diversitate tendentiarum rationalium

ARISTOTELES, *De anima,* II c.3, et III c.10; *Ethic. ad Nichomachum,* III c.1-7; S. TH., 1 q.80 a.1; 1-2 q.8 a.1; q.11 a.1 q.13 proom. q.14 a.1 q.15 a.1.2 et 3; q.16 a.1 et 4; SUÁREZ. *De anima,* V c.1.2 et 7; IDEM. *De voluntario;* URRÁBURU, *Psychologia,* III p.104.210; PESCH, *Psychologia,* p.208-216 n.908-912 et p.225-321 n.919-1014; SERTILLANGES, *S. Thomas d'Aquin* (1910) p.206-210; MAHER, *Psychology* (1915) p,378-393; BOEDER, *Psychologia rationalis* (1899) p.250-255 n.368-373; FRÖBES, *Psychologia speculativa* (1923) II p.126-166; IDEM, *Psicología empirica y experimental* (1944) II p.448-485; MEUMANN, *Intelligenz und Wille* (1908); ACH, *Uber die Willenstätikeit* (1905); LINDWORSKI, *Der Wille, seine Erscheignung und seine Beherrschung* (1919); GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicologia* (1952) p.282-295; BLONDEL, CH., *Les volitions,* apud DUMAS, *Nouveau traité,* VI; PRADINES, *Psychologie générale* (1948) II p.342-390; BAUDIN, *Psychologie* (1923) p.568-585; BRENNAN. *Psicologia general* (1952) p.375-379; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.320-344 n.225-243; MORAN, *Psychologia* (1949) II p.109-139 n.503-544; WILWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.100-110 n.160-180; IDEM, *Alma y espíritu* (1953) p.143-151; MARC, *Psychologie réflexive* (1948) II p.9-70.

488. Nexus cum praecedentibus et capitis divisio. Hactenus de *cognitione rationali,* non quidem omnia, sed quae fundamentalia sunt consideravimus. Nunc de altera operatione intentionali vitae rationalis agendum venit, quae generatim *tendentia rationalis* dici potest et nomine *volitionis* speciatim donatur. Praesupposita igitur doctrina tradita iam (244-249) circa tendentiam *in genere* et speciatim circa tendentias *vitae sensitivae* (250-266), ad *tendentias rationales* quod attinet, illa quoque triplex quaestio generalis solvenda est: *an,* videlicet, tendentia rationalis *sit, quid* sit et *quotuplex* sit.

ARTICULUS I

REALITAS VOLITIONIS HUMANAE

Thesis 27. Praeter appetitiones sensitivas, dantur in homine volitiones ab omni alia activitate vitali specifice distinctae et ad quamcumque aliam activitatem humanam irreductibiles.

489. Notiones. APPETITIONES SENSITIVAE sunt tendentiae psychicae seu elicitae in actu secundo, id est in suo exerci-

tio consideratae et ad *ordinem vitae sensitivae* spectantes. Huiusmodi appetitiones in ipso ordine activitatis psychicae animalis producuntur, et apprehensionem sensitivam obiecti appetendi consequuntur.

VOLITIONES sunt appetitiones psychicae etiam in actu secundo seu in suo exercitio consideratae, sed ad *ordinem vitae rationalis* spectantes. Huiusmodi appetitiones, si dantur, in ipso ordine *vitae psychicae rationalis* producuntur, et apprehensionem intellectualem obiecti appetendi consequuntur.

SPECIFICE DISTINGUI ab aliis quibuscumque activitatibus, idem est ac volitiones esse natura vel essentia sua diversas ab aliis activitatibus vitalibus. Quod quidem nobis ex experientia constat, si proprietates volitionum tales sunt ut neque ex modificationibus quibuscumque accidentalibus aliarum operationum vitalium obtineri possint; neque analysi volitionis, haec in alias quascumque activitates vitales resolvi possit.

490. Status quaestionis. Volitiones humanas, semper *praesupponere* exercitium plurium aliarum activitatum vitalium, non modo vitae sensitivae, sed etiam vegetativae, quemadmodum omne exercitium vitae rationalis praesupponit etiam exercitium vitae sensitivae et vegetativae, extra dubium est.

Quod non raro, licet non semper nec multo minus, volitionibus humanis eadem obiecta realia appetantur vel respuantur, quae ab appetitionibus sensitivis appetuntur vel respuuntur, factum est etiam evidens.

Nihilominus, omnes homines, etiam rudes, distinguunt inter appetitiones vitae sensitivae et appetitiones vitae rationalis seu volitiones; id enim patet experientiae ascientificae uniuscuiusque quae in sermone humano se prodit. In lexicis enim omnium idiomatum voces inveniuntur quae volitiones proprie et stricte tales significant, quibus distinguitur voluntatis actus ab appetitionibus vitae sensitivae, et a quibuscumque aliis activitatibus vitalibus humanis.

QUAESTIO IGITUR PRAESENS est utrum eiusmodi distinctio etiam scientifice admittenda sit, ita ut natura volitionum sit diversa a natura appetitionum sensitivarum vel quarumcumque aliarum activitatum hominis, ita ut volitio ad nullam ex illis reductibilis sit.

491. Sententiae. *Thesi adversantur,* realitatem volitionis humanae negantes vel ignorantes, non pauci psychologi moderni, praesertim experimentales.

Hi, licet de volitionibus, ut omnes homines impulsu naturae loquantur, eas vel non distinguunt ab appetitionibus sensitivis, ut om-

nes qui *sensismum* profitentur, de quibus in thesi 19 (329-346) egimus: vel identificant cum sentimento vel emotione de quibus supra (282-304) disseruimus; vel cum motu et activitate quam immediate a cognitione determinari existimant, contra doctrinam traditam in thesi 16 (272-281). Hi omnes adversantur thesi *quatenus non agnoscunt volitionem esse activitatem specificam hominis* ad quascumque alias activitates irreductibilem.

Thesim affirmant omnes omnino philosophi scholastici, cum ARISTOTELE, et philosophi omnes christiani. Insuper etiam aliqui psychologi experimentales magni nominis, ut MEUMANN, SPEARMAN et STERN; atque etiam omnes alii, quorum ratio obscura loquendi, prodit tamen eos de facto admittere realitatem volitionis, ut LOTZE et JAMES, qui agnoscunt quoddam "fiat" proprium et specificum volitionis; vel ut MAINE DE BIRAN, STOUT, PFANDER et HÖFFLER, qui eam agnoscunt sub nomine causalitatis ipsius "ego".

Thesis *omnino certa est* et fundamentum necessarium ad liberum arbitrium demonstrandum in capite sequenti.

492. Probatur. 1.°, EXPERIENTIA. Volitio hominis est activitas quaedam vitae psychicae irreductibilis tum A) ad *tendentias* sensitivas; tum B) ad *sentimentum;* tum maxime C) ad *cognitiones* quascumque. *Ergo* realitas volitionis est admittenda.

Consequentia patet; quia volitionem, saltem nomine tenus omnes admittunt, et eius *specificitas* negatur tantummodo quia existimatur ad aliquam ex his tribus activitatibus esse reductibilem.

Antecedens probatur per partes.

493. A) VOLITIO EST IRREDUCTIBILIS AD TENDENTIAM SENSITIVAM. Evidenti experientia constat volitiones esse a) *diversas* ab appetitionibus sensitivis; et *b)* interdum etiam *oppositas.*

Quoad *a),* quia experimur nos, appetitione psychica seu elicita, velle, exoptare, desiderare, res quae cognitione sensitiva apprehendi non possunt, ut sunt exempli causa honor, virtus, iustitia, et generatim omnia quae homo appetit, et bruta animalia solo appetitu sensitivo praedita, apprehendere et appetere nequeunt. Eiusmodi appetitiones evidenter *diversae* sunt ab appetitionibus sensitivis; habent quippe obiectum formale specifice diversum, et tendentiae specificantur ab obiectis formalibus.

Quoad *b),* quia experimur quoque interdum *pugnam* et *oppositionem* inter tendentias certe sensitivas et alias ipsis

oppositas versus obiecta quae sensibilia non sunt. Sic fieri potest ut appetitu sensitivo feramur versus obiectum aliquod delectabile, quod tamen respuimus et efficaciter nolumus, eo quod forte sit inhonestum vel indecorum vel moraliter malum. Tendentiae autem inter se simul oppositae non possunt non esse inter se irreductibiles.

494. B) VOLITIO EST QUOQUE IRREDUCTIBILIS AD SENTIMENTUM. Patet hoc ex ipsa natura et definitione sentimenti. Sentimentum, ut supra dictum est (287-288), non est formaliter seu ex semetipso intentionale; sed est modus tantum operationum intentionalium cognitionis et tendentiae, ut supra in thesi 17 (290-304) demonstratum est.

Praeterea volitio a sentimento, saepe saltem, *realiter separatur. Ergo* nequeunt identificari. Volitio enim etiam vehemens potest dari cum tenui vel nullo sentimento; et e contra vehemens sentimentum afficere nos potest, omni volitione deficiente. Sentimentum enim dari potest cum sola cognitione, sine tendentia.

495. C) VOLITIO EST IRREDUCTIBILIS AD COGNITIONEM. Constat hoc etiam ex ipsa collatione naturae cognitionis cum natura tendentiae prout eiusmodi activitates psychicae se praebent nostrae experientiae internae, ut patet in descriptione phaenomenologica harum activitatum (187-192).

496. 2.° A PRIORI, SEU EX IPSA NATURA GENERALI TENDENTIAE. Ut supra dictum est (246), nullum ens naturale est quod tendentiam aliquam non habeat, et uniuscumque entis tendentiae, naturae ipsis respondent, quae non a materia sed a forma dependet. "Quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio", ait SANCTUS THOMAS[1]. Ideo dicendum est cum SUÁREZ[2], quod "ad omnem formam consequitur appetitus illi proportionatus; ad formam scilicet naturalem, appetitus naturalis; ad formam apprehensam, appetitus vitalis; ad sensitivam, sensitivus; ad intellectivam, rationalis seu intellectualis". Manca igitur esset et imperfecta natura rationalis hominis, si appetitionibus naturalibus seu volitionibus destitueretur.

Praeterea cum appetitio psychica omnis *enascatur e sinu ipso cognitionis obiectum repraesentantis,* pronum est ut, sicut ex cognitione sensitiva efflorescunt appetitiones sensitivae, ita etiam ex cognitione intellectiva quae irreductibilis est ad sensitivam, enascantur etiam tendentiae psychicae seu volitiones ad tendentias sensitivas irreductibiles.

497. Obiectiones. 1. Operationes psychicae non diversificantur per obiecta accidentaliter tantum diversa. *Atqui* accidentale est obiecto appetibili quod sit apprehensum per sensum vel per intellectum.

[1] S. TH., 1 q.80 a.1c.
[2] SUÁREZ, DM d.50 s.16 n.2.

Ergo appetitiones sensitivae et intellectivae seu volitiones non sunt specie diversae seu irreductibiles.

Resp. ad mentem SANCTI THOMAE[3], haec sibi obiicientis: *conc. mai.* et *nego min.*

Nam "appetibili non accidit esse apprehensum per sensum vel per intellectum, sed per se ei convenit: nam appetibile non movet appetitum, nisi quantum est apprehensum; unde differentiae apprehensi sunt per se differentiae appetibilis".

498. 2. Cognitio intellectiva distinguitur a sensitiva, quia illa est universalium, haec autem singularium. *Atqui* haec distinctio non habet locum ad appetitiones quod attinet. *Ergo* appetitiones sensitivae non specie distinguuntur ab intellectivis, seu volitionibus. *Minor* probatur, quia "cum appetitus sit motus ab anima ad res, quae sunt singulares, omnes appetitus videntur esse rei singularis".

Resp.: conc. mai., et *nego min.* Ad probationem minoris *dist. assertum:* "cum appetitus sit motus animae ad res, quae sunt singulares, omnis appetitus videntur esse rei singularis", ita tamen ut volitio feratur in eas secundum aliquam rationem universalem, *conc.;* secus, *nego.*

Volitio enim appetit aliquid quia cognitio intellectualis a qua procedit, apprehendit illud esse bonum. Sed praeterea volitione appetuntur multa obiecta immaterialia quae a sensu apprehendi nequeunt ut scientia, virtus et alia huiusmodi.

499. 3. Vis hominis locomotiva materialis est et organica, et in actum redigitur, sive mera cognitione sensitiva praevia, sive etiam appetitione mere sensitiva interveniente. *Ergo* saltem ad rationem reddendam motuum localium hominis non requiritur volitio aliqua sed sufficit appetitio sensitiva. *Ergo* saltem volitio non requiritur ad motus locales hominis.

Resp.: dist. antecedens: vis hominis locomotiva est organica et in actum redigitur, sive mera cognitione sensitiva, sive etiam appetitione mere sensitiva, *aliquando,* videlicet in motibus spontaneis et instinctivis, *conc.; omnes* motus locales hominis explicari possunt mera vi locomotiva organica et instinctiva, *nego.*

Innumeri enim sunt motus locales hominis qui mera vi locomotiva et appetitione sensitiva explicari nequeunt, nisi admittatur appetitio intellectiva seu volitio, qua illi motus imperentur vel promoveantur, sive mediis imaginibus sive mediante appetitione sensitiva.

Obiectio ut summum probaret motum localem membrorum corporis non posse immediate promoveri a volitione; non autem inde sequitur quod volitio, mediante psychismo sensitivo non valeat motus locales promovere.

Ceterum, praeter volitiones motus locales medio appetitu sensitivo imperantes, multae aliae volitiones dantur circa innumera obiecta immaterialia, quibus nullus motus localis imperatur.

---

[3] S. TH., q.80 a.2 ad 1.

ARTICULUS II

DE NATURA VOLUNTATIS

500. Nexus et ordo. Statuta iam, in articulo praecedenti, realitate volitionis humanae, quaenam eius natura sit in hoc articulo investigare intendimus, quod quidem nihil aliud est quam causas vel principia quibus volitio fiat sciscitari (123).

Et quoniam volitio est operatio psychica ordinis non sensitivi, sed intellectualis, ut in thesi 27 demonstratum est, duplici adspectu eius natura inquirenti se praebet; prout consideretur A) *in sua entitate reali* et subiectiva seu in subiecto volente exsistens; vel B) *in sua relatione intentionali ad obiectum eius*. Sub adspectu A) dicendum est quodnam sit principium, *a*) tum *ultimum*, *b*) tum *proximum* volitionis, quod *voluntas dicitur*. Sub altero adspectu B) dicendum quodnam sit *obiectum voluntatis* a) *formale,* b) *adaequatum* et c) *proportionatum.*

501. A) **Principium volitionis.** PRINCIPIUM *a)* ULTIMUM volitionis viventi intrinsecum vel cum ipso identificatum est principium quod reapse vult; et distinguitur a principio proximo *quo*, vel ope cuius principium ultimum reapse vult. Principium autem *quod* vere velle dicitur, bifariam sumi potest, videlicet: ut principium *quod* per modum *suppositi;* vel principium *quod* per modum *naturae.*

Primum est principium *quod* mere *denominativum;* alterum, *effectivum.* Eiusmodi notiones supra iam (123-127) expositae, prae oculis hic habendae sunt.

Principium igitur volitionis ultimum, *denominativum seu per modum suppositi,* est abs dubio homo individuus seu persona humana, *quae,* propter unitatem substantialem omnium partium quibus constituitur, vere dicitur velle, licet volitionem non nisi per aliquam sui partem exerceat, sicut dicitur etiam vere ambulare vel cogitare, quamvis effective non ambulet nisi pedibus, nec cogitet nisi intellectu.

Principium autem ultimum *per modum naturae* seu effectivum et susceptivum volitionis est tantum hominis anima substantialis, simplex et spiritualis.

Vere igitur dici potest Titius vult, si Titius designat personam aliquam humanam; atque etiam vere dicitur anima Titii vult. Diversimode tamen eiusmodi propositiones verificantur. Secunda enim vera est, quia volitio efficitur ab anima spirituali Titii, et in ea recipitur; prima autem verificatur, non quia Titius per totam suam entitatem vel naturam eliciat volitionem, sed quia volitio elicitur ab anima quae est pars constitutiva Titii ut suppositi.

502. *b)* PRINCIPIUM PROXIMUM VOLITIONIS. Praeter principium ultimum, sive ut suppositum, sive ut naturam con-

sideratum, admittendum quoque esse ad volitionem quod attinet, principium *aliquod proximum* quod *voluntas* dicitur, seu vim aliquam sive potentiam qua anima volitionem eliciat, semel admissa realitate volitionis, ambigi nequit, eisdemque argumentis eius realitas evinceretur quibus ad demonstrandam realitatem intellectus usi sumus.

Sunt tamen qui potentias accidentales ab animae substantia realiter distinctas in genere respuentes, sicut intellectum vel mentem cum substantia animae identificant, ita etiam voluntatem cum anima identificari contendunt. Nos autem qui cum SANCTO THOMA et SUÁREZ et fere omnibus scholasticis, potentias accidentales a substantia distingui profitemur (131-132), quemadmodum intellectum ab anima substantiali distinximus, ita etiam voluntatem potentiam esse ab anima realiter distinctam dicendum esse existimamus.

Cumque voluntas accidens quoddam sit animae proprium, non modo ab anima *fluens* necessitate naturae, sed etiam animae spirituali *inhaerens* tamquam in suo subiecto, sequitur voluntatem eodem pacto ac intellectum, esse *spiritualem potentiam*, seu intrinsece a materia independentem, tum quoad *esse*, tum quoad *operari*.

503. B) **Voluntatis obiectum.** Quae de volitione et voluntate hactenus diximus, ea ad volitionem *entitative* consideratam spectant. Cum autem volitio sit operatio intentionalis quae essentialiter aliquod obiectum respicit, impossibile enim esset aliqua volitio qua nihil appeteretur vel respueretur; quodnam sit intentionale obiectum voluntatis dicendum est. Obiectum generatim, ut de cognitione intellectuali agentes diximus in thesi 23 (412-415), triplex distinguitur, scilicet: a) *formale*, b) *adaequatum* et c) *proportionatum*.

504. *a)* OBIECTUM FORMALE VOLUNTATIS. Est illa ratio sub qua, vel propter quam voluntas appetit quodcumque appetit, et quae nisi in obiecto apprehenderetur, a voluntate non appeteretur.

De quocumque obiecto voluntatis sermo sit, semper prae oculis habendum est agi non de obiecto prout in se exsistit, sed de obiecto praevie intellectualiter cognito et prout intentionaliter apparet in cognitione praevia et concomitante actum volitionis.

Haec autem ratio, iuxta sententiam fere communem omnium scholasticorum, non est nisi ratio *boni*. Id autem diversimode exprimitur ab scholasticis, etiam, ut notat URRÁBURU [4], ab ipso SANCTO THOMA, dicente; esse *bonum sub ratione communi boni*, vel *bonum universale*, vel bonum *simpliciter*. Quod quidem *non intelligendum est* quasi voluntas solum appetat

[4] URRÁBURU, *Psychologia*, III p.105.

ipsam abstractam rationem boni, *sed ita ut,* quidquid a voluntate appetitur, *sub ratione communi boni appetatur,* non autem sub ratione alicuius boni peculiaris.

Huic assertioni tantum nominales et scotistae contradicere videntur. qui obiectum formale voluntatis asserunt esse *ens in tota latitudine sua,* etiam sine expressa relatione ad bonitatem.

Atque haec intelligenda sunt de *actibus prosecutivis* voluntatis qui primarii sunt et *signi positivi;* quod quidem non opponitur, sed optime consonat cum exsistentia actuum secundariorum et *signi negativi* ipsius voluntatis, quae motu aversativo malum fugit et vitat. Malum ergo, quod non est nisi privatio boni, est quoque obiectum voluntatis, sed tantum indirecte, et consequenter, seu eo tantum quia voluntas directe in bonum fertur. "Omne odium ex amore causatur", ut SANCTUS THOMAS asserit et probat [5].

Nec obstat quod aliquando, imo saepe, voluntas humana feratur in res quae *simpliciter* loquendo, malae sunt, seu respectu naturae humanae adaequate spectatae; nam semper huiusmodi res ut bonae in aliquo ordine apprehenduntur et appetuntur seu ut bonae *secundum quid* aestimantur.

505. *b)* OBIECTUM ADAEQUATUM VOLUNTATIS. Comprehendit omnia obiecta quae aliquomodo appeti possunt a voluntate humana. Eiusmodi autem obiecta sunt omnia omnino, modo a volente intellectualiter apprehendantur, ut sibi hic et nunc bona et convenientia. Nec hac assertione excluduntur actus amoris benevolentiae quibus rem appetimus aliis bonam; quia bonum aliorum est quoque moraliter bonum nostrum; et ut bonum honestum et nobis conveniens aprehenditur, aliis bonum velle et benefacere.

506. *c)* OBIECTUM PROPORTIONATUM. Si nomine obiecti proportionati intelligimus illud quod maxima facilitate et spontaneitate movere potest voluntatem hominis, dicendum videtur obiectum maxime proportionatum voluntatis hominis in statu coniunctionis animae cum corpore esse *bonum etiam spirituale sed in ente sensibili intellectualiter apprehensum,* sicut obiectum maxime proportionatum intellectus diximus esse *quidditatem rei sensibilis vel materialis.*

Hinc facile capitur cur homines sponte natura inclinentur in bona sensibilia, et quod facilius inducantur ad bona spiritualia appetenda, si eiusmodi bona ad modum bonorum sensibilium ipsis praebeantur.

Assurgere immediate ad appetenda bona suprasensibilia, impossibile est puero et homini rudi; et sapiens homo et excultus, non nisi difficulter id assequitur.

[5] S. TH., 1-2 q.29 a.2.

ARTICULUS III

Diversorum actuum voluntatis classificatio

507. Nexus et ordo. Omnis *actio* quae a voluntate quomodolibet procedit *voluntaria* dici potest. et *obiectum* harum actionum etiam *voluntarium* dicitur. Actus autem voluntatis non unico et uniformi modo, sed *diversimode exercentur* circa obiecta.

Huiusmodi *diversitatem actuum voluntatis* prae oculis habere, necessarium est ad quaestionem de libero arbitrio in capite sequenti tractandam; et *diversitatem significationis* et applicationis verbi *voluntarii* cognoscere omnino necessarium est ad scientiam moralem. Diversas significationes verbi voluntarii, quae sive in nostro Cursu, sive in tractatibus Theologiae moralis exponuntur omittentes hic, brevem tantum classificationem actuum voluntatis. iuxta analysim Sancti Thomae, generatim ab omnibus scholasticis admissam, proponemus.

508. Distinctarum volitionum classificatio. Volitiones seu actus voluntatis, iuxta Sanctum Thomam, in duo agmina dispescuntur, quorum in 1) illi actus voluntatis ponuntur qui *circa finem;* in 2) vero illi qui circa *ea quae sunt ad finem* versantur.

1) *Tres* numerantur et describuntur a Sancto Thoma actus voluntatis qui sunt circa finem: scilicet, a) *velle*, b) *frui* et c) *intendere* [6].

a) *Velle* simpliciter, est inclinatio naturalis voluntatis versus bonum, seu simpliciter amor.

b) *Fruitio*, quae "pertinere videtur ad amorem et delectationem quam aliquis habet de ultimo spectato, quod est finis" [7].

c) *Intentio* tandem quae est actus elicitus voluntatis circa finem ut prosequendum per media [8].

2) *Tres* sunt etiam actus voluntatis "qui sunt in comparatione ad ea quae sunt ad finem [9], videlicet: a) *eligere*, b) *consentire* et c) *uti*.

Electionem autem praecedit *consilium*".

Omissis interdum iis quae ad consilium spectant, quod nihil aliud est iuxta Sanctum Thomam [10] "quam inquisitio rationalis ante iudicium de eligendis", ac proinde ad cognitionem potissimum, sin minus unice spectat; actus qui ad voluntatem maxime pertinent definiamus.

---

[6] S. Th., 1-2 q.8 in prooemio, et a.1c, et ad 3.
[7] S. Th., 1-2 q.11 a.1c.
[8] Cf. S. Thomam, 2 *Dist.* 38 q 1 a.3.
[9] S. Th., 1-2 q.13 prooemium.
[10] S. Th., 1-2 q.14 a.1c.

509. a) Electio. Est volitio efficax medii ad finem aliquem obtinendum.

Iuxta Sanctum Thomam [11], quamvis "nomine electionis importatur aliquid pertinens ad rationem sive intellectum, et aliquid pertinens ad voluntatem" (...) "electio substantialiter non est actus rationis, sed voluntatis; perficitur enim electio in motu quodam animae ad bonum quod eligitur; unde manifeste est actus appetitivae potentiae".

Et alibi [12] scribit: "Electio enim est ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum; quod quidem non est rationis, sed voluntatis; nam quantumcumque ratio unum alteri praefert, nondum est unum alteri praeceptatum ad operandum quousque voluntas inclinetur in unum magis quam in aliud; non enim voluntas de necessitate sequitur rationem".

510. b) Consensus. Dicitur a consentire; quod vi vocis, idem est ac simul vel cum alio sentire, quatenus sentire significat etiam generatim mente cognoscere aliquid eique adhaerere vel assentire.

Inde, ad mentem Sancti Thomae [13], origo significationis huius vocis, quando ab ordine speculativo intellectus, ad ordinem practicum voluntatis transfertur.

In ordine speculativo aliquis dicitur cum alio consentire, si idem sentit vel cogitat vel credit ac iste.

In ordine autem practico, ad quam volitio pertinet, qui idem vult ac ille cui consentit, eius volitioni vel invitationi vel exigentiae inhaerendo.

Sic consentire dicitur ille qui invitanti ad aliquid faciendum acquiescit, vel qui acceptat negotium aliquod peragendum ab alio ipsi propositum, vel qui passionibus sollicitantibus voluntarie indulget.

"Et secundum hoc, iuxta Sanctum Thomam [14], consentire est actus appetitivae virtutis".

Consensus enim [15] "nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid preexsistens in potestatem applicantis". Ideo versatur tantummodo circa ea quae sunt ad finem, non circa finem ut talem.

Nam (ibidem) "applicatio motus appetitivi in finem apprehensum, non habet rationem consensus, sed simplicis voluntatis. Quae autem sunt post ultimum finem, in quantum sunt ad finem, sub consilio cadunt; et sic potest de eis esse consensus, in quantum motus appetitivus applicatur ad id quod ex consilio iudicatum est; motus autem appetitivus in finem non applicatur consilio, sed magis consilium ipsi; quia consilium praesupponit appetitum finis; sed appetitus eorum quae sunt ad finem praesupponit determinationem consilii. Et ideo applicatio appetitivi motus ad determinationem consilii, proprie est consensus".

Consensus autem est semper ordinis rationalis; et propterea, iuxta Sanctum Thomam [16] non invenitur in brutis eo quod in illis consilium non detur: "Cuius ratio est quia consensus importat applica-

[11] S. Th., 1-2 q.13 a.1c.
[12] S. Th., *De veritate,* q.22 c.15.
[13] S. Th., 1-2 q.15 a.1.
[14] S. Th., 1-2 q.15 a.1c ad finem.
[15] S. Th., 1-2 q.15 a.3c.
[16] S. Th., 1-2 q.15 a.2c.

tionem appetitivi motus ad aliquid agendum; eius autem est applicare appetitivum motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitivus motus; sicut tangere lapidem convenit quidem baculo; sed applicare baculum ad tactum lapidis est eius qui habet in potestate movere baculum. Bruta autem animalia non habent in sua potestate appetitivum motum; sed talis motus est eis ex instinctu naturae. Unde brutum animal appetit quidem, sed non applicat appetitivum motum ad aliquid. Et propter hoc non dicitur consentire nisi rationalis natura, quae habet in potestate sua appetitivum motum, et potest ipsum applicare vel non applicare, ad hoc vel ad illud".

511. c) Usus. In genere est applicatio alicuius rei ad aliquam operationem,

"Usus rei alicuius, ait SANCTUS THOMAS [17], 1) importat applicationem rei alicuius ad aliquam operationem; unde et operatio ad quam applicamus rem aliquem, dicitur usus eius, sicut equitare est usus equi, et percutere, est usus baculi. Ad operationem autem applicamus et principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animae, vel membra corporis ut intellectus ad intelligendum et oculus ad videndum".

Cum autem rerum exteriorum usus non nisi perficiatur quam per membra corporis, et haec per voluntatem applicantur ad operandum, sequitur quod "usus primo et principaliter est voluntatis tamquam primi moventis, rationis autem tamquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tamquan exequentium quae comparantur ad voluntatem a qua applicantur ad agendum sicut instrumenta ad principalem agens. Unde manifestum est quod uti proprie est actus voluntatis".

Usus autem, prout competit voluntati potest dici *usus activus,* ut distinguatur ab usu qui convenit potentiis ab ea motis qui *usus passivus* consequenter dicitur. Nec quidquam prohibet quominus in ipsis actibus voluntatis, volitione a voluntate elicita, ipsa voluntas ad aliam volitionem eliciendam applicetur. Prima harum volitio erit *usus activus;* altera *passivus.*

Operationes quarumcumque potentiarum hominis, quatenus ab actu elicito voluntatis promoventur vel determinantur, *actus imperati* ab illa dicuntur.

"Usus, iuxta SANCTUM THOMAM [18], sequitur electionem; si tamen accipitur usus, secundum quod voluntas utitur executiva potentia. Sed quia voluntas etiam quodammodo rationem movet et utitur ea, potest intelligi usus eius quod est ad finem, secundum quod est in consideratione rationis referentis ipsum ad finem; et hoc modo usus praecedit electionem".

---

[17] S. TH., 1-2 q.16 a.1.
[18] S. TH., 1-2 q.16 a.4c.

CAPUT VI

De libero hominis arbitrio

ARISTOTELES, *Ethic. ad Nichomachum*, III c.1-7; S. TH., 1 q.82 a.1 et 2, et q.83; *De veritate*, q.22 a.5 et 6; q.24 a.1.2 et 4; q.27 a.4 et 6; *De malo*, q.6 a.unic.; S. BONAVENTURA, II d.25 p.1 q.6; SUÁREZ, DM d.19 s 3.5.6-9; Opusc.4, *De voluntario et involuntario*, d.6 s 5; BELLARMINUS, *De gratia et libero arbitrio*, l.2 c.8-9; l.5 c 25-26; URRÁBURU, *Psychologia*, III p.222-408; PESCH, *Psychologia*. III p.321-298 n.1020-1076; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.344-367 n.242-253; MORAN, *Psychologia* (1949) p.140-175 n.545-587; SERTILLANGES, *S. Thomas d'Aquin* (1910) II 211-288; FRÖBES, *Psychologia speculativa* (1927) II 166-221; IDEM, *Psicología empírica y experimental* (1944) II p.448-485; MAHER, *Psychology* (1915) p.394-424; NAVILLE, *Le libre arbitre* (1898); FONSGRIVE, *Le libre arbitre; FOUILLÉE, La liberté et le determinisme* (1913); BAUDIN, *Psychologie* (1923) p.586-645; PRADINES, *Psychologie général* (1948) II p.391-421; GRUENDER, *Experimental Psychology* (1932) p.395-442; MICHOTTE et PRUM, *Étude expérimentale sur le choix volontaire et ses antécedents immediates* (1910); BOYD-BARRET, *Motive force and motivation tracks* (1911); PFANDER, *Phaenomenologie des Vollens* (1900); ACH, *Uber den Willens-act und temperament* (1910); LINDWORSKI, *Der Wille, seine erscheinung und seine beherrschung* (1919); IDEM, *El poder de la voluntad* (trad. MENCHACA. 1943); MARC, *Psychologie réflexive* (1948) II p.71-186; PÉREZ ARGOS, *El determinativo funcional de la voluntad*: Pens 7 (1951) p.285-319; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.110-138 n.181-225; IDEM, *Alma y espíritu* (1953) p.151-178.

512. Nexus et ordo capitis. Sufficienter iam cognita, ex traditis in capite praecedenti *exsistentia* et *natura* voluntatis humanae, ipsiusque operationum magna *diversitate*, quaestionem gravissimam tranctandam aggredimur *de libero hominis arbitrio*.

Quaestiones plures, brevitatis causa, in hac *Summa* omittimus in *Cursu* expositas, quae, sive ad veram *notionem libertatis* spectant, sive circa *extensionem* et *gradus* libertatis humanae versantur; atque etiam plures alias *circa veram structuram determinationis liberae*, adversus quasdam sententias circa eandem, quae, licet proponantur etiam ab illis qui realitatem liberi arbitrii incunctanter admittunt, ipsum tamen pessumdare nobis videntur.

Agemus igitur tantum in hoc capite: 1.° de *vera notione* liberi arbitrii, et 2.° de ipsius *realitate*.

ARTICULUS I

VERA LIBERI ARBITRII NOTIO

513. Notio ethimologica. Libertas *in genere* et secundum vocis *ethimon*, quae a verbo liberare derivatur, tot modis dicitur, quot *immunitas*, vel *exemptio*, vel *solutio*, ab aliquo vinculo, vel a quacumque re, plerumque inconvenienti, vel necessitatem seu coarctationem aliquam activitatis secum ferente.

Sic, exempli causa, aquae dicuntur prono alveo libere decurrere, et plantae libere in agro succrescere. Sic etiam aves dicuntur libere per aëra volitare, canesque catena soluti, libere cursitare.

Nec minus esse et dici potest homo liber a servitute, a captivitate, a carcere, a tributis, ab oneribus quibuscumque, a paupertate, ab obligationibus, a peccatis, a responsabilitate, et ab innumerabilibus aliis rebus plerumque ingratis.

514. Generalis divisio libertatis. Pressius autem libertas dici potest immunitas vel *exemptio ab aliqua necessitate;* et sub hoc adspectu, duplex in homine distinguenda est libertas: A) *moralis* videlicet et B) *physica* seu naturae, ad quam pertinet libertas *psychologica* de qua praecipue agendum erit.

A) *Libertas moralis* est igitur exemptio a necessitate aliqua morali, ut est necessitas a lege vel a legitimo praecepto orta, in obligatione morali consistens, qua voluntas humana quodammodo ligatur sub aliqua sanctione vel reatu culpae vel poenae.

Quemadmodum leges et praecepta et consequenter iura et officia quae ex ipsis dimanant, multiplicis generis esse possunt; sic etiam *multiplex exsistit libertas ordinis moralis.*

Sic exempli causa, non sum liber ad mentiendum vel ad iniustitiam perpetrandam, quia *lege naturali* teneor ad id vitandum, quamvis physice liber sim ad id faciendum.

Libertates etiam ordinis moralis sunt, illae omnes quae dicuntur *libertates politicae* vel civiles, quae ius conferunt ad se liberandum ab aliquo onere; vel quae ius civibus concedunt ad aliquam activitatem exercendam; vel ad interveniendum, iuxta praescripta *legum positivarum* uniuscuiusque nationis, in administratione et gubernio rei publicae.

Eiusmodi *libertates morales,* exempli causa, ad docendum, ad suffragium ferendum, ad se liberandum a vexationibus iniustis, ad proprium ius coram tribunalibus prosequendum et aliae innumerae, licet nec concipi quidem possunt, ut postmodum demonstrabimus, nisi homines libero arbitrio gaudeant sunt *prorsus distinctae a libertate psychologica,* quae ad ordinem physicum seu naturae spectat. Earumdem consideratio, non ad Psychologiam, sed ad Ethicam et Sociologiam iure pertinent.

B) *Libertas physica* vel psychologica est immunitas et exemptio a necessitate ordinis physici vel psychici. Duplex autem esse potest, videlicet: 1) *Libertas a coactione,* seu a vi extrinsecus illata, et 2) *Libertas a necessitate intrinseca potentiae activae, seu ab eius intrinseca determinatione ad unum.*

515. Notio libertatis a coactione. Libertas a coactione quae etiam libertas *executionis* et interdum etiam *spontaneitatis* dicitur, datur in qualibet potentia physica, semper ac in operando *immunis est a violentia.*

Nomine autem violentiae venit vis extrinsecus illata agenti contra eius inclinationem. *Violentum* enim ab ARISTOTELE [1]

[1] ARISTOTELES, *Ethic.* 1.3 c.1 (1109 a.22-24).

definitur "quod est a principio extrinseco, passo non conferente vim", id est non cooperante nec exigente, sed potius renitente.

Eiusmodi libertas a coactione ergo datur in omnibus potentiis activis, sive psychicis sive non psychicis, sua sponte et iuxta proprias leges naturales operantibus sine impedimento extrinsecus adveniente.

Deficere autem potest in multis potentiis activis etiam in illis quae ad agendum determinari possunt ab actu elicito voluntatis eas promovente, et *imperatae* dicuntur.

Sic, ut concrete loquamur, fieri potest ut, vi extrinsecus illata et voluntate mea penitus renitente, ingredi cogar domum in quam serio ingredi nolo; vel etiam ut vi impediar ab exsequenda aliqua actione quam exsequi reapse volo.

516. Volitio est essentialiter libera libertate a coactione. Libertas a coactione autem nullatenus deficere potest ipsi volitioni in se spectatae, seu actui elicito voluntatis. Quod quidem idem est ac dicere quod *voluntas essentialiter immunis est a violentia.* Libertas enim a coactione proprie tali est essentialis ipsi actui elicito voluntatis. Agendo, ergo, de ipso actu elicito a voluntate, illum esse *voluntarium* omnino idem est ac esse *liberum libertate a coactione.*

Ratio est quia volitio, utpote *activitas vitalis* et consequenter immanens, non modo recipitur in voluntate, sed ab ea etiam oritur. Nam si a principio distincto a voluntate eique extrinseco produceretur in ipsa, desineret esse volitio quia *nec esset immanens nec vitalis.*

Praeterea *pugnat in terminis,* quod actus elicitus a voluntate qui saltem exercite et virtualiter est volitus, simul et sub eodem adspectu et per eumdem actum non sit volitus. Et similiter, quod voluntas per suum actum elicitum inclinans in obiectum aliquod, per eumdem actum ad illud non inclinet, sed potius contra illud renitatur, ut opus est ad coactionem.

517. Libertas a necessitate intrinseca eiusque nomina diversa. Diversa haec libertas sortitur nomina, ex distinctis eius adspectibus desumpta.

Dicitur libertas indefferentiae, eo quod potentia quae libera dicitur, antecedenter ad suum actum, indifferens ad plura, hoc est, non determinata ad unum esse debet.

Inde etiam *libertas determinationis* vel decisionis dicitur; quia haec in potestate potentiae esse debet quae libera sit.

Quapropter recte etiam appellatur *libertas dominii;* quia per eam et tantum per eam, homo physice seu psychologice dominus est propriae activitatis volitivae et aliarum ab ipsa promanantium, quatenus homo, positis omnibus ad agendum requisitis, potest velle vel nolle, velle unum vel aliud ex extremis praevia cognitione intellectuali propositis, pro sua *sententia* vel *arbitrio.* Unde *libertas arbitrii* etiam nuncupatur.

Ob periculum autem confusionis, de qua antea dictum est, cavendum esse videtur nomen *libertatis moralis* quo etiam haec libertas donatur; eo quod licet, in semetipsa sit ordinis physici seu naturalis et psychici, est tamen fundamentum omnino necessarium ordinis moralis proprie dicti.

518. Res diversae quae liberae dici possunt. Quemadmodum multae sunt res, quae voluntariae dici possunt, ita etiam plures sunt quae hac libertate liberae appellantur. Praecipuae autem sunt: potentia activa seu *voluntas* capax libere agendi quae si, praecisione facta ab eius exercitio, consideretur, in quantum est munita omnibus ad agendum requisitis, libertas *in actu primo* appellatur.

Hoc autem exercitium potest considerari tantum in ipso actu a voluntate immediate elicito, vel etiam in quibuslibet aliis activitatibus hominis, quatenus eiusmodi activitates pendent causaliter ab actu elicito libero voluntatis, et propterea a voluntate libera imperari dicuntur, ut sedere, ambulare, scribere et comedere.

Ratione tamen diversa, eiusmodi activitates liberae dicuntur. Nam tum voluntas, tum etiam volitio, *formaliter,* seu in semetipsis consideratis liberae sunt; imperatae vero activitates, non formaliter et in semetipsis, sed tantum *denominative* et ratione volitionis liberae a qua denominantur.

519. Definitio libertatis dominii seu a necessitate intrinseca. His positis, *libertas in actu primo,* seu potentia libera, quae etiam *liberum arbitrium nominatur,* dici potest *potentia eligendi inter plura;* vel etiam potentia rationalis ad opposita, non quidem simul agenda, sed ad *utrumlibet* ex extremis diversis vel oppositis.

Clarius, ad omnem ambiguitatem praecavendam et iuxta omnium aestimationem, liberum arbitrium, seu potestas libera a necessitate intrinseca, recte describitur esse quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere vel non agere [2].

Id ipsum expressius tradit Suárez [3] scribens: "Libertatem in actu primo nihil aliud esse quam vis quaedam *operandi cum dominio,* seu virtute ad suspendendum actum etiam positis omnibus requisitis ad operandum; quae vis non est distincta a voluntate, sed naturalis perfectio eius, quamvis oriatur a perfectione intellectus quomodo dici solet liberum arbitrium esse facultatem voluntatis et rationis (S. Th., 1-2 q.1 a.1)".

Licet liberum arbitrium "facultas sit voluntatis et rationis formaliter autem tantum est in voluntate; in intellectu tamquam in radice" [4]. Brevius et clarius: "Facultas libera proprie et formaliter est voluntas, quamvis eius radix et origo ab intellectu et perfecto rationis usu oritur" [5].

---

[2] Cf. Suárez, DM d.19 s.2 n.18; s.4 n.8-16. Idem, Opusc.1 l.1 c.3 n.2-4; Idem, *De gratia,* prooem.1 c 3.
[3] Suárez, *De voluntario,* disp.1 a.3 n.1.
[4] Suárez, DM d.19 s.5 n.13-20.
[5] Suárez, Opusc.3 c.1 n.1.

Ex dictis patet iam quo modo definienda sit *libertas in actu secundo* seu considerata ex parte actus. *Operatio formaliter libera* illa est quae immediate elicitur a facultate formaliter libera, seu a libero arbitrio. *Operatio* autem *denominative libera* illa est quae exercetur sub imperio volitionis liberae [6].

520. Libertatis a necessitate divisio. Eiusmodi libertas dividi solet in libertatem *exercitii* seu ad agendum vel non agendum; et *specificationis*, seu ad volendum unum, vel aliud.

Prima dici solet etiam *libertas contradictionis*, quia extrema inter quae libertas versatur contradictorie opponuntur. *Altera*, si extrema sunt inter se incomposibilia, eo quod contrarie opponuntur (amare et odisse; sedere et ambulare) dici solet *libertas contrarietatis*.

Si vero extrema non sunt inter se incomposibilia, et nullo modo opponantur sed sint simpliciter disparata (loqui et ambulare; amare et studere), libertas reducitur ad libertatem *exercitii* seu *contradictionis*.

"Nisi enim aliquo modo inter se extrema opponantur, ut scite notat URRÁBURU [7], productio unius non obstabit productioni alterius, ideoque non elicitur ab operante una prae alia, sed quaelibet producetur sub sua negatione, quod pertinet ad libertatem contradictionis".

521. Quomodo liberum et voluntarium inter se distinguantur. Ex dictis hucusque, patet iam non omnino idem esse *voluntarium* ac *liberum*. Eius tamen distinctio non mutua esse videtur; nam licet *omne liberum sit voluntarium, non autem omne voluntarium est liberum*. Latius enim patet voluntarium quam liberum, etiam loquendo de voluntario proprie tali, et multo magis si ageretur de voluntario improprie et mere analogice tali, quod convenit etiam activitatibus brutorum, quae certe liberae libertate a necessitate dici nequeunt.

Differunt ergo voluntarium et liberum, non modo a) *in suo conceptu*, verum etiam quadammodo b) *in re*.

a) *In suo conceptu*. Nam ratio voluntarii, iuxta SUÁREZ [8] consistit "solum in hoc quod potentia se determinet ad suum actum volendo ipsum per semetipsam".

Ratio vero liberi "in hoc quod actus dicat habitudinem ad potentiam quae potest agere vel non agere; quae duae rationes plane diversae sunt".

b) *Differunt etiam re*. Quia de facto separari possunt licet non mutuo, ut supra dictum est, et patet saltem in amore quo beati Deum

[6] SUÁREZ, DM d.19 s.5 n.3.
[7] URRÁBURU, *Psychologia*, III p 246.
[8] SUÁREZ, *De voluntario*, d.1 s.3 n.7.

prosequuntur, qui cum sit perfectissime voluntarius, est tamen omnino necessarius.

Praeterquamquod voluntarium et liberum, licet coniuncta saepe inveniantur, *diverso modo augescunt et minuunt.* Sic concupiscentia vel vis passionum recte dicitur augere voluntarium, in sensu a nobis definito, et minuere liberum; imo hoc prorsus supprimere possunt quandocumque per passiones vel per concupiscentiam iudicium indifferens praevium volitioni impediatur.

ARTICULUS II

PHILOSOPHICA DEMONSTRATIO REALITATIS LIBERI HOMINIS ARBITRII

Thesis 28. Realitas liberi arbitrii humani philosophice demonstratur: 1.° Ex humani generis consensu in persuasione practica de eius realitate. 2.° Ex factis experientiae. 3. Deductione ex ipsa natura rationali hominis, et 4.° Ex connexione metaphysica liberi arbitrii cum realitate ordinis moralis.

522. Notiones. Quid veniat nomine liberi hominis arbitrii abunde constat ex dictis in Articulo praecedenti. Hic LIBERUM ARBITRIUM, quod idem est ac libertas dominii vel libertas a necessitate intrinseca *in actu primo considerata,* breviter definitur ut *potentia hominis activa operandi cum dominio propriae operationis;* quod quidem concipi nequit nisi liberum arbitrium sit potentia activa quae positis omnibus ad agendum, tum tempore tum natura, praerequisitis, possit agere vel non agere, agere unum vel aliud (519).

Libertas autem in actu secundo seu ex *parte actus,* considerata, id est operatio libera, potest esse *formaliter libera,* vel tantum *denominative libera.*

Operatio *formaliter libera* illa est quae *immediate elicitur* ab ipsa potentia formaliter libera, quae nulla alia esse potest quam voluntas. Nam ut etiam supra dictum est cum SUÁREZ (519), licet liberum arbitrium "facultas sit voluntatis et rationis, facultas libera proprie et formaliter est voluntas, quamvis eius radix et origo ab intellectu et perfecto rationis usu oritur".

Operatio autem *denominative libera* est operatio quaelibet hominis quae exerceatur sub imperio voluntatis formaliter liberae.

523. Asserimus in carmine theseos, liberum ABITRIUM PHILOSOPHICE DEMONSTRARI. Triplex enim genus demonstra-

tionis scientificae liberi arbitrii ut possibile excogitari potest, prout adhibeantur argumenta desumpta *a)* ex *scientia theologica;* vel *b)* ex *scientia pure experimentali;* vel *c)* ex *scientia philosophica,* sive propria philosophiae naturalis seu physicae, sive philosophiae primae seu metaphysicae.

a) Certo certius realitas liberi arbitrii *demonstratur in Theologia* tamquam assertio *de fide* contra plures haereses. Ab iis autem argumentis adducendis prorsus hic abstinebimus.

Nam licet philosophus christianus in suis speculationibus pure rationalibus, securius incedit et consequenter prudenter se gerit, semper prae oculis habens quid iuxta veritatem theologicam, tenendum sit, si forte de eo theologia aliquid dixerit, non tamen ad ipsum pertinet sed ad theologum, realitatem liberi arbitrii argumentis ex theologia depromptis demonstrare.

b) Neque contendimus realitatem liberi arbitrii humani *argumentis pure experimentalibus* probari posse, eo modo videlicet, quo pure experimentaliter et, ex immediata et intuitiva experientia vel introspectione nobis plura in psychologia, omnimoda certitudine innotescunt.

Sic enim nobis exempli causa, certissime constat nos videre, audire, tangere, intelligere et velle vel nolle.

Sunt quidem inter auctores neoscholasticos non nulli qui, mera et simplici introspectione, immediate seu *intuitive et absque ullo ratiocinio,* libertatem volitionis, demonstrari posse existimant, supponentes nos in volitione libera aliquam qualitatem vel modum, veluti *saporem aliquem apprehendere,* quam in volitionibus necessariis non experiremur.

Id autem et valde *dubium* esse videtur, et *illusioni* obnoxium confundendi illud quod est simpliciter *voluntarium,* de quo quidem immediatam experientam habemus cum *voluntario libero.* Nec haec ratio demonstrandi realitatem liberi arbitrii cohaeret cum probabiliore opinione illorum qui tenent volitionem liberam, quoad suam entitatem, non *intrinsece differre a volitione necessaria;* et libertatem actus non esse nisi *dominationem extrinsecam,* realem utique, sed tantum a potentia formaliter libera a qua actus elicitur dimanantem. Ab hoc igitur argumento, *ex mera introspectione* desumpto, quod non obstante eius apparente facilitate, antiquis ignotum erat, etiam abstinebimus.

c) Remanent igitur argumenta in carmine theseos proposita; quae inter, argumentum ex experientia recensetur.

Sic illud appellamus quia in experientia quidem innititur aliquorum elementorum, non quidem omnium quibus actus primus libertatis constat, ex qua *non immediate,* sed *addito aliquo brevi ratiocinio,* realitas liberi arbitrii evincitur. Atque hoc est argumentum proprium, non scientiae pure experimentalis, sed vere philosophicum et proprium philosophiae naturalis, quae, ut supra in thesi 1 (26-34) dictum est, semper in facto aliquo experientia comprobato innititur. Ce-

terum liberum arbitrium est potentia aliqua activa; et omnis quaestio de realitate et distinctione potentiarum est semper quaestio non pure experimentalis sed indolis philosophicae (127).

524. Status quaestionis. Cum fere omnia argumenta quae contra realitatem liberi arbitrii humani proferuntur, in ignorantia nitantur veri status quaestionis, operae pretium erit in antecessum clare statuere; A) de quibus *quaestio non sit;* et B) quaenam praecise *sit quaestio solvenda,* cui thesis proposita respondet.

525. A) QUAESTIONES A PRAESENTI ALIENAE. 1) *Quoad quaestionem in genere. Nondum agimus de natura liberi arbitrii* explicanda, intimam structuram processus determinationis liberae minutatim scrutando; sed tantum de *eius realitate comprobanda.* Eiusmodi enim quaestiones non sunt confundendae, siquidem sunt omnino distinctae, easque per modum unius pertractare multis obscuritatibus est obnoxium.

Prima enim quaestio est de facto; altera, de modo quo factum iam probatum peragatur. Prima ergo est fundamentum necessarium ut logice secunda sensum aliquem habeat et recte solvi possit. Prima cum certitudine solvi potest, et debet independenter a secunda, quae fortasse tantummodo cum probabilitate solvi potest; et, in omni casu, ita solvenda est ut eius solutio, quaecumque illa sit compatibilis sit cum prima quae iam certa demonstrata supponitur.

Multi enim qui unanimiter primam solvunt in sensu affirmativo, ut indubiam tenentes realitatem liberi arbitrii, inter se non raro discrepant vehementerque disputant, circa modum explicandi liberum arbitrium quo melius eius realitatem tueantur.

Nemini hoc mirum esse potest, qui consideret id ipsum non esse peculiare quaestioni de libero arbitrio sed commune quibuscumque aliis quaestionibus saltem de rebus naturalibus, tum philosophicis, tum etiam propriis scientiae positivae et experimentalis. Ubique, enim, aliud est affirmare factum; et aliud naturam facti explicare.

Sic certissimum omnibus est lucem exsistere; quaenam autem natura lucis sit non nisi probabiliter dici potest. Sic etiam cognitiones dari nemo est qui negare audeat; quaenam autem natura cognitionis sit vehementer disputatur.

526. 2) *Quoad affirmationem theseos,* Prae oculis habendum est quod realitatem liberi arbitrii affirmare non idem est ac asserere: a) *omnem hominem* de facto semper libere operari; nec b) *omnem activitatem hominis* libere exerceri.

a) *Quoad hominem* igitur qui liber dicitur, *non affirmat thesis* omnes omnino homines libero arbitrio actu gaudere, nec in omni stadio suae evolutionis ontogeneticae; sed *illos homines tantum libere agere qui usu rationis non privantur* et solum dum usu rationis expedito potiuntur.

Itaque, liberi non sunt *pueri* antequam ad usum rationis pervenere, nec homines adulti *mente capti* vel usu rationis orbati, ut sunt plures sive morbo aliquo psychico laborantes, sive ebrietate affecti, sive somno tum normali tum hypnotico sopiti, sive vehementibus passionibus vel emotionibus exagitati, quatenus carent illa indifferentia sive subiectiva sive obiectiva quae ad libertatem requiritur.

b) *Quoad activitates,* non asserit thesis quod libere exerceantur libertate indifferentiae de qua agimus, activitates hominis a *volitione distinctas.*

Itaque, non libere sed necessario exerceri concedimus, omnes activitates hominis pure *physiologicas vitae vegetativae;* omnesque activitates *psychophysiologicas vitae sensitivae;* atque etiam, ex activitatibus vitae intellectivae seu spiritualis, illas quae sunt ordinis *cognoscitivi.* Nec libera est *affectio sentimentalis* seu *emotionalis,* si adspectus vitae humanae sentimentalis distinguendus est ab adspectu tendentiali vitae rationalis, ut reapse distinguitur prout supra in thesi 17 (290-304) demonstravimus.

Plures quidem ex his activitatibus vere dicuntur liberae sicut libera dici potest actio attollendi brachium, sed non eo quod in seipsis et formaliter, sed tantum denominative et imperative liberae sunt, quatenus videlicet ab actu volitionis formaliter liberae determinantur, ut supra dictum manet (518).

Nec quidem opus est affirmare, ut vera sit thesis proposita, realitatem liberi arbitrii in cuiusque generis volitionibus.

Praescindimus igitur a quaestione an et quatenus liberae sint volitiones quae *circa finem* versantur, ut sunt *simpliciter velle, frui* et *intendere.* Nec tandem, ut thesis verificetur, opus est asserere libere elici omnes volitiones quae sunt *circa media* (508-511).

Nam licet *consensus* et *usus* procul dubio libere exercentur ab homine, ab hac quaestione tamen hic etiam praescindimus; quia ad statuendam realitatem liberi arbitrii satis est affirmare saltem *omnem electionem* humanam proprie talem, liberam esse libertate a necessitate seu indifferentiae.

527. B) QUAESTIO PRAESENS. a) *Agitur de libertate electionis.* Affirmamus ergo hominem libero arbitrio gaudere, quia saltem determinationes suae voluntatis quae *electiones* dicuntur, liberae sunt ab intrinseca determinatione ad unum. Nam saltem in electione humana verificatur quod voluntas, positis omnibus praerequisitis ad agendum, potest agere vel non agere, agere unum vel aliud oppositum ex extremis a praevia cognitione seu iudicio indifferenti propositis.

Ut ipsis verbis SANCTI THOMAE[9] dicam; agitur de electione quae "substantialiter non est actus rationis sed voluntatis" (...) quae "perficitur" (...) "in motu quodam animae ad bonum quod eligitur; unde manifeste est actus appetitivae potentiae". Aliis verbis, etiam SANCTI

[9] S. TH., 1-2 q.13 a.1c.

THOMAE[10]; agitur de electione quae "est ultima acceptio qua aliquid accipitur ad prosequendum; quod quidem *non est rationis sed voluntatis;* nam quantumcumque ratio unum alteri praefert, nondum est unum alteri praeacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in unum magis quam in aliud, non enim voluntas de necessitate sequitur rationem".

b) *Agitur etiam non nisi de electione proprie dicta,* quatenus a consensu et usu aliquomodo distinguitur, et praesupponit plura vel saltem duo extrema aliquatenus opposita, "ducentia ad finem", per consilium rationis praevia deliberatione inventa, quorum quodlibet proinde ut medium plus minusve aptum ad finem intentum obtinendum apprehenditur, ex quibus tamen unum per electionem aliis praefertur. Electio enim proprie et stricte dicta non versatur circa finem "in quantum est eiusmodi", sed "solum circa ea quae sunt ad finem", ut asserit SANCTUS THOMAS[11]. Omnis autem finis, excepto fine absolute ultimo, potest considerari ut medium ad ulteriores fines assequendos.

528. Sententiae. Thesis proposita 1) nullos habet adversarios in *ordine vitae practicae;* 2) innumeros autem omnis generis in *ordine speculativo* scientiae, tum experimentalis, tum philosophicae et theologicae.

1) NON HABET ADVERSARIOS IN ORDINE PRACTICO, quia nullus est homo ratione compos qui non ita se gerat in quibuslibet vitae cotidianae activitatibus, tum individualibus tum socialibus, ac si non esset intime persuasus, tum se tum etiam alios homines libero arbitrio gaudere.

Haec autem incohaerentia et quasi contradictio inter doctrinam theoricam et vitae praxim, dari non videtur respectu aliarum doctrinarum, quarum sectatores plerumque modo illis consono se gerunt, vel saltem se gerere nituntur.

Nam qui materialismum profitentur, qui athei dicuntur, qui in doctrina marxista sunt imbuti, generatim doctrinis quas speculative tenent, sese accommodant in praxi, vel saltem id facere nituntur. Solus qui liberum arbitrium humanum negat, impotens est in praxi iuxta hanc negationem procedere, nec id assequi nititur, quia evidenter apprehendit id esse ipsi impossibile.

Inde postmodum argumentum validum conficiemus pro realitate liberi arbitrii, factum huius persuasionis universalis constantis et irresistibilis ulterius declarantes.

2) IN ORDINE AUTEM SPECULATIVO, in quo quaestio praesens tantum controvertitur, duplex omnino datur sententia circa thesim propositam: *a)* altera *negans,* quae nomine *de-*

[10] S. TH., *De veritate,* q.22 a.15.
[11] S. TH., 1-2 q.13 a.3c.

terminismi generatim appellatur; *b)* altera *affirmans,* quae a deterministis, utpote determinismo opposita, *indeterminismi* nomine designatur.

Nomine quidem non omnino proprio, quia per illud solus *adspectus negativus* doctrinae liberi arbitrii indicatur, non autem *virtus activa et positiva* se determinandi significatur qua pollet voluntas in debitis circumstantiis constituta; in qua praecise ultima ratio determinationis liberae reperitur.

Praeterquam quod nomen indeterminismus, non bene distinguit *indeterminismum exaggeratum,* qui omnino improbandus est, ab *indeterminismo moderato,* quem unice sustinent veri assertores theseos propositae.

Indeterminismus exaggeratus, qui ita vocatur, vel quia plus iusto ambitum libertatis amplificat, vel quia nullam condicionem requirit ad hoc ut actus a voluntate procedens liber sit, a nobis refellendus est in quaestionibus circa naturam humanae libertatis.

529. a) *Deterministae,* non omnes eisdem rationibus moventur ad negandam realitatem liberi arbitrii humani. Multiplex ergo est determinismus, saltem *quadruplex,* videlicet: *theologicus, metaphysicus, cosmologicus* et *psychologicus;* prout teneat liberum arbitrium humanum esse incompossibile, vel cum libertate et actione Dei; vel cum principiis metaphysicis, praesertim cum principio causalitatis; vel cum legibus naturae scientia experimentali notis; vel cum placitis et theoriis psychologiae experimentalis. Nostris diebus, magna pars psychologorum determinismo aperte adhaerent; vel si nomine tenus libertatem admittunt, eam ita explicant ut non nisi larvatum determinismum promoveant.

Ratio cur tot sint deterministae, invenitur, partim in praepostera propositione problematis liberi arbitrii, quod perperam a deterministis fere semper concipitur; partim etiam in praeiudiciis logice fluentibus ex doctrinis sive philosophicis sive theologicis quae, independenter a quaestione de libero arbitrio, omnino et evidenter falsae demonstrantur.

Sic determinismum profiteri logice tenentur, consequenter ad suas doctrinas, qui in theologia perperam intelligunt doctrinam de Dei concursu ad actiones creaturarum, et de efficacia divinae gratiae, ut Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Iansenius aliique haeretici; quibus accensendi sunt omnes fatalistae, saltem si fatum ab illis explicatur ex eo quod actiones hominis sint in suis causis penitus determinatae.

Logice etiam cum determinismo cohaerent, omne genus *monismi,* sive materialistici sive spiritualistici, non excepta theoria identitatis psychophysicae. Item omnes *pantheistae,* omnes *sensistae,* omnes *positivistae,* quatenus voluntatem ut facultatem negant; omnes *actualistae* seu phaenomenistae qui animam ut ens substantiale et permanens non admittunt; omnes criticistae Kantii sectatores, qui in "Critica rationis purae" contendit libertatem phaenomenologice nec

asseri, nec eius non-repugnantia posse demonstrari. KANT autem non absolute ut determinista habendus est, eo quod, in "Critica rationis practicae", libertatem in ordine noumenico postulat tamquam condicionem necessariam ad reddendam rationem moralis obligationis, dicens: "Debes, ergo potest".

Quod si cultores scientiarum positivarum naturae et psychologiae experimentalis determinismum amplectuntur, non argumentis ex experientia haustis id probant, sed tantum suam opinionem demonstrare nituntur, illogice tribuentes omnibus volitionibus, illam necessitatem quam in rebus naturae comprobant; vel ob rationes philosophicas, proprias alicuius systematis philosophici falsi ex his quorum antea mentionem facimus. Nullus quippe cultor est scientiarum naturalium et psychologiae experimentalis qui in laboratorium ingrediatur, ab omni doctrina philosophica practice praescindens, licet verbis id profiteatur.

530. b) *Liberi arbitrii realitatem* tenuerunt, ex quo tempore philosophia de libertate coli coepit, omnium aetatum preastantissima ingenia.

Primus qui in antiquitate philosophatus est ex professo circa humanam libertatem videtur esse SOCRATES, quem sequutus est PLATO, libertatem, imputabilitatem, meritum et demeritum actionum humanarum firmissime tenens. Eiusmodi autem philosophi, propter suas explicationes determinationis liberae *nimium intellectualistas*, in determinismum psychologicum ruere videntur. ARISTOTELES autem eos corrigit, et clare iam statuit naturam liberi arbitrii.

Primi apologistae christiani et Sancti Patres libertatem humanam, praesertim sub luce PLATONIS, strenue propugnarunt; quos inter recenseri possunt, IUSTINUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, ORIGENES, GREGORIUS NISSENUS et praesertim magnus AUGUSTINUS. Sanctorum Patrum testimonia pro libero arbitrio, viginti quinque affert SANCTUS BELLARMINUS [12] ex Patribus graecis, et totidem ex latinis.

Realitas autem et natura liberi arbitrii, profundius et accuratius tractari coepit medio aevo a magnis auctoribus sub luce ARISTOTELIS et SANCTI AUGUSTINI, quos inter eminent SANCTUS ALBERTUS MAGNUS, SANCTUS THOMAS, SANCTUS BONAVENTURA, et DUNS SCOTUS.

Tempore renascentiae, contra haereses deterministas, et deinde occasione celebrium *controversiarum de auxilis divinae gratiae,* vera doctrina de libero arbitrio, tum theologice, tum etiam philosophice, mirum in modum perfecta est. Sub aspectu philosophico eminet doctrina DOCTORIS EXIMII, exposita in multis operibus theologicis, et praesertim in Disputatione metaphysica 19.

Cuicumque, qui doctrinam scholasticorum de libero arbitrio calleat, nullae iam pertimescendae sunt obiectiones, quae a modernis cultoribus scientiae experimentalis vel a modernis psychologis proponi possint.

Ut ex dictis patet et ex scriptis plurium auctorum catholicorum et Summorum Pontificum aperte constat, Ecclesia Catholica, ut corpus docens, multum contulit ad doctrinam de libero arbitrio illustrandam et defendendam, etiam in or-

[12] BELLARMINUS, *De gratia et libero arbitrio,* 1.5 c.25 et 26.

dine philosophico, eamque, omni tempore, sed praesertim nostris diebus propugnavit, non tantum quia dogma est in revelatione contentum, sed etiam quia fundamentum est philosophicum libertatis moralis et dignitatis personae humanae, sine quo libertates civiles seu politicae legitimae stare nequeunt, quarum Ecclesia Romana semper exstitit acerrima promotrix et propugnatrix.

531. Thesim defendimus ut *omnino certam,* diverso tamen genere certitudinis, pro diversis argumentis adhibitis ad eam demonstrandam; quorum *quodlibet efficax* quidem est ad aliquod genus adversariorum refutandum, non enim omnes qui liberum arbitrium negant omnibus nec eisdem rationibus permoventur.

Primum, enim quod sumitur ex facto persuasionis practicae de realitate liberi arbitrii, est omnium captui accommodatum et quasi ad hominem thesim probat saltem *cum certitudine morali.*

Alterum quod est a posteriori et *in experientia* innititur, rationem psychologicam reddit praefatae persuasionis, et difficultatibus occurrit ex scientia psychologica depromptis. Licet SUÁREZ[13] fateatur "experimentum hoc non esse ita perspicuum ac per se notum, quin homini protervo relinquatur aliquis tergiversandi locus", tamen ipse SUÁREZ hoc argumentum adhibet ut validissimum. Et iure quidem merito eum supponere non liceat, nisi factis demonstretur, adversarium protervum esse et tergiversatorem. Hoc igitur argumentum certitudinem *physicam* gignere potest, saltem in quocumque homine qui bona fide et intentione veritatis inveniendae ad disputandum accedat.

Tertium est argumentum *deductivum* seu a priori, eo quod fundatur in ipsa natura rationali hominis, difficultates *ordinis metaphysici* praesertim prae oculis habet et certitudinem parit eiusdem ordinis.

Tandem *quartum* innititur in connexione metaphysice necessaria ordinis moralis, certo certius exsistentis, cum libero arbitrio humano; est etiam menti cultorum scientiae ethicae et iuridicae accommodatum et certitudinem gignit *metaphysicam.*

532. Probatio. 1.° Liberi arbitrii exsistentia demonstratur ex humani generis consensu in persuasione practica de realitate actionum liberarum.

Nomine persuasionis practicae hic venit, non idea quaedam speculativa; nec cognitio aliqua reflexa seu conscientia qua libertas immediate perspiciatur; nec cognitio per modum conclusionis vel assertionis alicuius theoriae scientificae prius elaboratae; sed *cognitio illa indubitabilis de exsistentia et realitate liberi arbitrii quae imbibitur in ratione practica sese gerendi omnium hominum,* et ab ea logice supponitur, quidquid sit de doctrinis speculativis, scientificis vel philosophicis, quae ab illis explicite teneantur. Sic declarata persuasione practica unde sumitur argumentum, dicimus:

[13] SUÁREZ, DM d.19 s.2 n.15.

Persuasio practica de realitate liberi arbitrii est factum A) *universale;* B) *constans;* et C) *irresistibile.*

Atqui huiusmodi facti non datur ratio sufficiens nisi liberum arbitrium hominis exsistat.

Ergo liberum hominis arbitrium exsistit.

Consequentia evidens est. Probandae sunt *maior* et *minor.*

533. *Probatur maior.* A) EST FACTUM UNIVERSALE. Id est, invenitur in omnibus omnino hominibus, adultis et normalibus, expedito usu praeditis. Nullus enim est homo ratione praeditus qui practice aliquas ideas morales non admittat, id est qui practice non se gerat, ac si persuasus esset de realitate a) *obligationis et iuris;* b) *remorsus et responsabilitatis;* c) *meriti vel demeriti;* d) *iustitiae vel iniustitiae*... Eiusmodi autem conceptus nequeunt esse veri sed essent penitus absurdi et omni fundamento rationali carerent, in homine qui realitatem liberi arbitrii in se et in aliis hominibus practice non admitteret, propter connexionem metaphysicam horum conceptuum cum libero arbitrio, quae infra ulterius declarabitur in parte 4.ª.

534. B) EST FACTUM CONSTANS. Id est: viget talis persuasio a) *per totam vitam individui humani;* et b) *per totam durationem generis humani et humanae societatis.*

Primum seu *a)* quia ideae morales de quibus sub A) diximus, evidenter non vigent solummodo durante aliqua tantum periodo vitae rationalis individualis, sed per totam vitam; et quidem eo clarius quo validior est usus rationis.

Alterum seu *b),* evidens fit ex moribus et institutionibus vigentibus in omnibus populis, tum in primitivis tum etiam in cultis, ut constat ex scientia anthropologica, atque ex legibus et institutionibus iuridicis omnium gentium et nationum.

535. C) EST FACTUM IRRESISTIBILE. Hoc est, nullo pacto abici potest: nec progressu scientifico, nec doctrinis deterministarum quae longe lateque grassantur; cum vel ipsi qui speculative determinismum defendunt *practice* ita se gerunt veluti si realitatem liberi arbitrii profiterentur,

Ceterum *maior* haec admittitur ab ipsis deterministis, qui non ideo libertatem negant quia non detur talis persuasio practica, quam facile etiam in semetipsis agnoscunt [14], sed eo quod existiment illam persuasionem falsam esse, frustra contendentes rationem reddere illius quam "illusionem de libero arbitrio" vocant.

536. *Minor etiam probatur.* Quod admissa realitate liberi arbitrii omnia clarissime explicentur, patet. Quod aliter

---

[14] Videri possunt aliqua testimonia apud DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia Naturalis,* II p.324-325.

explicari non possit praefata persuasio practica, sic probatur;

1.° Quia persuasio talis, *universalis, constans* et *irresistibilis,* non potest non provenire nisi a causa eisdem ornata notis, quae alia esse non potest quam ipsa natura humana quae in omnibus hominibus, semper et ineluctabiliter invenitur. Persuasio autem a natura procedens nequit esse falsa, nisi admittatur naturam hominis perperam esse conformatam, et invincibiliter obnoxiam errori, in re quae maximi momenti est pro vita humana.

2.° Quia cum eiusmodi persuasio practica sit de re magni momenti et tot sint deterministae speculativi; a) *sapientes* debuissent iam illam illusionem dissipasse cum sit fundamentum ordinis moralis, socialis et religiosi, qui in aliud plane distinctum esset mutandus; b) *rudes* etiam doctrinam deterministam in praxi amplecti debuissent; siquidem, libertate non exsistente, facilius omnibus cupiditatibus indulgere possent, ut ab obligatione legum moralium et a remorsibus liberarentur.

3.° Quia rationes adductae a deterministis factum illud nullatenus explicant, ut patebit ex solutione difficultatum.

537. 2.ª Realitas liberi arbitrii experientia probatur. Persuasionem practicam et spontaneam propriae libertatis, quam in argumento praecedenti realem esse demonstravimus, *non esse illusoriam sed veram* etiam in ordine theorico, intendimus hic demonstrare, ostendentes eam hominem sibi comparare ope evidentis experientiae et ratiocinii legitimi in ea innixi.

Ut demonstremus hoc ratiocinium, quod in vita practica hominis saepe *non est nisi implicitum, legitimun* esse, ipsiusque conclusionem esse veram, sufficiet ipsum *explicitare.*

Hoc autem fieri potest 1.° attendendo ad facta vel eventus de quibus intuitivam notitiam habemus *dum ipsum actum voluntarium exercemus,* cuius libertatem probare intendimus. Sive hoc fiat A) *via simplicis observationis;* sive B) *vi experimenti* et *inductionis.* Atque etiam 2.° attendendo ad facta vel eventus quorum conscientiam etiam intuitivam habemus sive ad ea quae A) *praecedunt,* sive ad ea quae B) *subsequuntur* volitionem, cuius libertatem intendimus demonstrare.

538. 1.° EXPLITATIO RATIOCINII SPONTANEI INNIXI IN FACTIS COMITANTIBUS VOLITIONEM LIBERAM. A) VIA SIMPLICIS OBSERVATIONIS. Quilibet homo immediate et intuitive apprehendit se *activo modo se habere* dum aliquid vult, seu *notitiam habet intuitivam* propriae volitionis. Scit enim vi huius experientiae dicere utrum velit vel nolit aliquid. Huic autem experientiae praecedit semper cognitio rei, intuitive etiam

apprehensa, quae praebet obiectum suae volitionis. Huiusmodi autem cognitio non raro praebet obiectum, sub aliquo adspectu appetendum, sub alio vero non; seu quod idem est: homo etiam saepe *intuitive apprehendit iudicium praevium indifferens.* His positis, homo suam volitionem, in qua activo modo se habere intuetur, sibi iure merito attribuit et imputat tamquam non modo a se active *effectam,* sed etiam a *se determinatam,* cum non aliud intuitive apprehendat cui determinationem suae voluntatis attribuere possit.

Conclusio haec legitima est. In his enim adiunctis, quae unica sunt in quibus libertatem dari affirmamus, decisionem voluntatis in qua homo activo modo se habet, alicui causae ignotae tribuere, arbitrarium prorsus est; et deterministae affirmanti, onus id demonstrandi incumbit.

Quod si determinista contendat dari reapse causam aliquam quae in his adiunctis determinet decisionem voluntatis, *quamvis illam de facto non experiamur;* hoc *imprimis* evidenter idem est ac affirmare liberi arbitrii negationem *non posse experimentaliter demonstrari.* Argumenta enim deterministarum quae contra legitimitatem nostrae conclusionis allegantur, de facto non nisi ex falsis praeiudiciis ordinis philosophici desumuntur, ut in solutione difficultatum evidens fiet.

539. 2.º EXPLICATIO RATIOCINII SPONTANEI PRO LIBERTATE. A) VIA EXPERIMENTATIONIS et INDUCTIONIS. Quilibet homo legitime concludit evidenti ratiocinio se libere eligere, seu velle in electione cum potestate non volendi, vel aliud volendi, *per effectum huius potestatis, non qualemcumque nec utcumque positum, sed quatenus sine obstaculo variatum in eisdem prorsus adiunctis,* iuxta leges logicas inductionis,

Quilibet enim homo expertus est et memoria recordatur, se in eisdem prorsus adiunctis, seu stante eodem iudicio indifferenti, de mediis aptis ad eumdem finem obtinendum, aliquando se nullum elegisse, aliquando vero unum vel aliud praetulisse. Ex quo legitime et obvio ratiocinio concludit se habere potestatem ad id faciendum; siquidem a facto ad posse valet illatio.

Quidquid sit utrum *adiuncta* vel circumstantiae *in sua realitate* considerata possint necne esse prorsus eadem, saltem *adiuncta quatenus cognita* eadem esse possunt et de facto fuerunt in experientia praeterita. Atque hoc sufficit ad legitimandum hoc ratiocinium inductivum. Nam voluntas in electione non se determinat ad media prout in sua realitate exsistunt, sed prout ab homine cognoscuntur in realitate dari.

540. 2.º PROBATUR ETIAM EX EXPERIENTIA EORUM QUAE A) PRAECEDUNT ET B) SUBSEQUUNTUR ELECTIONEM.

A) ANTE ELECTIONEM indubitanter teneo me posse eligere

unum vel aliud vel nullum ex mediis propositis ad finem quem intendo ducentibus.

Me posse ecclesiam, exempli causa, adire via A, vel via B, vel eam non adire. In studio et investigatione me posse pergere scribere vel a scribendo cessare ut legam aliquem librum; hoc argumentum persequi, vel si velim ad aliud tempus differre. Certus sum me id velle posse, imo ad id defatigatione diuturni laboris iam impellor, et tamen quia volo, scribere pergo.

Melius autem id patet in rebus gravioribus in quibus consultationem praemittendam esse credimus, ne imprudenter agamus; et saepe, post longas deliberationes, propositis omnibus mediis, ancipites haeremus, cum tamen faciliter alterutrum eligere possemus. Hoc denique maxime patet in firma resistentia fortium tentationum diu interdum persistentium.

B) POST ELECTIONEM, de actibus sub potestate elicitis eos non eliciendi, non autem de illis quae necessario eliciuntur, experimur *moralem imputationem*. Ea enim quae deliberate elegimus, nobis laudi vertimus, si bona fuerint; culpae vero, si mala; non autem de eisdem factis sine deliberatione patratis.

Iam vero, huiusmodi facta, cuiusque experientia comprobata, omnino cohaerent cum realitate liberi arbitrii; et *omni* explicatione possibili carent, si homo non libere operatur.

541. 3.º Realitas liberi arbitrii ex ipsa naturae voluntatis evincitur.

Voluntas est 1) facultas seu vis activa et spiritualis hominis, appetitiva boni ab intellectu cogniti, et quidem 2) eo modo quo ab intellectu hoc bonum ut appetibile cognoscitur. *Atqui* homo 1) aliqua quidem bona apprehendit ut omnino bona et necessario appetibilia; 2) plura autem et saepe non ut omnino bona nec necessario appetibilia. *Ergo* voluntas humana 1) quaedam quidem bona necessario appetit, 2) plura autem, et saepe, non necessario sed libere appetit, seu cum potestate ea non appetendi.

542. *Maior,* quoad 1) est ipsa definitio voluntatis. Quoad 2) quia secus voluntas non necessario vellet quod ab intellectu ut necessarium proponitur; vel necessario vellet, quod ab intellectu ut non necessarium praebetur, quo supposito, *a)* nec ratione in volendo dirigeretur et moveretur sed ab alia re a ratione distincta, nec *b)* consequenter voluntas facultas rationalis esset; nec tandem *c)* haec ratio agendi componi posset cum harmonia et coordinatione facultatum hominis, quae certe datur in homine sanae mentis, saltem inter facultates eiusdem ordinis, in casu praesenti, ordinis rationalis [15].

[15] Cf. S. TH., *De veritate,* q.24 a.2c.

543. *Minor,* quoad 1), extra dubium est, intellectum humanum apprehendere aliqua ut omnino bona et appetibilia, sive *a)* ut *finem* intentum, sive *b)* ut *medium* ad finem intentum conducens.

a) Omnino bona et appetibilia ut fines intenta, sunt exempli causa quidquid sub ratione boni excludente omne malum apprehenditur; seu bonum perfectum, complectens summam omnium bonorum pro homine; seu bonum infinitum omnia particularia bona in se *complectens,* quod idem est ac *beatitudo perfecta* et ultimus finis hominis.

Haec omnia quae proprie loquendo unum tantum sunt et de facto in solo Deo inveniuntur, per errorem tamen intellectus fieri potest ut in rebus a Deô distinctis apprehendantur, saltem in statibus passionalibus et ab intellecto humano praeiudiciis falsis imbuto.

b) Ut omnino bonum saltem utile et omnino appetibile tamquam medium ad obtinendum finem intentum, apprehenditur ab intellectu, omne medium quod unicum apparet, nec aliud cognoscitur, per quem finis obtineri possit sive absolute sive hypothetice intentus.

544. *Eadem minor* quoad 2), seu quod ab intellectu humano passim plura apprehendantur bona particularia, non omnino bona et appetibilia, tum *a)* quoad bona intenta ut finem, tum *b)* quoad bona quae talia sunt quatenus habent rationem medii ad finem intentum, non minus evidens est.

Sic *a)* quoad bona tum honesta tum delectabilia in se spectata et ut finem intenta, innumera in vita hominis *occurrunt bona quae non omnino bona apparent;* sive propter eorum finitudinem et imperfectionem; sive propter difficultates quae apprehenduntur in eorum adquisitione; sive propter insecuritatem eorum possessionis; sive etiam quia ipsorum possessio est incompossibilis cum aliorum bonorum possessione.

Sed *b)* multo clarius hoc apparet *quando agitur de bono utili,* seu de bono quod tale est quatenus habet rationem medii ad finem intentum obtinendum. Nam plerumque evenit ut media quae apprehenduntur sint plura et inter se opposita, quae proinde non unice apta sunt ad finem, et consequenter nec ut necessario appetibilia apprehenduntur.

545. Tandem *consequentia* evidens est, supposito, ut par est, facto a nemine negando, quod homo, sub cognitione horum bonorum particularium vel mediorum quae non unice ad finem intentum conducunt, aliquando a volendo abstinet, aliquando autem alicui ex illis bonis voluntate adhaeret, vel unum ex mediis aliis praefert.

Nam eiusmodi abstentio a volendo aliquid, vel determinatio ad volendum unum prae alio, *provenire nequeunt ab ipsis obiectis quatenus cognitis,* quae quamvis alliciant et invitent voluntatem, non eius vim appetendi exaequant, cum non apprehendantur ut omnino bona et appetibilia. Quamobrem vo-

litio, vel nolitio quae de facto datur, *non nisi ab ipso homine determinatur per suam vim activam volendi,* quae voluntas dicitur, atque *in hoc exercitium liberi arbritii formaliter consistit*[16].

546. 4.° Liberi arbitrii realitas probatur ex reali exsistentia et veritate ordinis moralis.

Ordo moralis *formaliter* sumptus est complexus relationum et principiorum iuxta quae actiones humanae ut bonae vel ut malae habentur. Entitates ad ordinem moralem spectantes sunt *ius, obligatio, responsabilitas, meritum* vel *demeritum, praemium* et *poenae,* etc.

Ordo moralis potest etiam *materialiter* considerari, et tunc importat *actiones humanas quae ut bonae vel ut malae* habentur iuxta illa principia et relationes, quibus constituitur ordo moralis formaliter sumptus.

547. Haec prae oculis habenti, certissimum est, ordinem moralem esse verum et realem, id est, non esse aliquid mere apparens et fictum seu illusorium. *Atqui* ordo moralis nequit esse verus et realis, nisi liberum arbitrium realiter exsistat; seu, quod idem est, ordo moralis, sublato libero arbitrio, non esset nisi fictio quaedam vel illusio. *Ergo* exsistit liberum arbitrium.

Consequentia est evidens. Ex deterministis, *aliqui* admittentes maiorem, negant minorem, contendentes ordinem moralem componi posse cum negatione libertatis. *Alii* vero concedunt hanc minorem, sed negant maiorem seu realitatem ordinis moralis prout nunc generatim concipitur. Probanda igitur est utraque praemissa syllogismi propositi.

548. *Probatur maior.* 1.° *Ex consensu generis humani a*) universali, *b*) constanti, et *c*) ineluctabili de realitate entitatum moralium, videlicet iuris, obligationis, meriti vel demeriti, de quo iam supra (533) dictum est. Omnes enim, dum de his entitatibus agunt, pro certo habent illa non esse figmenta mentis, sed realitates, non quidem ordinis physici, sed diversi ordinis, qui *moralis dicitur.*

549. 2.° *Ex absurdis* quae sequerentur si ordo moralis formaliter sumptus haberetur ut mera fictio.

a) *Generatim* enim corrueret etiam ordo moralis materialiter sumptus; nam, cum ratio sese gerendi hominum legibus tantum physicis regeretur, tantum praevaleret vis fortior, et consequenter tota organizatio familiaris, socialis et politica omnino esset in aliam, certe peiorem, convertenda.

[16] Hanc esse sententiam S. THOMAE, in *Cursu,* textibus adductis declaratur. Cf. S. TH., *De malo,* q.3 a.3; q.6 a.unic. ad 10; *De veritate,* q.22 a.5 et 6; q.24 a.1 et 2; *Sum. Theol.,* 1 q.82 a.1 et 2; 1-2 q.10 a.2; q.13 a.6.

b) *Speciatim* nulla tunc daretur apud homines obligatio, nullum ius nec officium, nullum meritum vel demeritum, nulla virtus nec vitium, nulla lex quae physica non esset; et, consequenter, nulla laus nec vituperium, nullum praemium vel poena proprie dicta saltem vindicativa, nullum discrimen inter hominem amentem et hominem sanae mentis crimen aliquod perpetrantes, nullum discrimen inter hominem aliis hominibus nocumentum inferentem ut propriis cupiditatibus indulgeat, et hominem aliis hominibus benefacientem etiam cum propriorum bonorum iactura.

Qui talia admitteret, quae evidenter sequuntur ex negatione ordinis moralis, genus humanum prorsus distinctum ab actuali sibi fingeret; nec ullam esse differentiam essentialem inter homines et bruta, ad imputationem operationum quod attinet.

550. *Probatur minor.* Sublata libertate perit non modo A) ordo moralis *formaliter* sumptus, verum etiam B) ordo moralis *materialiter* inspectus.

Propositio A) posset probari instituendo analysim conceptus diversarum entitatum moralium. Qui enim conceptus istos bene perpendit clare perspicit eos affirmationem liberi arbitrii ut fundamentum includere; eosque, libero arbitrio negato, sensum absurdum habere, vel alium plane distinctum a sensu quem homines illis tribuunt.

551. Declarari autem potest in specie quoad *a)* conceptus *boni vel mali moralis,* b) *imputabilitatis et poenae,* c) *iuris et obligationis.*

a) *Conceptus boni et mali moralis,* importat conformitatem vel disconformitatem cum lege aliqua imponente non necessitatem physicam, sed tantum moralem, seu talem quae actionem vetitam vel praeceptam non physice impediat vel promoveat, sed tantum sub aliqua sanctione poenae vel praemii incurrenda.

Secus homo non esset magis auctor suae bonitatis moralis quam equus suae agilitatis; et bonitas quae moralis supponitur, non esset nisi utilitas quaedam vel bonitas ordinis aesthetici plane distincti ab ordine morali.

b) *Conceptus imputabilitatis,* et consequenter culpae et poenae, si agitur de actione mala, supponit quod haec cadebat sub dominio illius cui imputatur; quo deficiente quacumque de causa, iam positio actionis non pendet ab illo sed a causa necessitante. Imputabilitas actionis pravae secum fert in ordine morali rationem culpae et meritum poenae. Iam vero sublata libertate, nec culpa nec poena propriae talis daretur, quemadmodum non datur in brutis et in hominibus ratione orbatis.

c) Tandem *conceptus iuris et obligationis* supponunt etiam libertatem. Nequit enim ius dari exigendi ab alio ea quae ipsi sunt impossibilia vel extra suam potestatem et dominium posita; nec ullus est qui obligetur ad praestandum id quod ipsi physice impossibile sit. Sublata autem libertate a necessitate, remanet solummodo necessitas physica.

552. *Propositio* B) non minus evidens esse videtur. Nam ubi primum homines convincerentur se in omnibus ex neces-

sitate operari, nec in sua potestate et dominio esse actus moraliter bonos procurare, malos autem vitare, tendentiis versus malum moralem non modo non resisterent sed facilius indulgerent; et, consequenter, ratio sese gerendi hominum longe alia et deterior esset, et ipsorum mores multo peiores, quippe qui non rationis normis sed effrenatis cupiditatibus tantummodo regerentur.

553. Obiectiones. 1. CONTRA 1.^{m} ARGUMENTUM. Persuasio quam de propria libertate habent omnes homines est quaedam illusio. *Ergo,* ex ea non probatur realitas liberi arbitrii.

Antecedens probatur. Nam illusio liberi arbitrii similis est illusioni quam pateretur index ventorum (BAYLE), vel trochus seu—*peonza*—(HÖBBES), vel lapis proiectus vel ab alto ruens (SPINOZA), vel acus magnetica (LEIBNIZ), si cogitionem haberent et cuperent ita moveri. *Ergo* a pari homo, quia cognitionem habet et cupit moveri existimat motum a se procedere, cum non nisi a re ipsi extrinseca eius operatio determinetur.

Resp.: nego ant. et *conseq.* Ad probationem.

Resp.: 1.° Mirum est quod positivistae hoc obicientes recussent testimonium conscientiae, quod est factum positivum experientia comprobatum, et recurrant ad testimonium conscientiae hypotheticum, imo et absurdum. Negandum enim est evidenter suppositum.

Resp.: 2.°: *Nego* paritatem, etiam supposito absurdo. Nam homo non solum cognoscit proprios motus nec simpliciter conscius est eos cupere; sed conscientia experitur, se motum propriae voluntatis determinare in electione, quod quidem praefatae res non experirentur, cum ab alio determinentur, sicut nec nos experimur cum ab alio violenter determinamur.

INST.: Illusio liberi arbitrii sufficienter explicatur ex conscientia propriae activitatis coniuncta cum ignorantia virium quibus reapse ad eligendum determinamur. Ita ad mentem SPINOZAE, SCHOPENHAUER, HOFFDING, WUNDT, ZIEHEN et plurium modernorum.

Resp.: nego ita explicari. Obstant rationes adductae in probatione. Obstat etiam: *a)* Quod conscientia libertatem eo evidentius testatur, quo melius perpenduntur motiva electionis.

b) Ad summum ignorantia motivorum fundamentum esse posset assertionis negativae: "nescio undenam haec electio proveniat"; conscientia autem electionis, positive testatur determinationem a me provenire.

c) Nec determinationi nostrae attribuimus volitiones quae sunt actus primo primi et necessario perficiuntur, nec multo minus imaginationes et quascumque alias activitates nostras quae nobis nolentibus eveniunt.

Tandem *d)* si verum esset quod a deterministis dicitur potius quam positive libertatem harum activitatum asserere, deberemus rem ex inopinato advenientem mirari, quemadmodum miramur figuras diversas in kaleidoscopio occurrentibus, vel quemadmodum miraremur quod nobis nolentibus nec quidquam agentibus, vi aliqua ignota ab uno in alium locum veheremur.

554. 2. CONTRA 2.^{m} ARGUMENTUM. Conscientia nequit libertatem testari. "Conscientia tantum mihi dicit quod ego *facio* et sentio. Non

autem id quod *capax* sum faciendi. Conscientia enim non est prophetica; habemus conscientiam illius quod est; non autem illius quod erit aut quod facere possumus. Numquam scimus nos esse capaces faciendi aliquid, nisi postquam facimus aliquid aequale vel simile". Sic STUART MILLL[17]. *Ergo* mera conscientia libertatem non experimur.

Resp: Trans. ant., et etiam *cons.* Nos non probavimus libertatem ex mera conscientia volitionis liberae, nec quidem ex mera conscientia "tou ego" actu volentis, sed ratiocinio evidenti in his factis conscientiae innixo.

INST.: Atqui neque argumentum in conscientia fundamentum aptum est ad probandam libertatem. Nam fieri potest ut aliquis conscientiam habeat se libere operari, cum tamen non nisi necessario agat. Sic interdum evenire videtur, tum *a)* in somniantibus; tum *b)* in hypnotizatis.

a) *Somniantes* enim, non raro sibi proponunt obiecta ut moraliter bona et praecepta, vel ut prohibita et peccaminosa; et interdum passioni turpi consentiunt, non sine conscientiae remorsu ex apprehensione peccati. Ergo conscientiam habent se libere hoc facere, cum sine hac conscientia non detur peccatum; et aliunde iuxta omnes, somniantes libertate carent.

Sic etiam b) *hypnotizati*, hypnotizatore suggerente, criminosas actiones perpetrant quas ut tales ac moraliter malas apprehendunt; quod sine conscientia suae libertatis fieri non potest. Id praesertim evenit dum suggestiones posthypnoticas, post multum temporis suggestionis factae, eas fideliter exsequuntur; cum aliunde libertate carere et irresponsabiles esse videntur.

Resp. nego min. subsumptam. Ad probationem, *dist. ant.:* fieri potest ut aliquis apparentem conscientiam habeat se libere operari, quin tamen non nisi necessario operetur, *conc. ant.;* fieri potest ut veram conscientiam habeat se libere operari, quin vere libere operetur, *nego.*

555. Ad facta adducta in probatione, *generatim* dici potest nec somniantes nec hypnotizatos veram persuasionem rationalem de sua libertate habere, haustam ex testimonio conscientiae quod detur in statu somnii vel hypnosis; et falsam persuasionem quam habent de propria libertate, non esse nisi statum affectivum, similem illi quem habuerunt in vigilia et statu normali coniunctum cum vero testimonio conscientiae et consequente persuasione de propria libertate.

Nec haec solutio aliena est a scientia psychologica quae saepe admittit aliquem statum affectivum, posse transferri, irrationabiliter et per meras leges associationis, ad apprehensiones similes illis quae quondam illum statum affectivum produxerunt. Eiusmodi associationes complexus (complejos) dici consueverunt. Sic exempli causa explicantur *tics* seu motus reflexi involuntarii; sic etiam *fobiae* quibus psychastenici laborant.

556. *Speciatim a) quoad somniantes* dicendum est libertatem in illis deficere defectu veri iudicii indifferentis, eo quod licet in somniis intelligentia exerceatur, impeditus tamen est eius "usus rationis", quo nomine, agendo de libertate, "non significatur, ut bene notat LOSSADA[18], quilibet actus intellectus etiam iudicativus, sed iudicium

[17] STUART MILL, *La philosophie de Hamilton*, ch.26.
[18] LOSSADA, *Cursus philosophicus*, t.9 p.244 n.14.

"speciali modo" vividum ac firmum, qui modus pertinet ad iudicium indifferens ut constitutivum libertatis; et tametsi non facilis explicatur, satis dignoscitur experimentaliter; quisque enim experitur, se, dum e somno evigilat, quasi dissipatis ab intellectu nebulis, iam longe aliter percipere, discernere, ac iudicare obiecta quae dormienti occurrerunt".

b) *Quoad hypnotizatos,* dum in hypnosi versantur, idem prorsus est dicendum ac de somniantibus. Quantum ad suggestiones posthypnoticas autem, merito dubitatur utrum qui fuerunt hypnotizati, dum suggestiones factas in hypnosi, aliquando post multum temporis, fataliter exsequuntur, polleant necne libertate.

Testimonia hypnotizatorum inter se non cohaerent, aliis affirmantibus aliis negantibus se libere suggestiones posthypnoticas exsequutos esse [19]. Hoc unum cum certitudine dici potest, videlicet, eos libere agere vel non, prout conscientiam habeant iudicii indifferentis et suae libertatis. Exercitium ergo libertatis et conscientia libertatis, numquam separari possunt.

INST.: Experientia omnium constat multos esse homines pleno usu rationis praediti, qui tamen positis omnibus ad agendum requisitis, videlicet in occasione proxima ad peccandum, non possunt se dominari et ferrea necessitate, ad faciendum quod nollent adiguntur, nec liberi sunt ad se continendum.

Resp.: dist. assertum: multi sunt homines qui pleno usu rationis praediti et praelucente iudicio indifferenti, ferrea necessitate adigantur ad volendum unum ex extremis libertatis, *nego:* qui stante iudicio indifferenti et nollentes aliquid facere, necessario tamen id faciant, *subd.:* si eorum voluntas dominium non habet circa activitates distinctas a voluntate, quas proinde efficaciter non valent imperare, *conc.;* si hoc dominium habent, *nego.* Operatio illa a volitione distincta, et voluntate renuente patrata, nec voluntaria nec libera erit, in semetipsa, sed ad summum tantum in causa, quatenus homo illam praevidit et voluit. Dominium autem voluntatis in potentias activas sensitivas et locomotrices, deficere potest, tum defectu convenientis educationis; tum ob nimiam vehementiam tendentiarum inferiorum.

557. 3. ADVERSUS 3.^m ARGUMENTUM. Iudicium praecedens volitioni, vel est *indifferens,* seu obiectum praebens non necessario appetendum a voluntate; vel non *est indifferens,* seu praebens obiectum necessario a voluntate appetendum. *Atqui,* si *primum* dicitur, volitio sequi potest nulla, nedum libera. Si vero *alterum* eligitur, iuxta omnes non nisi volitio necessaria sequi potest. *Ergo* volitio, si producitur, non nisi necessario producitur.

Resp.: dist. mai. quoad primum membrum dilemmatis; iudicium praecedens volitioni vel est indifferens seu obiectum praebens non necessario appetendum a voluntate, sed sive *appetibile* sive *non appetibile;* vel obiectum necessario appetendum a voluntate, *conc.;* iudicium praecedens volitioni, vel est indifferens seu obiectum praebens non necessario appetendum a voluntate nec ab *ipsa appetibili,* seu ut omnino indifferens; vel non indifferens seu praebens obiectum necessario appetendum, *nego.*

Contra dist. min.: si primum dicitur, hoc est, si iudicium praecedens volitioni obiectum praebet voluntati non necessario appetendum *nec appetibile,* volitio sequi potest nulla, *conc.;* si primum dicitur,

[19] Cf. FONSGRIVE, *Essai sur le livre arbitre,* p.444.

hoc est: si iudicium praecedens volitioni obiectum praebet quidem non necessario appetendum sed tamen *appetibile,* volitio sequi potest nulla, *nego.*

Si *vero alterum* dicitur, hoc est: si iudicium non est indifferens sed praebens obiectum necessario appetendum, volitio consequens est necessaria, *conc.,* et concedo etiam quod nulla sequitur volitio si obiectum praebetur omnino indifferens appetenti.

Et sub datis distinctionibus, *nego cons.* et *consequentiam.*

Volitio enim libera sequi potest et de facto sequitur, si iudicium practicum, quamvis sit indifferens, hoc est: non determinans volitionem, et obiectum proponat ut non necessario eligendum, tamen illud proponit ut *appetibile* vel *elegibile.*

558. Inst.: Quod est indifferens seu ad actum non determinatum, non potest transire ad actum nisi ab alio determinetur. *Atqui* voluntas de se est indifferens et nequit ad actum determinari a iudicio indifferenti. *Ergo,* si iudicium praevium est indifferens, voluntas nequit ad volitionem determinari; ac, proinde, supposito iudicio indifferenti nulla volitio produci potest. Et si iudicium est necessarium, non nisi volitio necessaria produci potest.

Resp.: *dist. mai.*: quod est indifferens indifferentia *mere passiva,* no potest transire ad actum, nisi ab alio determinetur, *conc.;* quod est indifferens indifferentia *activa,* non potest transire ad actum, nisi ab alio determinetur, *subd.:* nisi ab alio determinetur, in ordine causae formalis seu quoad obiectum et *specificationem actus, conc.:* in ordine causae *efficientis nego.*

Contra dist. min.: voluntas de se est indifferens, seu ad volitionem non determinata, scilicet; est indifferens indifferentia pure passiva, *neg.;* indifferentia activa, *subd.:* est indifferens, in genere causae formalis seu quoad *obiectum* et *specificationem* sui actus, *conc.;* in genere *causae efficientis,* seu quoad determinationem volitionis, iterum *subdist.:* est indifferens indifferentia ab ipsa voluntate determinanda, *conc.;* indifferentia quae ab ipsa voluntate nequeat determinari, *nego.*

Explico: Quod actus voluntatis versetur circa hoc vel aliud obiectum, provenit quidem a cognitione quae praelucet determinationi voluntatis et in ipsa imbibitur. Volitio ergo a cognitione *specificatur* in genere *causae formalis.* Quod autem volitio feratur versus unum vel alterum obiectum iudicii praevii, a vi activa ipsius voluntatis provenit quae potentia, non passiva, sed activa est, quae positis omnibus ad agendum requisitis potest se determinare versus unum vel aliud, atque etiam ab omni determinatione se abstinere. Atque in hoc praecise formaliter consistit liberum voluntatis arbitrium.

559. 4. Contra 4.^m argumentum. Realitate liberi arbitrii negata adhuc ius, obligatio, responsabilitas seu imputabilitas, meritum vel demeritum, praemium et poenae, etc., dari possunt.

Ergo negato libero arbitrio, adhuc realitas ordinis moralis subsistit.

Antecedens probatur. Animalia enim saltem superiora, quae certe libero arbitrio carent, *ius* habent ut ipsis alimenta suppeditentur, vel saltem ut ab illis quaerendis non impediantur; *obligantur* ad laborandum pro homine; ipsis *imputantur* ea quae optime perficiunt, et de illis ab hominibus laudantur, atque etiam ipsis culpae vertuntur ea quae non recte perficiuntur; et ideo *praemia* ipsis conceduntur et

poenae infliguntur. *Ergo* ordo moralis non ruit eo quod realitas liberi arbitrii negetur.

Resp.: Realitate liberi arbitrii negata, adhuc obligatio, responsabilitas seu imputabilitas, meritum vel demeritum, praemium et poenae dari possunt, haec omnia intelligendo *in sensu mere analogico* et improprio, valde distincto a sensu quem habent eiusmodi verba quando de homine agitur, *conc.;* in sensu proprio et primario quem eiusmodis verba prae se ferunt, cum ad homines referuntur, *subdist.:* eundem absurde sensum haberent et aeque proprie dicerentur de homine ac de bellua, in sententia negante liberum hominis arbitrium, *conc.;* in vera sententia circa realitatem liberi hominis arbitrii quo belluae privantur, *nego.*

Quod verus ordo moralis impossibilis sit, si liberum arbitrium non datur, et in nostro argumento sufficienter ostendimus, et plenius argumentis metaphysicis in Ethica demonstratur.

560. 5. ADVERSUS LIBERUM ARBITRIUM IN GENERE. A) *Ex ipso conceptu libertatis.*

a) Positis omnibus ad agendum requisitis, necesse est ut voluntas obiectum velit, vel nolit, vel quasi suspensa maneat. *Ergo* voluntas libera non est.

Resp. 1.°: *trans. ant.;* et *nego conseq.* et *consequentiam.* Quia licet unum ex illis tribus eliget, cum nihil aliud eligendum sit, illud quod eliget libere eliget.

Resp. 2.°: *dist. ant.:* necesse est, *necessitate logica,* ut unum ex illis tribus eligat, *conc.;* necesse est ut illud quod eligat, *necessario* seu sine libertate eligat, *nego.*

b) Volitio libera impossibilis est. Quia vel esset libera *antequam* elicitur, vel *postquam* elicita est, vel dum *elicitur.* Atqui non *primum;* quia volitio nondum est, et quod non est nequit esse quidquam. *Nec secundum* seu postquam elicita est, quia quod factum est infectum fieri nequit. *Neque tertium,* seu *dum elicitur,* quia in illo instanti, voluntas non habet potestatem ad oppositum, et volitio, cum iam adest, nequit cum eius negatione componi. *Ergo* volitio nunquam libera est.

Resp.: nego ant. Ad probationem, *conc. mai.* et *min.* quoad *primum* et *secundum; nego* autem *quoad tertium.*

Volitio, enim, libera est *dum* elicitur, si a potentia libera elicitur. Quia, licet in *signo posteriori* considerata, seu quatenus iam facta inspicitur, non detur in voluntate potestas ad oppositum; at in signo *priori,* seu in suo fieri spectata a potentia libera elicitur cum potestate actuali illam non eliciendi. Huiusmodi obiectio, a nominalibus inventa, tota *fundatur in ignara confusione signorum temporis et naturae* [20].

561. 6. B) *Ex principiis metaphysicis.*

a) Omne quod movetur ab alio movetur. *Atqui* si voluntas libere ageret semetipsam moveret. *Ergo* voluntas nequit esse libera.

Resp.: quidquid movetur ab alio movetur, id est *quidquid fit ab alio fit, conc.;* quidquid recipit aliquam actionem vel formam, eam accipit a causa efficiente distincta, *subd.:* tantum, *nego;* etiam, *conc.*

Contra dist. min.: si voluntas libere ageret eius volitio efficeretur quidem ab illa, ut actus vitalis; at non illa tantum influente sed *cum concursu aliarum causarum* diversi ordinis sine quo esset impossibilis,

[20] Cf. SUÁREZ, DM d.19 s.9.

conc.: efficeretur tantum ab illa *sine concursu aliarum causarum, nego.*

Huiusmodi influxus qui requiruntur ad volitionem liberam eliciendam, praeter generalem Dei concursum, sunt influxus bonitatis obiecti praevie cogniti, in *genere causae finalis* allicientis et invitantis voluntatem ad illud appetendum; et ipsius obiecti, in *genere causae formalis,* quatenus illo specificatur cognitio praevia volitioni et ipsa volitio ex tali cognitione consequens.

Si eiusmodi obiectio valida esset contra libertatem; valeret etiam contra quamcumque actionem immanentem et vitalem, etiam vitae vegetativae sensitivae et rationalis. Nimis igitur probat, ac proinde nihil probat.

b) Potentia quae positis omnibus ad agendum requisitis possit agere vel non agere, pugnat in terminis.

Ergo non datur liberum arbitrium.

Antecedens probatur, quia causa instructa omnibus ad agendum requisitis non potest non agere; secus iam non esset omnibus ad agendum requisitis praedita, nam ideo non ageret, quia aliquid ad agendum ipsi deesset.

Resp.: nego ant. et *cons.* et *consequentiam.* Ad probationem *dist.:* si causa omnibus ad agendum requisitis intelligitur ita ut complectatur, non modo virtutem plenam et sufficientem ad agendum, sed etiam ipsam *actionem, conc.;* si causa omnibus ad agendum requisitis intelligitur, prout intelligendum est, causa in *actu primo proximo constituta* cum plena virtute agendi, praescindendo ab actu secundo, talis causa non potest non agere, *subd.:* si supponitur, quod demonstrandum est, causam de qua agitur esse necessariam, *conc.:* si causa de qua agitur non est necessaria sed probatur esse libera, *nego.*

562. Inst.: Causa omnibus ad agendum requisitis munita, est causa *sufficiens,* ad agendum. *Atqui,* experientia constat causam sufficientem ad agendum necessitate naturae agere. *Ergo* causa omnibus ad agendum requisitis munita non potest non agere, et impotens est ad non agendum.

Resp.: conc. mai.; et *dist. min.:* experientia constat causam sufficientem ad agendum, necessitate naturae agere, si nomine causae sufficientis intelligitur causa praedita quidem sufficienti virtute, sed non insuper in illis condicionibus constituta quae necessariae sunt ut eius virtus convenienter ad agendum applicetur, *nego;* si vero nomine causae sufficientis intelligitur non modo virtus sufficiens sed etiam condiciones necessariae ut haec virtus convenienter applicetur, *subd.;* si agitur de causa necessario operante, *conc.;* si de causa libera, *nego* id experientia constare.

Haec *obiiciens principium petit,* supponens esse verum id quod praecise demonstrandum est. Si non darentur causae liberae quae positis omnibus ad agendum requisitis possint agere vel non agere, ut supponit adversarius, verum esset quod omnis causa sufficiens et convenienter applicata non posset non agere. Si vero dantur, ut probavimus, causae liberae, fieri potest ut positis omnibus ad agendum requisitis, causa de se sufficiens ad agendum, tamen non agat, vel sufficiens ad agendum unum vel aliud, agat pro suo libitu quod eligat.

563. Inst.: Qui admittit causam quae positis omnibus ad agendum requisitis possit agere vel non agere, pugnantia loquitur. *Ergo*

liberum arbitrium est aliquid intrinsece contradictorium.

Antecedens probatur. Quia admittit causam sufficienti virtute praeditam ad agendum; et simul negat ipsam sufficienti virtute ad agendum esse instructam. Nam quod non agat non nisi insufficienti virtuti ad agendum tribuendum est.

Resp.; nego ant. et *cons.* Ad probationem, *nego* iterum antecedens, et ad rationem additam *nego* quod ratio propter quam causa libera positis omnibus ad agendum requisitis possit non agere, sit *insufficientia virtutis,* sed potius est *plenitudo virtutis,* qua domina est suorum actuum, et pro suo libitu et determinatione potest agere vel ab agendo abstinere et unum vel aliud agere.

564. 7. C) *Ex scientia experimentali.*

a) Iuxta plures *statisticas,* facta quaedam quae ut libera haberi solent, ut exempli causa, matrimonia contracta, divortia matrimonialia, crimina patrata, litterarum quae quotannis tabellario mittuntur in aliqua civitate vel natione, et alia huiusmodi, magnam constantiam et regularitatem prae se ferre videntur quoad numerum, in determinato tempore et loco. *Atqui* haec regularitas et constantia in numero eventuum quae ut liberi habentur, inexplicabilis esset, si eiusmodi facta reapse libere efficerentur. *Ergo* multa facta quae libere effici putantur, non libera sunt, sed in suis causis determinata.

Resp. 1.°: *trans. ant.* et *nego min.* et *cons.* et *consequentiam.* Nihil enim impedit quominus actiones vere liberae, constantia quadam et regularitate praeditae appareant in statisticis, atque etiam maiori constantia et regularitate quam ea quae praevideri posset ex calculo probabilitatis in rebus de se penitus indifferentibus, exempli causa in numeris quae casu et sorte ex bursa extrahantur.

Constantia enim et regularitas numeri horum factorum, ut summum incompossibiles essent cum notione liberi arbitrii propria *indeterminismi immoderati,* non autem cum vera notione liberi arbitrii, quae non excludit sed requirit, praeter influxum obiecti praevie cogniti in determinationes liberas voluntatis, etiam plures alios influxus, *non quidem determinantes, sed foventes quasdam decisiones liberas.* In actibus enim liberis eliciendis influunt de facto habitus contracti, educatio, exemplum aliorum et consuetudines populorum, medium ambiens physicum, sociale et morale, status animi individualis, defatigatio, hilaritas, tristitia, pathologicae affectiones, character et temperamentum individuale, sexus, aetas, stirps, gradus culturae et alia huiusmodi sexcenta, quae fovent vel impediunt decisiones liberas hominis, quin ipsas determinent et libertatem perimant.

Constantia ergo et regularitas actionum, *nec in suo conceptu, neque in sua realitate,* libertati ipsarum opponitur. Perperam enim concluderet libero arbitrio privari, illum qui fideliter et constanter leges morales adimplet.

565. *Resp.* 2.°: *nego antecedens.* Factum enim ex quo arguitur mirum in modum exaggeratur.

Quia constantia et regularitas actionum liberarum reapse *non adeo absoluta* et *exacta* est ut dicitur et ut esse deberet ad aliquid ex ea concludendum contra realitatem liberi arbitrii. Est enim constantia et regularitas tantum *relativa* et multis *fluctuationibus subiecta.*

Praeterea operationes liberae huiusmodi constantiam et regularitatem prae se ferunt tantummodo, *si abstracte considerantur;* non autem si in singulis individuis inspiciuntur, in diversissimis adiunctis

constitutis, seu prout de facto eiusmodi operationes perficiuntur. Si de his adiunctis ratio haberetur, paucae admodum operationes liberae reperirentur, quae non diverso modo et diversis motivis efficerentur. In computationibus autem statisticis a diversis hisce adiunctis praescinditur, et ad processus variatissimos quibus diversae actiones liberae perficiuntur non attenditur, sed tantum summa vel collectio actuum liberorum spectatur; quo fit ut *facta inter se omnino diversa, in unum congerantur* et numerus factorum unius individui, cum numero factorum aliorum compensetur.

Sic enim, exempli causa, licet numerus globalis litterarum quae quotannis mittuntur tabellario in aliqua civitate vel natione constans supponatur, non inde sequitur unumquemque civem quotannis determinatum numerum litterarum tabellario misisse. Fieri enim potest ut constans sit numerus globalis litterarum libere missarum a civibus unius civitatis quin inde sequatur unum eumdemque semper esse numerum litterarum quas unusquisque civis quotannis scribit.

566. *b)* Iuxta legem quae a physicis *principium conservationis energiae* vel constantis energiae dicitur, non novae in mundo oriuntur energiae, sed semper eadem quantitas energiae datur, ita ut cum nova videtur dari energia, non producatur nisi per transformationem alterius energiae aequivalentis quantitatis. *Atqui* hoc principium incompossibile est cum realitate liberi arbitrii.

Nam si liberum arbitrium daretur, continuo nova energia produceretur in mundo quin alia energia deficeret, et sic quantitas energiae mundanae augeretur.

Resp.: dist. mai.: hoc principium viget et verum est quoad vires mundi *materiales, trans.:* quoad vires *spirituales* animae quoque spiritualis, *nego.*

Nego min.; et ad rationem additam, *dist.:* si liberum arbitrium daretur nova produci posset energia *spiritualis,* quin alia amitteretur, *conc.;* nova produci posset energia *materialis* quin alia deficeret, *subd.:* ita ut a libero arbitrio eiusmodi novae energiae materiales producantur alias energias materiales transformando et iuxta legem conservationis energiae, *conc.;* ita ut novae energiae materiales a libero arbitrio producantur et sic quantitas totalis energiae materialis mundanae augeatur, *nego.*

Certe homo potest, ope liberi arbitrii, proprias energias spirituales augere; et, hominibus per generationem multiplicatis et recta educatione efformatis, energia spiritualis in mundo crescere potest. Certe etiam homo potest energias materiales, exempli causa energiam electricam augere, multiplicatis centralibus electricis. Id autem homo facere nequit, nisi transformando quantitates energiae aequivalentes, in energiam electricam.

CAPUT VII

Nonnullae modificationes praecipuae vitae psychicae rationalis

Circa attentionem: BALMES, *Filosofía elemental*, Lógica, n.68; IDEM, *El Criterio*, c.2; PILLSBURY, W. B., *La atención* (trad. cast., Barnes, Jorro, Madrid 1910); RIBOT, TH., *Psychologie de l'attention* (Paris, Alcan, 1905); FRÖBES, J., S. I., *Tratado de Psicología empírica y experimental* (trad. cast. MENCHACA, S. I., Razón y Fe, Madrid 1945), sec.7.ª c.1; LINDWORSKI, J., S. I., *Psicología experimental* (trad. cast. MENCHACA, S. I.: Mensajero, Bilbao 1935) p.347-363; LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental*, ed. 3.ª (Barcelona 1952) p.233-248 n.68-73; WARD, J., *Psychological Principles* (1920) ch.3; LADD, G. T., *Psychology Descriptive and Explanatory* (1909) ch.5; TITCHENER, E. B., *A. Text-Book of Psychology* (1916) p.75-84; IDEM, *Experimental Psychology. Instructor's Manual. Qualitative* (1901) ch.8; WALLON, H., *Application des activités à leurs objects:* L'Encyclopédie Française, t.7 sec.B; PIÉRON, H., *L'Attention:* Nouveau Traité de Psychologie, de DUMAS (1934) IV ch.1; ENGERT, J., *Aufmerksamkeit:* Lexikon der Pädagogik der Gegenwart; BALDWIN, *Attention:* Dictionary of Philosophy and Psychology; MONROE, *Attention:* Encyclopedia of Education; ANDREAE, K., *Aufmerksamkeit:* Encyclopädisches Handbuch der Pädagogik, de REIN; GRUENDER, *Experimental Psychology* (1932) p.212-239; IDEM, *Introducción a la Psicología experimental* (ver. hisp. 1924) p.230-258; BAUDIN, *Psychologie* (1921) p.66-99; PALMÉS, *La atención:* Pens 10 (1954) p.57-58.

Circa habitus: S. TH., 1-2 q.49-54; *De veritate*, q.20 a.2; SUÁREZ, DM d.44 s.1-14; URRÁBURU, *Psychologia*, III p.425-537; BRENAN, *Psicología general*, a.c. p.411-423; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.336-381 n.254-266; MORÁN, *Psychologia* (1949) p.175-179 n.588-593; LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental* (1952) p.210-216 n.59-61; BAUDIN, *Psychologie*, a.c. p.81-99; MARC, *Psychologie reflexive* (1948) II p.187-233.

567. Nexus et ordo capitis. Hucusque operam dedimus studio duplicis generis operationum rationalium quae nomine generali *intellectionis* et *volitionis* donantur. Harum operationum stricte intentionalium et fundamentalium realitatem et causas, tum remotas tum proximas, scientifice cognoscere conati sumus. Sunt autem insuper pene innumerae modificationes harum operationum et totius vitae psychicae, quae etiam vitam rationalem afficiunt, quarum consideratio, et doctrinam psychologicam hucusque traditam complet, et magnam prae se ferre potest utilitatem in vita practica. Inter huiusmodi modificationes ut praecipuas recensebamus (197-198), *attentionem*, quae proxime respicit cognitionem; *habitum* qui praesertim ad tendentiam refertur; et *sentimentum*, quod totam activitatem psychicam pervadit. Cum de sentimento iam multa diximus in genere et, de vita sensitiva agentes in capite VIII libri IV, remanet ut hic aliquid tantum exponamus 1.° circa *attentionem*, et 2.° circa *habitum*.

ARTICULUS I

ATTENTIONIS REALITAS, NATURA ET DIVERSITAS

568. Notio etymologica et generalis attentionis. Vox latina *attentio*, a verbo latino attendere derivata et in omnibus linguis neolatinis accepta, duplicem conceptum suscitat in mente illius qui eam definire intendit; conceptum videlicet cuius-

dam *nisus* vel *tensionis* et pariter *directionis* activitatis mentalis versus obiectum cognitum.

Eosdem conceptus suscitat quoque vox graeca *prosexis,* quae sumitur a *pros* et *ekhein;* et, si latine redditur, idem est ac adhibere aliquid scilicet *mentem* ad aliquid.

Idem etiam conceptus suscitatur a voce germana *aufmerksamkeit,* a verbo *merk* quod *notare* significat et praepositione *auf* quae etiam, sicut *ad* et *pros* directionem aliquam versus aliquid significat.

Recte igitur iuxta vocis *etymon* et rei veritatem, *attentio in genere* definitur a BALMES[1]: "Applicatio mentis ad aliquod obiectum".

Quatenus applicatio mentis est, importat quamdam *activitatem* seu exercitium vitae psychicae; quatenus *mens* est quae applicatur, eiusmodi activitas vel exercitium *ad cognitionem* restringitur; et quatenus *ad aliquod obiectum* potius quam ad aliud eiusmodi activitas applicatur, secum fert quamdam versus ipsum *directionem* vel *orientationem.*

569. Vera attentionis natura. Bifariam et legitime vox attentio, sicut aliae voces, ut imaginatio et memoria, usurpari potest. *a) Uno modo* ita ut nomine attentionis significetur eius exercitium. Attentio tunc consideratur *in actu secundo* et dici potest *attentio formaliter sumpta,* seu in semetipsa considerata. b) *Alio modo,* ita ut nomine attentionis significetur causa attentionem producens. Tunc attentio consideratur *in suo actu primo,* et dici potest attentio *causaliter sumpta,* seu in suis causis considerata.

570. *a)* ATTENTIO FORMALITER SUMPTA. Nihil aliud est quam ipsa applicatio cognitionis ad obiectum aliquod ex multiplicibus cognoscibilibus, per quam attentionem definivimus. Haec applicatio *est aliquid reale,* distinctum realiter a cognitione tamquam eius modificatio; nam non modo cognitio et applicatio cognitionis ad obiectum diversimode definiuntur, sed de facto realiter, experientia teste, separantur, licet non mutuo. Dari enim nequit, ut patet, applicatio cognitionis, nisi cognitio detur; potest autem cognitio separari a quacumque peculiari applicatione ad obiectum determinatum; et ad plura obiecta, sin minus simul, saltem successive applicari. Cum igitur applicatio sit aliquid non substantiale sed accidentale, et non sit accidens absolutum cognitionis, *dicendum est entitatem attentionis esse modum seu accidens modale,* simili modo

[1] BALMES, *El Criterio,* c.2.

ac accidens quoque modale est sentimentum, ut supra in thesi 17 (290-304) probatum est.

Errant proinde omnes qui attentionem formaliter consideratam reponunt in *speciali qualitate* vel modo essendi *obiecti cogniti;* quia applicatio cognitionis in qua attentio consistit potest dari respectu cuiuscumque obiecti.

Nec attentio formaliter considerata reponenda est in *gradu quodam intensitatis* obiecti cogniti; quia attentio ferri potest versus obiecta quae quocumque gradu intensitatis potentiam cognoscitivam percellant. Inter obiecta, enim, quae diversa intensitate potentiam cognoscitivam percellant, possumus cognitionem applicare ad illud quod se praebeat minima intensitate; imo etiam ad obiectum quod nondum potentiam cognoscitivam percellit, sed expectatur, fore ut se praebeat cognoscendum, ut evenit attentione quae ideo *attentio expectans* nuncupatur.

Perperam quoque attentio formalis consistere dicitur in speciali *claritate* et *distinctione* qua obiectum cognoscitur; quia possibile est attendere ad obiectum obscurissimum et confusum.

Confundunt, illi qui sic loquuntur, *attentionem formalem,* de qua agimus, cum *effectu attentionis.* Obiectum cognitum, intensius quidem, clarius et distinctius ope attentionis percipitur quam sine attentione; non autem inde sequitur quod attentio identificetur cum claritate.

571. *b)* ATTENTIO CAUSALITER SUMPTA. Causa attentionem producens, proprie loquendo, non unica est, siquidem ad eam producendam plures causae concurrere possunt et de facto semper plus quam una concurrit. Distinguendum igitur est inter causam *principalem* et *secundarias,* inter causam *immediatam* et *mediatas,* et inter causam absolute *necessariam* et causas quae non semper ad productionem attentionis necessariae sunt.

His praeiactis, causa *principalis, immediata* et *absolute necessaria* est *facultas cognoscitiva;* qua sublata, cognitio non daretur, nedum ipsius applicatio.

Causa etiam *immediata,* sed *non principalis,* nec *absolute necessaria,* esse potest obiectum cognitum. Obiectum enim cognitum semper influit in cognitionem simul cum potentia cognoscitiva; sed non semper influit in applicatione cognitionis; quapropter ad attentionem quod attinet, dicimus non esse causam necessariam.

Interdum tamen fieri potest ut intensitas obiecti omnino attentionem causet vel determinet, ut patet in casibus vehementis excitationis potentiae, qua haec ad obiectum ita praebitum attendere cogitur.

Causa etiam immediata, non principalis nec necessaria, *sentimenta* esse possunt et *tendentiae,* sive innatae sive adqui-

sitae seu habitus; et, maxime agendo de homine, libera eius voluntas, quae pro libitu attentionem promovere potest.

Nulla igitur facultas specialis attentionis est admittenda realiter distincta a facultate cognoscitiva. Hac enim admissa, et aliis quoque causis de quibus dictum est interdum cooperantibus, omnia facta quae attentioni tribuuntur commode explicantur.

Aliunde facultas attentionis, quae distincta esset a facultatibus cognoscitivis, non posset non esse et ipsa facultas cognoscitiva, cum attentio formaliter non sit nisi applicatio cognitionis, non nisi modaliter a cognitione distincta. Secus admittenda esset cognitio aliqua quae de se nullum haberet obiectum, quod est contra essentiam cognitionis quae essentialiter intentionalis est (191); nec ipsi obiectum imponi posset, quod alterius facultatis cognoscitivae proprium esset.

Optime, licet tantum obiter, de causa attentionis scribit SUÁREZ[2]: "Attentio intellectus *non est nisi peculiaris efficientia intellectus*, circa actum per quem tendit in rem cognitam, ut ex philosophia suppono et dicam in tertio tractatu *De anima*. Quia nihil aliud excogitari potest, et quia propter hanc causam non potest quis cognoscere nisi per actum quem facit. Necessarium ergo est ut ad novam attentionem nova sit efficientia"[3].

ARTICULUS II

DE HABITU PSYCHOLOGICO NONNIHIL

572. Generalis notio habitus psychologici. Multiplices et admodum diversae sunt acceptiones vocis habitus, quae apud philosophos circumferuntur, quae breviter recensitae videri possunt apud SANCTUM THOMAM[4].

Nostra hic tantum interest notio psychologica habitus quae ad illos tantum habitus refertur qui *operativi* dicuntur, non autem ad habitus qui *entitativi* appellantur. Isti *entitatem subiecti viventis;* illi autem *potentiam activam* ut talem afficiunt, quae sua natura ordinem ad actum importat.

Psychologice, igitur, nomine habitus venit *in genere* aliquid, quo *activitas vitalis*, praesertim psychica, completur et perficitur, ultra illud quod potentia vitalis se sola praestare posset; vel etiam aliquid quo *virtus potentiae vitalis* completur et roboratur ad efficiendas perfectiori modo suas operationes, quae sine ullo complemento et perfectione ipsi addita non adeo perfecte exercerentur. Ut verbis utamur S. THO-

---

[2] SUÁREZ, *De angelis*, 1.6 c.7 (II 664,27).
[3] Qui plura desideret circa attentionem videat *Cursum* et ea quae scripsimus apud *Pensamiento*, 10 (1954) p.53-78. Cf. etiam auctores Psychologiae experimentalis,ut FRÖBES, *Psicología empírica y experimental* (trad. MENCHACA, ed.3.ª, Razón y Fe, Madrid) t.1 p.72-104; et DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental*, ed.3.ª (Subirana, Barcelona 1952) p.233-248 n.68-73.
[4] S. TH., 1-2 q.49 a.1c.

MAE[5]: habitus in hoc sensu est "aliquid potentiae superadditum, quo perficitur ad suam operationem".

Nomine igitur habitus interdum significatur illa completio vel perfectio *operationis* vitalis; interdum etiam et proprius, complementum vel perfectio aliqua *ipsi potentiae addita.*

573. Habitus naturales et supernaturales. Huiusmodi conceptus generalis et vulgaris habitus, omnibus habitibus convenire potest, licet non in omnibus eodem modo verificentur. Est enim magnum discrimen inter habitus supernaturales, et habitus naturales. Utriusque generis habitus in homine dari possunt et de facto dantur.

Intellectus enim et voluntas hominis, potentia obedentiali gaudent ut possint habitibus supernaturalibus ad supernaturaliter operandum elevari. Et e contra, absque ulla supernaturali elevatione, non modo intellectus et voluntas sed etiam plures aliae potentiae activae materiales hominis, naturali exercitio suae activitatis, habitus adquirere possunt et de facto multis habitibus ornantur.

Est autem *magnum discrimen* inter habitus supernaturales et naturales.

Nam illi facultati tribuunt tantum et *simpliciter, potentiam operandi supernaturaliter,* non autem facilitatem, ideo dicuntur dare *simpliciter posse,* non *facile posse.*

E contra habitus naturales, facultatem naturalem plene constitutam supponentes, ipsi tribuunt, non tantum *posse,* quam *facile posse,* eo quod potentiam naturalem iam naturaliter aliquatenus potentem ad operandum, ulterius complent et perficiunt, ut expedite et cum maiori perfectione, ipsius actus exerceantur. Illi autem a Deo supernaturaliter producuntur; isti naturaliter efformantur, saepe non nisi ope diuturni exercitii activitatis naturalis potentiae.

De supernaturalibus habitibus agere ad Theologos pertinet. De naturalibus tractare proprium est Psychologiae.

574. Habitus definitio scholastica. A scholasticis habitus definiri solet: "Qualitas permanens ac de se stabilis, potentiam iuvans ultra ea quae naturaliter a potentia requiruntur ad operandum".

Dicitur *qualitas;* quia entitas rei qua potentia naturalis in suis operationibus iuvetur, accidens aliquod reale esse debet potentiam afficiens, quod ad nullum aliud praedicamentum pertinere potest quam ad praedicamentum qualitatis.

Dicitur *permanens,* ut distinguatur ab actibus potentiae qui subito evanescunt aliis actibus succedentibus; secus atque habitus, qui, etiam post operationem, permanet in potentia.

Stabilis dicitur, ut distinguatur a *dispositione;* quae etsi sit etiam qualitas permanens, sed talis est quae facile amitti

---

[5] S. TH., *De veritate,* q.20 a.2.

potest. Habitus autem iuxta verbum ARISTOTELIS est qualitas *difficile mobilis a subiecto.* Ideo, et quia principium aliquod actionis est, dici solet habitum esse *quasi secundam naturam.*

Tandem dicitur qualitas *potentiam adiuvans ultra ea quae naturaliter ab ea requiritur ad operandum.*

Quibus verbis significatur, ipsum habitum, ratione eius muneris *distingui,* tum a *potentia,* tum etiam, cum de potentiis cognoscitivis agitur, ab *speciebus impressis.*

Distinguitur a potentia, quia haec est proprietas innata subiecti operantis; habitus autem est accidens, non innatum sed adquisitum et potentiae superadditum.

Distinguitur quoque a specie intentionali impressa, quia haec est quidem aliquid potentiam cognoscitivam adiuvans, sed ipsi tamen affert tantummodo iuvamen ab ea naturaliter requisitum ut absolute cognitio produci possit. Complet enim potentiam in ratione virtutis necessariae ad simpliciter operandum, ut supra in thesi 24 (446-458) et 25 (459-473) dictum est. Habitus autem complet potentiam non ut haec simpliciter et absolute operari possit; sed, praesupposita potentia iam completa in ratione virtutis ad *aliquo modo operandum,* ipsam ulterius adiuvat ad operandum meliori modo.

Haec omnia includuntur in definitione admodum exacta et completa habitus a SUÁREZ [6] tradita iuxta quam: "Habitus est qualitas de se stabilis in subiecto, per se primo ordinata ad operationem, non tribuens primam facultatem operandi, sed adiuvans et facilitans illam".

575. Effectus habitus in operatione. Hactenus habitum consideravimus *ex parte potentiae.* Considerandus nunc venit *ex parte actus.* Cum habitus, quatenus aliquid est quod potentiam complet, sicut etiam species et ipsae potentiae, nequeant esse in semetipsis obiectum immediatae experientiae, eius realitas et natura non nisi ex proprietatibus operationum, quas quidem immediate experimur, nobis innotescere valent.

Ideo quinam sint effectus habituum in operationibus considerare oportet, ut ipsorum realitas et varietas dignoscatur.

Quotiescumque ergo aliqua operatio vitalis, cuiuscumque ordinis sit, perfectiori et altiori modo efficitur quam sponte natura a potentia efficeretur, quod quidem numquam evenit nisi praecesserit ipsius operationis exercitium; id non virtuti solius potentiae de qua agitur, sed habitui, exercitio adquisito, tribuendum est, sive hoc exercitium ab ipso cuius est opera-

---

[6] SUÁREZ, DM d.44 s.1 n.6.

tio ad fines aliquos obtinendos sit promotum, sive ab aliis ope disciplinae directum.

Hoc *criterium* prae oculis habens, facile perspiciet quinam sint effectus habitus in operationibus vitalibus, praesertim vitae psychicae. Eiusmodi effectus, cum innumerabiles et diversissimi sint, etiam in homine rudo et a nemine edocto, valde difficile est eos ad certas classes reducere.

In genere loquendo dici tamen potest habitum a) *roborare* potentiam ad melius, fructuosius et aptius operandum; b) *ipsi* potentiae *faciliorem* reddere executionem suarum operationum; ex quo sequitur c) *maior rapiditas* in executione operationis, quae proinde d) exercetur cum delectatione et *libentius,* maxime cum agitur de operationibus artificiosis et admodum complexis quae motus membrorum requirunt. Multa enim quae non nisi sub immediata directione intellectionis et expressa determinatione voluntatis, priusquam habitus efformaretur effici poterant, eo iam adquisito, quasi automatice et inconscie perficiuntur absque influxu immediato psychismi superioris, qui simul potest operationibus propriis liberius vacare.

Exemplo sint innumeri automatismi psychici, ut scriptura, locutio, ambulatio, instrumentorum musicorum pulsatio; et, generatim, **operationes omnes quae habitualiter in vita ordinaria perficiuntur.**

De nonnullis tamen operationibus, in exemplum habitus adductis, dubitari licet utrum ipsae habitum quemdam requirant, vel sine habitu explicari possint, mera associatione imaginum motricium [7].

CAPUT VIII

De psychismo inconscio

JANET, *Automatisme psychologique* (1907); DWELHAUVERS, *Psychologie* (1928) p.169-202; IDEM. *L'inconscient* (1916); DALBIEZ, *La méthode psychoanalitique et la doctrine de Freud* (1936) II c.1; BRINKMANN, *Problem des Unbewussten* (1943); WEINGARTEN, *Das Unterbewusstsein* (1911); BAUDIN, *Psychologie* (1921) p.107-115; JOLIVET, *Psychologie* (1950) p.672-686; GEMELLI-ZUNINI, *Introduzione alla Psicologia* (1952) p.40-157; FARGES, *Le cerveau, l'ame et les facultés* (1952) p.295-307 et 392-395; LAHR, *Cours de philosophie* (1920) I p.62-63; MAHER, *Psychology* (1915) p.335-357; GRASSET, *Introduction physiologique à l'étude de la Philosophie* (1908) p.33-58; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.45-48 n.170; DONAT, *Psychologia* (1936) p.211-217 n.309-326; MORÁN, *Psychologia* (1949) p.102-106 n.492-498; FRÖBES, *Psychologia speculativa* (1927) I p. 151-152; MERCIER, *Psychologie* (7.ª ed.) p.201-206 n.89-90; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (1952) p.8 n.12; p.68 n.118 et p.81-86 n.138; PALMÉS, *Lo psíquico consciente e inconsciente:* Actas Congr. inter. de Filosofía (Barcelona, 1948) II p.344-370; IDEM, *Metapsíquica y espiritismo* (1950) p.195-196; IDEM, *Psicología experimental y filosófica,* ed.4.ª (1952) p.30-47 n.25-44; DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* ed.3.ª p.256-281 n.77-85; et p.563-570 n.173-176.

576. Scopus capitis. Rem tractandam aggredimur de qua nihil, saltem explicite, antiqui scholastici scripserunt; pauca et non sine aliquali vacilatione neoscholastici; et multa moderni psychologi edis-

[7] Qui de subiecto habituum plura desideret videat *Cursum Psychologiae* vel adeat SUÁREZ, DM 44, ubi, a s.1 ad 4 hanc doctrinam exponit, proxime sequens SANCTUM THOMAM.

serunt, fere semper gravibus deturpata erroribus. Ideo, ne nostrum studium de vita psychica incompletum maneat, quid hac super re tenendum sit iuxta rei veritatem et cohaerenter cum doctrina hucusque tradita, exponere iuvabit.

Activitates psychicae de quibus hactenus egimus, quas ut omnes uno verbo complectamur, nomine generico *psychismi* appellavimus (5), plus minusve immediate ab intellectu hominis apprehendi poterant, et ad earum naturam investigandam introspectione iuvabamur.

Psychismus autem *inconscius*, seu activitates psychicae inconsciae, si forte dantur, ex suo ipso conceptu et definitione, omnem introspectionem praetervolant, et non nisi ex ipsarum effectibus, earum realitas et natura dignosci possunt.

Inde nihil mirum, quod tot sint circa psychismum inconscium opiniones et controversiae. Brevitati consulentes, omissa introductione generali ad praesens problema [1], et innumeris quaestionibus supersedentes quae apud modernos psychologos et psychiatras, sub adspectu tum theorico tum practico, controvertuntur, nostra hic interest tantummodo in hac *Summa* exponere, quid circa *quaestionem fundamentalem de realitate psychismi inconscii* ipsiusque generalis natura tenendum esse videtur, cohaerenter cum doctrina psychologica hucusque tradita, et iuxta rei veritatem.

Thesis 29. Operationes psychicae inconsciae principio substantiali eas elicienti 1) prorsus impossibiles sunt; 2) operationes vero psychicae sensitivae hominis prorsus inconsciae, in sensu passivo, animae ipsius non modo 3) possibiles sunt, sed 4) de facto multae sunt admittendae; 5) operationes autem psychicae rationales, non nisi subconscientes esse possunt, et admodum frequentes sunt.

577. Notiones. OPERATIONES PSYCHICAE de quibus agitur, sunt operationes vere intentionales et consciae, videlicet, cognitiones et appetitiones cum modalitatibus affectivis ipsas comitantibus, non autem sunt activitates praeviae quibus eiusmodi operationes psychicae parantur et promoventur, quae non *formaliter* sed tantum *reductive* et per extensionem *psychicae* vocari merentur.

Appellatio "INCONSCIUM" hic sumitur *adiective seu participialiter*, non *substantive* seu *nominaliter* pro facultate aliqua; et duplicem significationem habere potest, videlicet: *activam* vel *passivam*. Si *active* sumitur, inconscium idem est ac inscium vel ignorans; si vero *passive* abusu nominis intelligitur, idem significat ac *non cognitum*, vel *ignoratum*, vel *non animadversum*, eo quod obiectum de quo agitur, maneat extra limites potentiae cognoscentis. Tunc inconscium dici potest *extra*

[1] Vide sis hanc introductionem in *Cursu*.

limen conscientiae seu *infraliminare* respectu cognitionis intellectivae.

Appellationem inconscii passive sumpti seu pro non cognito vel ignorato intellectam, distinguimus ab appellatione *subconscii*. Subconscium enim esse intelligimus, non illud quod absolute et omnino ignoratur vel nescitur; sed quod aliquomodo, at non nisi imperfecte et obscure, scitur vel cognoscitur.

Quod perceptio alicuius obiecti vel alicuius activitatis psychicae sit indistincta vel obscura, ob diversas causas evenire potest. Quando id provenit ex defectu attentionis, vel ex eo quod attentio *primario et directe* dirigatur versus aliud obiectum, ita ut alia obiecta distincta etiam aliquomodo cognoscantur, quae quodammodo manet in *margine* ambitus conscientiae, *subconscium* idem est ac *conscium marginale*.

578. Status quaestionis. Quaestio praesens est tantum de operationibus *proprie et formaliter psychicis*, scilicet de cognitionibus, et appetitionibus elicitis seu ex cognitionibus praecedentibus dimanantibus, atque de *modalitatibus sentimentalibus* eiusmodi operationes afficientibus.

Quod in vita tum *vegetativa* tum etiam *psychica* multa dentur quae inconscia prorsus sunt, tum in *sensu activo* tum etiam *passivo* huius vocis, nemo est qui dubitare possit.

Tales enim sunt omnes operationes vitales pure *physiologicae* atque etiam omnes activitates vitales *quibus species impressae producuntur* ad cognitionem necessariae, vel quibus, consequenter ad exercitium operationum psychicarum praesertim tendentialium, *habitus producuntur;* ipsae species et habitus, ipsaeque facultates cognoscitivae et appetitivae, penitus inconsciae sunt, seu introspectioni imperviae. Qui ergo ad eiusmodi res inconscias provocat ad demonstrandam realitatem psychismi inconscii, extra quaestionem versatur.

Nec quaestio est de psychismo tantum *subconscio, sed de inconscio in sensu definito.*

Ideo, qui ad demonstrandam realitatem psychismi inconscii adducit operationes psychicas quae conscientiam intellectualem non penitus lateant, sed aliquomodo saltem imperfectissimo et obscurissimo modo ab intellectu apprehendantur, dari quidem operationes psychicas *subconscias,* non autem *inconscias,* demonstrat.

Circa operationes igitur *proprie* et *formaliter psychicas,* QUAERITUR utrum et quatenus, non modo possibiles sint sed etiam de facto, saltem in homine, dentur, quae non mere subconsciae, sed vere inconsciae sint.

579. Sententiae. Huic quaestioni respondendum esse existimamus prout in carmine theseos, distinguentes inter ope-

rationes *active* et *passive* inconscias, inter operationes *sensitivas* et *intellectivas*, atque inter operationes psychicas *animalis* et *hominis*.

His enim distinctionibus omissis, impossibilis est responsio unica affirmativa vel negativa quae sub aliquo adspectu erronea dici non possit. Illas autem prae oculis habenti possibile videtur cognoscere quidquid veritatis esse possit in diversis sententiis quae hac super re circumferuntur.

Operationes psychicas inconscias realiter dari in homine *affirmant* incunctanter omnes psychiatrae et psychologi, cultores Psychologiae quae *profunda* dicitur, quae tota est in investigando psychismo inconscio. Hic tamen ab illis saepe non distinguitur a *subconscio*.

Hi auctores in plures abeunt sententias ad ulteriores explicationes theoricas quod attinet, quae saepissime sub luce philosophiae *materialistae* vel *phaenomenistae* in gravissimis labuntur erroribus.

Psychologi, e contra, *spiritualismum exaggeratum* profitentes, in doctrina cartesiana plus minusve inspirati, non modo *factum* psychismi inconscii negant sed etiam eius *possibilitatem;* et problema psychismi inconscii ut absurdum reiciendum esse existimant.

Scholastici antiqui hoc problema sibi non proposuerunt, licet in ipsorum doctrina, praesertim in doctrina psychologica SANCTI THOMAE circa materialitatem vitae sensitivae, iuxta quam haec non immediate ab anima efficitur, nec in ea recipitur, sed a corpore animato, ope potentiarum sensitivarum quae non sunt in anima tamquam in subiecto sed tantum in corpore anima informato, iuxta doctrinam supra traditam in thesi 14 (206-215 et 216-218), non modo *possibilitas* sed etiam *realitas* psychismi sensitivi inconscii admittendae videntur.

Neoscholastici vero, praesertim illi qui ab hac explicatione potentiarum sensitivarum plus minusve recedunt, et animae spirituali hominis efficientiam aliquam immediatam largiuntur in operationes vitae sensitivae, cognitiones et appetitiones sensitivas inconscias ipsi animae, et tales quae penitus ipsam lateant, admittere prohibentur, et omnem *psychismum inconscium seu infraliminare* negant. Cum autem problema psychismi inconscii, nostris diebus iam impossibile sit praeterire, innumera facta quae pro ipsius realitate undique allegantur, generatim explicari posse existimant, quin ad *psychismum in-*

conscium recurratur, videlicet, per *solum psychismum subconscium* seu marginale vel obscurum.

Multi sunt auctores neoscholastici qui, saltem verbo tenus, sic opinari videntur; licet plerumque non nisi de *psychismo intellectuali* loquantur, in quo nec nos quidquam inconscium dari affirmamus. Insuper quoad *psychismum sensitivum,* non ut nos distinguunt inter acceptionem *activam* et *passivam* denominationis inconscii.

Ut praecipui auctores neoscholastici qui ita opinari videntur in hac quaestione perdifficili, in qua tamen faciliter lis de nomine permisceri posse agnoscimus, recenseri possunt PESCH [2], DE LA VAISSIÈRE [3], DONAT [4], MORÁN [5], FRÖEBES [6], aliique.

Non desunt tamen auctores neoscholastici, atque etiam alii qui, licet proprie scholastici dici non possint, tamen generatim de vera Psychologia bene merentur et sentiunt, aperte psychismum inconscium profitentes, quos inter memorandi sunt: MERCIER [7], FARGES [8], LAHR [9], MAHER [10], GRASSET [11]. BAUDIN [12], WILLWOLL [13], iuxta quem: "Exsistentia inconscii psychici, abstrahendo interim a variis modis describendi eius indolem, negari nec debet nec potest".

580. Probatur 1.ª pars: OPERATIONES PSYCHICAE INCONSCIAE PRINCIPIO SUBSTANTIALI EAS ELICIENTI, SUNT PRORSUS IMPOSSIBILES.

Quia omnis operatio formaliter psychica, seu omnis cognitio et appetitio ex cognitione procedens, secum identificat non modo *intentionalitatem* qua ad aliquod obiectum refertur, sed etiam *conscientiam fundamentalem* qua praesens est subiecto cognoscenti et appetenti, praesentia cognita, quae consistit in experientia quam subiectum illam exercens de illa habet, ut supra (191-192) dictum est. Per hanc praesentiam subiecto cognitam operatio formaliter *psychica* a mere *physiologica* vel a quacumque alia qua formaliter psychica paratur essentialiter distinguitur.

Qui ergo cognitionem vel tendentiam aliquam sibi fingit quae secum non ferat in subiecto exercente huiusmodi operationes, ipsarum experientiam, quam *conscientiam fundamentalem diximus,* non iam de operatione formaliter psychica loqui-

[2] PESCH, *Psychologia,* II n.474 dic.1.º et corol.2 p.114 et 118.
[3] DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.45-48, th.37 n.170.
[4] DONAT, *Psychologia,* th.11 p.211-217 n.319-326.
[5] MORÁN, *Psychologia* (Buena Prensa, México 1949) n.498.
[6] FRÖBES, *Psychologia speculativa,* I p.151-152.
[7] MERCIER, *Psychologie* (ed. Alcan, Paris 1905) n.90.
[8] FARGES, *Le cerveau, l'âme et les facultés* (Berche, Paris 1900) p.295-307 et 392-395.
[9] LAHR, *Cours de Philosophie,* ed.23 (Beauchesne, Paris 1920) I p.62-65.
[10] MAHER, *Psychology,* ed.8.ª (Longmans, London 1915) p.355-357.
[11] GRASSET, *Introduction physiologique à l'étude de la Philosophie* (Alcan, Paris 1908) ch.3 p.33-58.
[12] BAUDIN, *Psychologie* (Gigord, Paris 1921) p.107-114.
[13] WILLWOLL, *Psychologia metaphysica* (Herder, Barcinone 1952) p.85.

tur; sed, vel de pure *physiologica;* vel, ut summum, de operatione tantum *reductive* psychica, seu ad operationem psychicam ordinatam et ipsi praevia de quibus quaestio non est.

Ergo, qui talem operationem sibi fingit vel extra quaestionem versatur; vel si de vera cognitione et tendentia formaliter psychica agit, *pugnantia loquitur.*

Id ipsum sic declaratur a PESCH[34]: "Ex natura enim sua, omnis actus cognoscitivus non solum respicit obiectum, sed etiam subiectum, cui obiectum praesens sistitur. Ex quo evenit ut quaedam sui conscientia sit *elementum essentiale* cuiuslibet ordinis cognoscitivi. Et sicut in essentia cognitionis positum est, ut cum a facultate elicitur rem manifestet cognoscenti; ita etiam est cognitionis essentia, ut ipsa se secundario et in obliquo manifestet cognoscenti, in qua manifestatione expérimentali conscientia illa concomitans continetur"... "Atque haec quidem conscientia concomitans non solum ad actus cognoscitivos refertur, sed etiam ad actus appetitivos".

581. Probatur 2.ª pars: POSSIBILES SUNT OPERATIONES PSYCHICAE SENSITIVAE HOMINIS PRORSUS INCONSCIAE, IN SENSU PASSIVO, ANIMAE IPSIUS.

Possibilitas cognitionum et tendentiarum cum respondentibus sentimentis ad vitam sensitivam hominis pertinentium, quae *prorsus inconsciae sint, in sensu passivo,* principio intellectivo animae ipsius, seu quae ipsi non innotescant, manifesta est cuicumque admittat cum SANCTO THOMA et iuxta doctrinam de natura sensationis supra traditam in thesi 14 (206-215 et 216-218) principium eliciens et recipiens omnium operationum sensitivarum, *non esse animam,* sed *corpus animatum,* potentiasque sensitivas hominis non esse in anima tamquam in subiecto, sed tantum in corpore animato.

Nam anima hominis in statu vigili, non autem profundo somno sopiti, nec lethargia laborantis, semper quidem aliquas operationes psychicas sensitivas ipsarumque obiecta percipit, sive cognitione intellectuali *directa,* sive interdum etiam *reflexa;* seu reflectens supra cognitionem intellectualem directam activitatis sensitivae.

Inde tamen *non sequitur quod impossibile sit,* ut in psychismo sensitivo operationes psychicae aliquae, imo plures plene perfectae dentur de facto, quae tamen nullatenus attingantur, non modo cognitione reflexa, ut per se patet, non enim semper reflectimus; sed ne quidem cognitione intellectuali directa.

Non enim cognitio intellectualis sensationis, nec directa nec reflexa, requiritur ad hoc ut cognitiones sensitivae perfecte dentur;

[34] PESCH, *Psychologia,* II n.474.

dantur enim de facto sine operatione intellectus, non modo in animalibus, sed etiam in pueris, primis saltem mensibus vitae extrauterinae. Nec in sua productione operationes intellectuales sensitivis praecedunt; sed e contra intellectuales non dantur donec sensitivae aliquem gradum perfectionis attigerint. Nec sensitivae ab intellectualibus, sed potius intellectuales a sensitivis in sua productione dependent.

Haec autem possibilitas psychismi inconscii tantum in homine datur non autem in animale, quod psychismo superiori seu rationali caret, respectu cuius tantummodo sensationes inconsciae dicuntur.

582. Probatur 3.ª pars: DE FACTO PLURES DANTUR OPERATIONES SENSITIVAE PENITUS INCONSCIAE IN SENSU PASSIVO, RESPECTU INTELLECTUS HOMINIS.

Abs dubio *non pauca* ex factis quae pro psychismo inconscio allegari solent, tantum psychismum *subconscium* demonstrant. Sunt plerumque illa omnia quae ad *psychismum vitae rationalis* pertinent. Sed praeterea *alia innumera sunt facta* psychica, propria psychismi pure sensitivi, quae omnino latent psychismum rationalem. His igitur factis, realitatem plurium operationum sensitivarum quae psychismum rationalem penitus lateant, manifeste demonstrari existimamus.

Huiusmodi facta, alia pertinent A) *ad vitam normalem* cuiusque hominis: alia vero B) non nisi *in statu anormali* vel *pathologico* psychismi humani reperiuntur.

583. A) **Praecipua facta vitae penitus normalis, quae psychismum inconscium produnt:**

1) *Facta inconscia* OB DEFECTUM ATTENTIONIS.

a) Imprimis, patet iam impossibile esse homini, quamtumvis sui compoti et vigili, intellectu percipere de facto omnes sensationes, saltem tactiles, quae simul de facto dantur in omnibus sui corporis partibus.

Quilibet certe potest, sua attentione, inter innumeras sensationes sui corporis illas intellectu percipiendas seligere quas velit, sic sibi de illis *conscientiam intellectualem directam* obtinens. Sed eo ipso quod ad peculiarem aliquam sensationem attendat, alias plures actu exsistentes intellectu percipere desinet, quae proinde ad conscientiam intellectualem non pertingent, ipsis nihilominus in parte sensitiva perstantibus.

Sic, ut exemplo aliquo rem concrete declaremus, attente hoc quod scribimus legens, conscientiam intellectivam directam non habet, exempli causa, de sensatione contactus sui pedis sinistri cum calceo, quae certe actu datur. Nulla enim immutatione facta in stimulo, conscientiam intellectualem de praedicta sensatione habere inci-

piet, si occasione huius nostrae assertionis, attentio illius intellectualis, versus illam sensationem feratur.

b) Quod ad conscientiam intellectualem multae sensationes de facto non pertingant *defectu attentionis intellectualis,* quae tota incumbat in labore proprie intellectuali, videtur evidens.

Qui enim, totis viribus et concentrata attentione in mentis cogitationibus de re difficili et a sensibus remota scribit, certe conscius non est sensationum tactilium quas in digitis experitur, quibus calamum vel machinam dactylographicam premit, de quibus si conscientiam intellectualem haberet, prorsus in suo labore mentali perturbaretur. Atque haec dicta sint de sensationibus inconsciis *defectu tantum attentionis;* quae tamen, ope ipsius, consciae reddi possunt.

584. 2) *Facta inconscia* IN AUTOMATISMO PSYCHOLOGICO.

a) Realitas autem psychismi sensitivi inconscii respectu intellectus clarius apparet in sensationibus quae nullatenus ab intellectu percipi possunt, ut illae sunt fere omnes quae dantur in activitatibus propriis *automatismi psychologici.*

Automatismus *psychologicus* non est confundendus cum automatismo pure *physico* vel mechanico proprio machinae non viventis. Nec est automatismus pure *physiologicus,* ut aliqui contendere videntur, qui quidem perficitur motibus pure reflexis, nullam secum ferentibus operationem proprie et formaliter psychicam, et in vita etiam vegetativa reperitur.

Automatismus autem psychologicus ille est in quo motus et operationes exercentur quidem automatice quatenus peraguntur independenter a psychismo rationali; at non sine concursu psychismi sensitivi. Operationes propriae automatismi psychologici sunt, ut aliquas tantum, exempli causa adducamus, operationes ore loquendi, calamo vel machina dactylographica scribendi, aliquod officium manuale expedite et cum dexteritate exercendi, instrumentum musicum pulsandi, et alia sexcenta, quae non nisi praevio et diuturno exercitio adquiruntur.

Nec tantum huiusmodi nobiliores operationes hominis, automatismum psychologicum praevie efformatum ope diuturni exercitii supponunt, sed etiam innumerae aliae etiam vulgares vitae quotidianae omnibus hominibus communes, ut gradi, sedere, ambulare, saltare, comedere et generatim ratio socialis sese gerendi et praebendi coram aliis hominibus.

Homo sui compos, potest quidem suo intellectu et voluntate eiusmodi operationes ad sui corporis motum pertinentes, vigilare, dirigere, ordinare, promovere et compescere; non autem eas exsequi valet nisi sensationibus et imaginibus kinaestheticis intervenientibus, apte associatis et ope exercitii praevii adquisitis, ut generatim admittitur et solide demonstratur.

De eiusmodi autem sensationibus et imaginibus, motum faciendum repraesentantibus, quorum influxu immediato motus automatici perficiuntur, nullam prorsus conscientiam intellectualem habemus nec habere possumus.

Sunt proinde eiusmodi sensationes et imagines verae quae conscientiam intellectivam omnino praetervolant, et *inconsciae in sensu passivo* vocis iure dicendae sunt.

b) Ut rem melius in *aliquo casu concreto automatismi* declaremus, fieri potest, et de facto non raro evenit, ut, exempli causa, ille qui elata voce librum aliquem legit coram aliis, perfecte pronuntiet et cum sensu legat, ita ut ab audientibus perfecte intelligatur, licet mens lectoris adeo absorta sit in aliis rebus cogitandis, ut nec ipse intellectu apprehendat conceptus quos legit; nec, sistens subito a lectione, dicere possit quousque in legendo pervenerit.

Lectio in casu evidenter automatismo psychologico perficiebatur, psychismo sensitivo tantummodo interveniente, qui penitus psychismo intellectuali ignotus erat. Illi qui factum lectionis in hoc casu velit explicare, psychismo inconscio non admisso, seu nulla interveniente sensatione vel imagine sensitiva in lectione, nulla alia ratio de illo reddenda suppeteret, quam explicatio aliqua *physica* vel *pure physiologica,* omnino falsa et propria solius crassissimi materialismi. Qui diceret hanc lectionem peragi mera associatione specierum, sine cognitionibus his speciebus respondentibus, deberet admittere lectorem mera advocatione specierum et non videntem characteres scriptos lectionem perficere.

585. B) **Facta anormalia et pathologica.**

Conatus explicandi multa huiusmodi facta, quaestionem de realitate psychismi inconscii suscitavit. Innumera enim et notissima sunt facta quae non nisi admisso psychismo inconscio explicari videntur. Ut aliqua tantum commemoremus nonnihil dicemus de factis quae psychismum sensitivum inconscium produnt: 1) in *somno naturali;* 2) in *statu hypnotico* artificiose inducto qui hypnosis dicitur; et 3) in quibusdam *statibus psychopathologicis.*

586. 1) IN SOMMO NORMALI.

a) Notum est hominem *in sommo normali,* etiam profundo, submersum, in quo certe nulla conscientia intellectualis datur, interdum eas positiones membrorum assumere vel sibi procurare quae ipsi commodiores sunt, vel quae ipsi inserviunt ad molestiam aliquam devitandam. Hoc autem explicari nequit nisi admittatur subiectum somno profundo sopitum, sensationes saltem tactiles experiri, quae proinde habendae sunt ut inconsciae in *sensu passivo respectu psychismi superioris* qui de facto non datur.

b) *Somnia* quae, inter dormiendum saepe producuntur, et imaginibus reproducentibus experientias sensitivas praeteritas arbitrarie associatis conflantur, licet interdum aliquomodo ab intellectu cognoscantur quoad eius exsistentiam et quoad aliqua ipsorum elementa, at saepe fit ut non complete a subiecto expergefacto in memoriam integre quoad omnia elementa revocentur.

Imo, si in momento expergefiendi, attentio intellectualis versus

cogitationes alias feratur, exempli causa, versus thema vel argumentum meditationis faciendae, subiectum tantum dicere valet se quidem somniasse, quid vero somniaverit prorsus ignorat.

Imagines igitur quibus somnium conflabatur, inconsciae erant respectu intellectus hominis somniantis.

c) Tandem, notae sunt operationes saepe valde complexae et valde difficilis exsecutionis quas somnambuli automatice, automatismo psychologico, et non nisi psychismo sensitivo dirigente, exsequuntur. Absentia psychismi rationalis in somnambulo patet, tum ex irrationabilitate operationum ipsius, tum ex eo quod in statu normali nulla retinetur memoria de factis in somno peractis.

587. 2) In hypnosi.

a) Hypnosis est status psychicus omnino proclivis omni generi suggestionum. *Facta autem suggestionis* quae frequentissima sunt etiam in vita normali [15], et quae in stadio lucido hypnosis [16] maxima facilitate ab hypnotizante obtinentur, non nisi admisso psychismo sensitivo inconscio explicantur, ut notum est ex Psychologia experimentali. Quod operationes quas sub imperio suggestionis factae ab hypnotizatore, hypnotizatus fideliter et adamussim exsequatur, non nisi psychismo sensitivo interveniente fieri potest. Cum autem hypnotizatus impotens sit distinguendi verum a falso, reale a ficto, bonum a malo, evidenter in exsecutione mandati, suggestione iniuncti, abest omnis operatio intellectus et voluntatis. Tantum enim eiusmodi facultates rationales capaces sunt illarum cognitionum, quibus deficientibus, deficit etiam volitio.

b) Id ipsum probant quoque facta *suggestionis posthypnoticae.* Subiectum cui durante hypnosi a suo hypnotizatore aliquid dicendum vel faciendum iniungitur post determinatum tempus elapsum, et iam vitam gerenti normalem, illam suggestionem exsequitur, nesciens cur dicat vel faciat illud quod ipsi in statu hypnotico praecedenti suggestione impositum est. Inde concludendum est id automatice perficere et independenter a sua cognitione intellectuali et a determinatione suae voluntatis. Cum autem id quod exsequitur non sine interventione eius psychismi sensitivi praestare possit, huius psychismi operationes dicendae sunt inconsciae respectu eius intellectus.

588. 3) Ex psychopathologia et psychoterapia.

Communiter admittitur non modo a psychiatris cuiusque scholae, sed etiam a psychologis experimentalibus, posse dari in homine id quod a cultoribus psychologiae profundae [17] nomine *complexus* designatur.

Hoc nomine, nunquam ea claritate et uniformitate, quibus opus esset, definito, in terminologia adhibita a cultoribus psychologiae profundae, significari videntur associationes quaedam cognitionum, tendentiarum, sentimentorumque, sive tantum *potentialium* ut esset iux-

[15] Ad doctrinam experimentalem de suggestione, cf. Palmés, art. *Sugestión:* Encicl. Espasa; vel Id., *Psychología experimental y filosófica* ed.4.ª c.25 n.378-387 p.432-443, vel De la Vaissière-Palmés, *Psicología experimental,* ed.3.ª c.13 a.1 n.120-128 p.386-425.

[16] Ad doctrinam experimentalem de hypnotismo, cf. Palmés, art. *Hipnotismo,* Psicología: Encicl. Espasa; Id., *Psicología experimental y filosófica,* ed.4.ª c.25 n.388-404 p.445-455; De la Vaissière-Palmés, *Psicología experimental,* ed.3.ª n.82-83 p.372-375.

[17] Quid in genere veniat nomine psychologiae profundae vide apud De la Vaissière-Palmés, *Psicología experimental,* ed.3.ª n.173-176 p.564-570.

ta terminologiam scholasticam species impressae et habitus, sive etiam *formalium* et *actualium*, vel sponte et instinctive ex natura hominis erumpentium, vel ex exercitio praevio vitae dimanantium; quae psychismum rationalem laterent, eo quod actione huius quae *censura* dicitur ingredi impedirentur intra ambitum psychismi rationalis et in latebris psychismi inconscii retruderentur.

In huiusmodi *complexibus* in psychismo inconscio retrusis, et tamen in psychismum conscium influentibus, genesis agnoscitur plurium aegritudinum psychicarum praesertim earum quae neuroses dicuntur [18], ad quarum medellam praescribitur ut *complexus* morbidi methodis psychoanaliticis, in lucem conscientiae rationalis educantur, et sic, quadam quasi *catharsi*, dissolvantur.

Quidquid sit de admodum diversis explicationibus et hypothesibus plerumque arbitrariis et phantasticis, quibus hoc factum fundamentale, generatim admissum, ulterius declaretur a distinctis auctoribus [19]; aliquid veri esse in his theoriis psychoanaliticis quae psychismum inconscium admittunt, agnoscendum est.

Qui igitur psychismum sensitivum inconscium non simpliciter negat, sed admittit, iuxta assertionem theseos, facilius discernere poterit quid de eiusmodi theoriis permitti possit iuxta rei veritatem; quid vero absolute negandum sit.

589. Probatur 5.ª pars: IN PSYCHISMO RATIONALI, NON NISI OPERATIONES PSYCHICAE SUBCONSCIAE, ET QUIDEM FREQUENTISSIMAE, DANTUR.

Quod *impossibiles* sint operationes inconsciae in psychismo rationali, sequitur ex dictis. Omnes enim operationes rationales animae ab ea eliciuntur ope intellectus et voluntatis; quapropter, iuxta primam partem theseos, eiusmodi operationes nequeunt prorsus inconsciae esse animae in *sensu activo*.

Sed nec *inconsciae* esse possunt in *sensu passivo*, ut sensationes. Quia esse inconscium passive est esse ignotum vel ignoratum ab alio principio cognoscitivo altiori eiusdem suppositi. In homine autem nullum datur principium altius vitae psychicae, distinctum a potentiis intellectus et voluntatis.

Attamen psychismo superiori hominis non omnia eadem claritate et distinctione apprehenduntur, nec versus omnia acies mentis ope attentionis ferri potest; quo fit, ut multa non extra limites conscientiae intellectualis, sed certe vel obscure vel *in margine* ipsius maneant, quae ideo *subconscia* seu *imperfecte conscia* dici possunt.

590. Obiectiones. 1. Operationes psychicae inconsciae gratis asseruntur. Qui enim eas affirmat in earum cognitionem venit, vel ope *introspectionis*, vel *extrospectionis*.

---

[18] Theoria psychoneurosis, psychasteniae et hysterismi iuxta JANET videri potest exposita apud LA VAISSÈRE-PALMÉS, o.c., ed.3.ª c.13 a.2 n.129-140 p.426-478.

[19] Cf. expositionem et crisim theoriae *Psychoanalisis* iuxta FREUD, et *Psychologiae individualis* iuxta ADLER, apud DE LA VAISSIÈRE-PALMÉS, o.c., c.22 et 23 n.181-192 p.584-624, et auctores ibi citatos.

Non *introspectione:* quia si operationes quae inconsciae supponuntur introspectione apprehenderentur, iam inconsciae non essent. Sed neque *extrospectione,* quia omnis operatio psychica, in semetipsa, non nisi a subiecto eam eliciente et recipiente, ac proinde introspectione attingi potest.

Resp.: nego ant. Ad probationem, *nego* dilemma maioris, datur enim tertium, videlicet: quod in cognitionem realitatis operationum inconsciarum perveniatur ope ratiocinii, innixi quidem in factis evidenter notis, tum *introspectione* tum *extrospectione.* Atque ita in argumento nostro processimus.

591. 2. Si vera esset thesis, ex ea sequeretur duplex dari in homine suppositum: alterum sensitivum et animale, videlicet: *corpus;* alterum intellectivum et spirituale, videlicet: *anima. Atqui* falsum est duplex dari in homine suppositum. *Ergo* falsa est thesis.

Maior probatur. Quia si vera esset thesis daretur in homine duplex natura, videlicet: natura corporis materialis, et natura animae spiritualis. *Atqui* ubi datur duplex natura, ibi datur, saltem in rebus naturalibus, duplex suppositum. *Ergo* si vera est thesis, ex ea sequitur dari in homine duplex suppositum.

Resp.: nego mai. et *conc. min.* et *consq.* Ad probationem *maioris. dist. mai.*: si vera esset thesis, daretur in homine duplex natura *incompleta, conc.;* duplex natura *completa, nego.* Et *contradist. min. nego cons.* et *consq.*

Inst.: Ibi datur duplex natura completa ubi datur duplex principium ultimum et substantiale operationum valde diversarum et inter se irreductibilium. *Atqui* si vera est thesis, duplex principium ultimum et substantiale operationum valde diversarum et inter se irreductibilium est admittendum, videlicet: corpus animatum, principium effectivum ultimum operationum sensitivarum; et anima spiritualis, principium effectivum ultimum operationum rationalium. *Ergo* ex thesi sequitur duplicem in homine dari naturam completam.

Resp.: dist. mai.: ibi datur duplex natura completa, ubi dantur duo principia substantialia realiter *adaequate* distincta, operationum valde diversarum et inter se irreductibilium et mutuo *independentium, conc.;* ubi dantur duo principia substantialia, *non inter se realiter adaequate* distincta, operationum *non mutuo independentium, nego.*

Contra dist. min.: si vera est thesis duo in homine dantur principia substantialia realiter *inadaequate* distincta, operationum *non mutuo inter se independentium, conc.;* duo principia substantialia realiter *adaequate* distincta operationum *mutuo inter se independentium, nego.*

Solutio patebit ex dicendis in subsequentibus Capitibus circa naturam unionis animam humanam inter et corpus. Iuxta doctrinam veram et statim demonstrandam *substantia corporis vivi non realiter adaequate distinguitur ab anima rationali,* qua intrinsece constituitur et vivificatur. Ideo, licet anima hominis non sit principium *activum et receptivum* operationum vitae sensitivae; est tamen *principium radicale* ultimum ipsarum; quia omnis virtus vitae sensitivae ab ea tantum dimanat. Nec anima proprias operationes, scilicet intellectuales in statu coniunctionis cum corpore excercere potest nisi dependenter ab operationibus sensitivis. Omnes enim operationes vitae rationalis, in statu coniunctionis animae cum materia, naturaliter dependent, dependentia quidem tantum extrinseca, ab operationibus

vitae sensitivae. Quapropter corpus et anima non sunt duae naturae completae; sed unam solam naturam completam constituunt.

592. 3. Qui realitatem psychismi inconscii admittunt, ipsius principium plerumque, ut suppositum considerant, distinctum a supposito rationali.

Resp.: dist. assertum: qui realitatem psychismi inconscii admittunt, ipsius principium, ut suppositum distinctum a supposito vitae rationalis et consciae distinctum, *perperam* atque absque ulla ratione considerant, *conc.; recte* et in aliqua valida ratione innixi, *nego.*

INST.: Sicut principium ultimum vitae rationalis recte potest dici: "to ego" conscium; ita etiam principium ultimum vitae psychicae inconsciae, non perperam sed recte, dici quoque potest "to ego" inconscium.

Resp.: nego paritatem. Principium enim ultimum vitae rationalis recte potest dici: "to ego"; quia hoc principium capax est reflectendi et hanc reflexionem exprimendi dicens "ego cogito", "ego volo"; unde haec ratio loquendi modernorum introducta est. Principium autem ultimum et effectivum operationis psychicae sensitivae et inconsciae, quod materiale est et tantum ordinis sensitivi, nequit supra se ipsum propriasque operationes reflectere, ac proinde dicere nequit: "ego sentio". Quapropter, non nisi intolerabili abusu nominis, principium cognitionis inconsciae, "ego inconscium" nuncupatur quemadmodum etiam intolerabile est et absurdum loqui de "to ego" animalium.

593. 4. Experientia constat principium vitae sensitivae inconsciae reflectere supra semetipsum et supra proprias operationes. Nam *scriptura* quae *automatica* dicitur, qua subiectum valet scribere aliquid quod psychismum superiorem lateat, et proinde quin psychismus superior interveniat, multoties comprobata est, sive in subiectis neuroticis, sive in hypnotizatis, sive in personis quae in sessionibus spiritisticis *media* dicuntur. In scriptis autem sic obtentis, principium inconscium quod scribit, loquitur de se in prima persona, eamque pronomine "ego" designat: *Ergo* experimentaliter constat, principium inconscium quod iuxta nos non nisi ordinis sensitivi esse potest, semetipsum designare pronomine "ego".

Resp.: nego. experimentaliter constare principium inconscium a quo scriptura automatica producitur semetipsum pronomine "ego" appellare, *designans reflexionem ipsius* supra proprias activitates inconscias.

Ad probationem, factum scripturae automaticae admittimus, licet multoties non nisi fictum est vel fraude obtentum. Sed negamus prorsus *eius interpretationem,* non modo *superstitiosam,* iuxta quam a spiritistis spiritui alicui tribuitur, distincto a subiecto scriptum automatice exarante; sed etiam *interpretationem pseudo-psychologicam* eorum, qui dicunt principium inconscium scripturae automaticae, supra semetipsum reflectere, et hanc reflexionem ab eo exprimi pronomine "ego".

Ratio id negandi, est quia factum adductum facilius, imo unice, explicatur, admisso mero automatismo, psychologico quidem, psychismi inconscii. Sicut absurdum esset dicere machinam dactylographicam vel magnetophonicam esse principium operationum psychicarum, quae in scripto dactylographiato, vel in emissione magnetophonica exprimuntur, saepe quidem in prima persona et pronuntiato

pronomine "ego"; sic etiam absurdum est tribuere principio ordinis sensitivi quod automatice scribit, operationes psychicas quae in scripto obtento ope scripturae automatice, exprimuntur in prima persona, ope pronominis "ego".

Principium inconscium scribit quidem suo automatismo verba significantia operationes psychicas etiam in prima persona et adhibito pronomine "ego"; id autem automatice scribit, eo ipso automatismo quo verum principium conscium et reflectens utitur ad proprias cognitiones exprimendas [20].

CAPUT IX

De natura compositi humani doctrina vera fundamentalis [1]

ARISTOTELES, *De anima,* II c.1 et 2; S. TH., *In De anima,* II lect.I-IV;; *Sum. Theol.,* 1 q.76 a.3; 2 CG c.58; *De anima,* a.2; *Quodl.,* 1 q 4 a.1 et *Quodl.* 2 a.5 et *Opusc.* 3 c.90.91.92; 1 q.75 a.4; 1 d.5 q.3 a.2 et 2 d.2 q.1 a.1; 2 CG c.57; SUÁREZ, *De anima,* I c.6; TOLETUS, *De anima* 1.2 q.7; URRÁBURU, *Psichologia,* III p.825-858; PESCH, *Psychologia,* I p.358-378 n.278-297.

594. Consecutio doctrinae et ordo capitis. Cum de realitate, natura et principiis proximis triplicis vitae, vegetativae, videlicet, sensitivae et rationalis iam nobis constet ex hucusque traditis, tuto iam progredi possumus ad *naturam ipsius hominis considerandam,* qui triplici hac vita praeditus est. Stante doctrina hucusque tradita activitatum humanarum, aliae ut vegetativae et sensitivae, utpote quae materiales sunt, a corpore hominis vivi efficiuntur et in eo recipiuntur; aliae vero, scilicet rationales, a sola anima efficiuntur et tantum in ea recipiuntur. Unde evidenter sequitur, hominem esse ens *aliquod compositum ex corpore et anima rationali* aliquomodo unitis. Naturam nunc *huius compositi humani* investigare intendimus; quod quidem idem est ac determinare quo pacto anima rationalis se habeat respectu hominis corpus. In hoc capite [1] agendum est 1.° de *unici-*

---

[20] Ad pleniorem notitiam "scripturae automaticae" eiusdemque naturae explicationem, cf. PALMÉS, *Metapsíquica y espiritismo,* ed.2.ª (Labor. Barcelona 1950) p.195-196.272-275.310-316; LA VAISSIÈRE-PALMÉS, *Psicología experimental,* n.80 p.265-268; PALMÉS, art. *Personalidad,* Psicol. apud Encycl. ESPASA.

[1] *Theoria aristotelico-scholastica* hac super re, pluribus constat assertionibus, quae in *triplex agmen* divisae considerari possunt.

Primum agmen comprehendit tres assertiones, quae non modo *certae philosophice* sunt, sed etiam, saltem ut tales, sin minus de fide, in Theologia ex fidei documentis habentur. Tales sunt *unicitas animae humanae,* ipsiusque *unio personalis,* et *unio naturalis* cum corpore. Has assertiones, argumentis *tantum ex philosophia petitis,* in hoc capite demonstrabimus.

Alterum agmen assertionum theoriae scholasticae complectitur eas quae etiam philosophice deducuntur ex assertionibus primi agminis et ab auctoribus scholasticis plerumque admittuntur, sin minus ut certae, saltem ut probabiliores. Tales sunt illae quibus affirmatur ex unione animae cum corpore *unam exsurgere substantiam;* animam esse *formam substantialem* corporis iuxta theoriam hylemorphicam, et animam esse *totam in toto corpore* et in singulis corporis partibus.

Tandem *tertium agmen* comprehendit quaestiones de *unicitate formae substantialis* quae non nisi cum probabilitate solvi possunt et inter ipsos scholasticos auctores contravertuntur. Ab hoc tertio agmine quaestionum in hac *Summa* brevitatis causa praescindimus; quas, cohaerenter cum doctrina hucusque tradita, in *Cursu* solvimus contra admittentes *formam corporeitatis,* et *formas cytologicas* seu animas cytologicas.

tate animae humanae; 2.° de *unione personali* et 3.° de unione *naturali* animam inter et corpus.

ARTICULUS I

De unicitate animae humanae

Thesis 30. Unicum est in unoquoque homine vitae principium substantiale et ultimum, seu anima rationalis, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipit.

595. Notiones. ANIMA RATIONALIS est ultimum et substantiale principium effectivum et susceptivum omnium operationum *vitalium rationalium.*

Hoc principium substantiale operationum rationalium *bifariam potest affirmari* esse quoque principium reliquarum operationum vitalium hominis, videlicet: operationum sensitivarum et vegetativarum quas *materiales* esse constat ex thesi 14 (206-215).

Uno modo ita ut dicatur esse quoque principium elicitivum seu *effectivum* et *susceptivum* harum operationum vitalium materialium.

Alio modo ita ut affirmetur esse quidem principium substantiale et ultimum harum operationum, sed non effectivum et susceptivum, sed *radicale* et *exigitivum.*

Thesis affirmat unicum principium in *primo sensu,* quoad *operationes vitae rationalis;* tantum in *altero sensu* quoad *operationes* vitae sensitivae et vegetativae.

Hoc iam in carmine theseos indicatur, cum dicitur CORPUS AB ANIMA UNICA, MOTUM ET VITAM OMNEM ET SENSUM ACCIPERE.

Eiusmodi principium substantiale ultimum, sub duplici etiam adspectu considerari potest, videlicet: *uno modo,* quatenus simpliciter dicitur *principium* ultimum substantiale operationum vitalium; *alio modo* quatenus *forma substantialis* est corporis vita praediti. Tunc proprie nomine ANIMAE designatur.

596. Status quaestionis. Animam intelligimus, ad praesentem thesim quod attinet, in primo sensu; *praescindentes* a quaestione utrum hoc principium ultimum vitae quod affirmamus esse unicum, sit necne forma substantialis compositi humani. Scilicet praescindimus *a modo* quo verificatur, quod anima sit unicum principium vitale ultimum omnium operationum vitalium hominis, qui quidem modus diversus est pro diversis operationibus.

Nam respectu operationum rationalium est principium *effectivum* et *susceptivum;* respectu vero operationum materialium sentiendi et vegetandi, *tantum principium radicale;* quod supponit animam rationalem esse formam substantialem corporis. Id autem cum nondum a nobis probatum sit, hic non praesupponemus; nec opus est hic supponere ad thesim probandam cum sufficienti certitudine; quamvis si probatum supponeretur, eam efficacius probaremus. Nihil tamen obstat quominus, si opus est ad solvendas difficultates contra praesentem thesim, ad doctrinam affirmantem animam rationalem esse formam substantialem corporis humani recurramus, deinde independenter ab argumentis pro praesenti thesi adducendis demonstrandam.

Nec praesens quaestio est utrum in materia hominis tres animae vel tria vitae principia sint admittenda *sibi succedentia,* prout ab antiquis plerumque admittebatur in stadio evolutionis ontogeneticae individui humani. Haec enim quaestio penitus aliena est a praesenti quaestione.

QUAESTIO igitur praesens tandem est utrum, sicut in homine dantur *simul* operationes vegetativae, sensitivae et intellectivae, ita ratione earum distinctarum diversarumque operationum, *tria quoque simul* in homine admittenda sint vitae principia substantialia, realiter inter se distincta: anima, videlicet vegetativa, sensitiva et rationalis; vel e contra unum tantum in homine detur omnis vitae principium ultimum et substantiale seu unica anima.

Haec autem unica anima rationalis hominis, licet *formaliter,* seu in sua entitate considerata, sit spiritualis, non ut pure rationalis asseritur, sed talis quae *virtualiter* triplex sit, continens videlicet praeterea omnes perfectiones animae sensitivae et vegetativae.

597. Sententiae. Plures fuerunt, praesertim in antiquitate, auctores qui plures animas proprie tales in homine admiserint, quorum alii *tres,* alii tantum *duas* animas homini tribuerunt.

PLATO dici solet *tres* animas admisisse, in distinctis partibus hominis sitis, videlicet: animam *rationalem* in capite, *concupiscibilem* in corde vel pectore et *irascibilem* in ventre vel hepate. Quidquid sit de quaestione utrum PLATO non de tribus animabus sed potius de tribus potentiis accidentalibus intelligendus sit, alii certe inter graecos tenuerunt sententiam trium animarum, ut exempli causa, PHILO, PYTHAGORAS et GALENUS. Similem sententiam sequuti sunt inter aristotelicos PHILOPONUS et commentatores arabi, ut AVICEBRON et AVERROES, qui tamen animam intellectivam unicam esse pro omnibus hominibus autumabant.

Duas tantum animas posuerunt manichaei: alteram bonam a Deo creatam; alteram malam a demiurgo effectam. *Duas* quoque animas gnostici aliique haeretici admittebant, quos inter APPOLLINARIS accensendus est.

Similem errorem professus est OCKAM et PICUS MIRANDULANUS. Modernis autem temporibus doctores germani GÜNTHER et BALTZER, ipsorumque disciPuli hunc errorem renovarunt, admittentes in homine praeter corpus seu *soma*, spiritum seu *pneuma*, principium cogitandi, et *psychen*, principium sentiendi et vegetandi [2].

Thesim profitentur omnes scholastici et neoscholastici doctores.

Ita contra errorem GÜNTHERII et BALTZERII scripsit Pius IX [3]: "Hanc sententiam quae unum in homine ponit principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque Doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiae dogmate videri coniunctam, ut huius sit legitima, solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari".

Thesis *certissima* est, si praeter argumentum experimentale hic adducendum prae oculis habetur animam et corpus constituere *unam* naturam et unam *substantiam*. *In hoc autem stadio* nostrae inquisitionis, sufficit demonstrare certo nullam esse rationem ad plures animas admittendas, ut in nostra inquisitione ulterius progredi possimus [4].

598. Probatio. Unicitas principii vitalis substantialis in homine certo admittenda est, si rationes et facta quae pro multiplicitate principiorum vitalium substantialium allegantur non modo A) *nullius roboris sunt;* sed potius B) unicitatem principii vitalis hominis *suadent*. *Atqui* sic se res habet. *Ergo* unicitas principii vitalis substantialis a quo omnis vita hominis: rationalis, sensitiva et vegetativa dimanat certo est admittenda.

Consequentia patet. *Maior* probatur quia *a)* philosophum non decet aliquid ut reale affirmare, sine ratione sufficienti, innixa vel in aliis veritatibus iam demonstratis, vel in factis experientia comprobatis quorum explicatio illud requirat. Secus ipsius assertiones *a)* non conclusiones philosophicae sed arbitrariae essent; et insuper *b)* inutiles et supervacaneae, ac proinde reiciendae. Si igitur assertio pluralitatis principiorum vitalium in homine talis esse demonstratur, respuenda est.

Minor probatur. Veritates agnitae, et facta allegari solita

---

[2] Auctores sive antiqui sive moderni qui pluralitatem animarum in homine professi sunt, plenius recensiti et citati videri possunt apud URRÁBURU, *Psychologia*, III p.553-554; vel T. PESCH, *Psychologia*, p.354-358 n.276-277.

[3] PIUS IX, *Breve ad episcopum wratislaviensem*, 3 aprili 1860.

[4] Theologi, de hac re theologice tractantes, unicitatem animae rationalis et sensitivae *de fide* esse dicunt; animam rationalem identificari quoque cum vegetativa, seu nullam animam vegetativam esse in homine quae non identificetur cum rationali, saltem, certum esse in theologia affirmant. Cf. BERAZA, *De Deo creante* (Elexpuru, Bilbao 1921) p.560-580 n.1080-1113, ubi etiam distinctorum auctorum verba afferuntur et citantur.

ad pluralitatem principiorum vitalium substantialium in homine asserendam, ad *triplex caput reducuntur.* Sunt autem: I) *simplicitas* et *spiritualitas animae humanae;* II) *diversitas magna operationum humanarum;* et III) *oppositio inter aliquas ex his operationibus.* Iam vero eiusmodi rationes et facta A) *nullius roboris sunt* ad probandam pluralitatem principiorum vitalium; imo B) *potius* unicitatem principii vitalis substantialis in homine *suadent,* ut iam per partes ostendimus.

599. I. Simplicitas et spiritualitas animae.

A) *Non est ratio obstans.* Quia nulla ratio affertur propter quam anima rationalis non possit etiam esse *radix* operationum sensitivarum, et vegetativarum, omnino materialium, compositi ex anima et corpore, et consequenter non sit entitas spiritualis et simplex, quae *virtualiter* vel *eminenter* contineat perfectiones animarum inferiorum, et exigat potentias materiales accidentales oriri in composito quod constituit. Imo rem ita se habere quoad operationes vegetativas et sensitivas, supra in thesi 11 (162-166) et in 14 (206-215 et 216-218) probatum est.

B) *Est potius ratio suadens.* Id enim evenit: tum *a)* in ordine *morali:* auctoritas enim superior auctoritatem inferioris continet; tum *b)* in ordine *physico.* Haec enim videtur esse quasi consuetudo naturae ut quae dispersa sunt in inferioribus entibus, adunata in superioribus reperiantur. Sic homo perfectiones animalis; animal perfectiones plantarum, possidet [5].

600. II. Diversitas operationum vitalium hominis.

A) *Nulla est ratio obstans.* Quia licet haec diversitas, si cerneretur in diversis entibus vel melius in collectionibus operationum pertinentibus ad diversa entia, proderet diversitatem principiorum; at non ita si datur tantummodo inter operationes pertinentes ad idem ens. Nam non repugnat quod diversae operationes oriantur ab eodem principio radicali, ope virium ab illo procedentium.

Id ipsum admittitur ab adversariis qui uni eidemque animae tribuunt actus diversissimos appetendi et cognoscendi; actus audiendi, tangendi videndique, diversitatesque intellectualiter cognoscendi.

B) *Est potius ratio suadens,* maxime propter intimam connexionem et subordinationem inter diversas operationes eius-

[5] Cf. S. Th., *De spiritualibus creaturis* q.unica, a.3; atque etiam S. Th., 1 q.76 a.3c.

dem hominis, quae incompletionem earumdem produnt, omnino incompossibilem cum multiplicatione animarum.

Eiusmodi *incompletio* evidenter deprehenditur: a) *inter operationes psychicas sensitivas et intellectivas.*

Sic voluntas moveri debet saltem ad actus indeliberatos ab appetitu sensitivo; et appetitus sensitivus imperio voluntatis regitur, licet non despotico sed politico. Sic etiam intellectus, tum ad exercitum, tum ad specificationem sui actus, moveri debet, saltem media specie, a phantasmate; et vicissim sensationes, maxime internae in homine sui compote, ab intellectu excitari, regi et compesci debent; ut apparet praesertim in operibus artis construendis, in libris scribendis, et generatim in tota serie actuum humanorum.

Similiter b) *inter operationes psychicas hominis et vegetativas.*

Sic facultates psychicae non evolvuntur nec perficiuntur, nisi pari passu, organismo, praesertim cerebro, se evolvente ad vitam vegetativam quod attinet; et e contra, laeso vel debilitato cerebro, simul cum operationibus vitae vegetativae, psychicae pariter impediuntur et modificantur, ut evenit in anaemia, apoplegia...

Sic etiam principium proximum sentiens compleri debet irritatione physiologica organi sensationis quae est ordinis vegetativi; et vicissim, sine vita psychica, non satis provisum est vitae vegetativae hominis, ut per se patet.

Atqui eiusmodi incompletio non nisi in nostra sententia satisfactoria explicatur.

Quod in nostra recte explicetur, patet. Quod in adversa, non ita; constat ex eo quod, multiplicatis animabus, quodlibet ex organis ipsarum immanenter ageret, et principia organica, scilicet: anima sensitiva et vegetativa, sua quaeque organa habentia, nihil inter se commune haberent. Ideo *nulla assignari potest ratio suae incompletionis et subordinationis.*

601. III. OPPOSITIO INTER ALIQUAS OPERATIONES VITALES.

A) *Nulla est ratio obstans.* Nam eiusmodi oppositio et contrarietas:

a) Saltem saepe datur inter actus quorum alter est *inefficax;* et proinde prorsus similis est oppositioni quae datur inter actus unius eiusdemque facultatis.

Sic non aliud genus oppositionis experimur quando voluntas nostra ad oppositas actiones sollicitatur: ad alteram nempe, per amorem Dei; ad alteram, per amorem propriae excellentiae, cum huiusmodi motiva voluntatem tantummodo afficere possunt. Unde si argumentum aliquid valeret, esset quoque statuendum duplex principium volitivum.

b) Praeterea eiusmodi oppositio sufficienter *explicatur ex causis extrinsecis,* saltem saepe.

Sic essus carnis non est intrinsece contrarius naturae humanae, sed tantum extrinsece et ratione aliquorum adiunctorum, exempli causa, prohibitionis pro die veneris.

c) Quod si id non sufficiat ad explicandam praefatam oppositionem quae obiicitur, saltem sufficienter explicabitur in omni casu, *ex distinctione reali facultatum proximarum,* quin opus sit admittere distinctionem principii substantialis et ultimi.

B) *Potius est ratio suadens.* Etenim operationes diversae ita opponuntur ut *mutuo se impediant,* ut constat experientia.

Ita enim evenit: a) *in operationibus psychicis, inter sensitivas* et *intellectivas.*

Sic constat sensationes non fieri, vel non nisi magna tenuitate, dum attentio intellectualis tota fertur in obiectum, ita ut quasi eiusdem veritate absorbeatur; et e contra, operationes intellectuales quoque impediri tum dolore intenso, tum etiam nimia excitatione phantasiae, ut in insanis accidit, qui "ideis fixis" abrupti, in usu rationis deturbantur.

b) Pariter *inter operationes psychicas* et *vegetativas* similis impeditio reperitur.

Sic neminem latet quantum mentales operationes, maxime vero affectiones et passiones in motus quibus vita vegetativa regitur influant, nempe in circulationem sanguinis, secretionem humorum diversorum.

Timor, spes, laetitia, ira, immediate modificant motus cordis, stomachi, laterum seu respirationis, iecoris, et generatim totius systematis nervei. Sic dolor intensus sudorem excitat; comestionis repraesentatio imaginaria, salivam in ore segregat; adspectus rei sordidae vomitum provocat.

Et vicissim facta ordinis vegetativi non rite peracta, mentales operationes impediunt. Sic clima, atmosphaera, narcotica, status stomachi iecoris et circulationis, saepe operationes intellectuales et sensitivas impediunt.

Atqui haec omnia tantummodo in nostra sententia de unicitate animae explicantur.

Quod in nostra sententia *explicentur* eiusmodi impeditio, patet ex eo quod cum energia principii ultimi unici limitata sit, necessario inde consequitur, ut quo plus energiae ab una potentia impendatur, eo minor alteri relinquatur, unde ipsius actionis impeditio consequatur, iuxta experientiam.

Quod in sententia adversa *non explicetur,* constat ex eo quod iuxta hanc sententiam quodlibet ex illis principiis im-

manenter ageret et nihil inter se communem haberet, unde nulla esset ratio propter quam suam vitalem activitatem exercere non possent, licet alia principia vitalia simul intensitate maxima operarentur [6].

602. Obiectiones. 1. Ubi operatio principii vitalis ibi principium vitale. *Atqui* in homine datur operatio vegetativa et sensitiva praeter intellectualem. *Ergo* in homine datur principium vitale vegetativum et sensitivum praeter intellectuale.

Resp.: dist. mai.: Ubi operatio principii vitalis, ibi admittendum est principium vitale, sive a principiis aliarum operationum distinctum, sive cum ipsis identificatum, *conc.;* ibi admittendum est principium praecise a principiis aliarum operationum distinctum, *subd.:* si operationes sint distincti suppositi *conc.;* si eiusdem, *nego. Contrad. min.* et sub *datis. dist., nego cons.* et *conseq.*

INST.: Eiusmodi operationes, licet inveniantur in eodem supposito, nequeunt provenire ab eodem principio. Quia operationes quae sunt inter se admodum *diversae* nequeunt provenire ab uno eodemque principio. *Atqui* operationes vitae vegetativae, sensitivae et intellectualis sunt inter se admodum diversae. *Ergo* nequeunt provenire ab uno eodemque principio.

Resp.: nego assertum. Ad probationem, *dist. mai.:* operationes inter se diversae nequeunt provenire ab uno eodemque principio, quod perfectionem et *virtutem* non habeat proportionatam omnibus operationibus diversis. *conc.;* secus, *nego. Conc. min.* et *contrad. cons.:* operationes vegetativae et sensitivae et intellectivae nequeunt provenire ab uno eodemque principio quod perfectionem et virtutem non habeat ad omnes, *conc.;* si talem perfectionem et virtutem habeat, *nego.*

603. 2. Unum idemque principium nequit habere perfectionem et virtutem quae requiritur ad omnes operationes hominis. *Quia* ex operationibus humanis, aliae videlicet vegetativae et sensitivae exigunt principium aliquod *materiale* et organicum; aliae vero, scilicet intellectuales, principium *spirituale* et inorganicum. *Atqui* nequit fieri ut unum idemque principium simul materiale sit et spirituale; organicum et inorganicum.

Resp.: nego assertum. Ad probationem *dist. mai.:* aliae operationes humanae requirunt principium spirituale, aliae vero materiale, sive in se seu *formaliter*, sive *virtualiter* saltem materiale, *conc.;* aliae requirunt principium spirituale et aliae principium praecise in se seu *formaliter* materiale, *subd.:* requirunt *principium proximum* scilicet facultatem materialem, *conc.;* principium ultimum seu radicale in se seu formaliter materiale, *nego. Contrad. min.* et *cons.* [7]

---

[6] Cf. S. TH., 2 CG c.58.

[7] Alias plures obiectiones contra thesim propositas et solutas, vide sis in *Cursu.*

ARTICULUS II

ANIMA RATIONALIS ET CORPUS UNIUNTUR IN UNITATEM PERSONAE

Thesis 31. Persona humana non consistit in sola anima sed tantum ex unione animae rationalis cum corpore resultat.

604. Notiones. PERSONA definitur: "rationalis (id est intellectualis) naturae individua substantia" [8].

Huiusmodi notio metaphysica personae, a theologis praesertim profunde et accutissime elaborata, tum in Ontologia, tum etiam in Theologia, ulterioribus declarationibus illustratur. Utpote quae metaphysica est, cuicumque personae convenire debet, sive humanae, sive angelicae, sive divinae.

In hac definitione verbis "individua substantia" significatur *suppositum*. Quid suppositum in genere sit, iam supra in thesi 5 (82-91) declaratum manet.

Verbis "rationalis naturae", per quae ratio generalis *suppositi* contrahitur ad significandam *personam*, intelligitur in hac definitione, substantia, quae sit activitate spirituali praedita; seu rationali, si de homine agitur. Quid autem activitas rationalis sit, patet ex hucusque declaratis. Est videlicet substantia praedita psychismo rationali, cuius distinctas operationes in capitibus praecedentibus consideravimus.

Sequitur inde, omnem personam esse necessario suppositum; licet non omne suppositum persona sit.

Quoniam ad ordinem expositionis doctrinae, nostra interest ut possimus thesim propositam argumentis maxime ex experientia depromptis demonstrare, quae propria sunt Philosophiae naturalis, prae oculis habenda est *peculiaritas quaedam* quam prae se fert omne suppositum, ab omnibus admissa et ex ipsa essentia suppositi ac consequenter personae dimanans, quae ab scholasticis exprimi solet dicentibus: *actiones esse suppositorum.*

His verbis indicatur omne suppositum esse *subiectum attributionis* vel *denominationis,* cui vere attribuuntur et cuius vere sunt omnes operationes, quae a substantia suppositi, sive integra, sive ab aliqua illius parte exercentur.

---

[8] BOETHIUS, *De duabus naturis,* c.2: PL 64,1343.

"Actiones, inquit SANCTUS THOMAS[9], sunt suppositorum seu *totorum,* non autem proprie loquendo *partium* et *formarum seu potentiarum:* non enim proprie dicitur quod manus percutiat, sed homo per manum; neque proprie dicitur quod calor calefacit, sed ignis per calorem; secundum tamen similitudinem quandam haec dicuntur".

Ideo tantum suppositum seu "Hypostasis est, iuxta SANCTUM THOMAM[10], cui attribuuntur operationes et proprietates naturae et ea etiam, quae ad rationem naturae pertinent in concreto: dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, et est visibilis et est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur suppositum, quia scilicet supponitur his quae ad hominem pertinent, eorum praedicationem recipiens".

605. Suppositum humanum interdum "TO EGO" a psychologis modernis appellari consuevit.

Homo enim, ubi primum ad rationis usum pervenit, et maxime cum iam adultus est, pertinentiam diversarum operationum quas exercet ad proprium suppositum experitur, et de multis, per introspectionem, conscientiam assequitur. Semetipsum ut suppositum pronomine "ego" designans, hanc experientiam exprimere valet dicens: "ego cogito", "ego dolore afficior", "ego volo", sic semetipsum ut suppositum ab aliis suppositis et rebus distinguens, quae pronominibus, tu, vos, ille vel illa designantur.

Inde factum est, ut praesertim apud modernos psychologos, pronomen "ego" idem plerumque significet ac proprium suppositum; et quod suppositum quodlibet rationale "to ego" nuncupetur.

Haec autem ratio loquendi confusioni obnoxia est; quia hac denominatione potest etiam interdum significari non *integrum suppositum,* sed *pars tantum suppositi,* videlicet: principium ipsum immediate eliciens et recipiens operationes intellectuales et reflexiones supra ipsas, ut iam supra in thesi 21 (373-387) advertimus.

Ideo *suppositum* non semper idem est ac "to ego", sed tantum cum "ego", non pro principio *eliciente* operationes, sed plene pro *subiecto ipsarum denominativo* intelligitur.

"To ego" denominative et complete sumptum identificatur quidem cum supposito, et in hoc sensu etiam in locutione communi adhibetur.

Si vero pronomine "ego", significatur principium eliciens et recipiens cognitionem reflexam quae hoc pronomine importatur, nullatenus verbum "ego" suppositum significat, sed partem aliquam hominis, videlicet: animam quae per intellectum reflectit.

Hanc proinde, nisi probetur, cum supposito adaequate identificare non licet. Suppositum autem humanum cum eius anima non adaequate identificari, est praecise *quaestio* nunc disputanda.

---

[9] S. TH., 1-2 q.58 a.2 Cf. 1 q.75 a.2 ad 2; *De potentia,* q.9 a.1 ad 3.
[10] S. TH., 3 q.2 a.3 c.

606. Status quaestionis. Thesis supponit iam probatam in superioribus, realitatem corporis humani et principii rationalis quae anima dicitur. Supponit etiam animam hominis aliquomodo corpori ipsius unitam esse, unione quadam, non mere morali ut illa est quae intercedit inter membra distincta alicuius familiae vel societatis, sed *unione quadam physica,* in thesi sequenti strictius determinanda. QUAESTIO IGITUR PRAESENS, his positis, simplex admodum est.

Agitur enim tantum de sciscitando, utrum persona humana complete sumpta, vel utrum "ego" humanum pro supposito acceptum, seu in quantum suppositum integrum significat, constituatur sola anima, ita ut corpus vel materia sit tantum quaedam quasi appendix adiuncta animae; vel e contra, persona humana essentialiter et intrinsece constituatur etiam corpore vel materia.

Distinctas partes integrantes corporis humani, sicut et cuiuslibet alius viventis corporei, non esse totidem supposita sed ita uniri ut unum totum suppositum constituant, probatum manet in thesi 5 (82-91); et ad id probandum, tandem ad animam informantem omnes illas partes recurrebamus. Nunc autem etiam animam cum corpore in unitatem personae coire demonstrandum est. Ibi de partibus *integralibus;* hic de *essentialibus* agitur.

607. Sententiae. Quaestioni sic propositae, duae tantum respondent sententiae: altera *affirmans;* altera *negans.*

Affirmant omnes Sancti Patres et Doctores scholastici.

Negant, consequenter ad alios errores, omnes qui conceptionem hominis platonicam amplectentes, tenent operationes vitae sensitivae effici et recipi in sola anima. Hi omnes personam humanam concipiunt tamquam animam corpore utentem.

"PLATO vero, scribit SANCTUS THOMAS [11], ponens sentire esse proprium animae, ponere potuit quod homo esset anima utens corpore".

Hanc sententiam amplexus est CARTESIUS omnesque illi qui ad subiectum expressum pronomine "ego", tantum referunt operationes psychicas, non distinguentes inter operationes psychicas sensitivas, et rationales; et contendentes operationes vitae vegetativae seu pure physiologicas, et generatim omnes operationes corporeas, mechanistice explicandas esse, seu iuxta leges physicochimicas materiae non viventis.

Adversus hos omnes thesim defendimus ut *physice certam.*

[11] S. TH., 1 q.75 a.4 c.

608. Probatio. Personae humanae seu "to ego" attribuuntur: a) *operationes diversae,* quarum aliae proveniunt a *solo corpore,* aliae a *sola anima;* aliae demum a *composito;* et quidem attribuuntur b) *proprie* seu non tropologice, et c) *vere* seu non illusorie. *Ergo* "to ego" constituitur non sola anima, sed etiam corpore.

Consequentia patet. Nam si operationes a) *diversae* attribuuntur "to ego" b) *proprie* et c) *vere,* "to ego" est principium illarum saltem quoad aliquam sui partem. Secus iam non *proprie* et *vere* illi attribuerentur. Unde si constat principium illarum operationum quantum ad aliquas esse quidem *solam animam;* quantum vero ad plures esse *corpus,* vel *solum* vel *cum anima unitum,* necesse est ut "to ego" constituatur non sola anima sed etiam corpore.

Antecedens probatur, nam: *a)* "to ego" attribuuntur *operationes diversae,* quarum aliae, ut constat ex hucusque demonstratis, proveniunt a solo corpore, ut pressionem exercere vi ponderis, ut cum dicimus ego pondero; aliae a sola anima, ut intelligere, velle, ut cum dicimus *ego intelligo, ego volo;* aliae demum a composito, ut vegetare, sentire, ut cum dicimus, *ego nutrior,* ego *sentio.*

b) Attribuuntur *proprie,* seu non tropologice. Hoc patet et a nemine negatur quantum ad operationes quae a sola anima dimanant. Quantum vero ad alias quae a corpore saltem inadaequate proveniunt, declaratur per comparationem ad attributionem tropologicam, quam interdum facimus quarumdam affectionum proprie pertinentium ad res nobis plus minusve coniunctas.

Ita, exempli causa quamvis, si vestis mea comburatur, possim dicere aliquo sensu *ego cremor;* tamen est evidens quod non eodem prorsus sensu hoc dicerem sed sensu propriissimo, si non vestis, sed ipsamet pellis mea combureretur.

c) Attribuuntur *vere* seu non illusorie, videlicet: haec attributio in ordine logico supponit et exigit attributionem realem dari in ordine ontologico. Et ratio potissima est quia eiusmodi attributiones seu praedicationes sunt omnium hominum, omnium aetatum; atque hic consensus universalis et constans tandem innititur in experientia evidentissima, partim quidem mediata, partim vero immediata.

609. Obiectiones. 1. Persona est "rationalis naturae individua substantia". *Atqui* sola anima est rationalis naturae individua substantia. *Ergo* sola anima est persona.

Resp.: conc. mai. et *nego min.*

INST.: Anima humana potest subsistere et vivere sine corpore, quia est immortalis. *Atqui* quod altero non indiget ad subsistendum, id sine hoc altero est suppositum.

Ergo anima est suppositum vel persona.

Resp. 1.°: trans. totum; etenim argumentum ad summum probaret animam habere rationem personae, dum a corpore est separata; non autem dum corpore unitur, ut asseritur in thesi.

Resp. 2.°: Conc. mai et *dist. min.* cum SANCTO THOMA[12]. Quod altero non indiget ad subsistendum, id sine altero est suppositum, si sit completum in natura, *conc.;* si sit incompletum et pars speciei, *nego.*

Claritatis gratia oportet distinguere *quadruplicem sensum* verbi *subsistere,* et consequenter, *subsistentiae,* quae ut forma concipitur metaphysica, qua subsistens subsistit. *Subsistentia* enim potest accipi, vi nominis, a substantia; est enim id quo substantia in esse talis formaliter constitui concipitur. Totidem ergo modis dici poterit subsistentia, ac substantia dicitur.

Dicitur ergo *subsistentia* 1.° id quo substantia est substantia *late sumpta,* et accidenti opponitur ut non inhaerens alteri; 2.°, id quo substantia est *substantia completa,* et parti sive substantiae incompletae opponitur; 3.°, id quo substantia est *singularis,* et opponitur universali; 4.°, id quo substantia *singularis* est *in se conclusa* et non tracta ad alterum tamquam suppositum[13]. Anima proinde dicitur recte substantia seu subsistere, in 1.° et 3.° sensu; siquidem revera est substantia, singularis; non autem in 2.° sensu, quia non est substantia completa; nec consequenter in 4.° sensu.

610. 2. Anima est principium *quod* effectivum et receptivum operationum intellectivarum. *Atqui* principium *quod* effectivum et receptivum operationum intellectivarum est persona. *Ergo* anima est persona.

Resp.: conc. mai. et *dist. min.:* principium *quod* est persona, si eiusmodi principium est insuper natura vel substantia completa, quae natura sua non exigat cum alia substantia incompleta uniri, nec de facto alieno supposito uniatur, *conc.;* secus, *nego.* Et sub datis *dist. nego cons.*

Nam etiamsi anima quoad operationes spirituales intelligendi volendique sit revera principium eas eliciens, ac proinde dici possit principium *quod;* non tamen inde sequitur esse suppositum seu persona, si sua natura ordinatur ad se uniendum cum materia, ut dari possint operationes vegetativae et sensitivae, quarum anima est etiam principium, sed tantum *radicale* et *ut quo.* Cum igitur sic se res habeat, anima, quatenus principium operationum intellectivarum, non est nisi *natura incompleta;* quapropter nequit esse persona.

INST.: Corpus ad animam se habet in ordine ad operationes tamquam *instrumentum. Atqui* instrumentum nequit uniri principali agenti in unitatem personae. *Ergo* quod anima habeat simul cum corpore alias operationes, non obstat quominus anima sit natura completa ac proinde persona.

Resp.: dist. mai.: Corpus ad animam se habet in ordine ad operationes tamquam instrumentum *intrinsecus unitum* cum anima, hoc est, cum ea constituens unam naturam et unam substantiam, ut sta-

[12] Cf. S. TH., 1 q.75 a.2.
[13] T. PESCH, *Lógica,* III p.267 n.1471.

tim probabitur, seu brevius: ut *instrumentum coniunctum, conc.;* se habet ad animam sicut instrumentum *extrinsecus* unitum, seu unitum tantummodo accidentaliter, seu brevius: ut *instrumentum separatum, nego.* Et *contradist. min.*

Verum est, ut ait SANCTUS THOMAS [14], "quod non omne quod assumitur ut instrumentum, pertinet ad hypostasim assumentis; sicut patet de securi et gladio. Nihil tamen prohibet, illud quod assumitur ad unitatem hypostasis, se habere ut instrumentum; sicut corpus hominis vel membra eius [15].

ARTICULUS III

ANIMA RATIONALIS HOMINIS EIUSQUE CORPUS UNIUNTUR IN UNITATEM NATURAE

Thesis 32. Ex unione rationalis animae cum corpore exsurgit una tantum natura hominis.

611. Notiones. UNIO, in genere, est duorum vel plurium aliqualis coniunctio qua ex illis *unum* constituitur. Unio et unum possunt esse ordinis *moralis,* sicut unio membrorum unius societatis; vel *physici,* seu unio in ipsa entitate physica rerum quae uniuntur.

Et unum ex unione physica resultans potest esse vere unum, seu *unum per se;* vel unum tantum improprie dictum, seu *unum per accidens.* Unum idem est ac ens, quod etiam potest esse *ens per se,* vel *per accidens.*

Quid sit *unum* vel *ens per se,* et *unum* vel *ens per accidens* iam supra, in thesi 5 (82-91) explicatum est.

ANIMAM HUMANAM intelligo principium ultimum substantiale, saltem radicale, omnium operationum hominis.

CORPUS hic idem est ac elementum materiale hominis seu materia qua corpus hominis constat.

NATURAE nomine venit hic principium ultimum et substantiale operationum. Ab ARISTOTELE definitur: "Principium et causa motus et quietis eius in quo est, primo et per se et non secundum accidens".

Eiusmodi definitio iam supra (123-124) declarata est.

Dum dicitur "eius in quo est", indicatur, naturam esse propriam alicuius suppositi.

Natura solet significari nominibus abstractis. Sic natura hominis humanitas dicitur. *Suppositum* vero nominibus concretis. Sic suppositum vel persona humana dicitur homo.

---

[14] S. TH., 3 q.2 a.6 ad 4.
[15] Vide sis plures alias obiectiones propositas et solutas in *Cursu.*

Natura potest esse *completa* vel *incompleta.*

Incompleta erit, si est tantum pars unius naturae completae.

Completa autem erit si sit principium completum omnium operationum propriarum suppositi cuius est natura.

In praesenti quaestione, *natura completa hominis* erit ens quod sit causa effectiva *omnium operationum* quae homini ut supposito vel personae vere tribuuntur.

612. Status quaestionis. Ex thesi praecedenti constat homini vere tribui, ut supposito, operationes plures et valde diversas, quarum aliae, iuxta leges physicas, vel chimicas vel mechanicas materiae inorganicae, exercentur; aliae vero stricte *vitales* sunt; sive vere corporales, ut operationes vitae vegetativae et sensitivae; sive spirituales et solius animae, ut operationes vitae rationalis. Omnes huiusmodi et diversae operationes requirere principia substantialia proportionata et viribus ornata ad eiusmodi operationes exercendas, extra dubium est; et in thesi 30 (595-603) probavimus, hoc principium *unicum* esse in homine.

QUAESTIO PRAESENS est tantum utrum anima, quae principium saltem radicale est omnium operationum hominis, adaequate identificetur cum natura hominis; vel e contra *natura hominis completa* intrinsece constituatur, non sola anima rationali, sed etiam corpore seu materia. Atque hoc, ita ut natura hominis resultans ex unione animae cum corpore non sit aliquid unum tantum *per accidens,* sed vere *unum per se;* unione proinde non consistente in mera coniunctione extrinseca duorum *entium per se,* quae conferant suas vires ad unum eundemque effectum producendum; sed quae unum et completum principium operationum vitalium sua unione constituant, videlicet *naturam hominis vere unam,* seu quae sit *unum per se ens.*

613. Sententiae. Inter eos qui realitatem animae et materiae hominis admittunt, quae in hac quaestione probata supponitur, huic thesi adversantur tantummodo illi qui, aliquod genus spiritualismi exaggerati profitentes, independentiam animae hominis a corpore *nimium exaggerant* et animae tribuunt tantummodo operationes psychicas, scilicet intentionales vel conscias; quo fit ut operationes corporeas consequenter mechanistice seu legibus physicis vel chimicis explicandas esse teneant.

Omnes qui ita opinantur, corpus et animam hominis con-

cipiunt veluti duas naturas in se completas, atque hoc *bifariam. Uno modo a)* ita ut teneant huiusmodi naturas, vel propria activitate carere, vel si ea gaudeant, eam in activitatem alterius non *influere.* Alio modo *b)* ita ut existiment unamquamque ex his naturis completis propria gaudere activitate, qua altera in alteram *influxum efficientem exerceat,* ita ut corpus animam excitet, et anima corpus moveat suo impulsu.

614. a) *Hominem duobus naturis completis constare non mutuo inter se influentes,* tenuerunt omnes philosophi qui professi sunt systema quod dicitur *purae assistentiae,* iuxta quod anima et corpus essent duae naturae completae propria activitate destitutae, ac proinde absque ullo influxu causali nec inter se, nec quidem in proprias uniuscuiusque operationes, quae iuxta *occasionalismum* malebranchianum a solo Deo producerentur.

Item duabus naturis constare completis teneret qui cum Leibnizio systema profiteretur *harmoniae praestabilitae;* iuxta quod influxus quidem daretur animae in proprias operationes intentionales et conscias; et corporis similiter in proprias operationes materiales, non autem inter operationes corporis et animae, quarum tamen mirabilis et exactissima coincidentia et adaptatio deberetur *harmoniae praeviae a Creatore stabilitae,* quae similis esset harmoniae duorum horologiorum in signandis horis coincidentium absque ullo influxu mutuo.

Inter philosophos qui ita sentiunt, computandi quoque essent psychologi qui *parallelismum psychophysicum* profitentur; qui tamen extra statum praesentis quaestionis versarentur, eo quod, licet admittant coincidentiam et adaptationem seriei operationum psychicarum cum serie eventuum physicorum mundi physici, utpote qui phaenomenismum profitentur, realitatem corporis et animae negant, quorum realitas in hac thesi praesupponitur.

615. *b)* In homine duplicem naturam *activitate praeditam* in propria uniuscuiusque activitate, et per hanc in activitatem *alterius* influxu physico et efficienti influentem, sententia est eorum qui tenent systema quod dicitur *influxus physici activi.* Iuxta hoc systema, corpus ab agentibus medii ambientis physice vel mechanice excitatum, animae, enti a se penitus distincto, eiusmodi excitationes communicaret; et anima, his excitationibus acceptis, corpus a se adaequate distinctum, moveret.

Haec videtur esse sententia platonica a Cartesio denuo suscitata, quam multi psychologi qui materialistae non sunt et systema scholasticorum ignorant, saltem in sua ratione loquendi vulgari et impraecisa, tenere videntur. Animam ad corpus se habere existimant veluti nauclerus in navi.

Contra miras eiusmodi sententias, *scholastici omnes et neoscholastici,* animam et corpus uniri in unitatem naturae profitentur et theologi omnes catholici, sub luce revelationis christianae, unicitatem naturae in homine de fide esse uno ore profitentur.

616. Probatio. Ex unione animae rationalis cum corpore: A) *novus resultat complexus operationum,* quae licet admodum inter se diversae, ita tamen inter se cohaerent et aliae ab aliis dependent ut B) *unam et unicam vitam humanam com-*

pletam constituant, a qualibet alia vita specifice distinctam. *Ergo* ex unione animae rationalis cum corpore una resultat natura.

Consequentia patet. Quia nullius rei naturam cognoscimus in semetipsam, sed tantum ex eius operationibus quae experientiae nostrae subiciuntur.

Ita distinguimus naturam plantae a natura animalis, et naturam animalis a natura hominis; nec alia in genere suppetit ratio ad iudicandum de quacumque re naturae, experientiae nostrae subiectae. Unde si complexus operationum resultans ex unione animae cum corpore est A) *novus,* seu talis qui sine unione animae rationalis cum corpore nullibi in natura datur; et operationes huius complexus, licet diversae, sint tamen inter se cohaerentes et aliae ab aliis adeo dependentes ut aliae sine aliis ne quidem exsistere possint; consequenter concludendum est principium substantiale et completum harum operationum, seu naturam esse A), ab *aliis naturis distinctam* et B) *unam.*

617. *Antecedens* probatur per partes.

A) *Ex unione animae rationalis cum corpore resultat in homine novus complexus operationum valde diversarum.* Nam operationes hominis propriae ex unione animae cum corpore resultantes, aliae sunt *a)* tales quae nec a sola anima, nec a solo corpore procedunt, sed a composito animae et corporis, ut operationes vitales sensitivae et vegetativae, ut supra in thesi 11 (162-166) et in thesi 14 (206-215 et 216-218) probatum est.

Aliae *b)* sunt quae, licet a corpore efficiantur, ut exempli causa operationes locomotionis, ambulandi, gradiendi, laborem aliquem manualem exercendi, huiusmodi tamen operationes corporeae licet legibus mechanicis subiciantur, admodum diverso modo ab homine exercentur ac exercerentur a machina quadam, et profunde immutatae apparent.

Tandem *c)* operationes spirituales intellectus et voluntatis valde quoque diverso modo ab homine exercentur ac exercerentur ab ente pure spirituali, seu a spiritu puro.

B) Quod huiusmodi *diversae operationes intime inter se cohaereant;* et ita aliae ab aliis dependeant, et simul sumptae integram et unam vitam humanam constituant, evidentissimum est, et per totum hunc tractatum demonstratum manet.

Sic operationes, etiam vegetativae hominis, quae in planta inconscienter efficiuntur, essent prorsus impossibiles in homine omni vita sensitiva privato. Similiter operationes sensitivae supponunt operationes vitae vegetativae. Et ipsae operationes spirituales solius animae, etiam illae quae sublimiores sunt, impossibiles essent in homi-

ne sine cooperatione operationum sensitivarum et vegetativarum a quibus, licet extrinsece tantum, plus minusve remote dependent.

618. Obiectiones. Homo duplici saltem constat natura re distincta: altera scilicet organica, altera spirituali. *Ergo* falsa thesis. Probatur *antecedens*. Quia in homine duplex saltem operationum genus datur inter se diversarum et irreductibilium, scilicet: *activitates organicae sentiendi et vegetandi,* et *inorganicae intelligendi volendique,* quorum unumquodque requirit propriam naturam seu principium non modo accidentale, verum etiam substantiale proportionatum, a quo tandem eliciantur et in quo recipiantur. *Atqui* principium substantiale eliciens et recipiens operationes organicas, iuxta doctrinam a nobis traditam, non est nisi corpus; principium vero operationum inorganicarum, non est nisi anima. *Ergo* duplex in homine datur natura, seu principium substantiale re distinctum.

Resp.: dist. ant.: homo duplici constat natura *incompleta, conc.; completa, nego.* Et ad probationem: *conc. mai.* et *dist.* primam partem *min.:* principium substantiale eliciens et recipiens operationes sentiendi et vegetandi non est nisi corpus vivum, intrinsece anima constitutum ac proinde ab anima *tantum inadaequate* distinctum, *conc.;* non est nisi corpus, id est materia, ab anima adaequate distincta, *nego.*

Dist. etiam secundam partem *min.:* operationum inorganicarum principium non est nisi anima, ita ut operationes inorganicae, saltem extrinsece ab organicis *dependeant, conc.;* operationum inorganicarum principium non est nisi anima, ita ut huiusmodi operationes animae hominis, in statu eius coniunctionis cum corpore, exerceantur omnino *independenter* ab operationibus organicis eiusdem, *nego.*

2. *Nequit* esse naturalis illa unio quae tota cedit in bonum materiae; formam autem ipsam deprimit. *Atqui* talis est unio inter animam rationalem et corpus. *Ergo* unio animae humanae cum corpore non est naturalis.

Resp.: conc. mai. et *nego min.* Nam anima est principium non solum vitae intellectivae, sed etiam sensitivae et vegetativae, quae utpote organicae nequeunt exerceri nisi posita unione convenienti ipsius cum corpore. Hac igitur unione, et tantum ea, anima humana capax redditur integram suam virtutem exercendi [16].

CAPUT X

Assertiones scholasticae theoriae circa constitutionem hominis, quae ex doctrina fundamentali consequuntur

S. TH., 1 q.75 a.1 et 8; 2 CG c.56.68-72; 4 c.67 fine; *De anima,* a.9-10; *Quodlib.* 12 a.10, Opúsc.2 c.80 et Opúsc.61 c.47; SUÁREZ, *De anima,* I c.12 et 14; URRÁBURU, *Psychologia,* III p.743-958; *Psychologia,* I n.298-318; FRÖBES, *Psychologia speculativa,* II p.305-336; BOEDER, *Psychologia rationalis,* p.349-396; MAHER, *Psychology,* c.25-26; PALMIERI, *Institutiones philosophicae,* Cosmologia, p.117-139; Anthropologia, p.267-268.297 et 298 et 301; TONGIORGI, *Institutiones philosophicae,* III Psychologia, l.2 c.3.

619. Nexus et ordo expositionis. Ulterius progredientes in expositione et demonstratione theoriae scholasticae, circa compositum

[16] Aliae obiectiones solvuntur in *Cursu.*

humanum, tres alias assertiones in hoc capite tuebimur, quae logice consequuntur ex assertionibus capitis praecedentis, et doctrinam continent communiter acceptam ab omnibus scholasticis, uno alterove excepto.

Probabimus ergo, 1.°, ex unione animae humanae cum materia unam tantum resultare *substantiam completam;* 2.° animam humanam esse formam substantialem corporis iuxta *theoriam hylemorphicam;* et 3.° animam humanam *residere totam in toto corpore* hominis et in *singulis ipsius partibus.*

ARTICULUS I

DE UNIONE SUBSTANTIALI ANIMAM INTER ET CORPUS HOMINIS

Thesis 33. Ex unione animae rationalis cum corpore exsurgit quoque una simpliciter substantia.

620. Notiones. ANIMAM RATIONALEM intelligo, ut supra, principium ultimum operationum vitalium superiorum seu intellectivarum quae in homine dantur.

CORPUS intelligo elementum materiale hominis.

SUBSTANTIA est ens per se, seu ens cuius quidditati debetur esse non in alio ut in subiecto cui inhaereat (352-353).

Alia est *incompleta,* seu pars substantialis, quae naturaliter ordinatur ad constituendum cum alia, a qua afficiatur vel perficiatur, totum aliquid substantiale maioris perfectionis; alia *completa,* perfecte in se subsistens in aliqua specie entis naturalis.

621. Status quaestionis. Admittunt omnes qui de hac quaestione agunt, tum corpus tum animam esse substantias *saltem incompletas,* ac proinde hominem constare duabus substantiis.

Demonstratum manet in thesibus 31 (604-610) et 32 (611-618), atque admittitur ab adversariis, quod ex unione animae cum corpore exsurgit *una persona, unaque natura.*

QUAESTIO est utrum ex tali unione exsurgat etiam *una substantia completa,* quae sit *vere una,* non unitate *simplicitatis,* ut patet, sed unitate *compositionis;* nec unitate *per accidens,* sed unitate *per se;* ita ut ens resultans videlicet; *homo,* sicut est *una natura,* ita etiam sit *una substantia, non duae actu completae substantiae* conflantes *unam naturam.*

622. Sententiae. Haec quaestio suscitata est, contra mentem Scholae, ab aliquibus auctoribus catholicis, quos inter

praecipuus PALMIERI [1] est recensendus. Qui, cum divisionem *naturae* in completam et incompletam admittant et probent, tamen renuunt admittere substantias *incompletas;* eo quod atomismi vel dynamismi placitis imbuti circa intrinsecam constitutionem corporum in genere, quamvis admittant plures substantias posse uniri naturaliter ad effectum novum praestandum, cuius unaquaeque singillatim incapax est, id tamen fieri dicunt tantum per immutationem activitatis substantiarum, non ita ut ipsae substantiae *intrinsece in sua entitate complectantur,* seu invicem afficiantur vel perficiantur.

Itaque PALMIERI admittit quidem ex unione animae et corporis exsurgere *unam naturam, unam compositam ex duabus substantiam; unionem etiam dici posse substantialem,* eo quod ex ea exsurgat una natura.

Renuit tamen admittere hominem esse unam simpliciter substantiam, eo quod ex tali unione non habetur in homine una dumtaxat realitas; sed illa quae coniuncta sunt anima et corpus, *remanent* vere duae realitates *duaeque substantiae* et *quidem completae:* negat quippe divisionem substantiae in completam et incompletam.

Quaestio, ut patet, *partim est de nomine;* sed fundamentum, hoc est, negatio substantiae incompletae, est erroneum, contra mentem scholasticam, atque ex incompletione naturae a PALMIERI admissa, reiciendum. PALMIERI, si substantias incompletas admitteret, non reiceret nostram rationem loquendi; imo, in opere suo postumo *De Deo creante* [2] hanc suam sententiam laudabiliter retractavit.

623. *Thesim tenent* reliqui scholastici et neoscholastici omnes, ita ut practice vix distinguant inter thesim praecedentem, affirmantem unam naturam, et thesim praesentem unam substantiam asserentem.

Thesim ad *quaestionem de re* quod attinet, habet certitu-

---

[1] D. PALMIERI, *Institutiones philosophicae* (Della Pace, Romae 1875) II, *Anthropologia,* th.1 p.2.ª p.267-268; th.3 p.2.ª p.297-298 et 301. Cf. etiam *Cosmologiam,* th.19 p.137-139, in eodem volumine.

[2] D. PALMIERI, in suo opere postumo, *Tractatus de Creatione* (Prati 1910) th.29 p.277, his verbis suam pristinam sententiam relinquit. "Nihilominus haec ratio explicandi unionem animae et corporis philosophis haud satisfacit, et substantialem illam unionem quae fide docetur, nequaquam attingit; eamque nos, *licet olim comprobaverimus, nunc insufficientem prorsus esse non dubitamus affirmare.* Re vera non explicatur unitas huius substantiae compositae, quae est homo. Sentit enim homo, non anima, non corpus, sed homo sentit, exempli causa, se esse divisibilem: porro in hypothesi *duplicis substantiae in ratione substantiae completae* hic sensus non haberet locum. Sensus enim hic nequit esse nisi in subiecto extenso divisibili: tale autem subiectum proprie est corpus: nisi ergo *anima ingrediatur compositionem corporis,* nequit totum hoc anima et corpus, quod est homo, se sentire extensum; sed corpus tantum, si fieri posset se sentiret extensum; et ad summum anima se sentiret unitam extenso; cum ergo substantia animae in hypothesi allata sit alia prorsus a substantia corporis, nequit homo in ea hypothesi se sentire extensum, quod est contra experientiam. Hoc autem argumentum in aliis affectionibus corporeis instaurari potest."

dinem quam thesis statim probanda, in qua asseritur animam esse formam corporis in sensu scholasticorum; ad *quaestionem vero de nomine* quod attinet, est *certa,* supposita solutione ad quaestionem de re.

624. Probatur. 1.° Ex NOTIONE NATURAE ET SUBSTANTIAE. Natura enim definita est supra (123) ex ARISTOTELE: *Principium et causa motus et quietis eius in quo est, primo et per se et non secundum accidens. Atqui* hoc principium operandi primum cuiuscumque entis, non est nisi eius *essentia* vel *substantia. Ergo* natura et substantia realiter identificantur. *Ergo,* sicut ubi una dumtaxat est essentia vel substantia, non est nisi unum principium primum operandi; sic e converso, ubi sunt duae vel plures substantiae vel essentiae, totidem erunt principia prima operandi, seu totidem naturae.

Vel igitur dicendum est quod ex unione animae cum corpore non exsurgit una natura (quod tamen adversarius renuit nobiscum); vel si ex tali unione exsurgit una natura, una quoque substantia exsurgat necesse est.

Minor probatur: *a)* tum quia secus hoc principium non esset principium ultimum; *b)* tum etiam quia substantiam non cognoscimus nisi in quantum naturam cognoscimus, siquidem substantias tantum ex operationibus cognoscere possumus quatenus effectus produnt indolem causae seu principii.

Ergo vel dicendum est quod substantias nullo modo cognoscimus, quod est omnino falsum et dogma possitivistarum; vel admittendum est quod natura cum substantia in unoquoque ente identificatur.

625. Probatur. 2.° Ex ANALYSI EORUM UNDE UNITAS NATURAE, STANTE DUPLICITATE SUBSTANTIAE, REPETI POSSET. Si duae substantiae completae, corpus et anima, quales statuit adversarius, unirentur in unam naturam, haec unio, vel repeteretur ex eo quod esset illis unus communis a) *effectus,* b) vel una communis *actio,* vel c) una communis *virtus.*

Atqui nihil horum apte dici potest. *Ergo* si admittitur una natura admittenda quoque est una substantia.

Probatur minor per partes: a) *non unus communis effectus.* Esset namque valde extrinseca unio, cum etiam duo equi trahentes currum producant eundem motum, nec tamen efficiant unam naturam.

b) *Non una communis actio.* Nam etiam causae primae et secundae una eademque est actio, quin una sint natura.

c) *Non una communis virtus.* Nam una illa communis virtus nec substantia nec accidens dici potest.

Non substantia. Nam vel identificaretur cum solo corpore aut cum sola anima, et sic *non esset communis;* vel identificaretur cum utroque, et sic *non esset una;* vel distingueretur ab utroque, et sic *haberemus in homine tres substantias completas.*

Non accidens. Tum quia cum sit virtus corporis et animae, deberet recipi in utroque, et sic hoc accidens esset simul materiale et spirituale; aliud enim esset in homine subiectum materiale, corpus; aliud spirituale, anima.

Tum quia non intelligitur quomodo oriatur una natura per aliquid accidentale; natura enim, qua natura, substantia simul est; unde nihil constitui posse videtur unum in ratione naturae, quin constituatur etiam unum in ratione substantiae.

Repugnat autem aliquid constitui unum in ratione substantiae per aliquod accidens. *Ergo* nec in hypothesi unius communis virtutis, fieri potest ut una natura constituatur duabus substantiis in ratione substantiae completis.

626. Obiectiones. 1. Factum est omnibus experientia notum, animam corpus movere, et vicissim. *Atqui,* si corpus et anima unam tantum substantiam constituerent, hoc factum esset inexplicabile. *Ergo* corpus et anima non unam substantiam constituunt. *Resp.: dist. mai.:* factum est omnibus experientia notum animam corpus *proprium* hominis cuius est anima movere et vicissim, *conc.;* factum est experientia omnibus notum animam corpora *aliena* movere, *subd.:* mediantibus motibus membrorum proprii corporis, *conc.;* sola anima sine motibus proprii corporis, *nego.*

Inst.: Anima movens membra proprii corporis, *efficienter,* seu in genere causalitatis efficientis illud movet. *Atqui* si ita est, anima nequit efformare unam substantiam cum corpore. *Ergo* stat difficultas.

Resp.: dist. mai.: Anima movens membra proprii corporis, *efficienter* seu in genere causae efficientis movet ipsa *mediate* per potentiam locomotivam ab anima dimanantem sed in corpore sitam, *conc.; immediate,* seu per suam ipsam entitatem substantialem, *nego.*

Contradist. min.: si ita est, scilicet, si anima efficienter movet corpus *immediate* seu per suam ipsam entitatem, nequit efformare unam substantiam cum corpore, *conc.;* si anima ita efficienter movet proprium corpus ut *non immediate,* sed per *potentiam locomotivam* ab ipsa dimanantem et in corpore sitam, non potest unam substantiam cum corpore efformare, *nego.*

627. Influxus immediatus et efficiens inter corpus et animam solet simpliciter vocari *influxus activus;* influxus vero tantum mediatus, licet etiam efficiens inter corpus et animam, poterit vocari *influxus substantivus,* quia unionem substantialem praeviam inter corpus et animam supponit.

Primus influxus, si daretur, omnino inferret ex corpore et anima unitis non constitui unam substantiam, et consequenter nec unam naturam. *Alter* vero influxus efficiens, quem libenter admittimus et cum experientia cohaeret, supponit e contra ex unione animae et corporis exsurgere non modo unam naturam, verum etiam unam substantiam completam, ex duabus tamen substantiis incompletis conflatam.

628. 2. Absurdum videtur, ex corpore et spiritu fieri unum.

Resp.: dist. ant.: fieri unum sicut indivisibile vel sicut continuum, *conc.;* sicut essentia unum, *nego.*

Sic Sanctus Thomas[3]: "Ex substantia intellectuali et corpore non

[3] S. Th., 2 CG c.56.

potest fieri unum quod sit *indivisibile*. Oportet enim illud esse compositum ex duabus. Nec iterum quod sit continuum, quia partes continui quantae sunt. Relinquitur igitur inquirendum utrum ex substantia intellectuali et corpore fieri possit unum sicut quod est ratione (i.e., essentia) unum"[4].

INST.: Absurdum etiam videtur ex corpore et anima fieri aliquid essentia seu substantia unum. *Quia* si anima et corpus constituerent unam substantiam, invicem confunderentur, ita ut fieret aliquid tertium distinctum a corpore et ab anima, quod est absurdum.

Resp.: dist. assertum: invicem confunderentur, id est, intime permiscerentur, et se mutuo pervaderent, atque fieret aliquid tertium distinctum aliquo modo et a corpore solo, et ab anima sola, seu ab illis *inadaequate distinctum, conc.;* invicem confunderentur, id est, altera pars converteretur in aliam, vel utraque periret, ut tertia exsisteret, in qua nullatenus esset actu anima nec materia prima, et ita fieret aliquid tertium adaequate distinctum a corpore et ab anima actu exsistentibus, *nego.*

Homo enim neque est anima, neque est corpus, sed utrumque unitum in unitate *suppositi, naturae,* et consequenter *substantiae.* Posset etiam dici, *hominem esse animam incorporatam;* atque etiam esse *corpus animatum.* Hoc autem nullatenus importat quod anima et corpus non maneant nisi virtualiter in composito, quemadmodum evenit in combinationibus chimicis; non enim ita haec unio est concipienda; sed, ut in thesi sequenti probabimus, per *modum actus et potentiae.*

Ea autem quae hoc pacto sunt unita, ita se mutuo afficiunt per intimam praesentiam et mutuam communicationem, ut tamen actu et formaliter sint; quia nec forma potest actuare nisi sit actu; nec materia actuari, nisi in sua ratione subiecti et potentiae, ac per formam perfectibilis maneat[5].

ARTICULUS II

THEORIA ARISTOTELICO-SCHOLASTICA DE UNITATE HOMINIS

Thesis 34. Anima rationalis 1) est "vere, per se, essentialiter et immediate" corporis humani forma substantialis; et quidem 2) non nisi sensu theoriae hylemorphicae aristotelico-scholasticae.

629. Notiones. ANIMA RATIONALIS est principium ultimum et substantiale operationum rationalium hominis; quod, ex supra iam demonstratis in thesi 30 (595-603), unicum principium vitale hominis est, cum principio vitali ultimo operationum vegetativarum et sensitivarum ipsius realiter identificatum.

FORMA IN GENERE dice potest quidquid aliquomodo adve-

[4] Ad significationem vocis "rationis" apud SANCTUM THOMAM, cf. 1 dist.2 q.1 a.3, solutio "et ex hoc patet secundo".
[5] Aliae obiectiones solutae videri possunt in *Cursu.*

niens et unitum enti realiter a se distincto et aliquomodo de se indeterminato, in eo tamquam in subiecto, quod *materia* dici solet, aliquomodo recepto, formaliter seu ipsa sua unione compositum ex ea resultans determinat ad aliquam denominationem, quae singulis partibus quibus hoc totum constituitur non convenit.

Aliquid *esse forma alterius* dici potest in *sensu morali,* ut cum auctoritas humana dicitur esse forma societatis hominum; vel in *sensu translatitio* seu metaphorice, ut cum sermo est de forma et materia sacramentorum; vel in *sensu logico,* ut cum conceptus humanitas concipitur tamquam forma hominis; vel in *sensu physico,* in quo sumitur in praesenti thesi.

FORMA autem in SENSU PHYSICO, est entitas aliqua, non rationis, sed realiter exsistens a parte rei, quae physice quoque unitur materiae seu subiecto, ex qua unione exsurgit unum compositum quoque reale ex subiecto seu materia et forma realiter in illo manentibus.

630. *Forma* in *sensu physico* ulterius duplex esse potest: *accidentalis,* videlicet, et *substantialis.*

Erit *accidentalis* si illud quod forma dicitur est accidens determinans proinde subiectum, in quo recipitur, ad esse quoddam novum accidentale, ita ut ex eius unione cum subiecto resultet compositum non ab illo substantialiter distinctum.

Ut unum vel alterum exemplum formae accidentalis afferamus, talis est color in pariete receptus, vel sapientia qua homo insignitur. Nam, nec cum colore vel sine colore, paries desinit esse paries; nec cum sapientia vel sine sapientia, homo desinit esse homo.

E contra *forma substantialis* erit, si illud quod forma dicitur et substantia quaedam est, et sua unione cum subiecto in quo recipitur, hoc ad esse quoddam substantiale determinetur, ita ut compositum ex tali unione resultans sit aliquid substantiale novum et unum, seu aliqua natura vel substantia distincta, tum a solo subiecto, tum a sola forma.

In thesi asseritur animam rationalem esse FORMAM SUBSTANTIALEM corporis in hoc sensu intellectam.

631. Declarandum quoque est quid veniat nomine corporis. CORPUS in hac thesi, ne ulteriores quaestiones inter scholasticos controversas praeiudicemus, in genere intelligitur, altera pars materialis hominis realiter, saltem inadaequate, distincta a principio vitali substantiali unico, seu ab anima rationali.

Sic, in genere definitum, corpus intelligi potest sive *materia prima,* seu omni forma substantiali destituta; sive mate-

ria quae dicitur *secunda*, scilicet, iam aliqua forma substantiali ab anima distincta informata, quaecumque illa sit.

632. Primae partis theseos assertio, scilicet: anima est corporis forma substantialis, DIVERSIS QUALIFICATIONIBUS exprimitur, quae desumuntur ex diversis documentis a magisterio ecclesiastico emanatis, iam a medio aevo ad nostra usque tempora, ad veram hominis naturam defendendam, quatenus de hac re doctrinae philosophicae, cum dogmatibus fidei catholicae connectuntur. Quid unaquaque ex his qualificationibus significetur, prae oculis habere iubabit.

Dicitur anima esse VERE forma corporis, id est in sensu proprio, non proinde in sensu *morali*. vel *translatitio*. vel *logico;* sed in sensu *physico* vocis. Et forma quidem *substantialis,* saltem in quantum anima substantia quaedam est, non accidens.

Dicitur esse forma PER SE; tum quatenus *per se* opponitur "to" *per accidens;* tum quatenus opponitur "to" *per aliud*. Quatenus opponitur "to" per accidens, *per se* idem significat ac *ex natura sua*, qua ordinatur ad informandum corpus, ita ut quamvis possit subsistere a corpore separata, retineat etiam aptitudinem ad informandum corpus.

Quatenus *per se* opponitur "to" per *aliud*, animam esse *per se* formam, significat eam non indigere alio, quo mediante, vel cuius causa vel occasione uniatur materiae et illam informet et actuet.

Animam esse ESSENTIALITER formam corporis potest significare quod talis est *vi suae essentiae* vel naturae, atque etiam quod corpori unitur immediate *per suam ipsam essentiam*, non autem mediis suis potentiis accidentalibus vel media aliqua substantia intermedia semispirituali et semimateriali, ut fingunt spiritistae qui *perispiritum* admittunt.

Id ipsum significat vox IMMEDIATE, qua usus est Pius IX ad excludendum errorem guntherianorum, qui animam rationalem seu spiritum non immediate cum materia uniri tenebant, sed mediante alia anima inferiori sensitiva vel vegetativa, quam in homine adstruebant.

633. Status quaestionis. Praesens thesis supponit praecedentes circa hominis unitatem, videlicet; animam seu principium vitale rationale hominis unicum et realiter identificatum cum principio vitali sensitivo et vegetativo vitae humanae (th. 30) et praesertim animam et corpus in homine uniri in unitatem naturae et substantiae (th.32 et 33).

His positis, ulterius QUAERITUR, quo pacto fieri possit ut ex duabus substantiis adeo diversis, ut sunt anima humana eiusque corpus, resultet una natura, unaque substantia quae sit *vere et per se una*.

634. Huic quaestioni respondet duplex assertio praesentis theseos, quarum *in prima* unicitatem naturae et substantiae hominis non obstante duplicitate partium, scilicet animae et

corporis, salvari dicitur, eo quod anima hominis *unitur corpori ut forma*. Quo pacto anima forma esse possit corporis, in hac prima parte nondum declaratur.

In *secunda* autem parte, id explicari posse affirmatur, at non nisi iuxta theoriam hylemorphicam aristotelico-scholasticam.

Theoria autem hylemorphica *in genere hic asseritur*, prout ab omnibus scholasticis admittitur; ac, proinde, praescindendo etiam ab ulterioribus quaestionibus inter scholasticos controversis; qui, hylemorphismum admittentes, disputant ulterius inter se, utrum cum anima dicitur esse forma substantialis corporis, nomine corporis intelligatur materia prima; vel e contra subiectum iam aliqua forma substantiali *in esse corporis* constitutum, vel etiam quodammado *in esse viventis*, iuxta sententiam eorum qui admittunt formas quas vocant *cytodinamicas*, quibus cellulae quibus corpus componitur donarentur. Ab his quaestionibus ulterioribus, secunda huius theseos pars etiam omnino praescindit, affirmans tantummodo verum genus hylemorphismi admittendum esse ad explicandam unitatem naturalem et substantialem compositi humani ex duabus substantiis, quam omnes inter quos haec quaestio disputatur, admittunt.

635. *Prima* pars theseos, quatenus asserit unitatem naturalem et substantionalem hominis explicari assertione qua affirmatur animam esse *vere, per se, intrinsece* et *immediate corporis formam*, quomodolibet id explicetur, est una ex multiplicibus veritatibus, quas ratio humana duplici via assequi potest et de facto assecuta est: *demonstratione* videlicet *theologica* ex documentis fidei christianae; atque etiam *puro rationis lumine,* seu ope ratiocinii philosophici in experientia innixi.

636. Sub adspectu *theologico*, omnes theologi catholici animam rationalem esse formam corporis humani, argumentis theologicis demonstrant, affirmantes hanc propositionem esse de fide divina *definita*. Inter eos, quondam controversum quidem est, utrum hac definitione reiciantur omnia systemata philosophica hanc assertionem explicare contendentia, praeter systema hylemorphismi, saltem in genere accepti, imo iuxta aliquos praeter systema thomisticum hylemorphismi. Plerumque tamen theologi admittunt verbis quibus dicitur anima esse forma corporis, formaliter nullum systema philosophicum esse definitum, nullumque, sive actuale sive possibile damnari, quod hanc veritatem fide cognitam, philosophice explicare contendat.

Distinguendum tamen est inter id quod Ecclesia, ad tuendam unitatem naturae hominis, ut de fide tenendum esse dixit, et explicationes philosophicas propositionis qua ab Ecclesia affirmatur animam esse formam corporis. Huiusmodi explicationes Ecclesia Catholica liberae philosophorum speculationi relinquit, nullasque earum ab Ecclesia definitas fuisse dici potest, nec aliquam censuram theologicam mereri, quamdiu Ecclesiae iudicio res ulterius determinata non fuerit.

Atque haec dicta sint de *adspectu theologico* praesentis quaestionis, ad quem philosophus catholicus respicere tenetur tamquam normam directivam non autem tamquam argumentum ad hanc propositionem philosophice demonstrandam.

Duplicem, autem, affirmationem theseos *hic philosophice tantum consideramus;* et *in prima* asserimus in genere: animam esse vere, per se, essentialiter et immediate corporis formam, esse veritatem etiam *philosophice certam*, praescindendo a modo quo haec veritas verificetur; in *altera* autem parte theseos affirmamus, animam esse formam substantialem corporis *non nisi secundum aliquod genus hylemorphismi explicari posse.*

637. Sententiae. *Primae* partis *adversarii* nulli de facto sunt, nec esse possunt inter eos qui admittunt theses hucusque demonstratas. Haec enim pars theseos non est nisi veluti *alia quaedam expressio* doctrinae in illis thesibus demonstratae. Adversarii, igitur, huius *primae* partis theseos praesentis, non alii sunt quam ipsi qui praecedentes theses negabant.

Secunda autem pars theseos, quatenus praescindit ab ulterioribus determinationibus doctrinae hylemorphismi, est *communis omnibus scholasticis et neoscholasticis,* contra spiritualistas exaggeratos, platonicos vel cartesianos. Hanc explicationem defendimus ut *probabiliorem;* et, in statu actuali scientiae philosophicae, ut *unicam quae certe absurda non sit.* Eam *certam esse diceremus,* si nobis constaret impossibile esse ut, tempore labente, aliqua alia theoria inveniatur, quae rem melius explicet.

638. Probatur pars 1.ª: ANIMA RATIONALIS EST VERE, PER SE, ESSENTIALITER, ET IMMEDIATE FORMA SUBSTANTIALIS CORPORIS. Deducitur evidenter ex thesibus demonstratis.

Etenim anima est *vere forma substantialis corporis humani.* Non enim est forma in sensu *morali,* nec in sensu *translatitio,* nec in sensu *logico;* sed in sensu *physico.* Animam esse formam corporis in sensu *physico,* patet quia est principium physicum et reale omnium operationum vitalium hominis, non enim in hoc aliud vitale principium datur realiter distinctum ut in thesi 30 (595-603) demonstravimus. Nec nisi sua unione physica cum materia vel subiecto in quo recipitur, hoc de se indifferens *determinat ad esse quoddam physicum;* nam compositum ex horum principiorum unione resultans est una tantum natura ut demonstravimus in thesi 32 (611-618).

639. Est quoque forma *substantialis,* non accidentalis; tum quia animam humanam *substantiam* esse demonstratum est in thesi 20 (348-372); tum quia si accidens esset, non posset cum materia efformare unam naturam, quae esset vere una per se et substantialis iuxta thesim 32 (611-618) et 33 (620-628). Esse autem *per se* essentialiter formam substantialem, seu *immediate* per suam ipsam entitatem uniri cum corpore, constat; quia si mediante aliquo alio uniretur, hoc aliquid, vel esset aliquod accidens, et tunc deficeret unicitas naturae et substantiae; vel esset aliquod principium substantiale, videlicet anima aliqua sive vegetativa sive sensitiva, et tunc deficeret unicitas animae. Est etiam *essentialiter* et *per se* forma corporis, quatenus vi suae naturae, seu non violenter, ordinatur ad se uniendum cum corpore; non enim anima, proprie loquendo, in corpore est tamquam in carcere inclusa. Ens enim rationale in carcere inclusum, non efformat unam naturam unamque substantiam cum carcere.

Positis ergo thesibus praecedentibus (praesertim 29,32 et 33), haec prima pars theseos evidenter sequitur, et non est nisi alia quaedam nova expressio eiusdem doctrinae in illis iam demonstratae.

640. Probatur pars 2.ª: ANIMA RATIONALIS EST FORMA SUBSTANTIALIS CORPORIS NON NISI IUXTA THEORIAM HYLEMORFHISMI ARISTOTELICO-SCHOLASTICAM.

Problema philosophicum et philosophice ab omnibus solvendum est: quo pacto fieri possit ut compositum humanum quod est una *persona,* una *natura,* una *substantia,* resultans ex *duabus substantiis,* quae in composito permanent, tamen unam solam naturam, unamque proinde substantiam esse possint. *Atqui* hoc problema nullum systema philosophicum quod aliquod genus hylemorphismi non admittat solvere potest; et in theoria hylemorphica nullo negotio explicatur. *Ergo,* in statu actuali scientiae psychologicae, animam esse formam substantialem corporis, non nisi in theoria aristotelico-scholastica hylemorphismi explicatur.

Maior patet ex hucusque demonstratis. Materia enim et anima sunt substantiae, et compositum ex materia et anima est *una* natura et *una substantia.*

641. *Minor probatur 1.º* GENERATIM. Nam quodlibet systema philosophicum, vel *admittit* animam et corpus esse substantias essentialiter, in esse substantiae, incompletas; vel *negat,* et non nisi substantias completas admittit.

Si *primum* res quidem explicatur, nam non repugnat evidenter quod duae substantiae in sua essentia *incompletae*, sua unione, constituant *substantiam unam completam*. Sed tunc iam aliquod genus hylemorphismi admittitur.

Si *alterum*, asserit absurdum. Pugnantia enim loquitur qui dicit *duas substantias completas*, in composito ex ipsarum unione resultante manentes, esse unam substantiam completam.

Ergo in statu actuali scientiae psychologicae, vel admittitur aliquod genus hylemorphismi ad unitatem hominis philosophice explicandam, vel res perperam explicatur et prorsus inexplicata manet.

642. *Minor probatur 2.°:* INDUCTIONE *per omnia genera unionis quae absolute fingi possent ad explicandum factum realis unionis animae cum corpore.*

Nam unio inter animam et corpus, vel esset A) unio quaedam ad *modum unionis hypostaticae:* qua videlicet natura aliqua completa, (in casu, natura animalis) uniretur alieno supposito (in casu, personae rationali) natura etiam completa praedito, ad constituendam unam tantum personam, quemadmodum GUNTHER finxisse videtur; vel esset B) unio duarum substantiarum partialium ad constituendam unam substantiam totalem unamque personam quae homo esset. In hac altera suppositione, unica natura resultans ex tali unione, rursus vel obtineretur: 1) vel per modum *conversionis*, sicut alimentum in carnem convertitur; vel 2) per modum *continuationis*, ut uniuntur partes quantitativae continui substantialis; vel 3) per modum *mixtionis physicae* seu solutionis, ut cum vinum cum aqua miscetur vel in ea dissolvitur; vel 4) per modum *mixtionis chimicae* seu chimicae combinationis, ut cum oxigenium et hydrogenium combinantur ad efformandam aquam; vel tandem 5) per modum *duarum substantiarum incompletarum*, quarum alia *actus* sit et principium omnium activitatum determinans; alteram quae per modum *potentiae* se habet, ad unam tantum naturam et substantiam constituendam, iuxta theoriam hylemorphismi. *Atqui* nihil horum praeter ultimum dici potest quod non sit absurdum et omnino reiciendum; et e contra in ultima hypothesi omnia explicantur. *Ergo* haec ultima assertio est admittenda, et aliae sunt reiciendae.

Maior constat ex sufficienti enumeratione.

Minor probatur per partes.

643. A) Nequit dici principium rationale uniri corpori animali vel vegetativo per modum *unionis hypostaticae*. Quia *a)* hic modus non est naturalis, nec philosopho innotescit nisi per Theologiam in revelatione divina innixam.

Insuper *b)* haec opinio supponit solam animam esse personam, quod est contra thesim 31 (604-610).

Tandem *c)* falso supponit duplicem in homine esse principium vitae ultimum seu animam, quod est contra thesim 30 (595-603).

644. B) Nec dici potest corpus et animam esse principia partialia ex quibus unum resultet: 1) per modum *conversionis*.

Est enim a) *contra hypothesim permanentiae animae* in composito quod constituit.

Insuper b) *repugnat* animam converti in aliud ens substantiale, ratione ipsius a′) *simplicitatis* in thesi 21 (373-387); et b′) *spiritualitatis* in thesi 22 (388-408) demonstratae.

2) Nec ex anima et corpore unum resultat per modum *continuationis*. Id est enim contra *simplicitatem integralem* animae, quae partibus caret quae cum partibus corporis continuentur.

3) Nec per modum *mixtionis physicae;* quia ex anima et corpore non resultaret una natura et substantia, per se una; sed merum aggregatum aliquod accidentale, contra thesim 32 et 33.

4) Nec per modum *mixtionis chimicae;* quia anima in composito quod constituit cum materia, non amittit proprias activitates, ut elementa chimica quae combinantur; praeterquam quod elementa probabiliter non manent formaliter in composito, anima autem in homine formaliter permanet.

5) *Reliquum igitur* est, ut unio animae cum materia quae naturalis et substantialis est, explicetur *iuxta theoriam hylemorphicam,* iuxta quam anima essentialiter corpori unitur per modum *actus* et *potentiae.*

Quod autem iuxta hanc sententiam omnia hucusque demonstrata absque ullo absurdo explicentur, patet.

Nam iuxta theoriam, corpus humanum habet esse substantiale distinctum a corpore quod non sit humanum, non a semetipso, sed ab anima; et hoc esse ab anima provenit, non in genere causae efficientis, sed in genere causae formalis, quod idem est ac dicere *animam esse formam substantialem corporis.*

645. Obiectiones. 1. Si anima rationalis esset corporis forma huic communicaret suum esse rationale, sicut anima sensitiva communicat corpori suum esse sensitivum; et vegetativa, vegetativum; sicut albedo, eius subiecto communicat, esse album. *Atqui* anima rationalis non communicat corpori suum esse rationale. *Ergo* anima rationalis non est corporis forma.

Resp.: dist. mai.: anima communicaret corpori suum esse rationale quatenus anima rationalis suum esse cum corpore coniungit, ei se substantialiter uniendo, *conc.;* quatenus corpus ipsum reddat rationale, videlicet principium operationum intellectualium, sicut anima sensitiva reddit corpus principium sensationis; et vegetativa, vegetationis, *nego;* et *nego paritatem* exemplorum quae adducuntur, eo quod corpus incapax est virtutis intellectivae; non autem sensitivae et vegetativae. *Contrad. min.* et *nego cons.*

Inst.: Repugnat aliquam formam inesse subiecto quin ipsi tribuat suum effectum formalem. *Atqui* id eveniret si anima non redderet corpus rationale. *Ergo* si anima est forma corporis ipsam constituet rationale.

Resp.: dist. mai.: repugnat aliquam formam inesse subiecto quin ipsi vel *composito* ex illo et forma tribuat suum effectum formalem, *conc.:* quin tribuat suum effectum formalem *praecise subiecto, subd.:* si eiusmodi subiectum sit capax talis effectus formalis, *conc.;* secus, *nego.*

Licet per animam rationalem corpus non reddatur principium intelligendi, at saltem homo, tale principium redditur, et ratione unionis animae rationalis cum corpore vere dicitur rationalis.

646. 2. "Omne illud cuius esse est in materia oportet esse materiale.

Sed si substantia intellectualis est forma corporis, oportet quod esse eius sit in materia corporali; non enim esse formae est praeter esse materiae. *Sequitur,* igitur, quod substantia intellectualis non sit immaterialis" [6].

Resp.: dist. mai.: omne illud cuius esse est in materia est materiale, si sit *penitus in ea immersum* vel comprehensum a materia totaliter, oportet esse materiale, *conc.;* si non sit penitus immersum in materia, sed elevatum excedat facultatem et capacitatem illius, *nego. Contradist. min., nego cons.* Sic iuxta SANCTUM THOMAM [7]: "Non autem oportet substantiam intellectualem esse formam materialem, quamvis eius esse sit in materia...; non enim est in materia, sicut materiae *immersa* vel a materia totaliter comprehensa, sed alio modo, ut dictum est".

Independentia animae rationalis a materia quadruplex est: 1.° quoad *fieri,* 2.° quoad *esse,* 3.° quoad *posse,* 4.° quoad *operari.*

INST.: Id quod est forma corporis omnia accipit materialiter. *Atqui* quod omnia accipit materialiter est *penitus immersum* in materia. *Ergo* si anima est forma corporis, penitus immersa est in materia, et consequenter non est spiritualis.

Resp.: dist. mai.: quod est forma corporis omnia accipit materialiter et individualiter in sensoriis et sensibus, *conc.;* non valet recipere aliqua aliter in intellectu, si eiusmodi potentia competat formae corporis, *nego. Conc. min.,* et *contrad. cons.:* ergo si anima est forma corporis et omnia accipit materialiter et individualiter in sensoriis, anima nequit esse spiritualis, *conc.;* si anima est forma corporis et aliqua saltem immaterialia et universalia cognoscit intellectu, *nego.*

647. 3. Impossibile est quod anima si est forma corporis non penitus immergatur in materiam quam informat, saltem quoad suam entitatem. *Quia* anima est omnino simplex in sua entitate. *Ergo* essentia eius, vel non communicatur materiae, vel tota communicatur.

Atqui si primum anima non est forma substantialis corporis; si vero secundum, anima tota immergitur in materia saltem quoad suam entitatem. *Ergo* impossibile est animam esse formam corporis.

Resp.: nego assertum. Ad probationem, *conc. ant.* et *dist. cons.:* vel non communicatur materiae vel *tota,* sed *non totaliter* communicatur, *conc.;* vel non communicatur materiae, vel *tota* communicatur *et totaliter, nego. Contrad. min.,* et *nego cons.*

Quamvis anima humana sit in sua entitate *formaliter* simplex, at est multiplex *virtualiter.* Igitur, quoad entitatem *tota* se communicat materiae, quia non sunt in ea partes quantitativae; attamen non se communicat *totaliter* seu quoad omnem virtualitatem etiam substantialem. Certe, anima communicat corpori omnem suam entitatem sed tantum eo modo et secundum illam virtutem, cuius corpus est capax; corpus autem non est capax ut, informatione animae, spirituale reddatur et donetur virtute intellectiva, quae proinde ab anima corpori non communicatur.

648. INST.: Si anima se communicat materiae quoad suam entitatem, iam nulla esse potest repugnantia in eo quod se communicet etiam quoad omnem suam virtutem, ac proinde, non modo tota, verum etiam totaliter. *Nam* non minus spiritualis est substantia intellectiva quam virtus intellectiva. *Ergo,* si spiritualitati substantiae in-

[6] S. TH., 2 CG c.56, "Amplius".
[7] S. TH., 2 CG c.69, "Non autem oportet..."

tellectivae non obstat quod ipsa corpori uniatur ut forma; nec repugnare deberet spiritualitati virtutis intellectivae, ipsam uniri ut formam organo corporali, quod est absurdum.

Resp.: nego assertum. Ad probationem, *trans. ant.*, et *nego cons.* et paritatem. Disparitas est, quia anima est *substantia,* quae, si spiritualis est potest subsistere a corpore separata quod informat; virtus autem intelligendi vel saltem actio intelligendi, est *accidens,* quod naturaliter exsistere non potest nisi dependenter a subiecto. Ratio, propter quam virtus intellectiva nequit esse in materia tamquam in subiecto. est non modo spiritualitas sed etiam eius naturalis dependentia a subiecto. Pugnat enim in terminis quod accidens spirituale sit in materia, tanquam in subiecto inhaesionis[8].

649. 4. Si anima rationalis est forma corporis, est pars corporis. *Atqui* pars corporis non potest non esse corporea et materialis. *Ergo* si anima est forma corporis, esset materialis.

Resp.: dist. mai.; anima rationalis quae est forma corporis est pars *essentialis* corporis, *conc.;* est pars *integralis* quantitativa corporis, *nego. Dist.* etiam *min.*: pars corporis quantitativa et integralis non potest non esse corporea et materialis, *conc.;* pars corporalis essentialis, *subd.:* si sit *penitus immersa* in materia, *conc.;* si non sit penitus immersa in materia, iterum *subd.:* esset saltem virtualiter materialis, *conc.;* esset formaliter seu absolute materialis, *nego.*

650. *Animadvertendum* est animam humanam dici posse esse sensitivam, vegetativam et corpoream, tum *formaliter,* tum *virtualiter:* aliter tamen et aliter. Ne igitur fiat quaestio de voce, haec quae sequuntur cum URRÁBURU[9] videntur esse tenenda.

1.° Anima rationalis *posset dici continere formaliter* sensitivam et vegetativam, vel esse formaliter talis, si hoc nihil aliud significaret quam esse principium formale corporis organici.

2.° Non est dicenda formaliter, sed *tantum virtualiter sensitiva et vegetativa,* si formaliter significat animam rationalem esse eiusdem speciei ac animam vegetativam et sensitivam; vel continere tantum gradum specificum perfectionis proprium animae sensitivae et vegetativae.

3.° Simpliciter loquendo *melius est dicere* animam rationalem esse virtualiter sensitivam et vegetativam, prout dicimus in solutione.

4.° *Continentia autem virtualis,* de qua in solutione, in eo consistit ut anima rationalis possit eosdem effectus formales et operationes causare, ac anima vegetativa et sensitiva, quas proinde virtualiter continere merito dicitur.

---

[8] S. TH., *De anima,* a.2 obi.3.
[9] URRÁBURU, *Psychologia,* III p.558.

ARTICULUS III

SEDES ANIMAE RATIONALIS IN CORPORE HUMANO

Thesis 35. Hominis anima non in aliqua tantum corporis parte residet, sed, quoad substantialem eius entitatem, tota est in toto corpore et tota in qualibet corporis parte.

651. Notiones. ANIMA sumitur hic pro principio ultimo operationum vitalium.

Bifariam, ad praesentem quaestionem quod attinet, potest considerari: *primo,* in semetipsa seu quoad *suam entitatem substantialem: secundo,* quoad *suas potentias,* quae entitates sunt accidentales.

Ex dictis constat, ex potentiis accidentalibus alias esse tamquam in subiecto in *sola anima;* alias vero, non nisi in *composito substantiali* organico quod vivificatur ab anima.

CORPUS humanum intelligitur pars hominis materialis ab anima distincta, licet praedita organizatione accidentali et ab anima quomodolibet vivificata.

Quamobrem, pro hac quaestione, nomine corporis humani non comprehenduntur illae substantiae materiales quae, licet in corpore humano reperiuntur, tamen, vel certe non pertinent ad unitatem corporis viventis, vel saltem cum probabilitate dubitatur utrum ab anima humana vitam accipiant, ut sunt capilli, ungues et ipse sanguis.

652. Dicere ANIMAM ESSE IN CORPORE idem est ac affirmare *praesentiam localem* animae in ipso.

PRAESENTIA vero alicuius rei est talis positio eiusdem in loco vi cuius ab eo non distet.

Tripliciter haec praesentia, ne solutionem praeiudicemus, concipi potest: 1.° praesentia rei extensae in loco extenso, quae vocatur *circumscriptiva;* 2.° praesentia rei simplicis in loco extenso, quae vocatur praesentia *definitiva;* et tandem 3.° praesentia rei inextensae in loco inextenso, quae *punctalis* dici potest.

653. Status quaestionis. Non agitur de praesentia entitatum accidentalium animae, sed ipsius entitatis substantialis.

Ex alibi demonstratis supponendum est ad quaestionem quae hic discutienda proponitur, et ab adversariis etiam ad-

mittitur, animam *exsistere*, esse *substantialem entitatem* et quidem *simplicem integraliter*, eamque esse *aliquomodo in corpore praesentem.*

Quod, his suppositis, praesentia animae in corpore iam non possit esse *circumscriptiva*, patet ex ipsa notione praesentiae circumscriptivae et simplicitatis animae.

Quod, ubicumque anima sit, non partim sed totam, totalitate substantiae, esse debeat, constat similiter ex simplicitate integrali quae supponitur.

Tota, igitur, QUAESTIO est utrum anima sit in toto corpore vel in aliqua tantum corporis parte, *praesentia, sive definitiva* sive *punctali.*

654. Sententiae. Ad duas reduci possunt hac super re philosophorum opiniones.

Prima est eorum qui thesim affirmant, tenentes non modo simplicitatem animae, sed animam cum corpore unam efficere naturam et substantiam, esseque corporis formam substantialem, ut supra demonstratum est. Ita *omnes scholastici* seu spiritualistae moderati, pro quibus haec assertio non est nisi corollarium evidens praecedentium assertionum.

Altera est eorum qui sedem animae in aliqua tantum corporis parte reponunt. Ita spiritualistae exaggerati et antischolastici, qui diversis rationibus ad id asserendum ducuntur.

Alii enim ut platonici, admittentes animam corpori uniri sicut motor mobili, corpusque ab anima moveri in genere causae efficientis, animam posuerunt in illis partibus corporis quas ad id praestandum convenientiores existimabant, innixi praesertim rationibus ex physiologia vel ex anatomia petitis [10].

Alii vero, ut verbis utar SANCTI THOMAE [11] "imaginationem transcendere non valentes, cogitaverunt indivisibilitatem" animae "ad modum indivisibilitatis puncti. Et ideo crediderunt quod anima non posset esse nisi in loco punctali".

Punctum autem, quod animae sedes esset in diversis corporis partibus etiam posuerunt.

655. Positis thesibus scholasticis de unione animae cum corpore, praesertim animam esse formam substantialem corporis, haec thesis est *certissima.*

Sed quamvis praescindatur a doctrina scholastica de unione naturali et substantiali corporis et animae, sufficienter demonstratur admitti non posse animae praesentiam *punctalem* in corpore, *definitivam* esse tenendam, et quidem *non limitatam ad partem aliquam,* sed in toto corpore vivo.

[10] Cf. apud URRÁBURU, *Psychologia,* III p.777 antiquorum et recentiorum hac super re opiniones.
[11] S. TH., 1 q.52 a.2c.

Hoc alterum *in primo argumento* praestabimus, quod *viam parat ad secundum,* unionem naturalem et substantialem, antea demonstratam iure merito supponens.

656. Probatur 1.° EXCLUSIONE PRAESENTIAE PUNCTALIS ET DEFINITIVAE PARTIALIS. Anima A) non est praesens in corpore praesentia *punctali;* nec B) praesentia *definitiva partiali.*

Ergo est praesens *definitive* in toto corpore.

Tota *ergo* est in toto corpore et tota singulis corporis partibus.

Consequentiae, tum prima tum secunda, ex terminis patent. *Maior* probatur per partes.

657. ANIMA NON EST IN CORPORE PRAESENS PRAESENTIA PUNCTALI. 1.° Quia punctum materiale inextensum reicitur communiter in doctrina de continuo.

2.° Quia quamvis permittatur dari generaliter eiusmodi punctum materiale inextensum, saltem in corpore humano, de quo agimus, *nullum elementum physiologicum vel anatomicum* assignari potest quod non sit extensum; cum omnis cellula, vel pars organica cellulae non possit non esse extensa. Unde argumenta praecipua, sin minus unica, adversariorum, videlicet, ex activitate functionali partium in quibus anima ponitur petita, nullam iam vim retinent.

3.° Unde iam nulla ratio esset ad ponendam animam potius in una quam in alia parte; ac proinde anima eadem ratione in quacumque parte corporis poneretur.

658. B) ANIMA NEQUE EST IN CORPORE PRAESENTIA DEFINITIVA PARTIALI. Admissa impossibilitate praesentiae circumscriptivae propter animae simplicitatem; et exclusa, praeiactis rationibus, praesentia punctali; remanet admittendum esse animam esse in loco extenso; seu animam locum extensum aliquem in corpore occupare; ac proinde esse in eo *praesentia definitiva* in illis saltem partibus ab adversariis assignatis.

Quod autem praesentia definitiva *non possit esse partialis,* seu quod in toto corpore vivo anima esse debeat, patet ex sequentibus rationibus.

1.ª *Negativa.* Nam semel admissa praesentia definitiva in aliqua corporis parte, iam nulla urget valida ratio propter quam anima non admittatur esse definitive praesens in toto corpore.

Soluta enim praecipua difficultate ad id admittendum, quae petebatur ex eo quod anima simplex deberet esse in loco ex-

tenso, de materiali se habet quod anima unum tantum milimetrum cubicum, vel totum volumen corporis vivi occupet.

2.° *Positiva.* Totum enim corpus humanum vivit vita saltem vegetativa: ubique enim deprehenduntur motus nutritionis cellularum diversissimi, et generatim metabolismus. Per fere totum etiam corpus systema nerveum protenditur, in quo viget etiam vita sensitiva, saltem sensationes tactus, cinaesthesicae, thermicae, et coenaesthesicae.

Ergo in toto corpore praesens esse debet principium vitae vegetativae et sensitivae, quocum principium vitae intellectivae seu anima rationalis in homine identificantur, ut constat ex thesibus supra propositis.

659. Probatur 2.° Ex EO QUOD ANIMA SIT FORMA SUBSTANTIALIS CORPORIS. Ut supra demonstratum est, anima cum corpore unita constituit unam personam, unam naturam unamque substantiam, estque forma substantialis corporis humani. *Ergo* intrinsece constituit, simul cum materia, non modo totam substantiam hominis, verum etiam singulas etiam substantiae hominis partes integrales, quae vere ad eius naturam pertineant seu quae sint speciei humanae.

660. Obiectiones. 1. *Extra* aliquod totum nihil ipsius invenitur. *Atqui* anima dicitur esse tota in cerebro. *Ergo* extra cerebrum nihil animae invenitur; ac, proinde, nequit anima esse tota in singulis partibus corporis.

Resp.: dist. mai.: extra totum *quantitativum* nihil eius invenitur, *conc.;* extra totum essentiale. *subd.:* extra id est, ibi ubi non est, nihil eius invenitur *conc.;* praeter eius aliquam assignabilem praesentiam totam, nulla alia praesentia tota assignabilis est, *nego.*

Contrad. min.; et *sub datis dist., nego cons.* et *consq.* [12]

INST.: Quod est simplex non potest inesse pluribus partibus corporis. *Atqui* anima est simplex. *Ergo* nequit esse in pluribus partibus corporis.

Resp.: dist. mai.: quod est simplex ut terminus quantitatis continuae, seu ad modum puncti mathematici, *conc.;* quod est simplex extra genus continui vel quantitatis, sed ut substantia carens partibus, *nego.*

Contrad. min., nego cons. et *consq.*

661. 2. Intelligi nequit quomodo simplex et carens partibus etiam in ordine substantiae, possit esse totum in aliquo extenso.

Resp.: dist. assertum: non potest intelligi id est, nequit imaginatione fingi, *conc.;* imaginatione enim tantum repraesentari possunt ea quae sensibus externis capiuntur. Non potest intelligi in sensu proprio, seu intellectu nequit concipi, *subd.:* de hac re non habemus conceptum proprium ex propriis, nec nisi mediate et per discursum illam cognoscere possumus, *conc.;* hanc rem saltem conceptu proprio

[12] Cf. S. THOMAM, *De anima,* a.10 obi.3.

ex alienis non cognoscimus, vel res quae asseritur superat mentis humanae captum, vel implicat contradictionem, *nego.*

INST.: *Animae* simplici extra genus quantitatis nulla totalitas tribui potest praeter totalitatem virtutis. *Atqui* totalitate virtutis, id est secundum omnes potentias. anima non est in omnibus partibus.

Resp.: trans. mai.; et *dist. min.:* totalitate virtutis formalis, id est, secundum potentias formales, *conc.;* virtutis radicalis, id est, secundum potentias radicales, seu secundum radicem potentiarum, *nego.*

662. 3. "*Omne* quod est in altero est per modum eius in quo est. Si, *igitur,* anima est in corpore, oportet ut sit in eo per modum corporis. *Sed* modus corporis est ut ubi una pars non sit alia. *Ergo* ubi est una pars animae, non est alia: et ita non est tota in qualibet parte corporis" [13].

Resp.: dist. mai.: quod est in altero, est in eo secundum naturam et *modum entitativum* eius in quo est, *nego;* secundum eius capacitatem recipiendi, *conc. Dist.* eodem pacto rationem additam. *Contrad. min.*, *nego cons.* et *consq.*

"Cum dicitur unumquodque esse in alio per modum eius in quo est, intelligitur quantum ad capacitatem ipsius modum, non quantum ad naturam eius. Non enim oportet ut id quod est in aliquo habeat naturam et proprietatem eius in quo est; sed quod recipiatur in eo secundum capacitatem ipsius. Manifestum est enim quod aqua non habet naturam amphorae. Unde nec oportet quod anima habeat istam naturam corporis, ut ubi est una pars eius, ibi non sit alia".

663. INST.: In corpore una pars dependet ab alia, et una pars est principalior alia. ut est manifestum. *Atqui* si anima esset in qualibet parte corporis, hoc ita esse non posset. *Ergo* anima non est in qualibet corporis parte.

Minor probatur. Quia si anima tota est in qualibet corporis parte, pars quaelibet, utpote immediate dependens ab anima, esset aequalis perfectionis, nec aliae ab aliis dependerent.

Resp.: dist. mai.: una pars corporis dependet ab alia et est principalior alia saltem propter diversas potentias, quarum partes corporis sunt organa, *conc.;* in ratione substantiae, *nego.*

Contradist. min.: alia pars non posset alia esse perfectior in ratione substantiae, *trans.;* saltem in ratione potentiae, *nego.* Et sub datis dist. *nego consq.*

Ad rationem additam, *dist.:* quaelibet pars corporis immediate pendet ab anima et est eiusdem perfectionis substantialis, *trans.;* et est eiusdem perfectionis accidentalis, *nego.*

Ut ait SANCTUS THOMAS [14], "una pars corporis dicitur esse principalior quam alia, propter potentias diversas, quarum sunt organa partes corporis. Quae enim est principalioris potentiae organum, est principalior pars corporis; vel quae etiam eidem potentiae principalius deservit" [15].

---

[13] S. TH., *De anima*, a.10 obj.14.
[14] S. TH., 1 q.76 a.8 ad 5.
[15] Vide sis alias plures obiectiones propositas et solutas in *Cursu.*

LIBER VI

De origine, evolutione et termino vitae

664. Huius libri scopus et divisio. Quae hactenus in hoc opere tractatae sunt quaestiones, licet non omnia problemata complectantur, quae circa vitam experientiae nostrae subiectam proponi possunt et de facto inter scientiae cultores, controvertuntur; sunt tamen praecipuae, fundamentales et necessariae *ad verum systema psychologicum exstruendum,* atque ad tuendam veram doctrinam psychologicam quae vehementer nostris temporibus a diversis doctrinis erroneis impugnatur.

Doctrina hucusque tradita plerumque vitam quasi statice respiciebat, et in ea exponenda, eo ordine procedendum esse duximus, ut methodice progrederemur, a cognitione generalioris vitae *omnibus viventibus* naturae communis, ad adspectus vitae strictiores et *magis peculiares* considerandos.

Sic igitur, pedetentim et gradatim, quasi per circulos concentricos, ab amplioribus incipientes, penetravimus usque ad medullam et centrum obiecti Psychologiae, videlicet, usque ad vitam humanam, in quam omnia genera vitae quasi confluunt, et in ipsa includuntur. Est, quippe, homo, ut in libro I praemittebamus, quoddam quasi *compendium* perfectionum omnium entium quibus philosophia naturalis studet; imo, etiam quoddam quasi *microcosmos*, in quo adunatae reperiuntur omnes perfectiones aliorum entium naturae.

Cum autem vivens quodlibet, ac proinde etiam homo, non sit ens quoddam iners, nec quod semper exstiterit, vel exstiturus sit, sed evidenter iuxta omnium experientiam, viventia omnia *incipiant esse, evolvantur et desinant esse;* circa *originem, evolutionem* et *terminum* entium viventium gravissimae quaestiones indolis philosophicae, nostris maxime temporibus suscitatae sunt, quarum, non quidem omnes, sed praecipuae et fundamentales in hoc VI et postremo nostrae tractationis libro discutiendae sunt.

Ut autem in harum quaestionum consideratione ordinate procedamus, quae non raro vel incomplete, vel sine debita connexione, tum inter se, tum cum vera doctrina psychologica hucusque tradita, tractari solent: in tria agmina eas dispescemus, in totidem huius libri capitibus discutiendas.

Agemus *primo* de origine, evolutione et termino *individuorum viventium.* Et quoniam individua viventia in collectiones ordinari solent quae *species* nuncupatur, agendum erit *deinde* de eisdem quaestionibus ad *species individuorum* viventium pertinentibus. Cumque omnia individua viventia, ut constat ex praecedentibus libris, principio vitali seu anima constituuntur: tandem *tertio,* de origine, evolutione et termino animarum disseremus.

CAPUT I

De origine, evolutione et termino individui viventis organici

ARISTOTELES, *De generatione,* I c.19; S. TH., *In De generatione* I c.19; *Sum. Theol.,* 1 q.118 a.1 et 2; *De potentia,* q.3 a.2; SUÁREZ, *De anima,* II c.12; *De opere sex dierum* II c.10; III c.1; URRÁBURU, *Psychologia,* I p.364-388; LOSSADA, *Cursus philosophicus* (ed. Barcinone) t.7 p.20-21 n.26-27; PESCH, *Psychologia.* II p.73-88 n.446-454; SCHAAF, *Institutiones Psychologicae* (1909) p.151-160 n.138--141; DE BACKER, *Psychologia,* II p.76-78; GREDT, *Elementa philosophiae* (1932) I p.490-494 n.603-607; WASMANN, *Biologia moderna* (vers. GEMELLI) c.7; DONAT, *Cosmologia,* p.355-356 n.472; SIWEK, *Psychologia metaphysica* (1948) p.64-68 n.41-42; p.490-499 n.334-335; MERCIER, *Psychologie* (ed.7.ª) I p.80-81 n.54-58; II p.327-338 n.275-280; MUÑOZ, J., *La biología en los últimos cien años y la fisioquímica actual frente al evolucionismo materialista:* Miscelánea Comillas, t.8; IDEM, *¿Cómo nació la vida?* (1949); PUJIULA, *Embriología del hombre y demás vertebrados* (1942) 2 vol.; *Encyclopédie française,* vol.4 *La Vie;* VERNET, M., *La vie et la mort* (Paris 1952); DE G. ROCASOLANO, *Tratado de Bioquímica* (1928), *Muerte natural,* p.185-190; IDEM, *De la vida a la muerte* (1937); D. HALLUIN, *La mort. Cette inconnue* (1940); RUBIO HUERTOS, *Sobre la naturaleza y origen de los virus:* Arbor, 30 (1955) p.402-410.

665. Quaestiones in hoc capite discutiendae. Praecipuae, quas, iuxta criterium propositum, seligimus quaestiones in hoc capite discutiendas, referuntur tantum ad *exordium* seu *generationem,* et ad *terminum* seu *mortem* individuorum organicorum viventium.

Multae quidem et magni momenti sunt etiam quaestiones ad *evolutionem* individui organici viventis spectantes, praesertim circa evolutionem vitae individui humani, quae magnam utilitatem prae se ferunt, tum sub adspectu scientiae psychologicae theoricae, tum maxime quia intime connexae sunt cum scientia practica paedagogica, ascetica et morali. Plerumque tamen eiusmodi quaestiones rite ab *scientiis pure experimentalibus* absque ulla implicatione philosophica solvi possunt et de facto multae iam ab illis rectam solutionem accepere.

Ab his quaestionibus, sive ordinis physiologici, sive psychici sint quae, quomodolibet solvantur, problema philosophicum excitant nullum, hic abstinendum putamus [1].

[1] Huiusmodi quaestiones, ad eas quod attinet, quae sunt ordinis pure physiologici, in tractatibus dilucidantur scientiae botanicae, embryologiae, geneticae, medicinae, puericulturae, aliarumque similium. Quoad eas autem quae psychismum attingunt, ipsarum consideratio pertinet ad tractatus psychologiae experimentalis, psychologiae geneticae, paidologiae, psychiatriae et paedagogiae psychologicae.

Agemus tantum in hoc capite, *primo,* de *generatione* seu de origine vitae individualis; et deinde de eius *termino* seu de *morte* individui viventis organici.

ARTICULUS I

DE GENERATIONE INDIVIDUI VIVENTIS

Thesis 36. Generatio abiogenetica seu spontanea non modo nunc de facto non datur, sed etiam 1) impossibilis naturaliter est; nec 2) umquam possibilis fuit; quamobrem: 3) primorum individuorum viventium organicorum in terra apparitio, non nisi speciali interventu auctoris naturae tribuenda est.

666. Notiones. GENERATIO vox est qua significatur origo aliqua vel processio alicuius entis, quod *generatum* vel generari dicitur, ab alio ente quod *generans, vel genitor* appellatur.

Generatio autem quae *in rebus naturae* datur, vi cuius generans vera causa est generati, adaequate identificari nequit cum omni productione possibili entis naturae, sed tantum cum illa qua ens naturae *fit* vel *efficitur ex praesupposito subiecto vel materia a generante aliquomodo procedente, atque ens generatum partialiter saltem intrinsece constituente.*

Ideo recte et breviter GENERATIO RERUM NATURAE definiri potest: *productio rei ex praesupposito subiecto.*

Proprie loquendo, illud *quod* generatione fit, producitur vel generatur est tantum compositum substantiale; forma vero substantialis, proprie loquendo, non producitur nec fit, nec generatur, sed est tantum id *quo* compositum fit, generatur et producitur. Nam actio generativa seu eductiva et unitiva formae non in formam sed tantum in compositum ex materia et forma terminatur.

Potest quoque generatio quae in natura datur, in genere definiri tamquam *transitus a non-esse ad esse in aliquo subiecto.* Secum enim fert *transitum* alicuius subiecti ab esse pristino quod amittit, ad esse novum quod adquirit. Hic transitus ab uno esse in aliud, quatenus amissionem pristini esse importat, *corruptio;* et quatenus est adquisitio novi esse, *generatio* proprie dicitur. Ideo apud scholasticos dici solet quod "generatio unius, est corruptio alterius".

Generatio CREATIONI opponitur; quidquid enim substantiale de novo esse incipit ac proinde fit, vel generatur vel creatur; quia vel fit ex praesupposito subiecto vel non ex prae-

supposito subiecto. Si primum, per generationem fit. Si alterum, per creationem; quae definitur effectio rei ex nihilo sui et subiecti.

667. GENERATIO AUTEM SPECIALI ET PROPRIISSIMO MODO dicitur productio sive effectio naturalis *novi individui viventis organici;* quae, licet in genere conveniat cum productione entis non viventis per generationem late sumptam, ab ea tamen admodum *differt quoad modum et processus* quibus novum individuum vivens generatur.

Ad rem praesentem quod attinet, generatio alicuius individui viventis organici, *duplex* fingi potest: BIOGENETICA, videlicet, et ABIOGENETICA.

BIOGENETICA erit, si novum suppositum vivens, non a materia non vivente, sed ab aliquo alio supposito vivente, vel a duobus suppositis viventibus perficitur.

Eritque *biogenetica homogenea* seu univoca, vel *heterogenea* seu aequivoca; prout ens vivum generatum sit *eiusdem,* vel *diversae* speciei seu naturae ac generantis natura seu species.

Heterogenea seu aequivoca demum erit *progressiva* vel *regressiva;* prout ens vivum generatum sit *speciei,* seu *naturae, superioris, vel inferioris,* ac ens generans a quo oritur.

668. Multiplex etiam distingui potest et de facto datur generatio biogenetica, *pro diversis processibus* quibus perficitur, qui in tractatibus scientiae biologicae minutatim describuntur.

Sive, igitur, huiusmodi generatio sit *monogena* vel asexualis, seu ab uno tantum supposito vivente procedens, quae ulterius esse potest *scissipara, gemmipara* et *sporipera,* atque etiam, etsi raro *parthenogenesica;* sive *digena* sit seu sexualis, quae coniunctionem seminis cum ovulo, in duobus suppositis viventibus vel in uno tantum supposito vivente praevie efformatis; semper tamen suppositum vivens quod generatione *biogenetica* generatur *materiam viventem ab alio supposito vivente excipit.*

Prorsus alia esset generatio ABIOGENETICA, iuxta quam novum suppositum vita praeditum generaretur a corpore vel a materia bruta seu omnis vitae experte; nullumque suppositum seu individuum vivum praesupponeret, a quo novum individuum vivens generaretur.

Generatio abiogenetica dicitur quoque GENERATIO SPONTANEA, eo quod novum suppositum organicum vivens, sponte natura, et nullo viventis alicuius influxu causali, a materia non vivente gigneretur.

699. Tandem declarandum est qud veniat in carmine theseos, nomine SPECIALIS INTERVENTUS DEI.

Non enim his verbis significatur actio quaedam Dei *miraculosa,* quae datur tantum cum Deus aliquid operatur *supra,* aut *contra* aut *praeter* leges naturales alicuius naturae *iam in suo esse naturali exsistentis* et plene constitutae; non enim in casu agitur de modo *extraordinario* agendi alicuius naturae, *iam in suo esse constitutae,* sed de hac natura constituenda vel efficienda.

Neque his verbis intelligitur *creatio* proprie talis, qua ens aliquod vivens efficeretur ex nihilo sui et subiecti, iuxta notionem creationis supra (667) traditam.

Nec multo minus significatur *concursus generalis,* quo Deus, ut causa prima, concurrit ad omnes effectus causarum secundarum; quia hic interventus *non est specialis* sed generalis et ordinarius, atque a contingentia cuiusque entis exigitur.

Specialis, igitur, *interventus Dei* significat hic, Deum primum vivens vel prima viventia organica condidisse ex materia iam prius exsistente ab ipso antecedenter creata; seu quod idem est, Deum produxisse formam substantialem seu animam primi viventis organici, dependenter a materia aliqua praeexsistente et ab Eo iam creata, per *actionem educativam,* si agitur de viventibus ab homine distinctis, dependentem a *potentia mere passiva* materiae, quaecumque haec materia fuerit, a quo nunc praescindimus; *nullatenus vero a potentia aliqua activa vel exigitiva* materiae.

670. Status quaestionis. His notionibus praeiactis, ab omnibus admittendis qui praesentem ineunt disputationem, et supposita doctrina in libris praecedentibus tradita circa naturam entium viventium organicorum ab homine distinctorum, QUAERIMUS nunc, quaenam sit origo illorum quae terram incolunt.

Non, enim, quaestio proponitur de aliis viventibus corporeis quae fingi possent quorum natura distincta esset a natura eorum quae terram incolunt, vel quae exsisterent in aliis planetis vel astris. Nam de eiusmodi viventibus quae fingi possent, nihil prorsus scimus, nec quidem utrum exsistant.

Quod de facto *nunc,* alicubi vel aliquo modo, organismi viventes *producantur* generatione abiogenetica, nemo est qui serio affirmare audeat. Quaestio igitur est 1.° utrum generatio abiogenetica *nunc* possibilis sit. 2.° utrum, saltem *olim possibilis fuerit.*

Quod si huiusmodi quaestiones negative in sensu theseos solvendae sint, cum aliunde necessarium sit in explicanda origine organismorum viventium quae terram incolunt, primum aliquod vivens organicum vel aliqua prima viventia organica quae ab aliis viventibus organicis non processerint, quaeritur tandem, 3.° quomodo explicanda sit origo primorum in terra viventium organismorum.

671. Sentiae. · Thesim *tenent* omnes omnino philosophi neoscholastici; nec est philosophus christianus qui, si consequens sibi est, eam negare possit. Inter hodiernos scientiarum experimentalium biologicarum cultores, thesim quoque tenent omnes qui aliquod genus pantheismi, vel panpsychismi, vel monismi vel materialismi, non profitentur.

Adversantur thesi *hoc nostro tempore,* omnes qui aliquam ex his doctrinis philosophicis inficiuntur, non quidem experientia vere scientifica innixi, sed consequenter tantum ad sua praeiudicia philosophica; quibus stantibus, generationem spontaneam seu abiogeneticam, saltem quoad primam organismorum in terra viventium originem, *logice quidem, sed absurde* affirmare coguntur. Saepe tamen qua ratione id fieri potuerit nesciunt explicare, et de ea silere malunt [2].

672. *Olim* etiam plures exstitere philosophi qui *aliquomodo* generationem spontaneam seu abiogeneticam admittere videbantur; tum inter eos qui doctrinam plus minusve pantheistas, monistas vel materialistas docebant, ut inter primos graecos philosophos ANAXIMANDER EMPEDOCLES, DEMOCRITUS aliique quorum iam antea in thesi 4 (73-81) adversus panpsychismum vel hylozoismum agentes meminimus; tum etiam fere omnes qui essentiale discrimen inter materiam brutam et corpora viventia agnoscebant et strenue tuebantur, quos inter ipse ARISTOTELES et generatim omnes philosophi scholastici fere usque ad saeculum XVIII.

Ad genus aliquod generationis abiogeneticae admittendum scholastici adducebantur, non quidem eo quod ad experientiam attendere neglexerint, quod prorsus contra principia fundamentalia suae methodi investigandi fuisset; sed potius e contra, seu quia in scientia experimentali sui temporis, quae non nisi vulgaris et deficientissima erat, nimium confidebant.

Attamen, nec ARISTOTELES, nec Sancti Patres et ecclesiastici scriptores, nec scholastici doctores ullo pacto admiserunt, id quod moderni propugnatores generationis spontaneae effutiunt, videlicet: materiam brutam seu pura elementa chimica vel mineralia sibi sufficere ad producendum ens aliquod vivum etsi imperfectissimum.

Nam vel, cum SANCTO AUGUSTINO [3] ortum viventium quae ex sola materia oriri videbantur tribuebant seminibus latentibus, a Deo in creatione in materia sparsis, ex quibus suo tempore et in propitiis adiunctis constitutis corpora viventia orirentur; vel solam virtutem materiae brutae terrestris aperte insufficientem esse ad productionem vitae proclamabant, nisi ad id elevarentur a causa aliqua superiori, quae esset vel Deus ipse, vel virtus astrorum quae ab angelis, ac proinde a viventibus superioribus iuxta cosmographiam aristotelicam regi putabant [4].

---

[2] Optime et erudite hac super re, et generatim etiam contra generationem abiogeneticam scripsit J. JESÚS MUÑOZ, S. I., Professor Psychologiae UNIVERSITATIS COMILLENSIS, sub titulo: *La biología de los últimos cien años y la físico-química actual frente al evolucionismo materialista:* Miscelánea Comillas, t.8.

[3] S. AUGUSTINUS, *De Trinitate,* l.3 c.8.

[4] Cf. S. TH., 1 q.71 a.1 ad 1; et SUÁREZ, DM d.18 s.2 n.30. Notae historicae circa opinionem generationis spontaneae videri possunt in URRÁBURU, *Psychologia,* I p.365-376.

Thesim defendimus ut omnino philosophice certam quoad omnes eius partes; quae, supposita doctrina iam in hoc tractatu demonstrata, non minore efficacia quam brevitate evincuntur.

673. Probatio. PARS 1.ª: GENERATIO ABIOGENETICA SALTEM NUNC IMPOSSIBILIS EST.

PROBATUR 1.° *A priori.* Ens substantiale inferioris naturae et virtutis, causa adaequata esse nequit entis substantialis perfectioris naturae et virtutis.

Atqui omne ens substantiale materiale non vivens est inferioris naturae et virtutis quam quodlibet ens substantiale materiale vita praeditum.

Ergo ens substantiale materiale non vivens nequit esse causa adaequate entis substantialis vita praediti.

Consequentia est bona. *Maior,* ex principio causalitatis, vi cuius causa efficiens adaequata alicuius effectus, huius perfectionem continere debet saltem virtualiter, secus effectus daretur absque causa proportionata.

Minor constat ex demonstratis iam in hoc tractatu.

Quod *substantia* entis vita praediti sit superioris naturae quam substantia entis vita expertis, constat ex eo quod illa et non haec, intrinsece constituitur anima seu principio vitali iuxta thesim 9 (134-152). Quod *vires* substantiae viventis sint superiores viribus substantiae non viventis, constat ex experientia operationum ipsis respondentium, quas irreductibiles inter se esse probavimus in thesi 2 (49-59): maxime autem eo quod operationes entis viventis sunt *immanentes et teleologice* ordinatae ad conservationem individui et speciei, per generationem aliorum individuorum viventium.

674. PROBATUR 2.° *A posteriori.* Si generatio abiogenetica nunc possibilis esset, fieri non posset ut nunc aliquando saltem non eveniret in natura.

Atqui nunc saltem, nunquam evenit in natura.

Ergo generatio abiogenetica impossibilis nunc est.

Consequentia est evidens. *Minor* constat. *Maior* sic ostenditur.

a) Quia si vita oriri posset ex aliqua combinatione chimica fortuita elementorum mundi et solis viribus physicochemicis et mechanicis materiae, ut contendunt asserentes generationem abiogeneticam, fieri non posset ut in tanta varietate adiunctorum, climatis, atmosphaerae, humiditatis, electricitatis et generatim omnium virium physicochemicarum quae in terra dantur, aliquando saltem aliquod ens vivens, sponte natura de facto non produceretur.

b) Quia saltem nunc nostro tempore, cum vires et leges physicochemicas et mechanicas materiae proprias cultores scientiarum physicochemicarum adeo callent, ut nunquam antea eas cognoverunt; et cum huiusmodi viribus convenienter adhibitis, per synthesim elemen-

torum chimicorum novae in dies substantiae chimicae producantur quae a natura sibi sola relicta nunquam obtinerentur, nonnullis non exceptis substantiis chimicis quae tantum ab organismis viventibus sponte producuntur; impossibile esse quod per synthesim chimicam aliquod quoque ens vivum quamtumvis minutissimum hucusque nondum obtentum fuerit, eo vel maxime quod id a cultoribus scientiae physicochemicae materialistis vel atheis vehementer desideratur, et saepe intentatum est.

675. PARS 2.ª: GENERATIO ABIOGENETICA NUNQUAM NATURALITER POSSIBILIS FUIT.

Generatio abiogenetica *nunc* naturaliter impossibilis est, ut modo demonstratum manet.

Ergo semper naturaliter impossibilis fuit.

Consequentia probatur 1.º *a priori*. Tota ratio a priori propter quam *nunc* ut impossibilis habenda est generatio abiogenetica, videlicet quia esset contra principium causalitatis (673), efficax est, non tantummodo pro tempore actuali, sed pro omni tempore: nam principium causalitatis est principium rationis absolute validum pro omni tempore et loco; et natura non vivens in quocumque loco vel tempore supponatur semper inferioris perfectionis et virtutis erit quam natura entis vita praediti.

676. *Eadem consequentia* probatur etiam 2.º *a posteriori* seu argumento physico. Quia si generatio abiogenetica aliquando physice possibilis fuisset, certe non fuisset possibilis tempore quo condiciones naturaliter necessariae ad vitam organicam in terra non dabantur, ut per se patet, et etiam admittitur ab omnibus, ipsis adversariis non exceptis.

Omnes enim tenent nullum organismum vivum exstitisse in terra, non modo illo tempore quo haec nondum efformata, nec nisi quaedam massa materiae incandescentis erat, sed etiam postea in periodo *archaica* suae efformationis in qua, eius crustra iam solidificata, continentia emergerent aquis circumdata; seu in illa periodo quae, praecise ob absentiam vitae, *azoica* nuncupatur [5].

Condiciones autem ad vitam aliquam organicam requisitae, certe in terra dabantur iam quando prima entia viventia organica in illa exsistere coeperunt, sive hoc evenerit versus finem periodi *archaicae*, quod dubium est; sive postea, ut certo constare videtur, in periodo geologica quae *palaeozoica* seu *primaria* respectu vitae, dicitur. Huiusmodi autem condiciones, utpote quae ab ipsa natura viventis organici exigebantur, non poterat esse *essentialiter* seu quoad substantiam diversae a condicionibus quae in successivis periodis geologicis ut necessariae habentur, videlicet, in periodo *messozoica* seu *secundaria*, et in *caenozoica* quae complectitur *tertiariam* et *quatternariam* seu actualem.

[5] Cf. *Tractatus Geologiae*, exempli causa, M. GUTIÉRREZ, *Geologia moderna* (Casals, Barcelona 1925).

677. *His positis, sic arguimus.* Si naturaliter aliquando possibile fuisset, quod ens aliquod vivum organicum produceretur a materia bruta seu puris viribus physicochimicis et mechanicis praedita, sub condicionibus ad vitam organicam requisitis *non essentialiter diversis a condicionibus actualibus ad vitam organicam necessariis,* etiam nunc possibile esset ens aliquod vivum organicum per synthesim chimicam produci; cum vires naturae eaedem sint et condiciones earum applicationis, saltem artificiose in laboratoriis, mediis technicis scientiae modernae, obtineri possint.

Atqui hoc nunc est impossibile, ut demonstratum est in prima parte.

Ergo dicendum est id numquam possibile fuisse.

678. PARS 3.ª: PRIMI VIVENTIS ORGANICI PRODUCTIO, SPECIALI DEI INTERVENTIONI TRIBUENDA EST.

Haec conclusio logice fluit ex praecedentibus assertionibus. Nam aliquando aliquod ens vivum organicum vel aliqua viventia organica in terra exsistere inceperunt. Non enim terra semper fuit, nec semper in terra viventia organica fuere, ut constat ex dictis in parte praecedenti et ab omnibus admittitur.

Ergo primum vivens organicum vel prima viventia organica causam aliquam efficientem habuerunt; quidquid enim incipit exsistere efficientem causam habet, iuxta principium causalitatis.

Haec autem causa vel fuit 1) ens aliquod naturae, vel 2) ens naturae conditor, scilicet Deus.

Atqui 1) dici nequit quod fuerit aliquod ens naturae, quia hoc ens naturae produxisset primum vel primos organismos vivos terrae, aut *a*) generatione *biogenetica* aut *b*) *abiogenetica.*

Non *a)* quia ante primum ens vivum organicum non dabatur aliud ens vivum organicum a quo generaretur, ut per se patet.

Nec *b)* alterum dici potest, quia generatio abiogenetica, nec datur, nec unquam possibilis fuit, ut probatum est.

Ergo remanet 2) alterum esse dicendum, scilicet, quod primum vel prima entia organica viventia sint speciali interventu Dei producta.

Non quidem *creatione* proprie dicta. Quia licet Deus potuerit integrum ens vivum organicum primum creatione producere, et non nisi creatione ipsa materia primigenia produci potuit; at posita huius materiae creatione, sufficit ut Deus primum vivens produxerit per *eductionem* e potentia passiva materiae, principium vitale primi organismi vel primorum organismorum viventium.

Haec autem productio, quoniam creationem materiae primigeniae praesupponit, *creatio late dicta* dici potest, proprius vero loquentes, ut a creatione stricte dicta eam distinguamus, nomine *specialis Dei interventus* appellamus.

679. Obiectiones. 1. Generatio abiogenetica, licet nunquam experimentaliter comprobata, admittenda est tamquam *scientiae postulatum*. Ita omnes qui generationem abiogeneticam admittunt.

Resp.: nego simpliciter; vel claritatis gratia *dist.:* generatio abiogenetica est postulatum scientificum, proprium scientiae pure experimentalis, *nego*. Iuxta scientiam enim pure experimentalem et veram, potius neganda est generatio abiogenetica siquidem nunquam experimentaliter comprobata est. Est postulatum scientificum. proprium scientiae naturalis philosophicae, *subd.:* scientiae philosophicae naturalis adeo *absurdae,* ut illa quae fundatur in doctrina materialista, monista et atheista, *conc.;* est postulatum scientiae philosophicae naturalis *verae*, quae nec athea nec monista, nec materialista est, *nego*.

Non enim est veritas aliqua quae, licet non demonstretur, legitime tamen admittitur ad explicanda facta rite comprobata vel ad rationem reddendam legum naturae quae praevie iam demonstratae sunt. Sed est tantum postulatum quoddam *pseudophilosophicum;* quia est assertio quaedam quae, logice quidem fluit ex perperam negata interventione Dei Creatoris in productione primorum viventium. Ceterum, adhuc permissa, nullatenus vero concessa generatione abiogenetica, interventio Dei Creatoris, saltem materiae mundi, philosophice vitari non potest; nec alia ratione negatur nisi quia incompossibilis est cum manifeste falsa doctrina philosophica monista, materialista et athea.

680. INST.: Factum aliquod explicare per miraculum a Deo factum, non est explicatio scientifica. *Atqui*, nisi admittatur generatio abiogenetica ad explicandam originem primorum organismorum viventium, haec explicaretur per miraculum. *Ergo* iuxta scientiam generatio abiogenetica est admittenda.

Resp.: dist. mai.: factum aliquod explicare per miraculum a Deo factum non est explicatio scientifica, si explicatio facti de quo agitur sufficienter, saltem cum probabilitate, explicatur iuxta leges et vires naturae, *conc.;* secus, *nego. Dist.* etiam *min.:* nisi admittatur generatio abiogenetica ad explicandam primam originem organismorum viventium in terra, haec explicanda esset per interventionem aliquam specialem Dei, quae proprie loquendo non est miraculum, *conc.;* explicanda esset per miraculum proprie dictum, *nego*. Confer notiones supra traditas in praenotandis (669).

681. 2. Origo et apparitio primorum organismorum viventium in terra, sufficienter explicatur, si dicitur prima organismorum spermata vel germina ex aliis sideribus per aërolithos vel aliter in terram fuisse delapsa.

Resp.: nego assertum multiplici ratione. Haec enim hypothesis *a)* problema generationis abiogeneticae *non solvit*, sed procrastinat; et praeterquamquod est *b)* penitus *arbitraria* et omni fundamento experimentali destituta, est praeterea *c) impossibilis*.

a) Problema generationis abiogeneticae *non solvit*, sed ad astra transmittit, de quibus minorem scientiam habemus quam de factis quae in terras eveniunt. Nam de origine vitae organicae in astris vel

in spatiis cosmicis exsistente, iterum problema recurrit, quod nisi creatio vel specialis Dei interventus admittatur, explicari nequit.

b) Est praeterea *hypothesis arbitraria* et contra experientiam. Nam licet multi aërolithi in terram ceciderunt, numquam in illis aliquod germen vitale inventum est, sed tantum materiam brutam et mineralem omni vita destitutam.

Praeterea iuxta scientiam experimentalem constat materiam omnium siderum non esse essentialiter distinctam a materia qua terra constituitur, quod ope spectroscopii comprobari potuit.

c) Tandem huiusmodi hypothesis est *physice impossibilis.* Quia etiam permissa exsistentia organismorum viventium in astris vel planetis, germina vitalia ex illis procedentia, nullatenus potuissent viva in terram pervenire; cum spatia cosmica permeare debuisset immensa et frigidissima, quorum frigus admittitur esse circiter 273°; et postea immergi in calida terrae atmosphaera. Nec tantum hac de causa germinum vita impossibilis fuisset in spatiis cosmicis, sed etiam defectu convenientis humiditatis, si forte non destructa fuisset radiis ultraviolaceis quae abundanter emittuntur ab astris incandescentibus. Nam, ut notum est, eiusmodi radii, etiam potentiores et robustiores bacterias brevi tempore destruunt.

Ceterum, quicumque hanc hypothesim proponit, iam manifeste admittit, vitam organismorum viventium in terra non potuisse a materia terrestri non vivente provenire, quod nobis propositum erat demonstrandum.

682. 3. Primus gressus seu transitus a materia non viva ad vita gaudentem, seu *generatio abiogenetica,* haberi videtur in minutissimis entitatulis recenter inventis quae "virus" et "ultravirus" seu "virus filtrabiles" nuncupantur.

Nam huiusmodi entitatulae, infimum gradum structurae organicae prae se ferentes, a materia non vivente *quoad structuram vix differunt,* et cum *se reproducant* alias sibi similes generantes, *vita gaudere videntur. Ergo* saltem in his entitatulis generatio abiogenetica est admittenda.

Resp.: dist. assertum: transitus a materia non viva ad vivam *idealis, id est in ordine classificationis idealis* haberi videtur in entitatulis quae "virus" vocantur, *conc.;* in *ordine reali* seu *productionis; subd.:* si reapse virus vel ultravirus vivunt et oriuntur a sola materia non vivente, quod nullatenus probatum est *conc.;* si vero virus et ultravirus non vivunt, eiusque reproductio sufficienter explicatur per processum quemdam merae autocatalysis chimicae; vel si vivunt et vera generatione vitali reproducuntur, necessario ab organismo quodam aliquomodo vivo procedunt, et non nisi in eo vivunt et reproducuntur, *nego.*

In statu enim actuali scientiae microbiologicae *duplex est opinio probabilis* circa vitam et reproductionem harum entitatularum. *Altera* negans; *altera* affirmans vitam harum entitatularum. Iuxta opinionem negantem reproductio explicaretur processu quodam simili autocatalisi chimicae; et iuxta eam evidenter generatio abiogenetica non datur. Si vero his entitatulis vitam largimur et eius reproductio vere vitalis est, non inde sequitur eas generatione abiogenetica productas esse; imo potius in statu actuali scientiae microbiologicae, non improbabile videtur "ultravirus esse formas filtrabiles derivatas ab or-

ganismis cellularibus", ut verbis utamur Pii Papae XI[6], factis ad participantes in VI Congressu Michrobiologico. Non igitur certo constat eiusmodi entitatulas a materia non vivente procedere; praeterquamquod generatim pro certo habetur eas nec vivere, nec reproduci posse nisi in organismo vivo[7].

ARTICULUS II

De morte individui viventis organici nonnihil

683. Quaestionis limites. Mors in genere est terminus, seu cessatio vitae, saltem in actu primo consideratae seu substantiae viventis; quae secum fert cessationem in actu secundo seu activitatis vitalis, licet non e converso. Siquidem possibile videtur, saltem per aliquod tempus, quod cessante exercitio vitae, vita tamen in actu primo seu substantia vivens non statim in substantiam non vivam convertatur et pereat.

Mors *multiplici adspectu* a scientia considerari potest, videlicet: sub adspectu scientiae empiriologicae, philosophiae naturalis seu psychologiae, philosophiae metaphysicae; atque etiam sub adspectu scientiae moralis, iuridicae, asceticae et theologicae, ut alios plures omittamus adspectus, sub quibus a demographia, a sociologia et ab aliis eiusmodi scientiis considerari potest.

Et quoniam vita hominis naturalis, ut nobis constat ex Theologia dogmatica, elevari potest, ope gratiae supernaturalis, ad supernaturales operandi modos, mors considerari quoque potest, non modo quatenus est amissio vel desitio vitae naturalis, sed etiam vitae supernaturalis.

De hac, quae per Sacramenta plerumque adquiritur a christianis, et exercitio religionis bonorumque operum meritis fovetur et roboratur, quaeque a peccato mortali destruitur, non ad psychologum sed ad theologum tractare pertinet.

Nec ad psychologiam, ut partem philosophiae naturalis consideratam spectat de morte sub adspectu metaphysico tractare, sicut nec ad eam pertinet de vita agere quae experientiae nostrae non subiciatur, ut vita Dei, animae humanae a corpore seiunctae et angelorum.

Quemadmodum autem ad psychologum spectat tractare de *vita* quorumcumque corporum viventium et de quocumque genere vitae quae in illis reperiatur; ita etiam Psychologia de natura mortis quae in cessatione et termino vitae corporeae, experientiae nostrae subiectae consistit et *mors* dicitur, trac-

[6] *Discurso del Sumo Pontífice a los participantes en el VI Congreso de Microbiología* (13 sept. 1953): Ecclesia, 13 (1953) p.347-348 n.3.

[7] Cf. Muñoz, S., *¿Abiogénesis en protozoarios, bacterias y ultravirus?:* Pens 5 (1949) p.5-31, et Rubio Huertos, *Sobre la naturaleza y origen de los virus:* Arbor 30 (1955) p.402-410.

tare aliquomodo tenetur, praesuppositis tamen conclusionibus scientiarum experimentalium biologicarum quae ad mortis causam referuntur.

684. Quid mors sit sub adspectu Psychologiae philosophicae. Mors generatim non est mera *negatio* seu carentia vitae, sed tantum eius *privatio,* quae proinde supponit ens mortem subiens, antea vita praeditum fuisse. Non enim entia quae vita carent mortua dici possunt, sed ea tantum quae cum vita donarentur, eam amiserunt.

De *morte, igitur, cuiuscumque viventis individualis quaeritur* nunc, imprimis: *quid sit* sub adspectu Philosophiae naturalis seu Psychologiae.

Ut hanc quaestionem recte resolvamus, prae oculis habendum est quod supra (61) cum ARISTOTELE diximus: videlicet quod "vita viventibus est esse". Esse autem vivum proprium substantiae viventis organici, non ab eius materia tantum constituitur, sed a materia informata ab anima, tamquam a forma substantiali, ut supra in thesi 12 (168-178) iam demonstravimus.

His positis, manifestum est ens substantiale vivum, mortem non subire quamdiu ab anima informatur, et a principio vitali intrinsece constituitur, quantumvis ipsius operationes vitales debilitentur et perturbentur, imo etiam cessare per aliquod tempus videantur.

In hoc, igitur, transitu a substantia vivente ad non viventem mors formaliter et in se considerata consistit. Sine hac immutatione substantiali mors non datur, et mors semper hanc immutationem substantialem necessario requirit.

685. Mortis diversae causae et species. Multae esse possunt, et admodum diversae, causae quae in corpore organico vivo illam alterationem efficere valent, quae proxime determinat transitum vel mutationem substantialem, a substantia vivente ad substantiam non viventem, in qua mors proprie et formaliter considerata consistit. Ratione harum causarum multiplex distinguitur mors possibilis.

Vulgo, generatim distinguitur inter mortem quae dicitur *naturalis* et mortem *violentam,* ita ut sub nomine mortis naturalis comprehendatur quodcumque genus mortis quae non casu fortuito nec per vim extrinsecus viventi quomodolibet illatam producatur. Mors naturalis in hoc sensu accepta, complecteretur etiam mortem quamlibet a morbo aliquo ex multiplicibus possibilibus causatam. Malumus tamen denominationem *mor-*

tis naturalis restringere ad significandam mortem quae sponte natura ex ipso processu naturali et nullatenus morbido operationum vitalium, praesertim nutritionis, vi ipsarum legum naturalium naturae viventis organici senescentis occurrit, quin quidquam naturae viventis accedat vel in ipsum influat, quod eius processus vitales normales perturbare vel impedire possit.

Mors naturalis sic definita, opponitur morti ex quacumque alia causa proveniente, quae multiplex admodum esse potest, et fere semper in mortem influit.

686. Causae enim mortis, a causa mortis naturalis sic intellectae distinctae, sunt propemodum infinitae. Aliae enim peti possunt ex defectu medii ambientis ad vitam organicam requisiti, ut sunt *defectus* convenientis intensitatis radiationum, temperaturae, pressionis. humiditatis, chimicae soli compositionis aëris, aquae et alimenti. Aliae vera *traumaticae,* quibus pars aliqua organismi vel organum ad vitam necessarium destruitur. Aliae vero *causae intrinsecus inhaerent* ipsi organismo viventi, ut intoxicationes vel processus morbidi variatissimi quos scientia pathologica describit et therapeutica mederi conatur.

Generatim, causa mortis est quidquid, sive extrinsecus proveniens, sive intrinsece organismo vivo inhaerens. sive ex ipso processu naturali vitae vegetativae organismi iuxta leges biologicas consequitur, *alterationem* aliquam seu immutationem proprietatum et qualitatum accidentalium materiae organismi vivi producere valet, adeo profundam quae cum exercitio vitae naturaliter incompossibilis sit. et consequenter illam immutationem substantialem et transitum a substantia viva ad non viventem efficiet, in qua mors in se et formaliter considerata consistit[8].

687. Realitas et necessitas mortis naturalis. Quamvis mors organismorum, praesertim mors hominis, plerumque naturalis in sensu supra definito dici nequeat, eo quod saltem de facto, processu aliquo morbido vel aliis de causis ab ipsa activitate vitali distinctis producatur, quae aliter se haberet sibi soli relictae; tamen vivens quodlibet organicum quantumvis immune supponatur ab influxu illarum causarum letalium, *ratione ipsius vitae vegetativae in se spectatae,* et consequenter vitae sensitivae et rationalis quae in illa radicantur, *impotens naturaliter est vivendi semper,* et ex lege naturae ad mortem destinatur.

Cuius ratio generalis invenitur in ipsa natura exercitii vitae vegetativae; quod, ut supra diximus (55), essentialiter perficitur continuo fluxu materiae qui *metabolismus* dicitur, quo singulae organismi cellulae, substantias sibi convenientes ad bonum totius organismi in-

[8] Cf. DE G. ROCASOLANO, *Tratado de Bioquímica* (1928) p.185-190, *Muerte natural;* IDEM, *De la vida a la muerte* (1937). Iuxta huius auctoris sententiam (in ultimo l.c., p.139) "la muerte se produce cuando los coloides celulares coagulan, es decir, que en el concepto químico-físico, *el paso de la vida a la muerte es la transformación de un hidrosol en hidrogel*".

[9] S. TH., 1 q.97 a.4c. Cf. q.119 a.1 ad 4.

dividualis, *anabolismo* seu per operationem vitalem fundamentalem quae *nutritio* dicitur in propriam substantiam viventem convertunt, eas sibi assimilantes; et *catabolismo,* materiam superfluam vel nocivam a se expellunt et deiciunt.

In hoc autem metabolismi exercitio, tria quasi stadia in unoquoque individuo vivente distingui posse videntur, quorum in *primo,* quod tempori efformationis individualis respondet, activitas anabolica metabolismi praeponderaret; in *altero,* proprio individui viventis adulti, utraque activitas anabolica scilicet et catabolica quasi in aequilibrio esset; in *tertia* demum, propria organismi senescentis, activitas catabolica praedominium haberet, qua semper magis et magis praeponderante, organismus pari passu paulatim magis et magis illam flexibilitatem, elasticitatem et vigorem vitalem amitteret, quae ad perfectum exercitium vitae requiruntur, et eius substantia viva, senescente organismo individuali, tandem in materiam non vivam converteretur.

688. Realitas et necessitas mortis naturalis sic intellectae ab omnibus scholasticis admittitur et ab antiquis suo modo et iuxta scientiam sui temporis explicabantur, qui plerumque senescentiam et mortem naturalem, defectui quoque nutritionis tribuebant.

Sic SANCTUS THOMAS [7], ut unum tantum testimonium afferamus, ARISTOTELIS doctrinam hac super re amplectens, scribit: "Videmus quod in principio virtus activa speciei est adeo fortis, quod potest convertere de alimento, non solum quod sufficit ad restaurationem praeteriti, sed etiam quod sufficit ad augmentum; postmodum vero quod aggeneratur non sufficit ad augmentum, sed solum ad restaurationem deperditi; tandem vero in statu senectutis, nec ad hoc sufficit; unde sequitur decrementum, et finaliter dissolutio corporis".

CAPUT II

De origine, evolutione et termino specierum organismorum viventium

URRÁBURU, *Psychologia,* I p.330-385; III p.925-1035; PESCH, *Philosophia naturalis,* p.612-677 n.572-617; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis,* II p.196-241 n.259-272; BEA, *Questioni bibliche alla luce dell'Encyclica "Divino afflante spiritu"* (Roma 1950); VIALLETON, *L'origine des êtres vivans. L'illusion transformiste* (Paris 1930); IDEM, *Un problème de l'évolution* (Montpellier 1908); IDEM, *Membres et ceintures des vertebrés tetrapodes. Critique morphologique du transformisme* (Paris 1924); O. KUHN, *Die descendenztheorie, eine kritische Ubersicht,* apud *Zeitschrift für katolische Theologie* (1943) vol.67; Card. RUFFINI, *Teoria dell'evoluzione secondo la scienza e la fede* (Roma 1948); PUJIULA, *Problemas biológicos* (Barcelona 1941); WASMANN, *La probité scientifique du Haeckel* (Paris 1911); GEMELLI, *Le falsificazioni di Haeckel* (Firenze 1912); BOULE, *Les fossiles* (Paris 1935); P. DESCOQS, *Autour de la crise du transformisme* (Paris 1946); MARCOZZI, *La vita e l'uomo* (Milano 1946); CABALLERO, *Evolución de los seres vivientes* (La Habana 1923); ANDÉREZ, *¿La opinión transformista en crisis?:* Razón y Fe, 136 (1947) p.207-228; IDEM, *¿Qué se ha de pensar sobre el "Pithecanthropus"?:* Razón y Fe, 142 (1950) p.367-382; ROLDÁN, *Evolución* (Barcelona 1950); MUCKERMANN, art. *Evolution:* Catholic Encyclopaedia; MUÑOZ, *La biología de los últimos cien años y la físico-química frente al evolucionismo*

materialista: Miscelánea Comillas, t.8; PALMÉS, art. *Transformismo,* Fil. et *Pitecantropo:* Enciclopedia ESPASA: *Symposium sur l'évolution:* Laval théologique et philosophique, 8 (1952) n.2; BOSIO, *Il presente stato del problema dell'evoluzione:* Civiltà Cattolica, an.100 (1949) vol.3 p.479-492; BARTINA, *El transformismo hoy:* Espíritu (julio 1955); OVERHAGE, S.I., *Origen filogenésico del hombre,* apud HARTMANN, *Sujeción y libertad del pensamiento católico* (Herder, Barcelona 1955) p.207-226.

689. Nexus cum praecedentibus et limitatio quaestionis. Postquam in capite praecedenti quaestiones solvimus philosophicas quae ad originem, evolutionem et terminum individui viventis organici referebantur; nunc considerandae sunt eaedem quaestiones quatenus referuntur ad diversitatem substantialem organismorum viventium seu quod idem est ad ipsorum species, omissis etiam illis quaestionibus quae philosophicae non sunt et a scientia positiva recte solvuntur.

Nullum problema philosophice solvendum exsurgit circa factum extinctionis quorundam specierum sive ad floram sive ad faunam pertinentium quae olim exstitere; nec circa terminum futurum florae et faunae quae nunc in terra vigent, de quo nec quidem scientia experimentalis quidquam dicere potest.

De *fine,* ergo, seu *termino* praeteritae et actualis faunae et florae, nulla in hoc capite quaestio philosophica proponenda occurrit.

Quoniam vero individua viventia organica quae nunc terram incolunt, non modo inter se individualiter distinguuntur, sed etiam multifariam diversificantur, non modo quoad proprietates accidentales sed etiam quoad suam naturam seu substantiam; de *origine huius essentialis diversitatis* nunc agendum venit, seu quod idem est de *origine specierum organismorum viventium.*

Abs dubio, et iuxta omnes, quodlibet individuum vivens actuale suam naturam et speciem sortitur a vivente vel a viventibus a quibus gignitur; et ab omnibus etiam admittitur, quia evidens est, quod individuum vivens genitum, saltem plerumque eiusdem naturae est seu speciei, ac individuum vel individua viventia a quibus per generationem esse accepit et naturam.

690. *Quaestio* autem *praesens* non est de causa immediata diversitatis specierum viventium actualium, sed de his quae praecesserunt et *primo diversae naturae esse coeperunt.* Quaeritur nempe utrum a tempore quo individua viventia terram incolunt *semper evenerit ut natura viventis geniti eadem fuerit ac natura ipsum generantis vel generantium.*

Si huic quaestioni affirmative respondeatur, evidenter ex hac responsione sequitur, prima individua viventia uniuscuiusque speciei, quae producta sunt non spontanea generatione seu abiogenetica, sed speciali Dei Creatoris interventu, ut supra in thesi 36 (666-682) probatum est, fuisse iam eiusdem speciei vel naturae ac viventia actua-

lia, et consequenter diversitas substantialis entium actualium, Deum ipsum auctorem habere.

Si vero e contra quaestioni propositae negative respondetur, nihil dicendum restat nisi affirmare quod, sponte natura, viventia prima quae simplicissima fuissent et minoris diversitatis et perfectionis quam actualia, paulatim longo saeculorum tractu per *generationem biogeneticam progressivam,* suam naturam primaevam amisisse et multiplicem novamque quam nunc habent, adquisivisse, ut contendunt omnes qui *transformismum* vel *evolutionismum* specierum viventium profitentur.

Quaestio, igitur, de prima origine diversitatis specierum *inseparabilis est a quaestione de hypothetica evolutione et transformatione* specierum viventium de qua nunc agendum.

691. Hanc quaestionem plene exponere et minutatim discutere, evidenter excedit limites unius tantum capitis huius tractatus didactici. Ideo intendimus hic tantummodo *iudicium ferre,* ipsumque tueri, de his tantum quae *essentialia* sunt omni doctrinae evolutionistae vel transformistae quae hoc nomine digna sit.

Igitur 1.° sententiam, quam veram esse existimamus, circa evolutionismum vel transformismum in genere, seu quatenus *ad omnes organismos viventes* spectat, tuebimur. Cum autem ad hominem quod attinet, peculiaria exsurgant problemata circa ipsius originem, et specialia suppetant argumenta, 2.° etiam de *transformismo vel evolutionismo anthropologico* agendum erit.

ARTICULUS I

DE TRANSFORMISMO IN GENERE IUDICIUM

Thesis 37. Transformatio seu evolutio specierum organismorum viventium, qualis asseritur a transformismo authentico, est mera hypothesis, nullo hucusque argumento certo comprobata.

692. Notiones. TRANSFORMATIO, vi nominis, idem est ac mutatio formae, qua unum ens, forma aliqua qua praeditum erat relicta, aliam indueret. In hac, autem, quaestione pro eodem sumitur *transformatio* ac *evolutio* ab una forma in aliam; licet evolutio potius connotat principium aliquod internum transformationis et gradationem aliquam qua ipsa efficeretur.

TRANSFORMATIO SPECIERUM organismorum viventium est dogma inventum et assertum ut omnino necessarium, ab om-

nibus philosophis materialistis, monistis et pantheistis, quemadmodum etiam dogma *generationis spontaneae* seu abiogeneticae, in capite praecedenti explosum, ad aliquam rationem saltem apparentem reddendam, evidentis et profundae diversitatis organismorum actualium.

Omnis, igitur, transformismus *fixitatem* specierum organismorum viventium negat et ipsorum *transformationem* vel evolutionem aliquatenus admittit. Non, autem, omnes qui aliqualem organismorum transformationem profitentur, eadem ratione transformistae dici possunt; nam non omnes qui transformistae dicuntur conveniunt *a)* in assignanda *amplitudine transformationis;* nec *b)* in ipso *conceptu speciei* quae transformari dicitur. Ideo, oportet *distinctas classes transformismi* distinguere.

a) *Ratione amplitudinis transformationis* quae asseritur, transformismus *triplex* distinguitur: *monophyleticus,* nempe, *oligophyleticus* et *polyphyleticus;* prout contendat ingentem diversitatem organismorum actualium procedere via generationis, ab *uno* tantum *phylo* seu origine, quae esset sive materia primigenia sive aliquod ens vivum admodum rudimentarium; vel a *paucis* tantum *phylis;* vel a *pluribus,* quorum numerus, vel diversimode vel nullatenus determinatur.

b) *Ratione speciei* cuius transformatio asseritur *duplex* transformismus distinguitur, pro duplici sensu quam prae se fert vox *species,* qui in hac quaestione, ad omnem confusionem devitandam, omnino distinguendus est.

693. Omissis multiplicibus signicationibus quas vox SPECIES, generatim loquendo, prae se ferre potest, in hac de transformismo quaestione, quae tota est de *fixitate* vel de *transformatione progressiva speciei,* species sumitur iuxta omnes ut *denominatio propria cuiusdam membri classificationis organismorum.*

Organismi, enim, sicut quaecumque aliae res quae, quantum ad aliquid sunt inter se plus minusve diversae, et quantum ad aliud plus minusve similes, legitime et utiliter classificari possunt, id est, in ordinem quemdam idealem redigi, in quo plura agmina distinguantur, plura vel pauciora individua classificanda complectentia, prout haec sint inter se minus vel magis similia quoad adspectum aliquem libere electum a classificatore ut *fundamentum* suae classificationis.

Ad praesentem autem, quaestionem quod attinet, *duplex* datur *classificatio* generalis viventium organismorum, distincta tum *fine* et *fundamento,* tum *nominibus* quibus diversa agmina in unaquaque designantur; ita, tamen, ut vox *species,* et

similiter *genus*, in utraque classificatione reperiantur, quin tamen necessario in utraque eandem prae se ferant significationem. Harum classificationum, altera *philosophica;* altera, vero, *taxonomica* appellari potest.

694. CLASSIFICATIO PHILOSOPHICA, propria Philosophiae naturalis, ordinatur ad studium philosophicum essentiae vel naturae organismorum viventium; et ideo, ut fundamentum classificationis assumit *essentiam* seu *naturam* ipsorum, membra classificationis ordinans et distribuens, prout magis vel minus individua viventia in suis notis vel praedicatis essentialibus inter se conveniant. Nomen *species* proprie talis quae dicitur *species atoma* eo quod in alias iam non dividitur, in hac classificatione tribuitur tantummodo collectioni omnium individuorum viventium quae *in omnibus notis essentialibus* inter se conveniunt, seu quae in sua natura vel essentia sunt perfecte similia.

Individua, autem, quae non in omnibus notis essentialibus inter se conveniunt, sed quantum ad aliquam vel aliquas notas essentiales differunt, non iam ad eandem speciem, sed ad idem *genus,* plus minusve proximum pertinere dicuntur, prout *differentiae* essentiales inter ipsa sint pauciores vel plures.

Individua ad eandem speciem pertinentia quae adhuc inter se differunt, non differentia aliqua essentiali, sed tantum *accidentaliter,* seu quoad proprietates vel attributa accidentalia quae adhuc diversissima esse possunt intra eandem speciem, si inter se in aliquibus proprietatibus accidentalibus conveniant quae generatione sive haerentia physiologica in prolem *constanter transmittatur,* constituunt *stirpes* (razas). Secus, seu si diversitates individuorum intra eandem speciem non constanter generatione transmittantur in prolem, eiusmodi differentias individuales *varietates* vocantur.

695. CLASSIFICATIO TAXONOMICA ORGANISMORUM, e contra, ea est quae ordinatur ad ingentem diversitatem organismorum viventium et generatim entium naturae experientiae nostrae subiectorum accurate describendam et ordinandam, et a cultoribus scientiarum biologicarum, praesertim Historiae naturalis quae tota est in describendis entibus naturae, sub nomine taxonomiae generatim accepta est.

Iuxta hanc classificationem taxonomicam, entia naturae dispescuntur in *regna* et sub-regna, in *typos* et sub-typos, in *classes* et subclasses, in *ordines* et sub-ordines, in *familias* et sub-familias, in *genera* et sub-genera, in *species* et sub-species, quae ulterius interdum distinguuntur in varias species quae diversis nominibus designantur.

Ut patet, in hac classificatione taxonomica, organismi viventes in diversa agmina dispescuntur, non praecise ratione convenientiae vel differentiae in *ipsorum essentia vel substantia vel natura,* a qua saltem praescinditur, si forte non negatur; sed tantum *iuxta convenientiam vel differentiam in aliquibus attributis vel proprietatibus ordinis accidentalis,* quae melius simplici observationi innotescunt; ut sunt generatim illae quae ad structuram organismi seu ad eius morphologiam spectant.

In hac, igitur, classificatione taxonomica vox *species* et vox *genus* etiam adhibentur; et absolute possibile est ut species taxonomica eadem sit ac philosophica, si illa iuxta criteria apta et completa determinatur, scilicet, non mero criterio *morphologico* sed etiam *physiologico* et, quoad organismos animales, etiam *psychologico.* Abs dubio,

LINNEUS (1707-1778), qui scientiae taxonomicae inceptor et parens merito habetur, nomen *species* usurpavit existimans agmina individuorum viventium quae hoc nomine donavit, eadem esse quae a philosophis *species* quoque vocabantur. Speciem, enim, per fixitatem definivit, scribens[1]: "Species tot sunt diversae quot diversas formas ab initio creavit Infinitum Ens. Nullae species novae".

696. SPECIES NATURALIS NON COINCIDIT CUM TAXONOMICA. Inde, tamen, nullatenus sequitur species taxonomicas, nec quidem linneanas et multo minus illas quae a cultoribus taxonomiae species vocantur, de facto cum specie philosophica coincidere.

Sed e contra, plerumque fieri potest, et de facto evenit, ut id quod in classificatione philosophica *species* dicitur, non nisi in *genere,* vel interdum etiam in *familia,* classificationis taxonomicae reperiantur; pro diversitate criteriorum quae adhibita sint a taxonomiae cultore in determinandis eiusmodi agminibus classificationis. Criteria, enim, quibus de facto determinata sunt agmina classificationis taxonomicae, nec eadem sunt apud omnes qui eiusmodi classificationibus operam dant; nec eadem quoad diversa agmina ab uno eodemque classificatore determinata; cum nec *una et constans detur definitio perspicua speciei taxonomicae,* ab omnibus classificatoribus admissa. Imo, ut ipsi transformistae qui transformationem progressivam specierum asserunt, fatentur se quid species taxonomica sit, definire non posse[2].

697. Ex hucusque dictis, possumus iam definire quid in carmine theseos veniat nomine TRANSFORMISMI AUTHENTICI, tum sub adspectu a) *historico;* tum b) *doctrinali.*

a) *Historice,* transformismus authenticus et germanus ille est qui fixitatem specierum negans earumque transformationem asserens, primo a LAMARCK et deinde a DARWIN propositus est ad explicandam originem specierum viventium actualium; ille videlicet, quem HAECKEL et HUXLEY et innumeri alii scientiarum naturalium cultores amplexi sunt et propugnant, sive theoricas explicationes transformationis inter se non cohaerentes priorum transformistarum accipientes, sive eas diversimode modificantes, sive novas confingentes, quarum praecipuae in *Cursu* exponuntur et crisi subiciuntur in parte 3.ª theseos.

b) *Ad doctrinam quod attinet,* omnes transformistae au-

[1] LINNEUS, *Philosophia botanica* (Stokolm 1751).

[2] DARWIN scripsit in suo celebri libro, *De origine specierum,* citato a DE LA VASSIÈRE, *Philosophia Naturalis,* I p.267: "Nous aurons à traiter les espèces comme des simples combinaisons artificielles inventées pour une plus grande commodité. Cette perspective n'est peut-être pas consolante; mais nous serons au moins debarrasés de vaines recherches auxquelles donne lieu la définition absolue, non encore trouvée et introuvable de l'espèce."

HOUSSAY quoque, ab eodem auctore citato, scripsit: "Nous croyons avoir montré que la notion d'espèces est de celles sur lesquelles l'accord est impossible." Idem fere apud *Vocabulaire de la Société française de philosophie,* art. "Espèce": "Il est impossible de donner une définition rigoureuse de l'espèce." Cf. etiam vocem species apud HOWARD C. WARREN, *Diccionario de Psicología* (México-B. Aires 1948), et BALWIN, *Dictionary of Philosophy and Psychology* (New-York).

thentici conveniunt in neganda fixitate *specierum naturalium* seu specierum classificationis philosophicae, et sive explicite sive *saltem implicite* tenent reapse species naturales actuales originem ducere per transformationem, ope tantum virium naturalium peractam, ab organismis inferioribus distinctae naturae et speciei.

Nam, licet plerumque transformistae authentici, utpote qui monistae sunt, renuunt explicite loqui de transmutatione *speciei naturalis,* seu quoad naturam vel essentiam, et primo intuitu tantum de speciebus classificationis taxonomicae loquantur; tamen adeo profundas transformationes asserunt a materia primigenia vel ab aliquibus viventibus inferioribus ad viventia actualia solis viribus naturalibus effectas, quae iuxta veram philosophiam, sine transformatione speciei naturalis seu essentiae viventium, intelligi non possunt.

698. Quapropter *essentialis assertio transformismi authentici* stat in affirmatione, saltem implicita, transformationis via generationis, viventium inferiorum et inferioris naturae, in organismos viventes perfectiores et superioris naturae, solis viribus naturae tribuendae, omni speciali interventione causae primae seclusa.

Inde patet iam, ut transformistas authenticos habendos esse, omnes qui transformismum sive *monophyleticum* sive *oligophyleticum* profitentur, eo quod *de facto* saltem, sin minus verbis, species naturales inferiores in superiores, transformatas fuisse saltem implicite admittant.

Illi autem qui *transformismum polyphyleticum* profitentur, quos inter multi auctores catholici et neoscholastici numerantur, si transformationes quas admittunt inter species taxonomicas, de quibus plerumque loquuntur ut morem gerant transformistis authenticis, ea amplitudine sunt quae secum ferat etiam transformationes *inter species naturales,* a transformistis authenticis essentialiter non distinguerentur, nisi eo quod earum originem, plerumque speciali Dei interventioni tribuunt. Si vero negant omnem transformationem speciei philosophicae, et transformationes admittunt tantum *intra limites speciei naturalis,* licet transformistae appellantur, tamen authenticum transformismum non tenent; et vitandae confusionis causa, melius esset a nomine transformismi *moderati* vel *mitigati* quo suam doctrinam designant abstinere, cum transformismum profiteantur toto caelo distinctum a transformismo authentico et genuino.

699. Status quaestionis. Quod a transformismo plures rationes pro specierum evolutione atque etiam innumera facta allegentur, quae transformationes specierum taxonomicarum evincunt, non in dubium vertimus imo et libenter admittimus. Etiam quod aliqua facta allegata primo adspectu suggerant interdum hypothesim transformismi, atque etiam quod aliqua facta seorsim ab aliis factis considerata, facilius

in hac hypothesi explicari possent, non negamus. QUAESTIO est tantum utrum eiusmodi rationes et facta talia sint ut certo probent *transformationem speciei naturalis*, ita ut transformismus authenticus habendus sit *non ut mera hypothesis sed ut factum* iam a scientia certo demonstratum.

700. Sententiae. Adversantur thesi fere omnes transformistae authentici proclamantes transformationes specierum absque ulla limitatione habendas esse ut factum indubitabile iam a scientia demonstratum, nullum tamen argumentum certo probans afferentes; atque etiam multi qui doctrinam transformismi hauriunt ex innumeris libellis ascientificis, potius ad fabulas romanenses quam ad scientiam pertinentibus, in quibus huiusmodi doctrina ad captum vulgus miro aestu propagatur, et non ut mera hypothesis sed ut res omnibus iam comperta describitur.

701. *Thesim tenent* omnes qui transformismo, sive monophyletico, sive oligophyletico adversantur, et tantum polyphyleticum admittunt, si insuper renuunt admittere transformationes *specierum naturalium in alias*, et transformistae dicuntur eo quod transformationes fierent tantummodo *intra speciem naturalem*, seu, ad summum, intra *genera vel classes* classificationis taxonomicae. Hi, ut supra diximus (698), proprie loquendo transformismum authenticum non admittunt. Ingens numerus eorum qui transformistae vocantur, non nisi hoc genus transformismi non authentici profitentur [3].

In *statu actuali scientiae*, existimamus hypothesim transformismi authentici, de quo in thesi agimus, ut meram hypothesim laboris habendam esse, quae quamvis fecunda fuerit ad investigationes promovendas, nullatenus ut iam scientifice demonstrata haberi potest [4].

---

[3] ANDÉREZ, *¿La opinión transformista en crisis?:* Razón y Fe, 136 (1947) p.207-228.

[4] Nuperrime, dum haec scribebamus, CONGREGATIO SANCTI OFFICII, decreto die 2 decembris 1953 et a SUMMO PONTIFICE approbato die 14 eiusdem mensis et anni, damnavit et in Indice librorum prohibitorum inserendum mandavit, opusculum quod inscribitur: CAMILLE MÜLLER, *L'Encyclique "Humani generis" et les problèmes scientifiques* (Louvain, E. Nauwelaerts, 1951). Auctor laudabiliter damnationi se subiecit.

L'Osservatore Romano (mercoledì 6, Gennaio 1954) hoc decretum edidit, et in eodem numero et pagina sub titulo: *Un esempio*, quaenam fuerint rationes huius damnationis explicat, quas inter hanc adducit: "In particolare il Prof. MÜLLER non trova giusto che l'Enciclica parli dell'evoluzionismo *come di una ipotesi non dimostrata e ancora incerta...*". "Dal resto anche tra gli scienziati-cattolici et non cattolici-oggi non sono pochi che non condividono, in materia, la certezza del Prof. MÜLLER." Adversus sententiam professoris damnati, auctor articuli: *Un esempio*, affert auctoritates aliquas auctorum non catholicorum, ut ZIMMERMANN, *Die Methoden der Philogenetik*, in: *Evolution der Organismen* (ed. Heberer, Jena 1943, cf. p. 31s.); G. HEBERER, *Allgemeine Abstammungslehre* (Gottingen 1949) p.57s.; PORTMANN, *Biologische Fragmente zu einer lehre von*

702. Probatio. De facto aliquo vel eventu nobis certo constare dumtaxat potest vel A) *experientia* seu perceptione ipsius, sive simplici sive experimento perfecta, vel B) *deductione logica certa* ex aliis veritatibus certo cognitis sive documentis sive monumentis, vel C) *fide*, sive humana sive divina; seu ex testimonio a teste prolato auctoritate praedito, scilicet scientia et veracitate ornato, qui factum de quo agitur asserat.

Atqui nullo ex his modis hucusque certo constat de facto aliquo transformationis speciei naturalis organismorum viventium.

Ergo transformatio specierum naturalium organismorum viventium est mera hypothesis nullo hucusque argumento certo comprobata.

Maior constat ex sufficienti enumeratione. *Minor* per partes ostenditur.

703. A) DE FACTO TRANSFORMATIONIS SPECIERUM NATURALIUM NON CERTO CONSTAT PER EXPERIENTIAM. Ex quo tempore hypothesis transformismi proposita est et propagari coepit, usque ad praesens tempus, numquam aliquod factum certum transformationis speciei naturalis adduci potuit a transformistis, sive sponte a natura productum, sive experimento provocatum, quamvis innumera tentata sunt experimenta ad illud obtinendum, mediis omnibus adhibitis quae progressus scientiarum biologicarum et physicochimicarum suppeditant.

Facta, enim, aliqualis transformationis, quae praesertim in botanica experimentaliter obtineri possunt, plerumque non limites speciei taxonomicae transgrediuntur; et quamvis ad genera et familias eiusdem classificationis pertingerent, nondum inde sequeretur *novas species naturales* obtentas esse, sed tantum *stirpes* vel *varietates* huius speciei [5].

Ideo transformistae confiteri coguntur actuales species iam in alias transformari non posse; quod ut explicent, arbitrarie et absque ullo fundamento legem statuunt quam *permanentiae* vel *specializationis* appellant, vi cuius species quae iam ad li-

---

Menschen (Basel 1944) p. 14. Hic professor Biologiae Universitatis Basileae, existimat necessarium iam esse reducere "doctrinam evolutionisticam. in biologia fundatam, a gradu cuiusdam veritatis scientifice probatae, ad locum humiliorem cuiusdam theoriae biologicae praestantis et profundae".

[5] Inter plures auctores qui, argumentis ex scientiis biologicis depromptis, demonstrant limitationem transformationum eminet VIELLETON qui, distinguens inter agmina quae ab ipso vocantur "typi organizationis" et "typi formales", multis argumentis probat transformationem tantum inter typos formales probari posse, qui respondent speciei, vel generi vel ut summunt familiae classificationis taxonomicae. Cf. *L'origine des êtres vivans, L'illusion transformiste* (Plon., Paris 1930). Alia opera eiusdem auctoris sunt: *Un problème de l'évolution* (Montpellier 1908); et *Membres et Ceintures des vertébrés tétrapodes: Critique morphologique du transformisme* (Doin, Paris 1924).

mites specializationis, seu ad perfectam specializationem pervenissent, ulterius prohiberentur in alias species transformari.

Quapropter, ut transformationem specierum praeteritarum cum aliquo fundamento asserant, *experientiae valedicentes,* ad secundum caput argumentorum recurrunt de quibus iam iudicium ferendum est.

704. B) NEC TRANSFORMATIO SPECIERUM CERTO PROBATUR 1) EX VERITATIBUS CERTIS, NEC 2) EX FACTIS VEL MONUMENTIS TEMPORIS TRANSACTI.

1) Imprimis certum est factum transformationis specierum naturalium *non logice et certo deduci ex aliqua veritate vel assertione certa.* Transformismus authenticus est quidem postulatum necessarium, eadem ratione ac assertio generationis spontaneae seu abiogeneticae (679), doctrinae philosophicae atheae et materialistae; huiusmodi, autem, doctrinae sunt manifeste falsae et absurdae.

2) *Nec certo deducitur ex factis vel monumentis* temporis transacti. Nam huiusmodi facta vel monumenta vel pertinent *a*) ad tempus *historicum,* vel *b*) ad *praehistoricum* seu ad aetates geologicas de quibus scientia palaeontologica agit.

705. Iam vero, *a)* hypothesis transformismi authentici *nullatenus certo probatur ex factis vel monumentis temporis historici;* sed e contra, potius ex illis hypothesis constantiae demonstratur.

Nam cum tempora historica ad plura millenia annorum extendatur, iam tempus sufficiens suppetivisse videtur ad hoc ut aliquae saltem species naturales antiquae organismorum, in alias transformatae fuissent.

Species, enim, naturales per plura saecula temporis historici immutatas mansisse, patet ex exuviis atque sceletis in aegyptiorum sepulcris inventis, animalium quae ante annorum quinque millia (5.000) ibi recondita fuere. Sceletos canum, felium, simiarum, crocodilorum, avium, ibi inventos non differre ab sceletis eorumdem animalium nostrorum temporum, demonstratum est a CUVIER, ut asserit PESCH [6].

Similiter plantae quarum reliquiae exstant in lateribus tegulisque in eadem Aegipto inventis, eaedem prorsus sunt ac plantae actuales.

Etiam in vetustissimis monumentis Graeciae, Babylonis, Persides et Sinensis Imperii, insculptae cernuntur formae plurium animalium quorum adhuc inalteratae perstant species.

706. *b)* Sed neque hypothesis transformismi authentici certo deduci potest *ex monumentis temporis praehistorici et aetatum geologicarum.*

---

[6] T. PESCH, *Philosophia Naturalis,* p.631 n.586.

Innumerabiles enim, tum plantarum, tum animalium formae exstant ad aetates geologicas pertinentium, quae sive petrefactae et fossiles proprie dictae, sive mummificatae, sive in lapidibus quasi in matricibus expressae, in stratis sedimentariis geologicis inventae sunt, quibus scientia Palaeontologia studet. Argumentum, autem, pro transformismo authentico ex illis deductum nullatenus *certo* probat specierum naturalium transformationem.

Ad hoc, enim oporteret 1.°, ut formae organismorum inventae eo simpliciores et imperfectiores essent quo antiquiores essent strata geologica in quibus inventae sunt; 2.°, ut nullae essent formae organismorum in stratis geologicis antiquioribus quae eaedem essent ac actuales, tempus, enim, sufficiens ad eiusmodi transformationes fluxisset, quantumvis eas lentissime peragi supponatur; et 3.°, ut *formae intermediae* invenirentur, quae si organismi inferiores in superiores transformati essent, non possent non exstitisse.

Contrarium, autem, evenire scientia palaeontologica testatur.

707. 1.° Ad *primum* quod attinet, licet id a transformistis authenticis saepe supponitur, et ipsis hoc supponere omnino necessarium est; tamen etiam permisso facto, inde nondum logice et cum certitudine sequeretur formas posteriores perfectiores, ex prioribus imperfectioribus descendisse, nisi ope noti sophismatis: "post hoc; ergo propter hoc". Nam successio ab inferioribus ad superiores formas, aliter quam per influxum et descendentiam harum ab illis explicari posset, scilicet per successivas Dei interventiones.

Sed hypotheticum factum successionis specierum perfectiorum ab imperfectioribus. iuxta scientiam palaeontologicam admitti nequit; quae testatur saepissime imperfectiores formas post perfectiores apparuisse.

"Si, enim, rite perfectiora ex imperfectioribus orta fuissent, scribit PESCH [7], scala et ordo quo alia ex aliis fuissent secuta, esset fere hic: *protozoa, coelenterata, echinodermata, vermes, arthropoda, mollusca, ascidiae, thaliacea, branchiopoda, pisces, amphibia, aves, mammalia.* At vero iam in stratis *Cambricis,* in quibus omnium prima petrefacta reperiuntur, brachiopodorum, et echinodermatum, et vermium reliquias simul invenies. Et in *Silurica* formatione, quae *Cambricam* sequitur, iam *classes* omnes adsunt, sceptis amphibiis, avibus et mammalibus. Praeterea nullae classes inferiores superioribus locum cedunt, sed cum his simul, imperfectissimae etiam classes exsistere pergunt".

708. 2.° *Neque alterum dici potest.* Innumerae, enim, sunt formae in stratis geologicis inventae quae prorsus eaedem sunt quae nostris temporibus adhuc exsistunt. Ut aliqua tantummodo commemoremus quae a PESCH afferuntur [8], reliquiae polyporum in coralliis

---

[7] T. PESCH, *Philosophia Naturalis,* p.632 n.603.
[8] T. PESCH, *Philosophia Naturalis,* p.632 n.586.

Floridae inclusae quorum aetatem AGASSIZ triginta millia (30.000) annorum esse contendit; ossa caprea ex periodo quam lapideam vocant in Helvetiae montibus inventa; partes animalium quae ante periodum glacialem (a qua ut LYELL opinatus est ducentis viginti quattuor annorum millibus [224.000] seiungimur) exstiterunt; cupressi ex alluvie Mississipi fluminis relictae; conchilia, gastropoda, acephala ex tempore plioceno residua; cum organismis nostrorum temporum omnino congruere videntur. Quod quidem hypothesim transformationis non certo probat, imo ipsi evidenter opponitur.

709. 3.° Quod in stratis geologicis *formae intermediae non reperiantur,* quae non possent non in eis reperiri, data ingenti duratione quae unicuique ex illis tribuitur, et hypothesi admissa continuae et paulatinae transformationis organismorum. Palaeontologia quoque testatur; iuxta quam novas species in stratis geologicis *subito apparent* absque formis intermediis praecedentibus.

Quod *formae intermediae non dentur,* agnoscitur etiam a viris scientificis magni nominis qui transformismum profitentur, ut exempli causa a CAULLERY [9] qui scribit: "unumquodque agmen, ordo vel familia, subito apparet, quin fere unquam inveniamus formas quae illud vinculent suo trunco. Unumquodque se praebet immediate omnino differentiatum. Opus est ut quisque convincatur, quod non modo non inveniuntur quasi formae transitionis, sed etiam quod generatim impossibile est vinculare authentice, agmen aliquod novum cum agmine aliquo antiquo".

710. C) TANDEM EVIDENS EST NULLUM ESSE TESTIMONIUM NEQUE HUMANUM NEQUE DIVINUM QUOD CERTO TRANSFORMATIONEM SPECIERUM NATURALIUM ASSERAT.

Testimonium humanum seu hominis alicuius qui testis fuerit transformationis alicuius speciei *nullus nunc est,* ut modo probavimus, *nec unquam fuit;* et, si de transformatione agitur specierum effecta in periodis geologicis, evidenter *esse non potuit,* cum illis temporibus geologicis usque ad aetatem quaternariam nullus in mundo homo fuerit qui transformationis specierum testis esse potuerit.

Unicum testimonium, non humanum sed *divinum* quod de facto productionis specierum viventium exstat, illud est quod continetur in libro GENESIS et in aliis *Sacrae Scripturae libris* qui ad narrationem genesicam referuntur.

In GENESI, enim, qui ex antiquitate unicus liber est characteris veri historici seu non fabulosus qui de origine et formatione mundi agat, Deo inspirante, ut omnes tenent christiani, origo et efformatio mundi enarratur.

Iam vero, evidens est quod descriptio creationis mundi et

---

[9] CAULLERY, *Le problème de l'évolution* (Paris 1931), citatus a BEA, *Questioni bibliche alla luce dell'Enciclica "Divino afflante spirito"* (Pontificium Institutum Biblicum, Roma 1950) p.9, ubi alia transformistarum testimonia adducuntur. Qui plura velit adeat A. ROLDÁN, *Evolución* (Barcelona 1950) c.6 p.197-216.

terrae quae in his *Libris Sacris* traditur, quomodocumque ab interpretibus explicetur, argumenta non suppeditat quibus transformatio specierum organismorum viventium certo demonstretur, sed contrarium prorsus in illis asseritur.

711. Obiectiones. Inconveniens videtur distinguere inter transformismum authenticum et non authenticum. *Ergo* quaestio de transformismo a nobis inconvenienter proponitur.

Probatur antecedens. 1.° Quia haec ratio loquendi in quaestionibus de transformismo nova esse videtur.

2.° Quia quaestio de transformismo est quaestio de fixitate vel de transformatione *specierum et agminum classificationis taxonomicae,* et de extensione huius transformationis: utrum, videlicet, transformismus monophyleticus aut oligophyleticus, vel tantum polyphyleticus admittendus sit.

3.° Quia *species naturales* seu classificationis philosophicae, transformistae, quibuscum disputandum est, *non admittunt.*

712. *Resp.: dist. ant.:* distinguere inter transformismum authenticum et non authenticum inconveniens est propugnatoribus transformismi authentici seu genuini, *conc.;* inconveniens est philosopho qui veritatem quaerit et claritatem ad vitandam confusionem quae orietur ex duplici sensu quem in discussionibus transformismus prae se fert, *nego.*

Magna, enim, in hac quaestione confusio oritur *ex duplici sensu vocis transformismi,* pro diversa re quae transformari asseritur vel negatur. Ideo, distinguendum in antecessum inter transformismum asserentem, saltem implicite, transformationem speciei seu *naturae* seu *substantiae viventium;* et illum qui asserat transformationem *proprietatum accidentalium,* non autem, substantiae organismorum viventium.

Substantia et natura viventis, iuxta veram philosophiam, est res plane et realiter distincta ab eius accidentibus. In harum transformatione admittenda, si probatur, nulla est difficultas; transformatio autem substantiae viventis asserta, saltem implicite, a transformismo quem authenticum appellavimus, est error gravissimus, quod nullo pacto demonstratur. Ad singulas rationes pro antecedenti adductas sic respondeo:

713. Ad 1. *Trans.* quod sit ratio loquendi non usitata in quaestionibus de transformismo; inde tamen, *non sequitur quod sit inconveniens,* si distinctio inter transformismum transformationem specierum naturalium saltem implicite asserentem, et illum qui talem transformationem non asserat, vera est et insuper utilis ad transformismum falsum debellandum.

714. Ad 2. Verum est quaestionem de transformismo propositam esse de fixitate vel transformatione specierum et agminum classificationis taxonomicae et de extensione huius transformationis; sed etiam verum est, a multis transformistis, quos authenticos appellamus, *transformationes extendi ad agmina classificationis taxonomicae, quae certo certius dari non possent sine transformatione speciei naturalis,* seu naturae et substantiae organismorum viventium. Quamobrem, haec transformatio, quae falsa est, saltem implicite secum fert trans-

formationem speciei philosophicae. Qui transformismum monophyleticum vel oligophyleticum profitetur, ipso facto, licet de specie philosophica non loquatur, eius transformationem asserit.

715. Ad 3. Verum est transformistas authenticos, quippe qui errores monismi, materialismi et positivismi plerumque profitentur, non admittere species naturales; quia vel unicam admittunt substantiam, quae esset materia bruta, vel nullam substantiam admittunt vel eam a nobis cognosci non posse falsissime tenent. Tamen inde *non sequitur quod cum aliquibus connivere debeamus in quaestione de transformismo,* ita ut discussionem ineamus cum transformistis authenticis, admittentes eorum manifestos errores philosophicos in quibus tota et unica vis ipsorum argumentationum nititur. *Licitum,* quidem, est quaestionem de transformismo discutere *praescindendo a realitate* speciei philosophicae, non eam negando, et in ordine scientiae pure experimentalis demonstrando, transformationes non ultra *genera* vel ad summum *familias* classificationis taxonomicae se extendere. Ita laudabiliter faciunt aliqui qui transformismum polyphyleticum vel mitigatum tenent, qui tantum *microtransformationes* admittunt. *Plena* autem, et *philosophica refutatio transformismi monophyletici, vel oligophyletici,* seu transformismi rigidi, qui *macrotransformationes* profitetur, haberi non potest, nisi quaestio agitetur etiam de specie classificationis philosophicae, cuius transformationem, saltem implicite, asserit transformismus quem authenticum appellavimus.

ARTICULUS II

De transformismo anthropologico iudicium

Thesis 38. Hypothesis originis belluinae speciei humanae, quomodolibet intelligatur, 1) omni solido fundamento scientifico destituitur; et 2) nisi specialis Dei interventio supponatur, est naturaliter impossibilis.

716. Notiones. HYPOTHESIS ORIGINIS BELLUINAE SPECIEI HUMANAE, est assertio eorum qui tenent primum vel prima individua speciei humanae orta esse, via generationis, ab organismis viventibus distinctae et inferioris naturae ad *regnum animale* pertinentibus.

Est, videlicet, hypothesis generalis evolutionismi vel transformismi authentici circa primam vitae originem et diversitatis viventium, ad originem hominis explicandam simpliciter applicata.

Loquimur de hac hypothesi QUOMODOLIBET INTELLECTA. Diversimode, enim, haec hypothesis a distinctis transformistis ad originem hominis explicandam applicatur. Aliter, enim, intelligitur a *transformistis atheis* qui materialismum monistam vel pantheisticum profitentur; et aliter a *transformistis chris-*

tianis, imo et *catholicis*, qui hypothesim transformismi anthropologici cum veritate revelata conciliare nituntur.

717. *Transformistae*, enim, *athei* qui materialismum monistam vel pantheisticum profitentur, transformationem bestiae in hominem, tribuunt *solis viribus* mechanicis materiae paulatim se evolventis, negata omni teleologia et omni influxu Dei Creatoris, etiam in productione materiae primigeniae et minus evolutae, quam generatim aeternam esse profitentur.

Transformistae, autem, *christiani* et etiam aliqui catholici, qui doctrinam transformismi profitentur, admittunt creationem a Deo, saltem materiae primigeniae; et, plerumque, etiam speciali interventioni Dei tribuunt, productionem primorum organismorum viventium, saltem eorum qui primi fuerint in regno vegetali et animali, ex quibus, via generationis et transformationis progressivae, diversi organismi actuales, etiam organismus hominis descenderent; excepta, tamen, anima humana quae, utpote spiritualis, a Deo tantum creata fuisset. Transformationem, autem, progressivam organismorum viventium usque ad organismum seu corpus hominis factam fuisse dicunt, *vel vi ipsius naturae* se teleologice iuxta leges naturales a Deo ipsi inditas, evolventis; vel *admissa speciali Dei interventione*, si opus esset in transitu ab specie inferiori ad superiorem, praesertim ut organismus aliquis bestialis in humanum transformaretur cui anima spiritualis, a solo Deo creata, infusa fuisset.

718. Nomine FUNDAMENTI SCIENTIFICI, quo hypothesis transformismi destitui affirmamus in carmine theseos, intelligimus factum aliquod vel veritatem seu conclusionem aliquam, sive ordinis experimentalis seu ad scientias positivas biologicas et anthropologicas pertinentem, sive ordinis philosophici, propriam philosophiae naturalis, vel metaphysicae. Veritates, enim, et conclusiones philosophiae non minus scientificae sunt quam veritates vel conclusiones scientiae experimentalis.

Ut veritas aliqua, sive ordinis experimentalis sive ordinis philosophici, ut FUNDAMENTUM SOLIDUM SCIENTIFICUM pro hypothesi transformismi anthropologici haberi queat, opus est ut talis sit, quae, sin minus certitudinem, *saltem probabilitatem* pariat in animo hominis a praeiudiciis transformistarum immunis, qui mente serena et impartiali de eo iudicium ferat.

Quid veniat nomine *specialis Dei interventus*, supra explicatum est (669).

719. Status quaestionis. Circa doctrinam transformismi ad originem hominis explicandam invocatam a transformismo anthropologico, duae exstant fundamentales quaestiones.

QUAERITUR 1.° utrum ad originem belluinam speciei humanae affirmandam adsint necne argumenta aliqua vi quorum

transformismus anthropologicus, seu origo speciei humanae a belluis, sin minus ut certa, *saltem ut probabilis habenda sit,* sive transformatio facta fuisse dicatur solis viribus naturae sibi relictae, vel tantum cum concursu generali et ordinario Dei Creatoris; sive etiam cum concursu vel interventione aliqua speciali, extraordinaria et praeternaturali Dei.

Praeterea QUAERITUR 2.°, num transformatio alicuius organismi animalis seu alicuius bestiae, quaecumque illa sit, in hominem vel saltem in organismum humanum seu corpus proprium hominis, excepta anima spirituali, *possibilis* sit necne absque speciali Dei interventu.

720. Quoniam de origine speciei humanae, pauca quidem sed fundamentalia nobis certo innotescunt ex scientia theologica, quae innititur in veritate a Deo revelata, in Sacris Libris et in traditione contenta, atque a Magisterio ecclesiastico edocta; philosophus catholicus qui, iuxta Concilium Vaticanum[10], tenet quod "nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest", prae oculis habeat oportet in quaestionibus propositis discutiendis, quid circa transformismum anthropologicum ex Theologia dogmatica, sive certo, sive tantum cum probabilitate iam constat[11]. Non, quidem, ut in sententia quam eligat demonstranda, argumenta adhibeat ex fide vel scientia theologica deprompta, sed tantum ut veritatem theologicam ut normam directivam habeat suae inquisitionis, quae tota evolvenda est intra ordinem scientiarum naturalium et Philosophiae. Amplissima libertate in hoc ordine scientiae naturalis et philosophicae, philosophus catholicus fruitur ad argumenta pure rationalia et ordinis scientifici seligenda, tum ut demonstret vera naturaliter esse ea quae etiam de fide esse constat, tum maxime ad illas opiniones amplectendas vel novas proponendas et tuendas, de quibus nec Theologia dogmatica nec Magisterium ecclesiasticum nondum quidquam ut certo tenendum statuerit; quae quidem in hac de transformismo anthropologico quaestione, innumerae sunt, paucis tantummodo exceptis[12].

---

[10] *Concilium Vaticanum,* Constitutio de Fide Catholica, c.4 D.n.1797.

[11] En quales sint censurae theologicae aliquarum propositionum quae cum praesenti quaestione connectuntur, iuxta theologos actuales magni nominis. BOYER, Professor Universitatis Gregorianae, in suo opere *De Deo creante et elevante* (Romae 1948) scribit: "*Haereticus* est qui totum hominem simpliciter a bruto derivat. *Errat theologice* (vel etiam contra veritates simpliciter revelatas) qui creationem animae confitens, etiam corpus primae mulieris, simpliciter a bruto derivat vel non omne genus humanum ab uno pare descendere docet. *Temerarius,* denique, est qui specialem Dei actionem in formatione primi corporis humani negat. Si autem de solo modo explicandi hanc actionem agatur, abstineri potest, salvo iudicio Ecclesiae, a nota Theologica; at res rationibus non solum scientificis, sed etiam philosophicis et theologicis est dirimenda." Cf. eiusdem auctoris, *L évolutionisme antropologique:* Laval, Théologique et philosophique, 7 (1952) p 203-207.

[12] Recentissime PIUS PAPA XII in sua encyclica *Humani generis* (AAS 42 [1954] p.503) haec docuit circa praesentem quaestionem: "Ecclesiae Magisterium non prohibet quominus evolutionismi doctrina, quatenus nempe, de humani corporis origine inquirit ex iam exsistente et vivente materia oriundi—animas, enim a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet—pro hodierno humanarum disciplinarum et sacrae Thologiae statu, in investigationibus ac disputationibus peritorum in utroque campo hominum pertractentur; ita, quidem, ut rationes utriusque opinionis, faventium nempe et obstantium, debita cum gravitate, moderatione et temperantia perpendantur et diiudicentur; dummodo omnes parati

Quaestiones igitur propositas argumentis tantummodo ex scientiis naturalibus atque ex vera philosophia petitis solvere curabimus; quin tamen *in abusu huius libertatis* incidamus, qui in eadem Encyclica continenter carpitur [13].

721. Sententiae. Ambae assertiones theseos omnino cohaerent cum *opinione traditionali circa originem speciei humanae, communiter accepta* ab omnibus christianis usque ad saeculum XIX.

Omnes quippe credentes in exsistentia reali Dei personalis, entis a se, infiniti et omnipotentis, creatoris mundi et omnium qui in mundo sunt; consequenter tenebant Deum animam etiam spiritualem *creavisse* protoparentum, eamque cum corpore *univisse,* ex materia praeexsistente, ab ipso *praeternaturali* et *speciali* operatione efformato, ita ut Deus etiam corporis protoparentum principalis causa habendus esset.

Atque haec est, substantialiter exposita, solutio quae huic magno problemati primae hominis originis praebet Sacra Scriptura, praesertim in primis Libri Geneseos capitibus qui ab omnibus christianis ut a Deo inspiratus habetur.

Pacifice regnabat huiusmodi opinio circa speciei humanae originem, donec saeculo XIX ineunte, doctrina *transformismi* et *evolutionismi* athei et materialistae invalescente, alia proposita est solutio huius problematis, iuxta quam origo speciei humanae explicanda esset per successivas et lentas transformationes a speciebus organismorum viventium inferiorum.

Diversimode, autem, a transformistis huiusmodi origo explicatur, prout *a*) athei sunt et monistae vel *b*) fidem catholicam profiteantur.

722. *a)* Transformistae enim *athei qui monismum materialisticum* vel plus minusve *pantheisticum* profitentur, inter se convenire videntur, non nisi in tribuendo originem speciei humanae transformationi vel evolutioni, solis viribus naturae effectae, a speciebus organismorum inferioris naturae et speciei.

Non, enim, inter se conveniunt, nec in explicationibus theoricis huius transformationis; nec multo minus in assignando quaenam fuerit bestia inferioris naturae a quo homo immediate genitus fuisset.

---

sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est et Sacras Scripturas authentice interpretandi, et fidei dogmata tuendi."

[13] Quinam sit hic tantae libertatis abusus temerarius, his verbis in praefata Encyclica declaratur: "Hanc tamen disceptandi libertatem nonnulli temerario ausu transgrediuntur, cum ita sese gerant quasi si ipsa humani corporis origo ex iam *exsistente et vivente materia,* per indicia hucusque reperta ac per ratiocinia ex iisdem indiciis deducta, *iam certo* omnino sit et demonstrata; atque ex divinis revelationis fontibus nihil habeatur, quod in hac re maximam moderationem et cautelam exigat."

Primi, quidem, transformistae, hominis protoparentes ad aliquam simiorum speciem pertinuisse dicebant, eorum qui adhuc exsistunt: ut Chimpanzé vel Gorilla, vel Gibbon vel Orang-Utang.

Haec, autem, assertio quam primi transformistae ut DARWIN, HAECKEL, HUXLEY, VOGT, aliique plures propugnabant, et adhuc apud vulgus viget, *penitus derelicta* est ut impossibilis a recentioribus aliquo nomine scientifico gaudentibus, ita ut inter illos nemo iam sit qui hanc explicationem proferre audeat. Dicunt, tamen, tum homines tum simii *ab aliquo stipite communi* remotissimo per generationem procedere, videlicet; ab aliqua bestia aetatis tertiariae; in qua assignanda nulla quoque inter eos datur consensio. Tot, enim, sunt inter transformistas hac super re sententiae, quot capita; tantaque varietate prolatae, ut eas hic recensere nec opus est, nec possibile, cum plures huius operis pagellae ad id faciendum non suppeterent [14].

723. b) *Transformistae* autem *catholici* admittunt originem animae humanae esse per creationem a Deo; qui, tamen eam infudisset in corpore *alicuius animalis sufficienter evoluti.* Haec autem opinio, si asserit hanc evolutionem corporis primi hominis a corpore alicuius animalis meris viribus naturalibus effectam fuisse, et praesertim si affirmat fieri potuisse ut corpus alicuius animalis sic naturaliter evolutum, *exegiverit* naturaliter ut anima rationali a Deo donaretur, non apparet quo pacto cohaereat cum doctrina theologica, iuxta quam Deus fuit etiam causa principalis in efformatione corporis humani. Generatim, tamen, ad hanc transformationem corporis alicuius animalis in corpus humanum explicandam, admittunt catholici transformistae *specialem et praeternaturalem Dei interventionem.*

Ad hanc, autem, sententiam transformismi qui moderatus et catholicus dicitur proponendam, non omnes eisdem de causis inducuntur. Alii, enim, id faciunt desiderio conciliandi placita transformismi cum dogmate christiano, eo quod *nimis leviter* existiment doctrinam transformistam non solido fundamento esse destitutam. Alii, *clamoribus transformistarum perterriti*, "metuentes—ut verbis utamur Encyclicae *Humani generis*— [15], ne earum rerum quas progredientis aetatis scientia invexerit ignari habeantur". Alii, tandem non sine aliqua propensione ducti ad "irenismum" in eadem Encyclica *Humani generis* improbatum.

Thesis proposita cum opinione traditionali cohaeret, ut patet; et iudicium quod in ea exprimitur circa anthropologicum transformismum, *certum* esse censemus.

---

[14] Praecipuas opiniones circa descendentiam hominis a bestia recenset et pluribus imaginibus photographicis illustrat, HUEVELMANS, *L'home qui descend du singe, et le singe qui descendrait de l'home,* apud ephemeridem Science et Avenir, n.84: février 1954 p.59s.

[15] Encyclica *Humani generis:* AAS 42 (1954) p.593.

724. Probatio. PARS 1.ª: HYPOTHESIS ORIGINIS BELLUINAE SPECIEI HUMANAE, QUOMODOLIBET INTELLIGATUR, SOLIDO FUNDAMENTO DESTITUITUR.

Nequit dici solido fundamento scientifico gaudere hypothesis quae, praeterquamquod est A) logicum consectarium et *postulatum necessarium doctrinae evidenter falsae;* B) adducere nequit *factum* aliquod *certum* quod non nisi iuxta ipsam explicari possit; nec C) valet *explicare cum probabilitate* complexum omnium factorum ad quae explicanda inventa est.

Atqui hypothesis transformismi anthropologici sic se habet, prout 1) a *transformismo authentico* et totali proponitur; nec 2) transformismus *moderatus et partialis*, qui asserit tantum originem corporis humani a bellua, ad id asserendum non alia argumenta positiva seu ordinis experimentalis invocat, quam ea quae propria sunt transformismi authentici.

Ergo hypothesis transformismi anthropologici, quomodolibet intelligatur, solido fundamento scientifico destituitur. *Consequentia* est evidens.

725. *Maior* vera est. Nam quamvis *ad A) quod attinet* ex eo tantum quod aliqua hypothesis sit logicum consectarium doctrinae philosophicae falsae, non logice sequatur eius falsitas, ex falso enim potest logice sequi et falsum et verum; tamen evidens est, hypothesim, quae ex doctrina falsa logice sequatur, non leviter esse accipiendam, sed peculiari cura, ad trutinam experientiae esse revocandam.

Eius, enim, origo a doctrina manifeste falsa non potest non suspicionem ingerere in animum cultoris scientiae, qui si prudens est, eam *non nisi argumentis validis* pro hypothesi adductis dissipare poterit.

Ideo, ad hoc ut hypothesis huiusmodi tamquam solido fundamento praedita haberi possit asserimus, praeterea, necessarium esse B) ut factum aliquod certum afferatur quod aliter explicari non possit, vel saltem C) quod complexus omnium factorum quae adduci possint, ea hypothesi satisfactorie, saltem cum probabilitate explicetur.

Generatim eiusmodi condiciones ab omnibus scientiae cultoribus exiguntur ad asserendum aliquam hypothesim solido fundamento gaudere. Quod si, quando agitur de transformismo anthropologico, eiusmodi condiciones non exigerentur, manifestum esset transformismum anthropologicum non argumentis vere scientificis, sed ob motiva tantum irrationalia et ascientifica asseri.

726. *Minor per partes probatur.*

Quoad A) hypothesis transformismi anthropologici 1) *prout a transformistis authenticis* et integralibus proponitur *sit logicum consectarium doctrinae philosophicae certo falsae*, videlicet, monismi materialistae et plerumque athei, per se patet. Transformistae, enim, authentici negant creationem, vel

si eam admittunt, evolutionem organismorum solis viribus materiae se evolventis attribuunt.

Quod 2) *transformistae moderati* et *partiales*, qui tenent originem tantum corporis humani per descendentiam a bellua via generationis procedere, *non alia argumenta* ordinis experimentalis adducant ad suam sententiam probandam, quam ea quae ipsis, transformismus authenticus suppeditat, evidens quoque est, quidquid sit de quaestione, de qua tamen nunc non agitur: utrum, videlicet, omnes transformistae moderati immunes haberi possint ab erroribus materialistarum.

727. *Minor quoad* B), seu nullum hucusque factum *certum* adductum fuisse, quod non nisi iuxta hypothesim explicari possit, evidens quoque est. Nam certo certius nullum *factum actuale* transformationis belluae in hominem via generationis, non modo certum, sed nec probabile a transformistis adducitur. Facta, autem, plerumque *ex scientia palaeontologica* deprompta quae ab ipsis invocantur, non talia sunt quae *necessario* iuxta hypothesim transformismi anthropologici sint explicanda; cum *saepe melius, et semper satisfactorie* in *hypothesi transformismo opposita explicentur* [16].

Nec raro evenit, ut facta palaeontologica quae ut argumenta maxima pro transformismo anthropologico proponebantur, deinde, fatentibus etiam transformistis, *perperam interpretata*, vel *fraudulenter proposita* fuisse demonstrentur [17].

---

[16] Impossibile evidenter est hic singula facta quae pro transformismo anthropologico allegantur minutatim describere et crisi subicere, quod ceterum potius quam ad tractatum philosophicum pertinet ad disciplinam auxiliarem quae in *Ordinationibus S. C. de Seminariis* ad *Constitutionem "Deus scientiarum Dominus"*, *Quaestiones scientificae cum philosophia coniunctae* ex *Biologia et Anthropologia* nuncupatur. Ideo lectorem, hac super re, remittimus ad opus A. ROLDÁN, *Evolución* (Barcelona 1950) c.5 et 6 (p.99-216) in quo facta allegari solita cum imaginibus photographicis praecipuorum fossilium adducuntur, et accurato serenoque studio diiudicantur: ita ut ex eo concludatur facta huiusmodi, potius adversa esse, quam favorabilia, hypothesi transformismi anthropologici.

[17] Aliqua facta tum falsae aestimationis antiquitatis quorundam fossilium, tum deliberatae falsificationis a transformistis perpetratae enumerat Emmus. D. Ernestus Card. RUFFINI in articulo edito apud *L'Osservatore Romano* (lunedì-martedì 22-23 marzo 1954, anno 94 n.67) sub titulo: *Errori e falsificazioni sull'origine dell'uomo.*

Editus est hic articulus occasione recentissimae detectionis deliberatae falsificationis mandibulae cum uno dente in situ et alio soluto; quae, cum characteres simicos prae se ferret, tribuebatur homini cuius aliqua fragmenta craneana, authentica fossilia et maximae antiquitatis, reperta sunt in eodem loco ac mandibula, anno 1911-1912. Hic homo fossilis vocabatur, a loco inventionis, *Homo a Piltdown;* a suo inventore Dawson, *Homo dawsonii* et, iuxta interpretationem transformistarum *Eoanthropos* dictus est, seu aurora hominis; eo quod iuxta eos esset exemplum transitus a simio, propter mandibulam, ad hominem propter cranium, ab omnibus agnitum ut authenticum et antiquissimum. Anno autem 1953 ineunte, a pluribus palaeontologis magni nominis et methodis vere scientificis adhibitis detectum est, mandibulam et dentes pertinere ad simium modernum; eamque mira arte modificatam fuisse ab inventoribus transformistis, ut eiusdem antiquitatis existimaretur ac cranium. Comprobationem vere scientificam huius deliberatae et conscienter perpetratae falsificationis, plures publicationes tum quotidianae tum periodicae et scientificae descripserunt. Cf. ephemeridem angli-

728. Tandem *minor quoad* C), seu quod si attenditur ad complexum omnium factorum quae ex Palaeontologia constant, nullatenus ea simul sumpta nec quidem probabiliter in hypothesi transformismi anthropologici explicentur, constat saltem ex eo quod reliquiae fossiles ultimis deceniis repertae quae certo humanae sunt, non raro ut antiquiores habentur quam reliquiae fossiles animalium, quae antecessores hominis iuxta transformistas fuissent. Non, enim, explicari potest cum aliqua probabilitate, quod series fossilium quae ad originem hominis ab animali probandam adducuntur non efforment seriem iuxta suam antiquitatem ordinatam, nec continuam [18].

729. PARS. 2.ª: HYPOTHESIS ORIGINIS BELLUINAE SPECIEI HUMANAE, NISI SUPPONATUR SPECIALIS DEI INTERVENTIO, EST NATURALITER IMPOSSIBILIS.

Quia hypothetica transformatio bruti in hominem, vel supponitur facta A) in *ipso individuo vel supposito generante,* quod deinde suam naturam proli transmisisset per generationem; vel B) non in individuo vel supposito generante, sed *in prole ab ipso generata,* quae esse inciperet naturae humanae, ac proinde essentialiter diversa et superioris naturae quam natura generantis.

Atqui utrumque impossibile est.

Ergo impossibilis naturaliter est hypothesis transformationis bestiae in hominem.

Maior constat ex sufficienti enumeratione, nec datur medium. *Consequentia,* supposita minore evidens est. *Minor* per partes demonstratur.

730. A) IMPOSSIBILE EST TRANSFORMATIONEM BELLUAE IN HOMINEM FIERI IN SUPPOSITO GENERANTE.

1.º Quia contradictorium est quod, manente eodem supposito, eius natura vel substantia in aliam distinctae speciei

---

cam Nature, n.172 (27 nov. 1953 p.981). Controversiae et vicissitudines circa "Hominem a Piltdown optime exponuntur a VELOSO, *O fosil de Piltdown:* Broteria. 58 (1954) n.4 p.412-426.

Celebres quoque sunt et ab omnibus agnitae, falsificationes imaginum photographicarum embryonum, quibus HAECKEL intendebat probare suam legem biogeneticam. Cf. circa huiusmodi falsificationes: PUJIULA, *Problemas biológicos* (Barcelona 1941) p.371-372; A. BRASS, *Das Affen-Problem. Professor E. Haeckel, seine falschungen der Wissenschaft* (Leipzig 1909); E. WASMANN, *La probité scientifique de Haeckel* (Paris 1911); GEMELLI, *Le falsificazioni di E. Haeckel* (Firenze 1912); CABALLERO, *Evolución de los seres vivientes* (La Habana 1927). Dubium de sinceritate scientifica plurium transformistarum non infundatum esse, optime probat ROLDÁN, *Evolutión,* o.c., c.2.

[18] Reliquiae fossiles certo humanae craniorum, antiquiores quam illae quae pertinent ad typum neanderthalensem et similes *Homini a Piltdown,* inventae sunt etiam in Swanscombe in Anglia, anno 1935, et in Fontechévade in Gallia anno 1947, quibus etiam mandibula deerat. Post ea quae iam scimus circa mandibulam *Hominis a Piltdown,* transformistae possunt iam parcere labori componendi mandibulas simiorum, quibus nova inventa palaeontologica compleantur.

convertatur. Suppositum enim non est nisi ipsa natura, quatenus subsistit in se et incommunicabilis et incommunicata est alii supposito. Si igitur dicitur quod natura bestialis intra idem suppositum in naturam humanam conversa est, etiam in aliud suppositum conversa esset, quod est contra hypothesim.

2.° Quia omnis natura naturaliter tendit ad conservationem sui, et suis tendentiis innatis resistit totis suis viribus naturalibus, influxui aliarum rerum quae possent eam corrumpere. Omnes enim vires cuiusque naturae ordinantur ad conservationem sui. Non autem ita esset si bestia aliqua individua ipsis suis viribus naturalibus, in aliam naturam converteretur.

Utramque rationem praeclare declarat S. THOMAS[19] scribens: "Inest unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse; quod non conservaretur, si transmutaretur in aliam naturam. Unde nulla res quae est in inferiori gradu naturae potest appetere superioris naturae gradum; sicut asinus non appetit esse equus, quia si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsa non esset. Sed in hoc imaginatio decipitur. Quia enim homo appetit esse in altiori gradu quantum ad aliqua accidentalia quae possunt crescere absque corruptione subiecti, aestimatur quod possit appetere altiorem gradum naturae in quem pervenire non posset nisi esse desineret". "Nullus vult aliquid umquam, quo posito eius natura non maneret", ait quoque S. THOMAS[20].

731. B) IMPOSSIBILE QUOQUE EST TRANSFORMATIONEM BELLUAE IN HOMINEM FIERI IN SUPPOSITO GENERATO. In hac enim hypothesi bestia, quaecumque illa sit ex qua homo generaretur, esset certo inferioris naturae quam suppositum generatum. Vetat autem hoc principium causalitatis iuxta quod ad aliquod effectum producendum requiritur in causa adaequata virtus proportionata.

Ergo nisi supponatur specialis Dei interventus, qui ceterum gratis asseritur, descendentia organismi humani via generationis ab inferioribus organismis est quoque naturaliter impossibilis. Homo enim non solum integre consideratus, sed etiam quoad suum organismum est superioris naturae quam organismus quilibet alicuius bestiae.

732. Obiectiones. 1. Magna est similitudo quae datur quoad morphologiam inter aliquas species simiorum et hominem, praesertim si illi conferuntur cum quibusdam stirpibus imperfectioribus hominum. *Ergo* dicendum est hominem descendere a simio, vel saltem ab aliquo animali quod sit antecessor communis et simii et hominis.

Resp.: nego ant.; et permisso antecedenti, *nego* etiam *cons.* et *conseq.*

---

[19] S. TH., 1 q.63 a.3.
[20] S. TH., *In 2* d.4 q.1 a.2. Cf. *De malo,* q.16 a.3.

Antecedens negatur, quia quamvis verum sit quod inter simios et homines aliquae dentur similitudines quoad morphologiam, at illae similitudines, si conferuntur cum ingentibus dissimilitudinibus quae inter ipsos dantur, penitus evanescunt.

Praeterea, quando agitur de entibus vita praeditis, criterium morphologicum quod tantum in anatomia fundatur, est insufficiens ad iudicandum de similitudine vel dissimilitudine duorum organismorum, nec licet ab aliis criteriis, videlicet a criterio physiologico et psychologico praescindere. Si homines et simii etiam sub luce horum criteriorum considerantur, ab omnibus fatendum est homines quantumvis imperfectiores, et perfectiores simios esse inter se penitus diversos.

Sed praeterea *consequentia* est illegitima. Ex eo, enim, quod duae res similes sint, non sequitur alteram ab altera procedere. Haec, enim, similitudo melius explicatur in doctrina antitransformista. Deus, enim, entia mundi produxit non casu, sed secundum rationem ordinatissimam quae inter creaturas mundi datur. Tantum petendo principium, id est, praesupponendo quod est probandum, scilicet transformismum seu theoriam descendentiae esse veram, similitudo posset esse ratio aliqua ad concludendum hominem a simio descendere.

733. 2. Hypothesis transformismi anthropologici, saltem ad originem corporis humani restrictam, nequit dici solido fundamento carere. Factum, enim, est ab omnibus admittendum, innumeras reliquias fossiles organismorum, organismo humano plus minusve similes in stratis geologicis antiquissimis inventas esse, quae gradationem quamdam in perfectione prae se ferunt, ita ut ordinari possint in serie aliqua quae ab sceletis animalium minus homini similium ad similiora progrediantur per hominem, characteribus adhuc pithecoidis praeditum, ad hominem actualem. *Atqui* in hypotesi transformismi anthropologici, saltem ad corpus humanum tantum restricti, huiusmodi factum sponte suggerit hypothesim transformismi anthropologici, saltem quoad corpus hominis, et iuxta eam sufficienter explicatur. *Ergo* hypothesis transformismi anthropologici ad corpus humanum restrictum, non solido fundamento destituitur.

Resp.: nego ant. Ad probationem, *dist. mai.:* innumerae reliquiae fossiles organismorum viventium inventae sunt quae gradationem quamdam in perfectione prae se ferunt, ita ut in *musaeis* ordinari possint in serie aliqua quae ab sceletis animalium minus homini similium ad similiorem progrediantur usque ad hominem, *conc.;* quod ita ordinari possint, ut hic ordo respondeat *ordini chronologico* stratorum geologicorum in quibus huiusmodi reliquiae inventae sunt, seu ita ut semper formae anteriores tempore sint etiam imperfectiores, *nego.*

Minor negatur simpliciter. Non, enim, in hypothesi transformismi anthropologici explicatur, quod non raro formae chronologice anteriores perfectiores sint quam posteriores, et quod "Homo sapiens" inveniatur iam antequam formae humanae pithecoides exstitissent, vel saltem illis contemporaneae fuissent. Atque haec est solutio danda in statu actuali scientiae palaeontologicae.

CAPUT III

De origine, evolutione et termino animarum

S. TH., 1 q.75 a.3 et 6; q.90 a.1.2.3 et 4; 2 CG c.78-80 et 82-83; 4 c.39; *De potentia*, q.3 a.10 et 11; *De anima*, a.14.15.17 et 18; SUÁREZ, *De anima*, I c.10-11; URRÁBURU, *Psychologia*, III p.634-730 et 1239-1292; PESCH, *Psychologia*, I p.414-431 n.319-331; III p.480-528 n.1151-1186; DE LA VAISSIÈRE, *Philosophia naturalis*, II p.167-174 n.241--243; FRÖBES, *Psychologia speculativa*, II p.275-305; SIWEK, *Psychologia metaphysica*, p.403-436 n.279-301; WILLWOLL, *Psychologia metaphysica*, p.175-187 n.273-287; BALMES, *Filosofía elemental, Etica*, c.28; IDEM, *La religión demostrada*, c.6.

734. Nexus et ordo capitis. In duobus praecedentibus huius libri VI capitibus, inter quaestiones quae, sub triplici adspectu: *originis, evolutionis* et *termini* vitae, dynamice seu in fieri consideratae, ordinari possunt, aliquas sine incommodo in hoc tractatu philosophico omittere licuit, eo quod essent quaestiones *de facto* quae a solis scientiis experimentalibus seu positivis solvi possent, quin saltem immediate ullam secum ferrent implicationem cum doctrina philosophica.

In hoc, autem *tertio capite*, e contra, non paucae quaestiones, Philosophiae naturali solvendae proponi possunt circa unumquemque ex illis tribus adspectibus, videlicet: circa *originem, evolutionem* et *terminum animarum*. Aliquas tantummodo tractandas assumimus in hoc capite, quae tamen praecipuae sunt et fundamentales. Agemus ergo 1.° de origine, 2.° de evolutione et 3.° de fine seu termino animarum.

ARTICULUS I

DE ORIGINE ANIMARUM

Thesis 39. Animae materiales, sive plantarum sive animalium, 1) oriuntur per eductionem ex materia quam informant, 2) effectam a potentia generativa viventis vel viventium a quibus novum vivens eiusdem speciei generatur.

735. Notiones. Nomine ANIMAE venit principium vitale ultimum, saltem radicale, operationum vitalium; quod, ut ex supra demonstratis in thesibus 12, 13 et 34, constat, est forma substantialis viventis corporei; quod, proinde, duplici principio substantiali constat: *materia*, videlicet, et *forma*.

Forma, autem, *substantialis* organismi seu corporis viventis potest esse *materialis* seu a materia intrinsece dependens in suo esse atque in suis operationibus; vel *spiritualis*, si tantum extrinsece a subiecto materiali dependet in suo esse et in suis operationibus. Ex supra demonstratis in thesibus 12 et 14

constat etiam animas plantarum et animalium esse materiales.

Dicimus animas plantarum ORIRI; quod, quidem, idem est ac incipere esse id quod antea non erat; et consequenter, fieri ab aliqua causa efficiente: quidquid, enim, incipit esse efficientem causam habet.

736. In hac, autem, quaestione maxime prae oculis habendum est quid veniat nomine *eductionis.* EDUCTIO, iuxta SUÁREZ[1] "est productio formae pendens essentialiter a subiecto praesupposito (id est producto per aliam actionem) et aliquatenus incompleto, a quo et formam productam actualiter pendere et sustentare facit".

Haec definitio, ut LOSSADA[2] advertit, convenit omni et soli eductioni, sive formae substantialis sive accidentalis, sive absolutae, sive modalis. Nec sensu differt ab aliis aliorum explicationibus quibus eductio definitur: "actio essentialiter unita subiecto praesupposito", vel "actio essentialiter affixiva sui termini subiecto praesupposito". Si enim eductio essentialiter pendet a praesupposito subiecto, consequenter ei *unitur* eidemque *affigit* terminum suum.

Hinc omnis eductio est *actio factiva* compositi ex tali subiecto et forma resultantis; quia est *formalis unio* formae ad subiectum vel saltem unitio, de quo non una est scholasticorum sententia.

Eductio, *creationi opponitur,* quae definitur *productio rei ex nihilo sui et subiecti.*

Differt ergo creatio ab eductione, quia licet sit productio rei ex nihilo sui, non autem est productio ex nihilo subiecti. Creari est *absolute* ex nihilo produci; et duo excludit, videlicet: praeexistentiam termini vel partium eius, et praecedentiam subiecti cui veluti fundamento nitatur exsistentia novi termini. Utramque exclusionem requirit creatio; eductio autem non nisi primam.

737. Tandem declarandum est quid veniat in carmine theseos nomine POTENTIAE GENERATIVAE. Est videlicet vis quaedam activa propria subiecti viventis qua hoc, vel se solo, ut in generatione monogena et asexuali; vel una cum alio supposito viventi sexus distincti, ut in generatione digena seu sexuali, in productionem novi suppositi viventis efficienter influit et merito ab omnibus ut eius causa habetur.

738. Status quaestionis. Constat ex experientia et ex supra demonstratis (th.36) omne individuum vivens corporeum non nisi ab alio individuo viventi generari: vel unico, si generatione *monogena* generatur; vel duplici, si generatione *digena* producitur. Item apud omnes constat novum individuum generatum, quoad eius materiam, originem ducere a

[1] SUÁREZ, DM d.15 s.2 n.13.14.15.
[2] LOSSADA, *Cursus philosophicus* (ed. Subirana) t.4 p.283 n.3.

generante vel generantibus ipsum; seu, quod idem est; in individuo vivente genito aliquod saltem frustulum materiae necessario dari, quod ab individuo vel ab individuis ipsum generantibus acceperit. Cum autem novum individuum vivens quod generatione producitur, non sola materia, sed etiam anima constet, ut nunc supponimus etiam ex supra demonstratis (th.12 et 13); et anima qua informatur, tum a materia, tum etiam ab anima individuorum viventium a quibus generatum est, evidenter realiter distinguatur, sponte QUAESTIO hic solvenda exsurgit de *origine* et *causa* animae individui generati.

Huiusmodi quaestio de quocumque genere animarum proponi potest, etiam de anima spirituali hominis, de cuius origine in thesi sequenti agendum erit. Hic tantum quaestio proponitur de origine et causa animae materialis plantarum et animalium.

739. Sententiae. Huic quaestioni, cum *sententia scholasticorum et neoscholasticorum* communi respondemus, duplici affirmatione theseos: quarum in prima asserimus animas materiales plantarum et animalium *oriri per eductionem* ipsarum ex potentia materiae quam informant; in altera, *causam efficientem* adaequatam huius eductionis, ex parte generantis designamus.

Thesi *adversantur,* consequenter ad doctrinas erroneas quas profitentur, omnes qui *eductionem formarum* impossibilem esse dicunt; quos inter numerantur omnes qui hylemorphicam theoriam de compositione corporis naturalis respuunt, quam eductio formarum praesupponit.

Adversantur etiam omnes qui perperam et nimis crasse eductionem formarum intelligunt, existimantes formas omnes quae educuntur in materiae gremio latitare, easque eductione inde extrahi, veluti res quae in capsula aliqua asservantur; atque etiam illi qui concursum causalem materiae seu potentiae pasivae non intelligentes vel ipsum quoquo modo negantes, productionem animarum materialium explicare coguntur tantum per influxum effectivum individui generantis, vel per creationem a Deo factam et distinctam a concursu Dei ordinario ad actiones creaturarum.

Supposita veritate theoriae hylemorphicae, thesim defendimus tamquam unicam solutionem possibilem.

740. Probatio. PARS 1.ª: ANIMAE MATERIALES PLANTARUM ET ANIMALIUM PRODUCUNTUR PER EDUCTIONEM EX MATERIA QUAM INFORMANT.

Omnes animae materiales producuntur vel productae fuerunt. *Ergo* vel producuntur aut productae sunt *creatione*, aut *eductione* ex materia quam informant. *Atqui* non creatione. *Ergo* eductione ex materia quam informant.

Maior constat. Quidquid enim est finitum et contingens non habet esse a semetipso, sed ab alio acceptum, quod ipsum fecit.

Primum consequens et consequentia est evidens; non enim datur medium. Quia quidquid fit, vel fit independenter a subiecto praesupposito, seu ex nihilo sui et subiecti, et tunc fit per *creationem;* vel dependenter a subiecto, seu ex nihilo quidem sui sed non subiecti, quod idem est ac fieri per *eductionem.*

741. *Minor probatur:* 1.° *Negative.* Quia creatio est operatio quae omnes vires naturae supergreditur et propria solius Dei, ut in theologia tum naturali tunc dogmatica demonstratur, et *nulla est necessitas* affirmandi animam materialem a Deo creari.

"*Primo* quidem scribit SANCTUS THOMAS[3], ex hoc quod, cum esse formarum naturalium et corporalium non consistat nisi in unione ad materiam; eiusdem agentis esse videtur eas producere cuius est materiam transformare. *Secundo* cum huiusmodi formae non excedant virtutem et ordinem et facultatem principiorum agentium in natura, nulla videtur necessitas, earum originem in principia reducere altiora".

742. 2.° *Positive: a)* Quia quidquid fit vel factum est, ita quoad suam essentiam et naturam fit vel factum est, ut actu est. *Atqui* anima materialis plantae et animalis quoad suam essentiam vel naturam est intrinsece dependens a subiecto materiali. *Ergo* anima plantae vel animalis fit vel facta est dependenter a materia seu subiecto materiali. *Ergo* anima plantae vel animalis fit vel facta est dependenter a materia seu subiecto materiali: quod idem est ac fieri per eductionem ex materia.

b) Insuper ex operationibus animae materialis id ipsum deducitur. "Quorumcumque enim operationes, ait SANCTUS THOMAS[4], non possunt esse sine corpore, nec eorum initium sine corpore esse potest; sic enim res habet esse sicut operatur cum unumquodque operetur in quantum est ens". *Atqui* omnes operationes animae materialis sunt intrinsece depen-

[3] S. TH., *De potentia,* q.3 a.11 c.
[4] S. TH., 2 CG c.86.

dentes a corpore. *Ergo* anima materialis nequit produci nisi dependenter a corpore seu eductione.

743. PARS 2.ª: CAUSA EFFICIENS PROXIMA GENERATIONIS SEU EDUCTIONIS ANIMAE MATERIALIS EX POTENTIA MATERIAE, EST POTENTIA GENERATIVA INDIVIDUI VEL INDIVIDUORUM VIVENTIUM A QUIBUS NOVUM VIVENS GENERATUR.

Novum individuum vivens, ab alio vivente, sive unico sive duplici generatur, scilicet: generatione *monogena* vel *digena*. *Ergo* vi principii causalitatis, potentia activa seu vis generativa in individuo vel in individuis generantibus admittenda est, qua forma individui generati educatur ex potentia passiva materiae, qua hoc constituitur. Secus admittendum esset fieri ab ente potentiam seu vim generativam non habente, quod est absurdum.

744. Aliter autem, haec potentia suam vim exercet in generatione *monogena;* et aliter, in *digena.*

In generatione monogena, enim, forma educitur in materia quae futuri individui viventis erit, antequam hoc exsistere incipiat; exsistere enim incipit, ut individuum distinctum a generante, non nisi post separationem vel scissionem ab ipso. Sive sua sponte haec separatio eveniat, post debitam maturationem partis scindendae, ut in generatione *gemmipara;* sive scissio debeatur agentibus externis.

Hac scissione quomodolibet peracta, novi individui anima, si anima individui generantis extensa erat et integraliter composita ipsa est quae partem sectam informabat ante scissionem vi cuius incipit esse sui iuris et vita propria gaudere.

Si vero supponatur animam generantis generatione monogena esse integraliter simplicem, dicendum est animam individui viventis novi eductione produci, eo quod eius materia influxu potentiae generativae individui generantis, eam dispositionem accidentalem ante separationem adquisierit, quae naturaliter exigat novam animam in ea educi ipsaque informari.

In generatione autem digena vel sexuali, quae non nisi commixtione substantiae seminis sive pollinis vel spermatis cum ovulo perficitur, anima novi individui educitur ex materia cellularum germinalium post ipsarum unionem seu anphymixim, influxu virtutis generativae illis cellulis a generante transmissae.

In generatione *monogena* influxus individui generantis est *immediatus*, tum *immediatione suppositi* tum *virtutis*. In generatione autem *digena* influxus est etiam immediatus, *immediatione virtutis;* non autem, *immediatione suppositi.*

745. Obiectiones. 1. "Si anima sensibilis est ab aliquo agente naturali et non per creationem, aut ergo producetur a corpore, aut ab anima. *Sed* non a corpore, quia sic corpus ageret ultra suam speciem. *Nec* iterum ab anima: qui vel oporteret totam animam patris in filium transfundi, et sic pater absque anima remaneret; vel quoad partem eius, et sic in patre non remaneret tota anima. Quorum

utrumque est falsum. *Ergo* anima sensibilis non est a generante, sed a creante".

Resp.: cum SANCTO THOMA[5], hanc sibi difficultatem obiciente: "Anima sensibilis producitur in conceptu (id est, in materia cellularum germinalium post unionem seu fecundationem), non per actionem corporis, nec per decisionem animae, sed *per actionem virtutis formativae,* quae est in semine ab anima generante".

746. INST.: Cellulae germinales, etiamsi sint vita aliqua praeditae, ipsarum vita est certe inferioris ordinis quam vita individui generati, ipsarumque vires sunt tantum ordinis accidentalis. *Atqui* vivens inferioris ordinis nequit producere ens vivum superioris ordinis; et vires accidentales nequeunt esse causa animae quae est substantia. *Ergo* cellulae germinales, etiam suas vires in unum conferentes, nequeunt producere animam novi viventis.

Resp.: dist. mai.: vita cellularum germinalium est quidem inferioris ordinis quam vita individui generandi; ipsarumque vires sunt etiam accidentales; sed cellulae germinales non sunt nisi *causae instrumentales* quae viribus operantur ab individuis generantibus ipsis transmissis, *conc.;* sunt causae *unicae* et *principales, nego. Contra dist. min.:* vivens inferioris ordinis nequit suis viribus accidentalibus producere ens vivum superioris ordinis et substantiale, tamquam causa principalis, *conc.;* tamquam causa instrumentalis et virtute accidentali accepta a causa principali, *nego.*

"Instrumentum, scribit SANCTUS THOMAS[6], intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressa; unde sagitta tamdiu movetur a proiciente, quamdiu manet vis impulsus proicientis. Sicut etiam generatum tamdiu movetur a generante in gravibus et levibus quamdiu retinet formam sibi traditam a generante; unde et semen tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impressa ab anima, licet corporaliter sit divisum. Oportet autem movens et motum esse simul quantum ad motus principium, non tamen quantum ad totum motum, ut apparet in proiectis".

747. 2. Causa efficiens, etiam principalis, agere nequit ubi et quando non est. *Atqui* individua viventia ex quibus nova planta vel novum animal quoad suam materiam procedunt, fieri potest ut non iam exsistant cum anima novi viventis producitur, vel saltem non sint ibi ubi novum vivens producitur. *Ergo* causa productionis animae individui viventis quod esse incipit, nequeunt esse individua viventia a quibus quantum ad materiam procedit.

Resp.: dist. mai.: causa efficiens agere nequit ubi et quando non est, nec quidem per suam *virtutem, conc.;* ubi et quando non est per suum *suppositum,* modo sit per suam *virtutem, nego. Contra dist. min.;* fieri potest ut individua viventia ex quibus materia novi viventis procedit non iam exsistant, vel non sint *quoad suum suppositum,* ibi ubi novum individuum vivens producitur, *conc.;* quod non sint saltem *quoad suam virtutem, nego*[7].

---

[5] S. TH., *De potentia,* q.3 a.11 ad 16.
[6] S. TH., *De potentia,* q.3 a.11 ad 5.
[7] Plures aliae obiectiones propositae et solutae videri possunt in citato a.11 quaestionis 3 *De potentia.*

Thesis 40. Anima humana 1) oritur per creationem a solo Deo factam 2) quin hoc obstet quominus filii a parentibus vere generentur.

748. Notiones. *Nomine* ANIMAE HUMANAE, venit principium substantiale activum et receptivum omnium operationum rationalium hominis, quod est quoque principium radicale operationum vitae vegetativae et sensitivae ipsius.

Unicum esse in homine principium vitale ultimum substantiale seu unicam animam quae, quamvis entitative spiritualis est, virtute tamen est etiam sensitiva et vegetativa, constat etiam ex supra demonstratis in thesi 30 (595-603).

CREATIO est productio rei ex nihilo sui et subiecti, et opponitur *eductioni*, quae est productio rei ex nihilo sui sed non subiecti (660).

GENERATIO individui viventis est eius productio seu effectio ex praesupposito subiecto. *Generatio* proprie dicitur respectu entis compositi ex materia et forma quod ea producitur; eademque dicitur etiam *eductio*, respectu formae compositi quae in generatione ex materia praesupposita producitur (636).

PARENTES sunt duo individua viventia speciei humanae, distincti sexus, ex quibus novum individuum vivens humanum oritur, quod FILIUS ipsorum dicitur.

749. Status quaestionis. Apud omnes constat filios a parentibus humanis oriri, et quidem processu ontogenetico prorsus simili illi qui proprius est generationis *digenae* seu sexualis, quo etiam non paucae species plantarum et animalium superiorum gignuntur.

Animam plantarum et animalium non nisi per eductionem a materia quam informant oriri, in thesi praecedenti demonstratum est.

QUAESTIO PRAESENS duplex est: 1.ª utrum anima humana etiam per eductionem a materia producatur, vel et contra *tantum creatione* a Deo factam; 2.ª autem, utrum, si anima humana non eductione sed tantum creatione producitur, id obstet quominus individua humana ex quibus materia novi individui certi procedit, vere sint parentes suorum filiorum; seu *utrum homines vere a suis parentibus gignantur.*

750. Sententiae. Ut eorum opiniones omittamus qui, ut materialistae omnis furfuris, realitatem et spiritualitatem animae humanae negantes, extra praesentem quaestionem versantur, et iam supra in the.22 (388-408) reiecti sunt; expli-

cationes intentatae originis animae humanae, etiam apud eos qui ipsius realitatem et spiritualitatem profitebantur, multiplices et diversae omni tempore exstitere, quae tamen ad triplex caput reduci posse videntur, quae nomine: A) *emanatismi,* B) *generationismi* et C) *creationismi* donantur.

751. A) Ad *emanatismum* pertinent plures opiniones aperte pantheistae vel pantheismum redolentes, quae in manifeste falsa Dei notione innixae, olim viguerunt et pergunt adhuc nostris temporibus propagari.

Anima humana, iuxta hanc opinionem, oriretur per quamdam *emanationem* vel fluxum ab ipsa Dei substantia; vel ad ipsam Dei substantiam pertineret; prout anima *a)* concipiatur esse veluti *frustulum* substantiae Dei, ab eo decisum et separatum vel *b)* tantum *aliquid ipsius in ipso existens* sive ut pars substantialis, sive ut accidens aliquod. Hinc duplex genus emanatismi.

Aliquam formam emanatismi tenuerunt iam veteres philosophi *pythagorici* et *stoici,* praeter eos quos refert SANCTUS THOMAS [8], qui "imaginationem transcendere non valentes, nihil praeter corpora esse posuerunt, et ideo Deum dicebant esse corpus, quod aliorum corporum indicabant esse principium, et per consequens sequebatur quod anima esset de natura Dei". Deinde autem "processum fuit ad hoc quod aliqui aliquid incorporeum esse apprehenderunt, non tamen a corpore separatum sed corporis formam; unde ut VARRO dixit quod Deus est anima mundum motu et ratione gubernans: sic igitur illius totalis animae partem aliqui posuerunt animam hominis, sicut homo est pars totius mundi, non valentes intellectu pertingere ad distinguendos spiritualium substantiarum gradus, nisi secundum distinctiones corporum".

Emanatismum quoque tenuerunt plures haeretici, ut *manichaei* et *priscillianistae;* ipseque latet in pluribus philosophiis religiosis populorum orientalium.

Eiusmodi doctrinas emanatistas praesertim moderni *theosophi* propagant; atque etiam *spiritistae,* quando positivismum et experimentalismum superantes, aliquomodo philosophare intendunt.

752. B) *Generationismus* est doctrina eorum qui tenuerunt animas humanas oriri, prorsus ut corpora viventia oriuntur; videlicet: generatione, seu ope seminis cuiusdam a parentibus in filios transmissum. Dicitur quoque metaphorice *traducionismus,* a traduce seu parte a vivente scisa, qua vites et multae plantae propagantur.

Duplex autem distinguitur quoque generationismus vel traducionismus, prout generatio novae animae obtineretur *a)* ope *seminis corporei,* vel *b)* ope cuiusdam *seminis* quod supponitur esse *spiritualis* naturae. Primus, materialisticus dici potest; alter, spiritualisticus.

a) *Generationismus materialisticus* tribuitur TERTULLIANO, qui sal-

[8] S. TH., 1 q.90 a.1 c.

tem suo modo loquendi ipsi favet. Hic generationismus, si admittit realitatem et spiritualitatem animae humanae, eam ope seminis materialis generari profitetur.

b) *Generationismus spiritualisticus* asserit animam spiritualem produci ope seminis alicuius spiritualis quod supponit a parentibus ex eorum anima pariter spirituali excisum, ex quo anima humana prolis generaretur. Sicut corpus generatur ex corpore, ita anima generaretur ab anima. Quemadmodum a lumine unius candelae, accenditur lumen aliarum candelarum, et ignis novus ab igne praeexsistente propagatur, ita ab una anima aliae quoque propagarentur.

Generationismus vel traducionismus spiritualisticus aliquibus scriptoribus et Patribus Ecclesiae aliquantulum arrisit; quos inter ipse S. AUGUSTINUS, eo quod hac super re nihil omnino certum in Sacra Scriptura ab illis inveniretur, et insuper ad transmissionem peccati originalis explicandam contra pelagianos faciliorem solutionem praeberet. Deinceps vero haec sententia iam a tempore PETRI LOMBARDI, apud scholasticos auctores melius in luce posita, et praesertim a S. THOMA impugnata omnino ab omnibus theologis derelicta est, qui omnes creationismum ut certum amplexi sunt.

Nihilominus, adhuc saeculo XIX ineunte, mira sententia proposita fuit a ROSMINI, quae ad aliquam formam generationismi reduci posse videtur; et a LEONE XIII, anno 1887 damnata fuit. Iuxta hanc sententiam anima filiorum quatenus sensitiva derivaretur a parentibus per generationem prorsus sicut anima animalium; quae tamen postea, in stadio aliquo suae evolutionis ontogeneticae, intuitione ideae entis in animam spiritualem converteretur [9].

753. C) *Creationismus* tandem tenet animas hominum quidem produci, at non ex aliquo subiecto seu per *eductionem*, sed ex nihilo seu *per creationem*. Hanc sententiam tenent omnes omnino theologi et philosophi scholastici et neoscholastici, singularum animarum humanarum creationem profitentes, non a parentibus nec ab aliquo ente finito et creato factam, sed immediate a solo Deo cuius tantum est potentia creandi.

Atque haec est sententia quam ut philosophice certam in *prima theseos parte* defendimus [10]

[9] Inter propositiones erroneas damnatas huius auctoris, praecipuae ad praesentem quaestionem spectantes sunt sequentes: "20. Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum procedere. 21. Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens et immateriale" (Denz, 1910-1911).

[10] A theologis communiter dicitur, animas singulorum hominum de facto a solo Deo creari, esse veritatem proximam fidei (cf. BERAZA, *De Deo creante*, n.1003). "Ponere animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud quam ponere animam non subsistentem et per consequens corrumpi eam cum corpore; et ideo haereticum est dicere quod anima intellectiva traducatur cum semine."

Hanc censuram theologicam dat SANCTUS THOMAS (1 q.118 a.2) de generationismo materialistico. Generationismus etiam spiritualisticus a theologis communiter ut acatholicus et haeresi proximus habetur. Sic BERAZA *(De Deo creante*, n 1000) in quantum negat animas a Deo creari. Pius Papa XII in Encyclica *Humani generis* (AAS 42, 1950) docet quod "animas ... a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet".

Secunda pars theseos ut *certa* habetur ab omnibus qui creationismum tenent.

754. Probatur pars 1.ª: ANIMA HUMANA ORITUR PER CREATIONEM A DEO. 1.º *Negative et indirecte,* seu reiectione aliarum sententiarum.

Anima humana vel oritur: A) ut *emanantismus* contendit; vel B) ut asserit *generationismus;* vel C) ut affirmatur a *creationismo. Atqui* falsum est oriri iuxta asserta A) emanatismi, et B) generationismi. *Ergo* dicendum est eam oriri iuxta sententiam C) *creationismi.*

Maior constat ex sufficiente enumeratione; non enim alia explicatio proposita est; nec videtur possibile esse aliam proponere, nisi dicatur animam filiorum ab animabus parentum creari, quod impossibile est; quia creare solius Dei est, ut in aliis tractatibus philosophiae demonstratur.

Consequentia patet. *Minor* per partes probatur.

755. A) *Anima humana nequit oriri per emanationem a divina substantia.* Anima humana, iuxta emanatismum, vel oriretur 1) a Deo ita ut esset aliquod fragmantum substantiae divinae, *ab hac decisum;* vel 2) ita ut esset *pars actualis* ipsius divinitatis. Utrumque absurdum est et contrarium his quae ratione naturali certo scimus circa naturam Dei.

1) *Nequit dici animam humanam esse veluti fragmentum substantiae Dei:* quia Deus, ut iam in Theologia naturali sola ratione probatur, est substantia simplex, immutabilis, infinite perfecta; talis autem non esset si partibus constaret et huiusmodi partes possent a Deo separari et converti in animam hominis, quae licet simplex sit, est tamen imperfecta, limitata et pluribus mutationibus subiecta.

2) *Nec dici potest substantiam animae humanae esse actu ipsam Dei substantiam.* Quia tunc anima saltem inadaequate identificaretur cum Deo, quod absurdissimum est. Nam, in hac hypothesi vel *a)* unaquaeque anima esset pars substantiae divinae; vel *b)* Deus ipse esset anima uniuscuiusque hominis. Utrumque absurdissimum est.

756. Nam a) *si unaquaeque anima esset pars substantialis Dei,* imprimis, Deus non esset simplex; et quoniam animae humanae sunt mutabiles, neque Deus esset immutabilis; et, quoniam inter homines alii sunt boni, alii mali sub adspectu morali, sequeretur etiam Deum esse malum saltem quoad aliquas sui partes.

Quod si dicitur b) *Deum esse animam unicam omnium hominum,* praeterquamquod iam absurdum est identificare cum Deo, animam mutabilem, imperfectam et limitatam, et non raro moraliter malam:

sequeretur etiam unam tantum esse animam humanam, siquidem unicus est Deus cum quo dicitur identificari.

Haec positio praeterea quae propria est pantheismi omnis generis est *contra evidentissimam experientiam* immediatam qua de semetipso habet quisque homo ratione compos, quam exprimit dum dicit: "ego", sibi attribuens activitates proprias quas distinguit ab activitatibus aliorum hominum, quos designat pronomine "tu" vel "vos" vel "ille" vel "illi". In hypothesi pantheistica quam reicimus, eiusmodi experientia adeo evidens, esset pura illusio. Nemo posset vere dicere "ego", nec ullus homo esset persona ab aliis distincta; sed cum Deo identificaretur, et consequenter homo esset Deus. Haec autem propositio est evidenter absurda, et secum fert negationem exsistentiae Dei.

757. B) Nec anima oriri potest per generationem. Quia generatio animae humanae fieret ope seminis quod esset 1) vel *materiale* vel 2) *spirituale*. Utrumque etiam absurdum est.

1) *Absurdum est animam humanam generari virtute seminis materialis.* Nam anima humana quae hoc semine materiali generaretur, vel esset *a)* anima quaedam materialis, ut anima animalium; et tunc versarentur extra quaestionem, quae est tantum de anima humana quae spiritualis est, ut hic supponitur; vel esset *b)* anima spiritualis hominis propria, quod etiam naturaliter impossibile est.

Perfectio enim effectus, seu animae generandae, esset ordinis superioris quam perfectio causae seu seminis quod in hac hypothesi materiale esset.

Consequenter id esset contra principium causalitatis, vi cuius in causa requiritur virtus proportionata effectui.

Propterea iam antea in thesi 38 (716-733) demonstratum est contra transformistas, impossibile esse absque speciali interventione Dei, quod anima humana proveniat per evolutionem ex animalibus via generationis progressivae.

2) *Sed nec semine spirituali anima hominis generari potest.* Quia hoc semen vel germen spirituale, quod ceterum tantum imaginatione et sine fundamento fingitur, esset aliquid *a)* proveniens ab anima spirituali parentum et ab ea decisum; et insuper *b)* vi huius seminis spiritualis quae esset substantia aliqua, anima humana spiritualis novi individui humani educeretur ex aliquo subiecto, secus anima non generaretur ab anima parentum, sed crearetur. Utrumque etiam impossibile est.

758. Quod a) *semen spirituale et substantiale ab anima procedere nequeat,* patet quia esset aliquid ab anima parentum scisum et separatum quod incompossibile est cum animae humanae simplicitate integrali et spiritualitate.

Nec b) *possibile est quod hoc semine nova anima generetur.* Quia quod generatur est compositum aliquod ex substantia et forma, quae ex potentia passiva alicuius subiecti educitur (636); secus non generaretur sed crearetur. Subiectum autem ex quo *anima generanda* educeretur nullum designari potest sine absurdo. Non enim esset anima individui viventis *generandi;* quia pro priori ad eius generationem nondum exsistit, praeterquamquod id supponeret animam spiritualem aliquo subiecto constare ex quo constitueretur, de qua iterum quaeri posset sine fine ex quo subiecto forma quae dicitur anima constitueretur.

Neque esset hoc subiectum *materia individui generandi;* nam fieri nequit ut e subiecto materiali educatur forma spiritualis; esset enim haec forma spiritualis ut supponitur, et materialis quia a subiecto materiali in essendo penderet.

759. Eadem pars 1.ª probatur.

2.° POSITIVE ET DIRECTE.

1.° Quidquid fit vel factum est, ita quoad suam essentiam vel naturam fit vel factum est, ut actu est. *Atqui* anima spiritualis hominis quoad suam essentiam vel naturam actu est spiritualis seu intrinsece independens a subiecto materiali quod informat. *Ergo* anima hominis fit vel facta est intrinsece independenter a materia, quod idem est ac creari.

2.° Quidquid de novo fit, vel generatur vel creatur. *Atqui* anima non generatur. *Ergo* creatur.

Maior patet; quia illud quod fit, vel fit dependenter a subiecto, vel independenter. Si primum, fit generatione; si alterum, creatione.

Minor sic probatur: quia quidquid generatur, vel generatur *per se,* seu actione directe terminante in compositum quod proprie generari dicitur; vel generatur *per accidens,* id est ad generationem compositi; et tunc proprie dicitur *educi* e potentia materiae compositi.

Atqui anima non generatur *per se:* quia non composita est sed simplex. Nec generatur *per accidens* seu per eductionem a materia quam informat: quia sic tantum generantur formae a materia intrinsece dependentes, quae ex potentia materiae *educuntur.* Anima autem humana non dependet intrinsece a materia, quia spiritualis est.

760. Probatur 2.ª pars: QUOD ANIMA HUMANA A DEO CREETUR NON OBSTAT QUOMINUS FILII A PARENTIBUS VERE GENERARI DICANTUR.

Vere filii a parentibus generari dicuntur, quia quamvis animae filiorum a Deo creentur, tamen parentes sunt vere causae compositi ex anima et corpore, in quo filius seu homo generatus essentialiter consistit.

Generatio enim est actio essentialiter productiva, non rei simplicis, sed compositae ex materia et forma; et homo generatus seu filius, non est tantum anima; nec tantum corpus; nec corpus et anima accidentaliter tantum unita; sed compositum substantiale unum, ex unione substantiali animam inter et corpus resultans. Causa igitur hominem generans, non est nisi causa compositi animae rationalis et corporis, in quo homo essentialiter consistit.

Parentes ergo sunt vere causa hominis geniti quatenus virtute seminis, materiam disponunt et ad illam perfectionem et dispositionem deducunt, cui iuxta leges a Deo naturae inditas, debetur ut anima rationali informetur; quae, cum a materia educi non possit propter eius spiritualitatem, a solo Deo creatur. Causa quidem *animae* rationalis solus Deus est; causa vero compositi, seu *unionis animae* rationalis a Deo creatae, cum materia praedisposita, sunt parentes, virtute seminis corpus aptum ad susceptionem animae rationalis parantes; quod iuxta leges a Deo naturae inditas, anima rationali informari requirit.

761. Quod anima rationalis non a parentibus sed a Deo solo producatur, NON OBSTAT *quominus compositum substantiale in quo homo consistit, a parentibus generetur.* Non enim necesse est ad generandum compositum, quod ipsius partes a generante producantur. Imo, in omni generatione, *numquam materia* ex qua forma educitur producitur, sed producta praesupponitur.

Nec semper in compositis artificialibus requiritur ut ipsorum forma physice producatur ab auctoribus, sed sufficit ut productio physica formae a generante determinetur. Sic architectus vere causa est aedificii, quamvis ipse nec eius materiam, nec eius formam physice producat; vere tamen auctor habetur exstructionis quae physice tantum ab operariis perficitur, ipso tamen disponente et dirigente.

Quemadmodum igitur aliquis vere auctor et causa occisionis hominis habetur, quae non nisi per separationem animae a corpore perficitur, quamvis sua actione non nisi in causis physicis separationis animae a corpore influat nec animam occidat; ita etiam parentes ut vere causae filiorum habendi sunt et eos vere generare dici possunt, quamvis animam non producant et tantum materiam novi viventis ad eam dispositionem vi seminis deducant, quam ex naturae legibus creatio et unio animae humanae cum corpore consequitur.

762. Obiectiones. 1. Anima humana est forma substantialis corporis humani tribuens corporis saltem esse vegetativum et sensitivum. *Atqui* forma substantialis corpori tribuens esse vegetativum vel sensitivum, educitur ex potentia materiae. *Ergo* anima humana educitur ex potentia materiae, ac proinde non creatur sed generatur.

Resp.: dist. mai.: Anima humana est forma substantialis corporis humani ipsi tribuens saltem esse vegetativum et sensitivum sed est forma in *sua entitate spiritualis,* quamvis virtute et radicaliter sit etiam forma vegetativa et sensitiva, *conc.;* est forma substantialis corporis humani quae in sua entitate sit materialis ut animae plantarum et animalium, *nego.*

Contra dist. min.: forma substantialis plantarum et animalium corpori tribuens esse vegetativum et sensitivum, utpote quae entitative materialis est, educitur ex potentia materiae, *conc.;* forma substantialis hominis quae entitative spiritualis est et virtualiter vegetativa et sensitiva, educitur de potentia materiae, *nego.*

763. 2. Si anima hominis a parentibus non generatur, sed a solo Deo creatur, parentes non generant hominem; quod est contra sensum omnium communem. *Quia* praecipua pars hominis, quae certe est anima, per quam homo essentialiter differt ab animalibus, non a parentibus efficeretur. *Atqui* nequit dici compositum aliquod generari a causa quae partem praecipuam illius non producat. *Ergo* si anima hominis a parentibus non generatur, sed a solo Deo creatur, parentes non generant hominem.

Resp.: nego primam partem antecedentis, et *conc.* secundam. Ad probationem, *conc. mai.,* et *dist. min.:* nequit dici compositum aliquod generari a causa quae non producat partem praecipuam ipsius, si haec causa nullo modo determinat causam partis praecipuae ad illam producendam et cum aliis partibus compositi uniendam, *conc.;* si causa efficiens partis non praecipuae compositi, huius partis productione, naturaliter seu vi legis naturae a Deo statutae, determinat productionem partis praecipuae, *nego.* Et sub datis distinctionibus *nego cons.* et *consq.*

764. 3. Impossibile est quod actiones duarum causarum quae adeo distinctae sunt, ac actio parentum generantium corpus et creatio animae a Deo facta, in unum effectum producendum, hominem videlicet concurrant; quia unaquaeque ex his actionibus proprium terminum haberet a termino alterius distinctum; videlicet, actio parentum terminaretur in corpus hominis; et actio Dei, in animam; et *nulla in compositum,* scilicet: hominem.

Resp.: dist.: si eiusmodi causae non sint inter se ordinatae, *conc.;* secus, *nego.*

Similem difficultatem sibi obiciens et solvens SANCTUS THOMAS [11] distinctius his verbis explicat, quo pacto parentes et Deus concurrant ad generationem hominis ipsiusque animae.

"Dicendum quod ratio illa procedit de diversis agentibus non ordinatis, scilicet quorum unum non operatur in altero, sed in ipsa operatione naturae operatur Deus. Unde non est inconveniens quod actio eius pertingat ad aliquem terminum in quem non se extendit actio formativa virtutis. Sic enim ipse Deus, in natura operans, etiam organizationem corporis facit: *unde est quasi actio continua, reducta in unum agens,* et quae terminatur ad ultimam dispositionem subiecti, et quae terminatur ad formam; quamvis quantum ad primum cooperatur sibi natura, et non quantum ad secundum" [12].

Inde patet quam praeclara sit personae humanae dignitas et nobilitas.

---

[11] S. TH., 2.º d.18 q.2 a.1 ad 5.

[12] Cf. etiam S. TH., 2 CG c.89: "Quod vero tertio..." Cf. *Summa Theologica,* 1 q.118 a.2 ad 3; et *De potentia,* q.3 a.9 ad 21.

ARTICULUS II

DE EVOLUTIONE ANIMARUM

765. Praesentis quaestionis ratio et circumscriptio. Cuiuscumque individui viventis corporei evolutio, est factum evidens; et leges quibus regitur, tum a scientiis biologicis, tum a scientiis educationis considerandas reliquimus (664) Abs dubio etiam anima, saltem hominis, in ordine *perfectionis accidentalis* durante sua unione cum corpore, in sua vita individuali evolvitur et perficitur, saltem quoad illas perfectiones quae habitus spirituales sunt, ut scientia vel ars; et in ordine morali, virtus vel vitium, meritum vel demeritum, quae in anima spirituali sunt tamquam in subiecto, et quibus anima saltem hominis in sua perfectione spirituali continuo progreditur vel regreditur.

Non autem de evolutione animae durante vita quoad eiusmodi perfectiones accidentales nunc agendum venit; sed tantum de evolutione animarum quae obtineretur *post mortem* individuorum viventium; et quidem tali quae, si daretur, *non posset non attingere ipsam substantiam animarum*, quibus individua viventia constituuntur.

Inutilis prima fronte videri posset, haec quaestio de evolutione animarum nisi multi et gravissimi hac super re omni tempore exstitissent errores, qui etiam hodiernis temporibus maxime apud vulgus, potius phantasiae et sentimenti, quam rationis influxu grassantur.

De hac igitur absurdissima doctrina agendum nunc est, quae *animarum transmigrationem* ab uno in alium organismum quomodolibet asserit.

Transmigratio autem animarum supponit evidenter *ipsarum praeexsistentiam* antequam corpori uniantur quod actu informant, et quamvis ex admissa praeexsistentia non *logice* sequitur, eas ab uno in alium organismum migrare; tamen eius admissio viam de facto pandit ad transmigrationem animarum affirmandam. Ideo in praesenti articulo, de utraque quaestione agendum est: 1.° de *praeexsistentia;* et 2.° de *transmigratione* animarum.

Thesis 41. Exsistentia animarum praevia ad earum unionem cum corpore, penitus reicienda est.

766. Notiones. ANIMA, definitione ab omnibus admittenda quibuscum disputandum est, dici potest principium vitale corporis viventis a materia distinctum; a quo procedit, vel saltem adhibetur et dirigitur, omnis activitas vitalis individui viventis corporei.

Nomine CORPORIS, hic venit materia seu pars materialis individui viventis corporei in quo anima quomodolibet est, sive hoc individuum corporeum vivens sit planta, sive animal, sive homo.

767. Status quaestionis. Iuxta veram doctrinam hucusque traditam et probatam, omnis anima est forma substan-

tialis informans individuum corporeum vivens, ipsumque constituens in determinata specie viventium.

QUAESTIO praesens est utrum huiusmodi animae exstiterint necne, prius quam cum aliquo corpore unirentur; sive hoc corpus sit illud in quo nunc sunt, sive aliud fuerit. Nondum enim quaestio proponitur de transmigratione animarum ab uno corpore in aliud, de qua in thesi sequenti agendum erit. Quaestio tamen proponitur generatim *de quacumque anima,* sive plantae, sive animalis, sive hominis.

768. Sententiae. Generatim thesi sic propositae *adversantur* omnes qui praeexsistentiam animarum olim tenuerunt vel nunc etiam profitentur, existimantes animas prius exstitisse a corporibus separatas, quibuscum postea unitae sunt, quaecumque causa huius unionis assignetur.

Inter praecipuos et antiquiores huius sententiae patronos recensetur PYTAGORAS et PLATO. Hic ut originem idearum hominis explicaret quae ex experientia hauriri non posse existimabat, posuit animam humanam eas adquisivisse, ipsas in praeexsistentia praevia ad ipsarum inclusionem in corpore ob punitionem nescio cuius delicti ab illis in statu separationis patrati. Similem sententiam tenuit quoque ORIGINES, qui animas humanas ab angelis substantialiter non differre existimabat, et ob peccatum quoque commissum, in corporibus immissas fuisse iuxta sententiam PLATONIS.

Animas fuisse a Deo creatas prius quam in corporibus includerentur licet non in punitionem alicuius peccati sed ex lege naturae, tenuit NEMESIUS [13], philosophus christianus saeculi V (c.450), qui ceterum generalem tractatum composuit psychologicum pro suo tempore magni meriti sub luce doctrinae aristotelicae et experimentali medicorum sui temporis.

Praeexsistentialismum quoque tenuerunt plures *haeretici,* sive *gnostici* sive *priscillianistae.*

Inter modernos auctores, ad sententiam praeexsistentialismi reduci posse videtur etiam opinio LEIBNIZII (1646-1716) qui monades omnes, quas inter etiam animas humanas computabat, ab aeterno a Deo creatas fuisse asserebat.

Tandem praeexsistentiam animarum, consequenter ad suas erroneas doctrinas tenent, tum omnes qui circa originem animarum *emanatismum* profitentur (751) tum maxime omnes qui *transmigrationem animarum* quomodolibet asserunt, de quibus in thesi sequenti agendum erit.

Contra eiusmodi errores, sententiam quam in thesi *ut certam* defendimus, est communis omnium scholasticorum et neoscholasticorum; qui, quoad animas materiales plantarum et animalium eas ex potentia materiae educi profitentur, non ante quam generetur compositum substantiale plantae vel ani-

[13] NEMESIUS, *De natura hominis,* c.2: MG p.572s.

malis; et ad animam humanam quod attinet, incunctanter tenent eam a solo Deo creari in ipso momento quo in corpus infunditur.

769. *Non autem convenit* inter scholasticos praesertim inter neoscholasticos, circa tempus quo anima rationalis corpori infunditur et creatur intra processum embryonalem; utrum videlicet anima creetur et infundatur in ipso momento fecundationis ovuli ab spermate, vel e contra in alio stadio posteriori evolutionis embryonalis. SANCTUS THOMAS [14] et generatim *scholastici antiqui,* ARISTOTELEM sequentes, existimabant embryonem humanum primo informari anima pure vegetativa, deinde sensitiva quae etiam vegetativa esset, et tandem anima rationali, quae est etiam sensitiva et vegetativa.

Moderni autem generatim tenent animam humanum embryonem informare iam ab initio in primo momento fecundationis; et successionem animarum non admittunt.

Praesens autem thesis est ab hac quaestione ulteriore omnino independens, et conciliabilis cum alterutra opinione.

Ab ea hic discutienda brevitatis causa abstinemus, notantes nihilominus cum BARBADO [15], argumenta efficacia deesse ad antiquorum sententiam *certo* improbandam. Attamen modernorum sententia in praxi ut *tutior* habenda est [16].

770. Probatio. *Iuxta veram doctrinam* supra traditam et demonstratam, animarum aliae 1) sunt materiales seu intrinsece a materia dependentes quoad suum esse, ut omnes animae plantarum et animalium; aliae vero 2) sunt spirituales seu in suo esse intrinsece a materia independentes ut animae humanae.

Iam vero 1) evidens est *animas plantarum et animalium* non antea exsistere quam corpori uniantur in quo sunt; nam, utpote quae sunt materiales seu intrinsece a corpore dependentes in suo esse, non possunt a materia separatae exsistere, ac proinde numquam exstiterunt a materia separatae.

771. Sed 2) *neque animae humanae,* quae, utpote spirituales, a materia quam informant separatae exsistere possunt et a solo Deo creatae fuerunt, exsistere coeperunt antequam corpori quod informant unirentur.

1.° Quia ut scribit SANCTUS THOMAS [17]: "Anima rationalis humana non *differt secundum substantiam* a sensibili vel vegetali (th.30); vegetabilis autem et sensibilis animae origo non potest esse nisi in corpore, cum sit actus quorundam

---

[14] S. TH., 1 q.118 a.2 Cf. 2 CG c.89.

[15] BARBADO, *Estudios de Psicología experimental* (1943) p.419-469.

[16] "Curandum est—praescribit Codex Iuris Canonici ca.747—ut omnes foetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant baptizentur absolute, si dubie, sub condicione."

[17] S. TH., *De potentia,* q.3 a.10 c.

partium corporis. Unde nec anima rationalis potest nisi in corpore creari secundum naturae suae convenientiam".

2.ª Quia id quod a Deo immediate fit sine concursu causarum secundarum non potest ab eo fieri *in statu substantialiter imperfecto*. Hoc enim argueret imperfectionem in Deo. Atqui anima humana creata antequam corpori infunderetur, creata fuisset in statu substantialiter imperfecto. Nam anima humana utpote quae forma est substantialis corporis, est substantia incompleta, ac proinde substantialiter imperfecta. Ergo anima humana nequit a Deo creari antequam corpori uniatur.

Animam esse substantialiter imperfectam constat quia operationes vegetativas et sensitivas ipsi connaturales anima humana non exercet nisi per potentias quae tantum sunt in corpore tamquam in principio, licet in ea sint tamquam in radice, ut supra probatum est. Nec operationes intellectuales naturaliter valet exercere, nisi praecedant operationes vitae vegetativae et sensitivae; a quibus, quamvis entitative spiritualis, saltem extrinsece, seu tamquam a conditione, dependet.

"Manifestum est, scribit SANCTUS THOMAS [18], quod Deus primas res instituit in perfecto statu suae naturae, secundum quod uniuscuiusque rei species exigebat. Anima autem cum sit pars humanae naturae, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari" [19].

772. Obiectiones. 1. Causa efficiens praecedit suum effectum. *Atqui* anima est causa efficiens corporis. *Ergo* anima praecedit corpus.

Resp.: conc. mai. et *dist. min.:* Anima est principium radicale potentiae nutritivae et augmentativae, quae non est in anima sed in corpore ab anima praevie constituto *in genere causae formalis, conc.:* est *principium effectivum* corporis per semetipsam, ita ut actio non a corpore iam constituto in esse corporis, sed ab anima immediate procedat, *nego* [20].

773. 2. "Cuiuslibet rei ultima perfectio est secundum quod est in proprio loco. *Sed* ultima perfectio animae est in caelesti habitatione. *Ergo* ibi est locus congruens naturae eius; et ita videtur quod ibi sit creata".

Huic difficultati quam sibi proponit, SANCTUS THOMAS [21] respondet: dicendum quod *prima perfectio* animae attenditur secundum esse suum naturale; quae quidem perfectio consistit in unione ipsius cum corpore; et ideo a principio debuit in hoc loco corporis creari. *Ultima autem perfectio* eius est in hoc quod communicat cum substantiis aliis intellectualibus; et illa perfectio dabitur ei in caelo".

774. 3. A pluribus philosophis omnium temporum firmiter tenetur animas incolentes corpora viventia, in morte organismi ad alia corpora viventia se transferre. *Ergo* animae quae nunc organis-

[18] S. TH., 1 q.90 a.4 c.
[19] Cf. circa hanc quaestionem. S. TH., *De potentia,* q.3 a.10 c.
[20] S. TH., *De potentia,* q.3 a.10 ad 6.
[21] S. TH., *De potentia,* q.3 a.10 ad 12.

mos quoslibet informant, antea exstiterunt. *Resp.: dist. ant.* Plures philosophi id asseruerunt et multi nostris diebus id ipsum asserunt, omnino absurde, *conc.;* et hoc affirmantes aliquid verum dicunt, *nego,* ut iam in thesi sequenti demonstrabimus.

Thesis 42. Animas transcorporari, seu reincarnari, migrantes post mortem organismi quem incolebant ad alium organismum incolendum, 1) est assertio pure phantastica et insuper 2) absurda.

775. Notiones. *Transmigratio* animarum, morte occurrente organismorum in quo erant, ad alios organismos incolendos, diversis nominibus designatur. Dicitur *metempsychosis* si ad animam attenditur quae transmigrari dicitur ab organismo vivo in quo ante eius mortem erat, ad alium organismum vivum in quo esse inciperet. Dici etiam potest *metemsomatosis* seu transcorporatio, ratione *termini ad quem,* qui esset aliud corpus distinctum a corpore in quo prius erat.

Potest etiam vocari *palingenesia,* seu quasi iterata generatio; quia anima quae in novo corpore esse inciperet, ad novam vitam inchoandam, quodammodo denuo nasceretur.

Apud vulgus et praesertim inter theosophos et spiritistas modernos, dicitur quoque REINCARNATIO, seu iterata assumptio novae carnis seu organismi; et consequenter mors, qua prima caro vel prior organismus deseritur, *desincarnatio* dicitur. Qui transmigrationem animarum admittunt generatim dicere nolunt homines *mori* sed eos *desincarnari;* perperam existimantes hominem cum anima identificari, et corpus quod in morte corrumpitur, non esse nisi animae temporaneam habitationem.

776. Nomine ASSERTIONIS PURE PHANTASTICAE intelligimus assertionem consistentem in *pura imaginationis fictione,* omni fundamento scientifico, tum experimentali, tum philosophico destitutam.

Fictiones enim phantasticae non semper fundamento scientifico, experimentali et philosophico destituuntur, sed non raro aliquod factum reale praesupponunt, quod clarius et pulchrius, ut in fictionibus poëticis et in loquutione allegorica, pro captu intellectus humani declaratur. Negatur in thesi assertionem transmigrationis animarum ad hoc genus assertionum phantasticarum pertinere, eamque dicimus esse *pure phantasticam,* omni fundamento reali tum experimentali, tum philosophico destitui.

Addimus praeterea esse assertionem ABSURDAM; qua denominatione intendimus significare hanc assertionem intrinsece repugnare seu contradictionem involvere.

777. Status quaestionis. Quod, praesupposita doctrina in hoc tractatu hucusque tradita et demonstrata, impossibilis sit transmigratio animarum, quomodolibet eam evenire fingatur, per se patet.

Supervacue proinde haec thesis proponeretur, nisi hac super re, omni quidem tempore, sed praesertim nostris diebus, multi essent qui morbide delectantur fictione imaginaria transmigrationis animarum post mortem, aliisque multis assertionibus inter se oppositis ab illa tamen dimanantibus.

Cum, autem prima fronte, assertio transmigrationis animarum satisfacere aliquomodo videatur, licet tantum apparenter, vehementi desiderio innato, quo omnis homo fertur vivendi semper; omnes qui veram doctrinam circa spiritualitatem et immortalitatem animae humanae ignorant, ad transmigrationem animarum admittendam facile alliciuntur, quae ipsis praebet aliqualem in exsistendo perennitatem. His illecebris accedit quod reincarnatio animarum ope scientiae experimentalis comprobari posse dicitur in sessionibus spiritistarum.

His positis, summae actualitatis esse videtur SCISCITARI num sic se res habeat prout a propugnatoribus metempsychoseos incuntanter asseritur; vel e contra verum sit id quod in carmine theseos enuntiatur.

778. Sententiae Thesim negant, contendentes transmigrationem animarum ut factum incontrovertibile ab omnibus admittendum eo quod tum experimentaliter, tum philosophice demonstretur, fere *omnes qui praeexsistentiam animarum* antequam corporibus unirentur olim tenuerunt, vel nunc tenent, de quibus mentio facta est in thesi praecedenti (768).

"Omnes qui posuerunt animas extra corpora creari, scripsit SANCTUS THOMAS [22], posuerunt *transcorporationem* animarum, ut sic anima exuta a corpore alteri uniretur, sicut homo exutus a vestimento induit alterum". Quod quidem intelligendum esse videtur non ita ut de facto omnes praeexsistentialistae hunc errorem explicite professi sint, sed de proclivitate et convenientia ad illum admittendum, posita animarum praeexsistentia.

Persuasio superstitiosa transmigrationis animarum connexa invenitur cum ritibus et practicis plurium religionum *populorum antiquorum*. Eam apud druidas Galliae viguisse affirmat I. CAESAR [23] scribens: "Non interire animas sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto".

779. Invenitur quoque huiusmodi superstitio apud antiquos *chaldeos, aegyptios, scitas, americanos, graecos, iudaeos, talmudistas* et ca-

[22] S. TH., *De potentia*, q.3 a.10 c.
[23] I. CAESAR, *De bello gallico*, l.6 c.14.

balistas, et maxime apud *indos;* quamvis forte non in antiquissimis indorum libris sacris, sed certe in posterioribus et in tota religione brahmanica ex qua transivit in buddhismum [24].

A *tempore christianismi* reincarnationem admisit ORIGENES, haeretici gnostici et philosophi aliqui neoplatonici. Deinde etiam medio aevo haeretici albigenses et cathari, qui errorem manichaeorum instaurarunt; et tandem, tempore renascentiae, hunc errorem promovere conati sunt GIORDANUS BRUNO, CAMPANELLA, CARDANUS, TELESIUS et alii.

780. *Nostris diebus* reincarnationem et animarum evolutionem per successivas reincarnationes, promovent praesertim *theosophi, anthroposophi* et *spiritistae;* quamvis inter spiritistas anglosaxones non pauci reincarnationem animarum renuunt admittere, ut omnem possibilitatem excludant sese reincarnandi in corpore alicuius nigritae [25].

Generatim omnes qui, nostris diebus, transmigrationem vel reincarnationem animarum aliquomodo propugnant, in doctrina Hinduismi inspirantur, quam suo modo intelligunt, cum ea permiscentes plures alias doctrinas phantasticas antiquorum gnosticorum. Huic doctrinae propagandae maxime contulit "Societas theosophica", a femina russica H. P. BLAVATSKI fundata et directa, cui successit alia mulier, ANIE BESSANT [26].

Theosophorum doctrina ad quam spirististae cultiores recurrunt, innumeris libellis apud vulgus propagatur.

781. Probatio. PARS 1.ª: ANIMAS TRANSCORPORARI EST ASSERTIO PURE PHANTASTICA.

Ut assertio pure phantastica habenda est quaecumque exprimit quidem aliquam imaginationis fictionem, quae tamen omni fundamento destituitur, tum A) *experientiae,* tum B) *rationis.* Hoc enim in hac thesi venit nomine assertionis mere phantasticae (776).

Iam vero, quod talis est assertio affirmans realitatem transcorporationis animarum, sic per partes ostenditur.

782. A) ASSERTIO TRANSCORPORATIONIS ANIMARUM NON IN EXPERIENTIA FUNDATUR. Nam huiusmodi experientia vel esset a) *experientia actualis* animae hic et nunc cum corpore humano unitae; vel b) *experientia praeterita,* adquisita ab homine qui nunc eam asserit, antequam eius anima cum praesenti corpore uniretur et in eius memoria retenta.

Neutrum dici potest.

Nequit dici *a)* esse *experientiam actualem,* seu quam quisque de semetipso habet dum vivit et eius anima est coniuncta cum suo corpore actuali. Experientia enim actuali unusquis-

---

[24] Cf. art. *Metempsicosis:* Dictionnaire de la Foi catholique.
[25] Cf. PALMÉS, *Metapsíquica y espiritismo* (ed. Labor Barcelona 1950) c.25 p.443-446.
[26] Cf. L. DE GRADMAISON, *Le lotus bleu:* Etudes, t.102 p.577s et 627s.

que tantum se in suo corpore esse cognoscit, non actu in alio corpore esse.

Nec dici potest *b)* transcorporationem constare ex experientia *praeterita,* seu adquisita antequam corpori actuali anima uniretur, et memoria retenta.

Hanc enim experientiam memoria retentam habere, affirmare non potest, nisi, vel *insaniens,* vel *mentiens,* vel *confundens memoriam* suae phantasiationis vel somniationis praeteritae, *cum obiecto* illa phantasiatione vel somniatione conficto.

Ipse enim spiritistae et theosophi fateri coguntur memoriam circa pristinas exsistentias successivas animae propriae in aliis corporibus vel ab ipsis separatae, antequam anima eorum corpori actuali uniretur, saltem plerumque non dari; nec nisi in statu anormali hominis eam posse suscitari plerumque dicunt. Ideo defectum memoriae, diversimode, sed frustra explicare conantur [27].

Stat *ergo,* quod probandum assumpsimus, videlicet: affirmationem transcorporationis animarum non fundari in experientia propria nec a) *actuali* nec b) *praeterita* et memoria retenta eorum qui eam tenent.

783. B) Huiusmodi assertio caret quoque omni fundamento rationali. Fundamentum enim rationale ad aliquam propositionem vel doctrinam admittendam datur tantummodo si *a)* pro ea efferri possunt *rationes efficaces*, quibus eius veritas demonstretur vel saltem probabilis reddatur; vel *b)* si assertio, de qua agitur, *affirmatur ab aliquo teste auctoritate,* id est, scientia et veracitate praedito, cui fidem non praestare irrationabile esset.

Nihil autem horum pro realitate transcorporationis animarum adduci potest.

Quod a) *rationes efficaces* non adsint quibus assertio transcorporationis animarum nec quidem probabilis reddatur, nedum certo demonstretur, patebit ex solutione obiectionum partis adversae.

Quod nec b) *testimonio aliquo auctoritate praedito* factum transcorporationis animarum probetur, evidens est. Nullum enim aliud testimonium a propugnantibus transcorporationem animarum adducitur, quam praetensae assertiones ipsorum spirituum a corpore separatorum, qui in sessionibus et in practicis superstitiosis spiritistarum, ope alicuius personae inter-

[27] Cf. Palmés, o.c., c.37 p.456-462

mediae quae *medium* dicitur, doctrinam de reincarnatione docerent, ut spiritistae omnis furfuris phanatice credunt.

Iam vero, numquam hucusque probari potuit, spiritus qui in sessionibus spiritistis communicari dicuntur cum hominibus, esse distinctos ab ipsa persona quae *medium* dicitur, ut abunde alibi demonstravimus [28].

Ergo transcorporatio animarum, omni fundamento a) *experimentali* et b) *rationali* destituitur, ac proinde ut *fictio mere phantastica* habenda est, quod in prima theseos parte asseritur.

784. PARS 2.ª: ANIMAS TRANSCORPORARI EST ASSERTIO ABSURDA.

Scatet enim contradictionibus, quae sunt huic assertioni intrinsecae vel ex ea logice consequuntur. Aliquas tantum adducemus breviter ex his quae alibi plenius descripsimus [29].

a) Ex assertione transmigrationis animarum sequeretur contra sensum omnium communem, *parentes non generare filios suos*, sed tantum foetus, in quibus veluti in quibusdam vehiculis intruderentur spiritus qui iam in aliis corporibus fuerunt, ad percurrendas semitas vitae mortalis denuo per successivas sine fine reincarnationes relictis organismis in quo prius fuerant. Nam, cum iuxta transmigrationem profitentes, homo non sit essentialiter compositum substantiale ex anima et corpore, sed tantum anima corpore utens, parentes non hominem generarent, sed tantum vehiculum pararent in quo spiritus seu homines qui antea in illis organismis vixerunt denuo vitam agerent. Nec magis parentes filiorum essent, quam faber esse potest, qui lectulum construxit in quo puer recenter natus reponitur.

b) Cum penes potestatem parentum non sit seligere spiritus qui in foetibus ab ipsis generatis immittuntur, fieri posset ut in illis *ingrederentur spiritus prorsus alieni a familia* parentum; forsitan illi qui quondam ipsi familiae inimici fuerunt; forsitan illi qui in corporibus diversae stirpis vel nationis fuerunt; forsitan etiam illi qui criminales in alia incorporatione fuerunt... Evidenter hoc repugnat legitimo sentimento amoris paternalis erga filios.

c) Sequeretur etiam quod aliquis posset esse avus *suimetipsius*, si videlicet in corpore filii intruderetur anima ipsius avi. Tunc enim anima filii eadem numero esset ac anima avi; et cum iuxta incarnationistas anima sit homo, idem numero homo esset simul nepos et avus suimetipsius.

d) Si spiritus, vel anima, eo quod in corpore speciei humanae est, dicitur homo; dum in corpore animalis vel plantae fuisset vel erit, *planta* vel *animal dicendus esset.* Dum esset in corpore hominis, operaretur ut homo; dum esset in planta vel animali operaretur ut planta vel animal. Cum autem naturae rerum, et speciatim animarum nobis non innotescant nisi ex operationibus quorum sunt principium, dicendum esset unum eundemque spiritum qui substantia simplex et spiritualis est, ipso eodem numero seu individualiter permanente, suam naturam in aliam commutasse. Quod quidem impossibile est in

[28] Cf. PALMÉS, o.c., praesertim a c.25 ad 27 p.278-318.
[29] PALMÉS, *Metapsíquica y espiritismo*, o. y ed.cit., c.37 p.461 465.

hypothesi quod ipsius natura omnino in aliam converteretur; individuum enim vel suppositum secum identificat naturam; ac proinde impossibile est quod substantia vel natura aliqua simplex et spiritualis essentialiter in aliam convertatur, manente eodem supposito vel individuo.

e) Spiritus ergo qui a propugnantibus transcorporationem animarum immortales esse dicuntur, in exsistendo deficerent et *mortales essent*, si vera esset doctrina transcorporationis.

f) Tandem *pudet* omnino admittere quod homo possit in animal converti. Ideo aliqui transmigrationem animarum tantum inter corpora humana restringunt, ut iam PORPHYRIUS contra PLATONEM tenuit. De his tamen dici potest, quod de PORPHYRIO scripsit S. AUGUSTINUS[30]: "Puduit, scilicet, illud credere, ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret; et non puduit hoc credere, ubi revoluta mater in puellam, filio forsitan nuberet".

785. Obiectiones. 1. Doctrina cui suffragatur consensus fere omnium populorum a remotissima antiquitate ad nostra usque tempora, nequit dici esse mere phantastica. *Atqui* talis est doctrina transcorporationis animarum. *Ergo* doctrina transcorporationis animarum nequit dici esse mere phantastica.

Resp.: dist. mai.: doctrina cui suffragatur consensus fere omnium populorum a remotissima antiquitate ad nostra usque tempora nequit dici mere phantastica, si haec doctrina propter se accipitur et non propter ea quae ab ea supponuntur et cum ea saltem apparenter connectuntur, *conc.;* si haec doctrina propter se accipitur, *subdist.:* nisi falsam et absurdam esse demonstretur, *conc.;* si falsam esse demonstratur, *nego.*

Contradist. min. et *nego cons.* et *consequentiam.*

786. Expansio erroris transcorporationis animarum haud difficulter explicatur, si prae oculis habetur eam saltem apparenter cohaerere cum triplici persuasione omnium hominum, quae vera est et fluit ex natura humana, videlicet: *a)* cum persuasione *realitatis animae* a corpore distinctae; *b) immortalitatis animae* post hominis mortem; et *c) necessitatis sanctionis* pro meritis vel demeritis durante vita terrena contractis. Cum enim homines inculti et barbari *a)* accuratum *conceptum spiritualitatis* animae ab eius repraesentatione imaginativa secernere non valeant; et *b)*, revelationis christianae ignari, *veram animae destinationem* ad summam felicitatem ignorent; et *c) sanctionem perfectam* ad vitam moralem quod attinet durante praesente vita non dari evidenter percipiant: haud difficulter capitur eos non posse non proclives fuisse et nunc etiam esse ad admittendam doctrinam reincarnationis, quae solutionem aliqualem, licet tantum apparentem, suppeditare prima fronte videtur, menti incultae adaptatam.

787. 2. Factum evidens inaequalitatis hominum quoad ipsorum proprietates et dona naturalia, quoad ingenium et culturam, quoad statum socialem et bona fortunae, atque etiam quoad bonitatem et malitiam moralem, rationem sufficientem expostulat. *Atqui* huiusmodi ratio sufficiens invenitur tantummodo in doctrina asserente unumquemque hominem talem esse quoad haec omnia in statu unionis cum actuali corpore, qualem futurum esse meruit suis operibus vitae

[30] S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l.10 c.30 n.10.

anteactae in alio corpore. *Ergo* admittenda est doctrina tenens transmigrationem animarum in aliud corpus post mortem.

Resp.: conc. mai et *nego min.,* et *cons.* et *consq.*

Minor negatur, utpote quae non modo prorsus arbitrarie, sed etiam absurde asseritur. Nec reincarnatio animarum datur, nec quamvis daretur, ea hominum diversitas explicaretur. Ad reddendam enim rationem facti evidentis diversitatum hominum individualium, non opus est ad adeo absurdam hypothesim recurrere; cum, sin minus concrete ad unumquemque hominem singularem quod attinet, saltem in genere, causa diversitatis assignari potest iuxta veram sententiam quae multiplex de facto est, nec eadem assignanda pro omni genere diversitatis.

ARTICULUS III

DE FINE SEU TERMINO ANIMARUM

Thesis 43. Animae plantarum et animalium, in morte organismorum quos informant desinunt exsistere.

788. Notiones. ANIMAE plantarum et animalium sunt principia vitalia ultima et substantialia quibus huiusmodi entia viventia organica intrinsece constituuntur: sunt enim ipsorum formae substantiales, ut constat ex hucusque in hoc tractatu demonstratis (th.12 et 13).

MORS est desitio seu terminum vitae, ut supra (684) diximus de morte organismorum viventium agentes.

DESINERE EXSISTERE, idem est ac ab exsistendo cessare. Bifariam autem aliquid desinere exsistere vel ab exsistendo cessare potest, videlicet: per *annihilationem,* vel per *corruptionem.*

Annihilatio creationi opponitur; et quemadmodum creatio est productio absoluta rei alicuius ex nihilo sui et subiecti; ita annihilatio est *absoluta desitio sui et subiecti.*

Corruptio vero *generationi opponitur;* et quemadmodum generatio est productio rei ex praesupposito subiecto; ita corruptio est desitio rei, sed non subiecti, seu subiecto formae permanente, rei quae desinit esse.

Entia proinde quorum esse non intrinsece dependet ab aliquo subiecto, nequeunt desinere esse nisi per *annihilationem.* E contra entia quae formae substantiales sunt in suo esse intrinsece dependentes a subiecto quod informant, quae proinde sunt partes compositi quod constituunt, desinunt esse per *corruptionem.*

Proprie loquendo quod per se et directe generatur vel corrumpitur semper est aliquod ens compositum ex materia et forma. Formae autem, cum non constent et ipsae aliqua materia, si ab hac in exsistendo, non *per se* et directe corrumpuntur, sed tantum *per accidens* et indirecte, id est ad corruptionem compositi quod intrinsece constituunt.

789. Status quaestionis. Ex hucusque demonstratis, iure supponitur in praesenti quaestione, animas plantarum et animalium, sive integraliter compositae sint, sive simplices, ab hac enim quaestione praescindimus, esse tamen materiales seu intrinsece dependentes in fieri, in esse et in operando a materia quam informant.

Quaestio praesens est tantum utrum in morte individuorum viventium organicorum, seu cum individuum organicum, sive planta sit sive animal, desinit exsistere, eius tamen anima a corpore quod informabat separata exsistere pergat; vel e contra ab exsistendo cesset seu desinat exsistere.

790. Sententiae. Thesis *defenditur* ab omnibus philosophis scholasticis et christianis, qui recte sentiunt de natura corporum viventium in genere; et, supposita doctrina hucusque tradita et demonstrata in hoc tractatu, nemo dissentire potest. Est enim haec assertio veluti corollarium seu doctrina quae logice fluit ex thesibus antea demonstratis.

Consequenter tamen ad doctrinas erroneas iam antea in hoc tractatu confutatas, quas profitentur circa naturam animae, thesi *adversantur* plures philosophi antischolastici. Quos inter recensentur omnes qui, plus minusve accedentes ad doctrinam platonicam de anima, vel *renuunt admittere animas esse formas substantiales corporum viventium;* vel non *recte distinguunt animas materiales plantarum et animalium ab anima humana.*

Item thesim quoque *respuunt* omnes qui de origine animarum agentes, ipsarum praeexsistentiam admittunt, praeviam unioni cum corpore; easque transcorporari tenent de quibus supra etiam dictum est (768 et 778). Omnes huiusmodi opiniones versantur tamen extra praesentem quaestionem; rationes vero quae pro his opinionibus erroneis allegantur possunt etiam contra praesentem quaestionem proponi.

791. Probatio. Principium vitale quod forma substantialis est corporis viventis; quodque, licet radix sit omnium operationum vitalium corporis, nullas tamen per semetipsum efficit operationes vitales, nec eas in semetipso recipit; et consequenter, quod sicut in operando, ita etiam in exsistendo a corpore quod informat et intrinsece constituit essentialiter dependet; corrupto hoc corpore non potest non ab exsistendo cessare. *Atqui* anima, tum vegetativa plantarum, tum vegetativo-sensitiva animalium, est tale principium vitale. *Ergo* anima, tum vegetativa plantarum, tum vegetativo-sensitiva anima-

lium, corrupto corpore, non potest non ab exsistendo cessare.

Maior probatur: quia si principium vitale talis naturae quale in maiori describitur, corrupto corpore quod informat, ab exsistendo non cessaret, *non intrinsece dependeret* in exsistendo et operando a corpore quod informat.

Minor quoad omnes suas partes continet doctrinam in hoc tractatu demonstratam.

Constat enim (th.12 et 13), tum animam vegetativam tum sensitivam esse principium vitale et formam substantialem corporis viventis. Probavimus etiam operationes vitales vegetativas et sensitivas esse operationes quae non ab anima sed a corpore animato, seu anima constituto in genere causae formalis efficiuntur et recipiuntur (th.11 et 14), atque etiam animam plantarum et animalium, sicut in operando ita etiam in essendo a corpore dependere: modus enim operandi sequitur modum essendi.

792. Obiectiones. Animae saltem animalium superiorum sunt substantiae integraliter simplices. *Atqui* substantiae integraliter simplices corrumpi nequeunt. *Ergo* animae saltem animalium superiorum a corpore separatae corrumpi nequeunt, ac proinde non desinunt exsistere.

Resp.: trans. mai. et *dist. min.:* substantiae integraliter simplices corrumpi nequeunt, si sunt substantiae completae, *conc.;* si sunt substantiae incompletae, *subd.:* si sunt substantiae incompletae a corpore in operando et exsistendo independentes, ut animae humanae, *conc.;* si sunt substantiae incompletae a corpore intrinsece dependentes in fieri, in esse et in operando, iterum *subd.:* nequeunt corrumpi *per se, conc.;* nequeunt corrumpi *per accidens,* seu ad corruptionem compositi quod constituunt, *nego.* Quid veniat nomine corruptionis *per se* et *per accidens,* supra explicatum est (788).

793. Inst.: Si animas plantarum et animalium, corrupto organismo quod informant desinerent esse, annihilarentur. *Atqui* nequit dici animas plantarum et animalium annihilari: nihil enim in natura annihilatur. *Ergo* nequit dici animas plantarum et animalium, corrupto organismo quod informant annihilari.

Resp.: nego mai. et *conc. min. nego cons.* et *consq.* Animas plantarum et animalium, corrupto organismo quem informant et constituunt, *proprie non annihilantur,* nec per se corrumpuntur, sed corrumpuntur ad corruptionem compositi quod constituunt, seu *corrumpuntur per accidens.* Prorsus eodem modo ac corrumpuntur formae accidentales. Annihilatio enim est desitio rei et subiecti; corruptio autem est desitio rei manente subiecto. Nihil in corruptione manet de forma compositi, manet tamen subiectum formae de cuius potentia haec educta fuit, et in quo in potentia manet.

Thesis 44. Anima humana est natura sua et personaliter immortalis.

794. Notiones. Nomine animae humanae, intelligitur principium ultimum, saltem radicale, operationum vitalium hominis.

IMMORTALE illud est quod mori nequit, seu vitam amittere non potest. Et quoniam vita potest considerari *substantive* seu in actu primo, et *adiective* seu in actu secundo; ideo etiam immortalitas *sub duplici hoc adspectu* respici potest, nimirum: quatenus asserit in vivente impotentiam amittendi suum esse substantiale, quo sensu immortalitas idem sonat ac indestructibilitas vel *incorruptibilitas;* atque etiam quatenus affirmat praeterea impotentiam cessandi ab activitate vitali ipsius propria, quo sensu proprius *immortalitas* simpliciter nuncupabitur.

795. Immortalitas vel incorruptibilitas descripta, *prorsus distinguitur*, ut per se patet, a triplici immortalitate de qua sermo esse solet apud diversos auctores, scilicet: ab immortalitate *metaphorica*, ab immortalitate *pantheistica*, et ab immortalitate *supernaturali.*

Etenim, in *sensu metaphorico* anima immortalis dicitur, quatenus eius memoria perseverat in mente hominum, vel in monumentis et in operibus, quae ex illius activitate processere.

In *sensu pantheistico*, anima immortalis esset, quatenus ipsa, utpote emanatio transitoria substantiae divinae, in eandem reverteretur in morte, amissa prorsus conscientia propriae personalitatis.

Tandem, in *sensu supernaturali* immortalitas intelligitur incapacitas amittendi vitam supernaturalem gratiae, qualis de facto datur in beatis.

796. Immortalitas autem in primo sensu explicato, importat impotentiam amittendi vitam tum in actu secundo, tum etiam in actu primo; et *ratione huius impotentiae triplex esse potest*, scilicet: *essentialis, naturalis* et *gratuita.*

Immortalitas erit *essentialis* seu absoluta, si impotentia moriendi est *metaphysica* seu fundata in ipsa essentia rei quae absolute exsistere postulet. Deus tantum, utpote unicus ens a se et necessarium, hanc immortalitatem habere potest.

Erit *naturalis* seu *physica,* si impotentia moriendi est tantummodo physica, seu fundata in legibus naturae, quatenus ens quod immortale dicitur nec in se habeat intrinsecum principium corruptionis, neque a vi aliqua creata potiori destrui naturaliter possit, etsi a Deo praeter exigentiam naturae per miraculum operante destrui absolute possit.

Tandem erit tantum *gratuita* seu ex privilegio, si impotentia moriendi proveniat tantummodo ab extrinseco, scilicet ex gratuito dono Dei mortem arcentis, remque praeter naturae condicionem et exigentiam volentis conservare, quocumque tandem modo id peragatur.

797. Status quaestionis. Agitur in thesi de immortalitate primo loco descripta in notionibus; quae *praesupponitur,* ut per se patet, ab immortalitate supernaturali; *incom-*

possibilis prorsus est cum immortalitate sumpta in sensu pantheistico; et *indifferenter* se habet ad immortalitatem metaphorice sumptam.

Non autem agitur de immortalitate *metaphysica* seu absoluta, quae soli Deo; nec de *gratuita,* quae cuilibet viventi competere potest; sed *tantummodo de immortalitate naturali,* seu de impotentia naturali moriendi et amittendi exsistentiam et propriam activitatem vitalem, ex suppositione quod ens vivum fuerit productum.

Igitur, suppositis thesibus de animae humanae realitate et natura (th.20.22.23), *quaestio est* utrum anima humana, quae *substantialis, simplex* et *spiritualis* est, sit etiam natura sua *de facto immortalis;* adeo ut non solum habeat capacitatem naturalem perseverandi aliquantulum a corpore separata post mortem, quod iam ex thesi de spiritualitate consequitur; verum etiam habeat *exigentiam naturalem vivendi de facto semper,* tum in actu primo tum in actu secundo, ita ut vi suae naturae vitam degere debeat sempiternam.

798. Sententiae. *Negant immortalitatem omnem,* consequenter ad suos errores, omnes qui *phaenomenismum profitentes,* animae substantialitatem negant; atque etiam qui materialismo et sensismo addicti, spiritualitatem animae renuunt admittere, quorum fundamenta in thesibus citatis refutata manent.

Immortalitatem personalem animae individuae negant etiam *pantheistae* omnis generis, etsi aliqua ipsius entitatis animae permanentiam concedant, quatenus illam identificant cum substantia divina.

Sunt praeterea aliqui recentiores qui immortalitatem quandam *condicionalem* tantummodo admittunt, qualem iam TULLIUS professus esse dicitur in *Tusculanis.*

Iuxta illos infelix vita sempiterna non daretur. Immortalitas beata ut praemium quidem bonis concederetur; improbi vero in poenam a Deo annihilarentur. Et quia bonum sectari liberae hominis subiecit potestati; immortalitas beata, quae inde consequeretur, *potestativa* seu facultativa dicitur. Ita PETAVEL, RENOUVIER, LAMBERT aliique.

Affirmant thesim propositam incunctanter omnes omnino *philosophi* scholastici et christiani cum SANCTIS PATRIBUS et scriptoribus ecclesiasticis.

Thesim *tenuerunt etiam* omni tempore *philosophi magni nominis,* quos inter, in antiquitate recensendi sunt PLATO et

ARISTOTELES, de cuius mente tamen apud scholasticos auctores, disputatur [31].

799. Illud autem scire iuvat, scilicet, inter affirmantes animae humanae immortalitatem multum etiam disputari de ipsius philosophica demonstrabilitate. Sic SCOTUS [32] tenet animam esse quidem certissime immortalem; hoc tamen "esse potius creditum, quam scitum; nec posse ad id confirmandum afferri rationes demonstrativas et necessarias, sed solum probabiles".

Idem sensere HENRICUS GANDAVENSIS, GABRIEL BIEL, CARDINALIS CAIETANUS et RODERICUS DE ARRIAGA.

Apud philosophos *spiritualistas non scholasticos,* dubium de demonstrabilitate immortalitatis, praesertim propter principia doctrinae kantianae, multum invaluit.

Scholastici vero omnes communiter, praeter dictos, atque *omnes omnino neoscholastici* et apologistae catholici nostrorum temporum, et demonstrabilitatem profitentur, et maxima diligentia animam immortalem esse demonstrare nituntur, merito carpentes illos auctores scholasticos, qui sui acumen ingenii potius in tricis aucupandis contra argumenta proponi solita, quam in his perficiendis impenderunt.

800. Valor argumentorum. Triplex argumentum, pro immortalitate animae proponemus, *ontologicum* videlicet, *teleologicum* seu *psychologicum* et *morale,* quae praecipuas rationes pro immortalitate animae humanae complectuntur.

In antecessum vero operae pretium erit horum *argumentorum valorem definire.*

Fatemur non omnes assertiones, quibus singula argumenta constant esse *eodem pacto evidentes, contra omnes adversarios.*

Hoc autem in subiecta materia, nihil prorsus officit plenae certitudini theseos, cum ea quae infirmiora sunt, etsi sufficientia, in quolibet argumento, firmissime in alio probata maneant.

Sic, exempli causa, licet argumentum *ontologicum* aliquem tergiversandi locum pantheistarum proterviae relinquat; immortalitas tamen individualis, quae ab illis impugnatur, quam maxima evidentia demonstrata manet in argumento *morali,* cum imputabilitas et sanctio omnino permanentiam personalem requirant.

Quod si argumento *morali* non eadem vi probetur ac permanentia personalis, duratio animae sempiterna; haec firmissime demonstratur argumento *teleologico,* saltem pro bonis qui felicitate perfecta potiantur, pro improbis vero rationes allatae iterum robur accipient ex argumento *ontologico* et *morali.*

Praeterea *argumentum ontologicum* melius probat immortalitatem esse naturalem, eiusdemque rationem a priori et intrinsecam homini *philosopho* ostendens. *Argumentum teleologicum* demonstrat praesertim a posteriori, et paritate legum naturalium evincit factum et naturam immortalitatis coram *scientiarum naturalium praesertim cultoribus.* Tandem *argumentum morale* indirecte tantummodo, sed apud omnes omnino homines *etiam apud rudes,* potius factum quam naturam immortalitatis evincit.

---

[31] Cf. SUÁREZ, *De anima,* I c.11; TOLETUM, *De anima,* l.3 c.15; CONIMBRICENSES, *De anima separata* d.1 a.2.

[32] SCOTUS, *In 4* d.43 q.2.

801. Probatur. 1°: ARGUMENTO ONTOLOGICO. Ut anima humana sit naturaliter et personaliter immortalis, sufficit et requiritur ut I) *in sua entitate* sit naturaliter indestructibilis, et II) *in sua activitate* vitali indefectibilis. Ita constat ex notione completa immortalitatis quam praemisimus. Utrumque de anima humana affirmandum esse sic probatur.

802. I) ANIMA HUMANA EST NATURALITER INDESTRUCTIBILIS QUOAD SUAM ENTITATEM.

Etenim omnis destructio naturalis vel eveniret: 1) *aliter quam per annihilationem,* vel 2) *per annihilationem.* Non enim datur medium, ut patet. *Atqui* neutrum dici potest.

Nequit enim dici: 1) *quod anima humana naturaliter destruatur aliter quam per annihilationem.* Quia cum annihilatio sit destructio rei nihil manendo sui neque subiecti, destructio diversa ab annihilatione, quae proprie *corruptio dicitur* (788), bifariam tantummodo haberi potest: nam vel esset *a)* corruptio per *accidens,* vel b) *per se.*

Nihil enim aliud dici potest in hac hypothesi, iuxta quam, destructa re, aliquid eius, vel saltem eiusdem subiecti sustentationis, manere debet. Etenim si manet aliquid ipsius, habetur *corruptio per se,* si vero manet eius subiectum sustentationis, habetur *corruptio per accidens. Atqui* neutrum dici potest. Nam nequit dici *a)* quod anima naturaliter corrumpatur *per accidens,* cum non habeat subiectum nisi pure informationis, a quo in esse non dependet, ut probatum manet in thesi de *spiritualitate* animae.

Nec dici potest *b)* quod naturaliter possit corrumpi *per se,* cum sit entitative *simplex,* tum integraliter, tum essentialiter, prout etiam probatum est.

Ergo anima humana naturaliter *destrui nequit aliter quam per annihilationem.*

803. 2) *Sed neque per annihilationem destrui naturaliter potest.* Quia eiusmodi annihilatio fieret vel: A) ab aliqua *vi creata* vel B) *a Deo.* Non enim datur medium.

Atqui neutro modo annihilatio fieri naturaliter potest.

Etenim quod A) anima humana naturaliter nequeat a *vi ulla creata* annihilari, *probatur imprimis* a) *ex scientia positiva;* et deinde b) *ratione philosophica.*

804. a) *Scientia positiva.* Quia annihilatio non datur umquam in natura, ut ipsi adversarii incunctanter admittunt, profitentes "principium conservationis energiae", iuxta quod nihil in mundo creatur, nihil in mundo annihilatur.

Et re quidem vera, omnis destructio entis substantialis quam scientia positiva immediate valet observare, non obtinetur nisi per dissolutionem partium substantialium; ita ut ultima ipsius elementa numquam destruantur, sed ad summum accidentaliter mutentur.

Hoc multiplici exemplo illustrari potest. Sic, exempli causa, domus destruitur per dissolutionem partium; et si rupes in torrente aquarum consistens, labentibus saeculis, evanescere potest, at non nisi per illius partium disiectionem, quae tamen in minutissimam arenam conversa in alveo fluminis soluta reperietur.

805. *Praeterea* b) *hoc ipsum evidentius* c) *ratione philosophica demonstratur.*

Nam annihilatio nequit fieri *actione aliqua positiva* seu quae terminum habeat positivum; secus enim non esset annihilatio quae ex sua notione in nihilum terminatur. Ergo annihilatio tantummodo possibilis concipitur per cessationem *actionis positivae rem annihilandam conservantis. Atqui* animam humanam positive conservare solius Dei est, ut constat tum ex spiritualitate animae, tum maxime ex his quae in Theodicea demonstrantur.

Ergo anima humana a vi ulla creata nequit naturaliter annihilari.

806. Sed *neque* B) *a Deo* annihilari naturaliter potest. Etenim nequit esse naturalis annihilatio rei, quae non modo capacitatem naturalem habeat exsistendi, verum etiam positivam exigentiam naturalem in esse perseverandi. Eiusmodi enim annihilatio potius *esset violenta,* cum procederet ab extrinseco contra inclinationem naturalem rei.

Atqui sic se haberet annihilatio animae humanae facta a Deo.

Ergo, quamvis Deus *absolute* possit annihilare animam humanam, id autem *naturaliter* facere non potest.

Consequentia patet. *Maior* constat ex ipsis terminis. *Minor, quoad capacitatem* exsistendi a corpore separata, patet ex spiritualitate animae et ex supra dictis; *quoad exigentiam* vero constat ex eo quod nullum ens indifferenter se habet ad exsistendum, cum exsistentia sit fundamentum cuiuscumque boni quod a natura appetatur; praesertim vero, ad animam humanam quod attinet, evidens fit ex argumento *teleologico* deinde exponendo, desumpto ex *appetitu innato immortalitatis.*

807. Ex dictis igitur consequitur conservationem perpetuam, vel perpetuum concursum conservativum Dei, non minus debitum naturaliter animae esse, quam igni concursus ad comburendum, et generatim elementis chimicis ut suas ineant combinationes iuxta leges naturae; qui quidem concursus sine miraculo denegari non potest.

Quod autem de facto Deus hocce miraculum non patrabit, Theologia supernaturalis de fide scit ex revelatione, et Philosophia id ipsum ratione assequitur, cum Deus praeter rerum naturales exigentias non operetur nisi ad manifestationem gratiae et gloriae suae; "redigere autem aliquid in nihilum, scripsit ANGELICUS [33], non pertinet ad gratiae manifestationem, cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur, quod res in esse conserventur".

Constat igitur assertio I, videlicet animam humanam in sua entitate esse naturaliter indestructibilem. Progredimur iam ad alteram demonstrandam.

808. II) ENTITATE ANIMAE HUMANAE NON DESTRUCTA, NEC ACTIVITAS VITALIS, NEC CONSCIENTIA PERSONALIS EIUSDEM NATURALITER DEFICERE POTEST.

Etenim, etsi anima a corpore separata vitam organicam vegetandi et sentiendi non nisi radicaliter retineat, eo quod potentiae vegetativae et sensitivae in composito subiectentur; attamen vitam superiorem spiritualem intelligendi volendique, 1) et naturaliter retinebit, 2) et perfectiori modo illam exercere poterit, et consequenter 3) conscientiam propriae personalitatis non amittet.

Singulae assertiones ex ordine sic declarantur.

809. *Quod* 1) *anima a corpore separata naturaliter vitam spiritualem retinebit*, constat imprimis ratione psychologica, *quoad tendentias* seu activitates volendi, quia volitio naturaliter consequitur activitatem intelligendi; *quoad activitatem* vero intellectivam, quia eiusmodi activitas, vel deficeret: *a)* ex parte *facultatis*, vel *b)* ex parte *obiecti*, vel *c)* ex parte *applicationis facultatis ad obiectum*. Ex nullo alio capite concipitur posse deficere.

Atqui nequit naturaliter deficere *a)* ex *parte facultatis*, quia intellectus, vel est ipsa substantia animae quae persistere supponitur ex prima parte probationis, vel aliquod accidens necessario et naturaliter ab anima dimanans.

Neque *b)* deficere potest naturaliter *ex parte obiecti;* multa quippe suppetent animae separatae obiecta cognoscenda, poterit enim seipsam cognoscere intuitive aliasque animas sive spiritus et obiecta sibi praesentia; atque etiam, saltem per discursum, cetera omnia quibuscum aliquam relationem dicit, quae inter, Deus maxime est computandus a quo anima essentialiter pendet.

Neque tandem *c)* deficiet activitas animae *ex parte applicationis facultatis ad obiectum,* cum ad se cognoscendam eiusmodi applicatio non requiratur, et cetera cognoscibilia possint esse praesentissima potentiae, vel immediate per semetipsa, vel saltem per species intelligibiles sive adquisitas tempore coniunctionis cum corpore, a phantasmatis abstractas, sive a cognitionibus intellectualibus praeteritis relictas [34].

[33] S. TH., 1 q.104 a.4 c.
[34] S. TH., 1 q.89 et *De anima,* a.15.17.18 et 20.

Ergo nisi anima destruatur quoad suam entitatem, naturaliter activitatem vitalem superiorem retinebit.

810. *Quod autem* 2) *perfectiori modo* anima cognoscet, patet ex dictis; poterit enim generatim cognoscere sine conversione ad phantasmata et absque dependentia extrinseca ab eisdem, quibus in statu coniunctionis subicitur; et propterea multa intelligere poterit intuitive, quae nunc tantummodo abstractive et per species alienas a sensibilibus depromptas attingere valet; praesertim vero propriam ipsius entitatem substantialem intuitive cognoscet, quam nunc tantummodo quoad exsistentiam, et quasi activitatibus involutam cognoscere potest.

811. *Tandem* 3) *quod conscientiam propriae personalitatis retineat,* sequitur etiam evidenter ex dictis; cum enim perfectius se cognoscat quam in statu coniunctionis, et quidem unica ratione cognoscendi simplicissima, videlicet spirituali et sine admixtione imaginum phantasiae, a fortiori poterit illas reflexiones instituere quibus "ego" deprehenditur in statu coniunctionis unum in tempore et in entitate, prout antea explicatum est in thesi 20 (348-372); et quidem sine ullo periculo errandi, et quin subiciatur illusionibus duplicationis personalitatis.

Ergo stat etiam secunda assertio. *Ergo* anima humana est naturaliter indeficiens et immortalis, tum quoad suam *entitatem,* tum etiam quoad suam *activitatem* vitalem: quod *demonstrandum nobis propositum erat argumento ontologico.*

812. Probatur 2.°: ARGUMENTO TELEOLOGICO A) Anima humana naturaliter appetit esse individualiter perpetua.

B) *Atqui* "impossibile est appetitum naturalem esse frustra" [35].

Ergo anima humana est de facto naturaliter immortalis.

Consequentia bona est.

Maior minorque syllogismi propositi ulterius declarandae et demonstrandae sunt.

MAIOR SEU PROPOSITIO A) DECLARATUR ET PROBATUR.

Tria asseruntur in maiori quae seorsim sunt demonstranda, scilicet: 1) animam *appetere* immortalitatem; 2) non quamcumque vel secundum speciem, sed *secundum individuum,* et *quidem* 3) *appetitu naturali stricte tali,* ex fundo naturae procedente.

813. 1) *Quod anima humana appetat aliquomodo immortalitatem,* patet a) *a posteriori* evidentissime ex experientia propria uniuscuiusque atque ex observatione aliorum hominum. Omnes quippe vehementer desideramus semper vivere, nisi forte aliquis, in adiunctis anormalibus constitutus, propter praepeditum passionibus usum ratio-

[35] S. TH., 2 CG c.79 "Amplius impossibile..." Cf. ibid., c.55 "Praeterea impossibile est..."

nis, immortalitatem cum felicitate incompossibilem falso apprehendat.

Praeterea *b)* hoc ipsum desiderium, *a priori* evidenter demonstratur non posse non dari; quia appetitus naturaliter consequitur apprehensionem cognitionis, intellectio vero humana non restringitur, ut cognitio brutorum, ad res materiales concretas et actuales, sed naturaliter transcendit spatium et tempus, apprehendens possibilitatem possessionis perpetuae aliorum bonorum superiorum.

814. 2) *Quod anima perennitatem vitae numericam vel secundum individuum appetat,* id est non perennitatem in sensu *pantheistico,* neque in sensu *metaphorico,* scilicet in memoriam hominum, vel in *specie* ad quam pertinet; constat experientia eadem. Nemini enim de facto haec immortalitas satisfacit, eo quod clare apprehenditur ut vana et prorsus nulla, si praeterea immortalitatem realem non importet. Sublata enim immortalitate personali, ceterae immortalitates nullum iam retinet valorem.

815. 3) *Quod, denique, appetitus eiusmodi immortalitatis individualis sit naturalis in sensu strictissimo,* non quidem solummodo eo sensu quo naturales dicuntur res naturae convenientes, ut scientiae, artes, industriae, atque id genus alia, quibus natura quidem perficitur, quin tamen ab ipsis abstinere non possit; sed quatenus naturale dicitur quod est innatum seu datum immediate ab ipsa natura vel essentia rei, velut instinctus quidam, evidens fit: *a)* eo quod eiusmodi tendentiae inveniantur in omnibus omnino hominibus, in omnibus populis cuiuscumque temporis, civilitatis vel religionis, ut apparet in ipsorum institutionibus, in ritibus et funeribus, in culto mortuorum, in litteratura et monumentis, et testantur celeberrimi quique omnium temporum scriptores, ut ipsi adversarii immortalitatis saepe luculenter agnoscunt.

Praeterea *b)* constat evidentissime ex eo quod desiderium immortalitatis includitur in ipso desiderio felicitatis perfectae, quod, ex eius *irresistibilitate, universalitate* et *constantia,* non potest non esse, naturale in sensu strictu.

816. MINOR ETIAM SEU PROPOSITIO B) DECLARATUR ET PROBATUR.

Sensus minoris est quod appetitus eiusmodi naturalis, nequit naturaliter frustrari quamvis a Deo de potentia absoluta et agente contra exigentiam naturalem frustrari in aliquo casu particulari possit.

Etenim quidquid sit de realitate causarum finalium, certe admittitur ab omnibus scientiae positivae cultoribus, omnem innatam tendentiam, tum mundi anorganici, tum etiam mundi organici suum semper habere correspondens obiectum.

Ergo, a fortiori, tendentia naturalis vel instinctus vivendi semper, quem in homine dari demonstratum manet, suum semper habere debet naturaliter obiectum, ac proinde nequit esse inane.

817. *Consequentia* patet: tum quia desiderium vivendi semper non est minus naturale seu a fundo naturae procedens

quam quaelibet alia tendentia innata vel instinctus; tum etiam quia anima humana vel homo longe excedit in perfectione ceteris entibus naturalibus.

Quam ob rem nequit recta ratio admittere eiusmodi naturalem tendentiam esse inanem vel frustraneam tantummodo in homine, cuius superioritas maxime consistit in dignitate suae personalitatis, fundata in natura rationali.

Siquidem homo ratione personalitatis non modo supereminet omnem perfectionem aliorum entium corporeorum, verum etiam *capax est iurium et officiorum;* unde fit ut Deus auctor naturae quodammodo teneatur, etsi non ex stricta iustitia, sed certe ratione suae bonitatis, sapientiae et benignitatis, humano instinctui immortalitatis satisfacere. Secus homines per se et ex intentione naturae *miserabiliores essent,* omnibus aliis creaturis; imo *soli miserabiles,* quippe qui soli essent in tota creatione, qui vehementer excruciarentur cognitione et tendentia vehementissima immortalitatis beatae, quam, non quidem culpa morali propria, sed vitio naturae, assequi nullatenus possent.

818. *Antecedens probatur inductione perpetua.*

Sic *in mundo corporeo anorganico,* exempli causa, tendentia quae in corporibus datur sese invicem attrahendi iuxta leges gravitatis, vi cuius, exempli gratia, lapis sibi relictus in aëre fertur versus solum non concipitur nisi terra vel aliud corpus attrahens admitattur.

Etiam *in mundo corporeo organico,* perpetua inductione constat et admittitur a biologis, nullum dari organum sine functione, nullam dari functionem sine obiecto. Sic, exempli causa, si organum visionis exsistit, et functio videndi, et lux quae obiectum sit visionis proprium sunt admittendae.

Similiter dicendum est de illis organis et functionibus, praesertim vero de tendentiis admodum complexis et specifice diversis, quae nomine *instinctus* designantur et reperiuntur in regno animali. Nullus quippe datur instinctus qui suum proprium non habeat obiectum naturaliter assequendum. Sic brutum maxima facilitate et perpetuo assequitur bona innumera particularia et concreta quae sponte natura appetit, quaeque ad suam conservationem individualem et specificam requiruntur. Conservationem autem individualem sui indefinitam quam certe non assequitur, nullatenus naturaliter appetit; quia nec naturaliter illam cognoscere valet, cum eiusmodi cognitio illam reflexionem strictam importet quae pronomine "ego" significatur, et consequenter ab ente rationali elici tantummodo potest.

819. Probatur 3.° : ARGUMENTO MORALI. Certum est dari sanctionem legis naturalis perfectam et absolute sufficientem.

Atqui sanctio legis naturalis perfecta et absolute sufficiens non datur pro homine A) *tempore coniunctionis* animae cum corpore in hac vita, neque B) *post separationem* animae a corpore in vita futura quae non sit sempiterna.

Ergo dabitur in vita futura sempiterna; ac proinde anima humana vivet in aeternum.

Consequentia est manifesta; secus enim sanctio legis naturalis perfecta cuius certa exsistentia asseritur in maiori non daretur, si vera est etiam duplex assertio facta in minori. Non enim aliter sanctio perfecta locum habere potest.

Maior et *minor* tantum, per partes declarandae sunt ulterius et probandae.

820. MAIOR DECLARATUR ET PROBATUR.

Asseritur in maiori dari de facto sanctionem legis moralis naturalis perfectam, id est, absolute sufficientem; seu quod idem est, praemia et poenas esse a Deo supremo legislatore statuta quae, ex se, respectu omnium omnino hominum, et pro omni eventu efficaciter impellere valeant voluntatem humanam, salvo libero arbitrio, ad observationem legis naturalis. Hoc autem constat ex Ethica, et multifariam evincitur.

821. Nam *a)* Deus legislator infinite sapiens, sanctus et iustus, serio et absolute vult observationem legis naturalis ex parte hominum et in omni casu; et consequenter vult etiam medium unicum, quod, salva libertate, impellere valeat efficaciter humanam voluntatem ad illam observationem legis naturalis.

Atqui eiusmodi medium unicum non est nisi sanctio perfecta seu absolute sufficiens. Nihil enim aliud praeter praemia et poenas quibus constituatur sanctio perfecta inveniri potest, quod efficacius, salva libertate, possit voluntatem humanam movere, quae sponte natura in bonum fertur malumque refugit.

Ergo datur sanctio legis naturalis perfecta.

Praeterea b) nisi eiusmodi sanctio daretur, admittendum esset Deum summum conditorem, qui omnia in mundo physico in pondere numero et mensura mirabiliter constituit et ordinavit, ordinem moralem, creaturae rationalis proprium, mancum et imperfectum reliquisse; quod quidem cum divina sapientia, potentia et bonitate cohaerere nullatenus potest.

Etenim nisi sanctio perfecta daretur contingeret aliquando ut simpliciter et absolute utilius et commodius esset homini cupiditatibus contra honestatem indulgere legemque naturalem violare; et consequenter homines ad malum morale perpetrandum efficaciter adigerentur quasi ex naturae instituto, quo nihil absurdius fingi potest.

822. MINOR QUOAD PARTEM A) DECLARATUR ET PROBATUR.

Sensus assertionis est, non dari in hac vita seu tempore coniunctionis cum corpore, sanctionem legis naturalis perfectam seu absolute sufficientem pro omni casu.

Hoc a) imprimis *constat experientia* uniuscuiusque.

Omnes quippe videmus non raro violatores legis naturalis sceleratosque homines in vita praesenti quam maxima frui prosperitate, vel ope ipsius criminis comparata; probos vero non raro etiam multa et ingentia mala pati in hac vita, praecise ob ipsius virtutis exercitium,

a quibus faciliter nonnumquam se possent expedire si vitiis et concupiscentiis vellent contra legem naturalem indulgere. Hoc multis exemplis historicis illustrari posset, quae inter eminent acta sanctorum praesertim martyrum, qui sanguinem pro professione virtutis christianae et catholicae fidei, contemptis bonis huius mundi, profuderunt.

Praeterea b) hoc ipsum demonstratur quasi *ab absurdo,* siquidem si nulla alia sanctio legis naturalis admittenda esset quam quae huius vitae tempore haberi potest; et exsistentia Dei summi legislatoris irrideretur, et lata omnibus sceleribus via aperiretur, ut eleganter cecinit PRUDENTIUS [36] scribens:

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam,
Quis mihi regnator caeli? Quis conditor orbis?
Quis Deus? Aut quae iam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues avidus spoliabo clientes.

823. MINOR QUOAD PARTEM B) DECLARATUR ET PROBATUR. Additur praeterea in minore argumenti sanctionem perfectam non posse dari post dissolutionem animae a corpore, nisi vita animae futura fuerit sempiterna. Id autem quoad 1) *praemia* et quoad 2) *poenas* seorsim probare iuvabit.

Imprimis 1) *probatur quod praemia quibus probi donantur non possint esse sanctio perfecta, nisi fuerint sempiterna.*

Etenim *a)* eiusmodi praemia nequeunt non importare felicitatem perfectam, qua omnes tendentiae, saltem naturales perfecte satientur, ut etiam constat ex argumento teleologico. *Atqui* felicitas perfecta est impossibilis sine perennitate sempiterna certo cognita et perspecta; solus quippe timor exsistentiae amittendae irrequietum redderet animum, vitamque amaritudine perfunderet, quae quidem cum qualibet felicitate, et a fortiori cum felicitate perfecta componi nequaquam possent [37].

His adde b) quod non nisi per annihilationem a Deo factam anima beata destrui potest, ut demonstratum est in argumento ontologico (801-811). Iam vero, nulla prorsus afferri potest ratio qua Deus ad animam beatam sibi amicissimam et iucundissimam annihilandam adducatur.

Praemium *ergo* quod non esset aeternum, non esset sanctio perfecta pro bonis.

---

[36] PRUDENTIUS, 1.2, *Contra Symmacum.*
[37] Cf. S. TH., 1-2 q.5 a.4.

824. *Sed 2) neque sanctio sufficiens daretur pro improbis, si poenae ab illis in altera vita dandae essent tantummodo temporales.* Quia vel essent temporales eo quod anima *a)* in aeternum corpori superstes post aliquod tempus elapsum, a poenis libera maneret quin annihilaretur; vel *b)* eo quod annihilaretur, ut contendunt defensores immortalitatis potestativae.

a) *Primum,* praeterquam quod thesim nostram non evertit, omnino tamen est reiciendum, quia sanctionem perfectam impediret (820-821).

Imo nec cum iustitia divina componi posse videtur. "Nam quae tunc distantia erit inter virginem et prostibulum?... scribit SANCTUS HIERONYMUS [38]. Idemne erit Gabriel et diabolus? Idem apostoli et daemones? Si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus".

b) *Alterum* vero, quamvis permitteretur, non ex natura rei et per se eveniret, sed tantummodo quasi per accidens, videlicet ex malitia hominis et ex libera Dei voluntate, animam contra ipsius exigentiam naturalem annihilantis. Deus autem id se nullatenus esse facturum *apertissima revelatione* significavit.

Ergo sanctio legis naturalis perfecta, quae deesse non potest, tantummodo in vita animae omnino sempiterna obtineri potest, ac proinde anima vivet in aeternum.

825. Obiectiones. 1. Anima privata operationibus vegetativis et sensitivis naturaliter debet perire. *Nam* anima, sine operationibus hisce, esset in statu violento. *Atqui* nihil violentum durabile. *Ergo* anima operationibus vegetativis et sensitivis privata, naturaliter debet perire.

Resp.: nego assertum. Ad probationem, *nego mai.*

INST.: Violentum est animae se esse a corpore separatam. Siquidem status unionis est naturalis animae. *Atqui* status separationis est contrarius unionis statui. *Ergo* status separationis est innaturalis, ac proinde violentus.

Resp.: nego assert., et ad probationem, *dist. mai:* status unionis est naturalis animae, ut possidendus initio et ad tempus tantum, *conc.;* ut perpetuo possidendus, *nego.* Et concessa minore, similiter distinguo *cons.:* status separationis est innaturalis et violentus quamdiu corpus nondum est corruptum, ideoque unio adhuc debita est et naturalis, *conc.;* status separationis est naturalis et violentus postquam corpore corrupto eius unio cum eo abrumpitur, *nego.* Uterque status connaturalis dicendus est animae, fere sicut homini connaturalis est primo status infantis, deinde pueri, mox iuvenis, etc... [39].

[38] HIERONYMUS, *In Io.,* c.3.
[39] Cf. URRÁBURU, *Psychologia,* III p.1244 n.330.

826. Inst.: Natura horret separationem animae a corpore seu mortem. *Atqui* hoc signum est separationem esse violentam. *Ergo* stat difficultas.

Resp.: dist. mai.: natura hominis adaequata, scilicet, homo horret mortem seu destructionem sui, *conc.;* natura hominis inadaequata, scilicet, anima horret mortem *subd.:* horret mortem *in fieri*, seu *eventum* ipsum separationis, *conc.; in facto esse*, seu *statum* separationis postquam unio abrupta est, *nego*.

Et *contrad. min.:* hoc signum est separationem esse violentam *homini* qui destruitur, hoc est esse contrariam tendentiis organicis vitae vegetativae et sensitivae quae sunt propriae compositi quod destruitur, *conc.;* hoc signum est separationem esse contrariam *animae* quae separatur, *subd.:* separationem in *fieri, conc.;* separationem in *facto esse, nego*.

827. 2. Desiderium vivendi semper non est naturale in sensu stricto. *Ergo* nihil ex illo inferri potest pro immortalitate animae.

Antecedens probatur: quia desiderium naturale in sensu stricto est naturaliter irresistibile, seu exui naturaliter nequit. *Atqui* desiderium vivendi semper exui potest, ut constat ex suicidiis. *Ergo* desiderium vivendi semper non est naturale in sensu stricto.

Resp.: dist. ant.: desiderium vivendi semper *cum corpore* non est naturale in sensu stricto, *conc.;* desiderium vivendi semper *simpliciter* et eo modo quo possibile sit, non est naturale in sensu stricto, *nego*.

Ad probationem antecedentis, *dist. mai.:* desiderium naturale in sensu stricto exui nequit *per se* et directe, *conc.;* per *accidens* et indirecte scilicet, si propter offuscationem mentis falso existimetur obiectum desiderii naturalis esse in se impossibile, vel saltem coniunctum cum obiecto ab ipso appetitu innato irresistibiliter reiciendo, exempli causa, cum infelicitate, *nego*.

Contradist. min.: et ad casum concretum probationis, *dist.:* suicidae exuunt desiderium semper vivendi cum corpore, *conc.;* exuunt desiderium semper vivendi simpliciter, *subd.:* ita ut sui destructionem tantummodo per accidens, indirecte, et quasi consequenter appetant, eo quod propter errorem intellectus existiment hanc esse unicam rationem infelicitatis vitandae, quod primario intendunt, *conc.;* ita ut directe et per se desiderent vel intendant sui destructionem, *nego*.

828. Quod suicida primario et per se, et fortasse unice, intendit est liberatio malorum quibus obruitur, et consequenter *quietem* quamdam, quam *falso* apprehendit cum ipsius vitae cessatione coniunctam. Vitam praesentem igitur sibi adimit, vel spectans fore ut futura sit melior, quo in casu nihil prorsus contra immortalitatem; vel nihil de vita futura elicite cogitans vel desiderans; vel propter errorem et obnubilationem intellectus vitam futuram nullam esse existimans.

Audi Sanctum Augustinum [40] de hac re disserentem: "Nemo mihi videtur cum seipsum necat habere in sensu, quod post mortem non sit futurus... In opinione habet errorem omnimodae defectionis, in sensu autem desiderium naturale quietis. Quod autem quietum est non est nihil; imo etiam magis est quam id quod est inquietum... quies enim habet constantiam, in qua maxime intelligitur, quod dicitur: est. Omnis igitur ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui

[40] S. Augustinus, *De libero arbitrio*, c.3.24.

moritur non sit, sed ut requiescat intenditur. Ita ut cum errore credat no se futurum, natura autem quietus esse, hoc est magis esse desiderat. Quapropter... nullo pacto fieri potest, ut non esse aliquem libeat".

829. 3. "Virtus sibi ipsa praemium est peccatum vero sibi ipsi supplicium", ut scripsit SENECA et agnoscunt omnes. *Ergo* non est efficax ratio quae petitur ex insufficientia sanctionis quae in hac vita obtineri potest.

Resp.: nego. ant., si sermo sit, non de aliqua sanctione, sed de sanctione perfecta. Argumentum posset praeterea *retorqueri,* nam si virtus et vitium sibi ipsis sufficiunt ad sanctionem, neque sanctio ulla humana et temporalis opus est, quod adversarius sine dubio admittere recusabit.

Verum quidem est virtutis exercitium secum ferre pacem animi atque etiam nonnunquam suavissimam voluptatem; vitium vero turbationem animi atque remorsus conscientiae parere. Hoc autem ut proprietas quaedam ordinis affectivi habenda est, actuum humanorum: quemadmodum operationes ordinatas hominis et animalis, voluptas; inordinatas vero, dolor consequitur.

Quae quidem ut *initium sanctionis* recte considerari possunt, *nullatenus vero sunt sanctio perfecta;* tum quia in statu coniunctionis voluptas organica vitiorum vehementius hominem attrahit quam suavitas spiritualis virtutis; tum etiam quia huius exercitium non nisi incredibili vexatione et tormento cupiditatum inferiorum perficitur. Suavitas ergo virtutis et remorsus vitii, nullatenus infirmant rationes propositas in argumento ad ostendam insufficientiam sanctionis legis moralis, quae in hac vita obtineri potest.

830. 4. "Nemo unquam ex altero mundi redivit", aiunt materialistae et positivistae. *Ergo* vita animae a corpore separata admitti nequit eo quod de ea nullam experientiam habemus.

Resp. trans. mai.; et *nego. cons.* et *consq.* Etenim quamvis verum esset antecedens, starent omnia argumenta quae pro immortalitate animae adduximus in demonstratione.

Scientia experimentalis *omnino praecisive se habet* circa superviventiam vel interitum animae. Haec enim quaestio extra ambitum scientiae experimentalis posita est, et rationibus philosophicis, utique ex Philosophia naturali petitis, quae tandem in experientia innititur, omnino decidenda est.

831. Si animae exsistentia post mortem tantum rationibus philosophicis probari potest, anima erit ens metaphysicum. *Ergo* animae realitas post mortem non est admittenda.

Resp.: dist. ant.: anima erit *ens metaphysicum,* id est ens fictum seu ens rationis, *nego;* erit ens metaphysicum, hoc est, obiectum scientiae metaphysicae, *subd.:* si agitur de anima hominis separata, *conc.;* si de anima hominis corpori coniuncta iterum *subd.:* erit obiectum Metaphysicae in sensu non probando quorundam, qui Physicam seu Philosophiam naturalem, Metaphysicam specialem appellant, *conc.;* erit obiectum Metaphysicae propriae dictae et iuxta sensum proprium huius vocis, *nego.*

Tota vis obiectionis consisteret in errore positivistarum absurde negantium valorem Metaphysicae. Eo quod anima separata sit obiectum Metaphysicae, non propterea sequitur esse ens fictum vel pure

rationis, nisi Metaphysica absurde habeatur ut merum figmentum mentis absque ullo valore reali.

832. 5. "Omne quod est ex nihilo vertibile est in nihil". Sed anima humana ex nihilo creata est. *Ergo* vertibilis est in nihil; et sic sequitur quod anima est corruptibilis". Sic apud SANCTUM THOMAM [41] sibi obicientem.

Resp.: dist. mai.: omne quod est ex nihilo vertibile est in nihil per potentiam Dei extrinsecam et absolutam non conservantis rem, *conc.;* per potentiam intrinsecam et naturale principium quod sit in ipsa re, *subd.:* si res sit composita vel forma materialis, *conc.;* si res sit simplex et forma spiritualis, *nego. Contrad. min.,* et sub datis distinctibus, *nego* utrumque consequens et consequentiam.

INST.: Quod est contingens, natura sua in nihilum tendit. *Atqui* anima humana est contingens. *Ergo* anima humana natura sua in nihilum tendit. *Atqui* tendere natura sua in nihilum, non est nisi exigere naturaliter annihilationem, seu habere intrinsecum principium corruptionis.

Resp.: dist. ant.: quod est contingens, natura sua tendit *negative* ad nihilum, quatenus ad perseverandum in esse non sibi sufficit, sed indiget et exigit naturaliter conservari a Deo, *conc.;* quod est contingens tendit *positive natura* sua in nihilum, seu *positive* appetit annihilari, *nego. Concessa min., contrad. cons.* Alteram minorem similiter *dist.:* tendere *positive* in nihilum est habere intrinsecum principium corruptionis, *conc.;* tendere tantummodo *negative,* modo dicto, *subd.:* si non datur exigentia naturalis concursus Dei conservativi, *conc.;* secus, *nego.*

833. 6. Finis respondet principio. *Atqui* anima incipit cum corpore. *Ergo* debet perire cum corpore.

Resp.: dist. mai.: finis respondit principio, ita ut res quae finem habent modo consentaneo desinere debeant quo inchoatae fuere, *conc.;* ita ut omnes res quas initium habuerunt, debeant perire aliquando, *nego;* et concessa minore, *nego cons.*

Quamvis anima inceperit cum corpore, tamen non inde sequitur animam debere perire cum corpore; quia, nec in fieri nec in esse a corpore dependet, sed a solo Deo creante et conservante. Quam ob rem non nisi per annihilationem anima perire potest, ut dictum est in argumento ontologico (801-811).

834. 7. Immortalitas animae esset potentia quaedam infinitae durationis. *Ergo* potentia infinita. *Atqui* nulli creaturae competere potest potentia infinita. *Ergo* anima non est immortalis.

Resp.: conc. ant. et *dist. cons.:* immortalitas animae esset potentia quaedam infinitae durationis, *passiva* et *receptiva,* actuanda per infinitam Dei virtutem *conc.;* est potentia quaedam activa et entitative, *nego.* Et contradistincto similiter, *cons.,* et *min. subs., nego consq.* et *consequentiam.*

---

[41] S. TH., *De anima,* a.14 ad 19.

INDEX NOMINUM

N.B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

INDEX RERUM

N. B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

VOLUMEN HOC, SECUNDUM IN COLLECTIONE "PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA", SUMPTIBUS "BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS" AC TYPIS "SUCESORES DE RIVADENEYRA, S. A.", FELICITER, DEO DANTE, EXPLICIT DIE 2 IULII, IN FESTO VISITATIONIS B. M. VIRGINIS, ANNO MCMLV

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

VOLUMENES PUBLICADOS

1 SAGRADA BIBLIA, de NÁCAR-COLUNGA, 5.ª ed., corregida en el texto y copiosamente aumentada en las notas. Prólogo del excelentísimo y reverendísimo Sr. D. GAETANO CICOGNANI, Nuncio de Su Santidad en España. 1953. LXXVI + 1.583 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 7 mapas.—85 pesetas tela, 125 piel.

2 SUMA POETICA, por JOSÉ MARÍA PEMÁN y M. HERRERO GARCÍA. 2.ª edición. 1950. XVI + 800 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.

3 OBRAS COMPLETAS CASTELLANAS DE FRAY LUIS DE LEON. Edición revisada y anotada por el P. Fr. FÉLIX GARCÍA, O. S. A. 2.ª edición. 1951. XII + 1.799 págs. en papel biblia.—95 pesetas tela, 135 piel.

4 SAN FRANCISCO DE ASIS: *Escritos completos*, las *Biografías* de sus contemporáneos y las *Florecillas*. Edición preparada por los PP. Fr. JUAN R. DE LEGÍSIMA y Fr. LINO GÓMEZ CANEDO, O. F. M. 2.ª ed. 1949. XL + 887 páginas, con profusión de grabados. (Agotada. Se prepara la 3.ª ed.)

5 HISTORIAS DE LA CONTRARREFORMA, por el P. RIBADENEYRA, S. I. *Vida de los PP. Ignacio de Loyola, Diego Laínez, Alfonso Salmerón y Francisco de Borja. Historia del Cisma de Inglaterra. Exhortación a los capitanes y soldados de la "Invencible"*. Introducciones y notas del P. EUSEBIO REY, S. I. 1945. CXXVI + 1.355 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.

6 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo I: *Introducción. Breviloquio. Itinerario de la mente a Dios. Reducción de las ciencias a la Teología. Cristo, maestro único de todos. Excelencia del magisterio de Cristo.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. LEÓN AMORÓS, Fr. BERNARDO APERRIBAY y Fr. MIGUEL OROMÍ, O. F. M. 2.ª ed. 1955. XLVIII + 755 págs.—80 pesetas tela, 120 piel.—Publicados los tomos II (9), III (19), IV (28), V (36) y VI y útimo (49).

7 CODIGO DE DERECHO CANONICO Y LEGISLACION COMPLEMENTARIA, por los Dres. D. LORENZO MIGUÉLEZ, Fr. SABINO ALONSO MORÁN, O. P., y P. MARCELINO CABREROS DE ANTA, C. M. F., profesores de la Universidad Pontificia de Salamanca. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. Fr. José LÓPEZ ORTIZ, obispo de Túy. 5.ª ed. 1954. XLVIII + 1.092 páginas.—85 pesetas tela, 125 piel.

8 TRATADO DE LA VIRGEN SANTISIMA, de ALASTRUEY. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. ANTONIO GARCÍA Y GARCÍA, arzobispo de Valladolid. 3.ª ed. 1952. XXXVI + 978 págs., con grabados de la *Vida de la Virgen*, de Durero.—70 pesetas tela, 110 piel.

9 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo II: *Jesucristo en su ciencia divina y humana. Jesucristo, árbol de la vida. Jesucristo en sus misterios: 1) En su infancia. 2) En la Eucaristía. 3) En su Pasión.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. LEÓN AMORÓS, Fr. BERNARDO APERRIBAY y Fr. MIGUEL OROMÍ, O. F. M. 1946. XVI + 847 págs. 40 pesetas tela, 80 piel.—Publicados los tomos III (19), IV (28), V (36) y VI (49).

10 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo I: *Introducción general y bibliografía. Vida de San Agustín*, por POSIDIO. *Soliloquios. Sobre el orden. Sobre la vida feliz.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. VICTORINO CAPÁNAGA, O. R. S. A. 2.ª ed. 1950. XII + 822 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos II (11), III (21), IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

11 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo II: *Confesiones* (en latín y castellano). Edición crítica y anotada por el P. Fr. ANGEL CUSTODIO VEGA, O. S. A. VIII + 734 págs.—Publicados los tomos III (21), IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

12-13 OBRAS COMPLETAS DE DONOSO CORTES (dos volúmenes). Recopiladas y anotadas por el Dr. D. JUAN JURETSCHKE, profesor de la Facultad de Filosofía de Madrid. 1946. Tomo I: XVI + 953 págs. Tomo II: VIII + 869 págs.—(Agotada. Se prepara la 2.ª ed.).

14 BIBLIA VULGATA LATINA. **Edición preparada por el P. Fr. Alberto Colunga**, O. P., y D. Lorenzo Turrado, profesores de Sagrada Escritura + 122* págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 4 mapas.—En tela, 80 pesetas; en piel, a dos tintas, 130.

15 VIDA Y OBRAS COMPLETAS DE SAN JUAN DE LA CRUZ. *Biografía*, por el P. Crisógono de Jesús, O. C. D. *Subida del Monte Carmelo. Noche oscura. Cántico espiritual. Llama de amor viva. Escritos breves y poesías.* Prólogo general, introducciones, revisión del texto y notas por el P. Lucinio del SS. Sacramento, O. C. D. 2.ª ed. 1950. XXXVI + 1.400 págs., con grabados.—90 pesetas tela, 130 piel.

16 TEOLOGIA DE SAN PABLO, del P. José María Bover, S. I. 1952. Reimpresión. XVI + 971 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

17 18 TEATRO TEOLOGICO ESPAÑOL. Selección, introducciones y notas de Nicolás González Ruiz. Tomo I: *Autos sacramentales.* 2.ª ed. 1953. LXXII + 924 págs. Tomo II: *Comedias teológicas. bíblicas y de vidas de santos.* 2.ª ed. 1953. XLVIII + 924 págs.—Cada tomo, 60 pesetas tela, 100 piel.

19 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo III: *Colaciones sobre el Hexaémeron. Del reino de Dios descrito en las parábolas del Evangelio. Tratado de la plantación del paraíso.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. León Amorós, Fr. Bernardo Aperribay y Fr. Miguel Oromí, O. F. M. 1947. XII + 798 págs.—45 pesetas tela, 85 piel. Publicados los tomos IV (28), V (36) y VI (49).

20 OBRA SELECTA DE FRAY LUIS DE GRANADA: *Una suma de la vida cristiana.* Los textos capitales del P. Granada seleccionados por el orden mismo de la *Suma Teológica* de Santo Tomás de Aquino, por el P. Fr. Antonio Trancho, O. P., con una extensa introducción del P. Fr. Desiderio Díaz de Triana, O. P. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. Fr. Francisco Barbado Viejo, obispo de Salamanca. 1952. Reimpresión. LXXXVIII + 1.162 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

21 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo III: *Contra los académicos. Del libre albedrío. De la cuantidad del alma. Del maestro. Del alma y su origen. De la naturaleza del bien: contra los maniqueos.* Texto en latín y castellano. Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Evaristo Seijas, Fr. Eusebio Cuevas, Fr. Manuel Martínez y Fr. Mateo Lanseros, O. S. A. 1951. Reimpresión. XVI + 1.047 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.—Publicados los tomos IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

22 SANTO DOMINGO DE GUZMAN: *Origen de la Orden de Predicadores. Proceso de canonización. Biografía del Santo. Relación de la Beata Cecilia. Vidas de los Frailes Predicadores. Obra literaria de Santo Domingo.* Introducción general por el P. Fr. José María Garganta, O. P. Esquema biográfico, introducciones, versión y notas de los PP. Fr. Miguel Gelabert y Fr. José María Milagro, O. P. 1947. LVI + 955 págs., con profusión de grabados.—(Agotada. Se prepara la 2.ª ed.).

23 OBRAS DE SAN BERNARDO. **Selección, versión, introducciones y notas** del P. Germán Prado, O. S. B. 1947. XXIV + 1.515 págs., con grabados. (Agotada. Véase núm. 110 de este catálogo.)

24 OBRAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA. Tomo I: *Autobiografía y Diario espiritual.* Introducciones y notas del P. Victoriano Larrañaga, S. I. 1947. XII + 881 págs.—35 pesetas tela, 75 piel.

25-26 SAGRADA BIBLIA, de **Bover-Cantera. Versión crítica sobre los** textos hebreo y griego. 3.ª edición, en un solo volumen. 1953. XVI + 2.057 páginas en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.—90 pesetas tela, 130 piel.

27 LA ASUNCION DE MARIA. **Tratado teológico y antología de textos, por** el P. José María Bover, S. I. 2.ª ed., con los principales documentos pontificios de la definición del dogma. 1951. XVI + 482 págs.—40 pesetas tela, 80 piel.

28 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo IV: *Las tres vías o incendio de amor. Soliloquio. Gobierno del alma. Discursos ascético-místicos. Vida perfecta para religiosas. Las seis alas del serafín. Veinticinco memoriales de perfección. Discursos mariológicos.* Edición, en latín y castellano, preparada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1947. VIII + 975 págs.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicados los tomos V (36) y VI (49).

29 SUMA TEOLOGICA de Santo Tomás de Aquino. Tomo I: *Introducción general* por el P. Santiago Ramírez, O. P., y *Tratado de Dios Uno.* Texto en latín y castellano. Traducción del P. Fr. Raimundo Suárez, O. P., con introducciones, anotaciones y apéndices del P. Fr. Francisco Muñiz, O. P. 1947.

XVI + 238* + 1.055 págs., con grabados.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicados los tomos II (41), III (56), IV (126), V (122), X (134) y XII (131).

30 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo IV: *De la verdadera religión. De las costumbres de la Iglesia católica. Enquiridión. De la unidad de la Iglesia. De la fe en lo que no se ve. De la utilidad de creer.* Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Teófilo Prieto, Fr. Andrés Centeno, Fr. Santos Santamarta y Fr. Herminio Rodríguez, O. S. A. 1948. XVI + 899 págs.—Agotado en tela, 85 pesetas piel.—Publicados los tomos V (39), VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79), X (95) XI (99) y XII (121).

31 OBRAS LITERARIAS DE RAMON LLULL: *Libro de Caballería. Libro de Evast y Blanquerna. Félix de las Maravillas.* Poesías (en catalán y castellano). Edición preparada y anotada por los PP. Miguel Batllori, S. I., y Miguel Caldentey, T. O. R., con una introducción biográfica de D. Salvador Galmés y otra al *Blanquerna* del P. Rafael Ginard Bauçá, T. O. R. 1948. XX + 1.147 págs., con grabados.—55 pesetas tela, 95 piel.

32 VIDA DE NUESTRO SEÑOR JESUCRISTO, por el P. Andrés Fernández, S. I. 2.ª ed. 1954. XXXII + 65* + 760 págs., con profusión de grabados y 7 mapas.—75 pesetas tela, 115 piel.

33 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo I: *Biografía y Epistolario.* Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. Juan Perelló, obispo de Vich. 1948. XLIV + 898 págs. en papel biblia, con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos II (37), III (42), IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

34 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo I: *Nacimiento e infancia de Cristo,* por el Prof. Francisco Javier Sánchez Cantón. 1948. VIII + 192 págs., con 304 láminas.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicados los tomos II (64) y III (47).

35 MISTERIOS DE LA VIDA DE CRISTO, del P. Francisco Suárez, S. I. Volumen 1.º: *Misterios de la Virgen Santísima. Misterios de la infancia y vida pública de Jesucristo.* Versión castellana por el P. Galdos, S. I. 1948. XXXVI + 915 págs.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicado el volumen 2.º (55).

36 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo V: *Cuestiones disputadas sobre el misterio de la Santísima Trinidad. Colaciones sobre los siete dones del Espíritu Santo. Colaciones sobre los diez mandamientos.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1948. VIII + 754 páginas.—40 pesetas tela, 80 piel.—Publicado el tomo VI (49).

37 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo II: *Filosofía fundamental.* 1948. XXXII + 984 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos III (42), IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

38 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo I: Fray Alonso de Madrid: *Arte para servir a Dios* y *Espejo de ilustres personas;* Fray Francisco de Osuna: *Ley de amor santo.* Introducciones del P. Fr. Juan Bautista Gomis, O. F. M. 1948. XII + 700 págs. en papel biblia.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicados los tomos II (44) y III (46).

39 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo V: *Tratado de la Santísima Trinidad.* Edición en latín y castellano. Primera versión española, con introducción y notas del P. Fr. Luis Arias, O. S. A. 1948. XVI + 943 págs., con grabados.—Agotada tela, 85 pesetas piel.—Publicados los tomos VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

40 NUEVO TESTAMENTO, de Nácar-Colunga. Versión directa del texto original griego. (Separata de la Nácar-Colunga.) 1948. VIII + 451 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.—(Agotada.)

41 SUMA TEOLOGICA de Santo Tomás de Aquino. Tomo II: *Tratado de la Santísima Trinidad,* en latín y castellano; versión del P. Fr. Raimundo Suárez, O. P., e introducciones del P. Fr. Manuel Cuervo, O. P. *Tratado de la creación en general,* en latín y castellano; versión e introducciones del padre Fr. Jesús Valbuena, O. P. 2.ª ed. 1953. XX + 504 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.—Publicados los tomos III (56), IV (126), V (122), X (134) y XII (131).

42 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo III: *Filosofía elemental* y *El Criterio.* 1948. XX + 755 págs. en papel biblia.—50 ptas. tela, 90 piel.—Publicados los tomos IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

43 NUEVO TESTAMENTO. Versión directa del griego con notas exegéticas, por el P. José María Bover, S. I. (Separata de la Bover-Cantera.) 1948. VIII + 622 págs. en papel biblia, con 6 mapas.—Agotada en tela, 70 pesetas piel.

44 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo II: FRAY BERNARDINO DE LAREDO: *Subida del monte Sión;* Fray ANTONIO DE GUEVARA: *Oratorio de religiosos y ejercicio de virtuosos;* FRAY MIGUEL DE MEDINA: *Infancia espiritual;* BEATO NICOLÁS FACTOR: *Doctrina de las tres vías.* Introducciones del P. FR. JUAN BAUTISTA GOMIS, O. F. M. 1948. XVI + 837 págs. en papel biblia 50 pesetas tela, 90 piel.—Publicado el tomo III y último (46).

45 LAS VIRGENES CRISTIANAS DE LA IGLESIA PRIMITIVA, por el P. FRANCISCO DE B. VIZMANOS, S. I. Estudio histórico-ideológico seguido de una antología de tratados patrísticos sobre la virginidad. 1949. XXIV + 1.306 págs. en papel biblia.—65 pesetas tela, 105 piel.

46 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo III y último: FRAY DIEGO DE ESTELLA: *Meditaciones del amor de Dios;* FRAY JUAN DE PINEDA: *Declaración del "Pater Noster";* FRAY JUAN DE LOS ANGELES: *Manual de vida perfecta y Esclavitud mariana;* FRAY MELCHOR DE CETINA: *Exhortación a la verdadera devoción de la Virgen;* FRAY JUAN BAUTISTA DE MADRIGAL: *Homiliario evangélico.* Introducciones del P. FR. JUAN BAUTISTA GOMIS, O. F. M. 1949. XII + 868 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.

47 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo III: *La Pasión de Cristo,* por JOSÉ CAMÓN AZNAR. 1949. VIII + 106 págs., con 303 láminas.—60 pesetas tela, 100 piel.

48 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo IV: *El protestantismo comparado con el catolicismo.* 1949. XVI + 768 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

49 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo VI y último: *Cuestiones disputadas sobre la perfección evangélica. Apología de los pobres.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. FR. BERNARDO APERRIBAY, FR. MIGUEL OROMÍ y FR. MIGUEL OLTRA, O. F. M. 1949. VIII + 48* + 779 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.

50 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VI: *Del espíritu y de la letra. De la naturaleza y de la gracia. De la gracia de Jesucristo y del pecado original. De la gracia y del libre albedrío. De la corrección y de la gracia. De la predestinación de los santos. Del don de perseverancia.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. FR. VICTORINO CAPÁNAGA, O. R. S. A.; FR. ANDRÉS CENTENO, FR. GERARDO ENRIQUE DE VEGA, FR. EMILIANO LÓPEZ y FR. TORIBIO DE CASTRO, O. S. A. 1949. XII + 943 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VII (53), VIII (69), IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

51 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo V: *Estudios apologéticos. Cartas a un escéptico. Estudios sociales. Del clero católico. De Cataluña.* 1949. XXVIII + 1.002 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VI (52), VII (57) y VIII (66).

52 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VI: ESCRITOS POLÍTICOS: *Triunfo de Espartero. Caída de Espartero. Campaña de gobierno. Ministerio Narváez. Campaña parlamentaria de la minoría balmista.* 1950. XXXII + 1.061 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VII (57) y VIII (66).

53 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VII: *Sermones.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. AMADOR DEL FUEYO, O. S. A. 1950. XX + 945 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VIII (69), IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

54 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo I: *Edad Antigua (1-681): La Iglesia en el mundo grecorromano,* por el P. BERNARDINO LLORCA, S. I. 2.ª ed. 1955. XXXII + 961 págs., con grabados.—85 pesetas tela, 125 piel.—Publicados los tomos II (104) y IV (76).

55 MISTERIOS DE LA VIDA DE CRISTO, del P. FRANCISCO SUÁREZ, S. I. Volumen 2.º y último: *Pasión, resurrección y segunda venida de Jesucristo.* Versión castellana por el P. GALDOS, S. I. 1950. XXIV + 1.226 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

56 SUMA TEOLOGICA de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Tomo III: *Tratado de los Angeles.* Texto en latín y castellano. Versión del P. FR. RAIMUNDO SUÁREZ, O. P., e introducciones del P. FR. AURELIANO MARTÍNEZ, O. P. *Tratado de la creación del mundo corpóreo.* Versión e introducciones del P. FR. ALBERTO COLUNGA, O. P. 1950. XVI + 943 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos IV (126), V (122), X (134) y XII (131).

57 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VII: ESCRITOS POLÍTICOS: *El matrimonio real: Campaña doctrinal. Campaña nacional. Campaña internacional. Desenlace. Ultimos escritos políticos.* 1950. XXXII + 1055 páginas en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicado el tomo VIII (66).

58 OBRAS COMPLETAS DE AURELIO PRUDENCIO. Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por el P. Fr. Isidoro Rodríguez, O. F. M., y D. José Guillén, catedráticos en la Pontificia Universidad de Salamanca. 1950. VIII + 84* + 825 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.

59 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. Juan de Maldonado, S. I. Tomo I: *Evangelio de San Mateo*. Versión castellana, introducción y notas del P. Luis María Jiménez Font, S. I. Introducción bio-bibliográfica del P. José Caballero, S. I. 1950. VIII + 1.159 págs. en papel biblia.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicados los tomos II (72) y III (112).

60 CURSUS PHILOSOPHICUS, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo V: *Theologia Naturalis*, por el P. José Hellín, S. I. 1950. XXVIII + 928 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

61 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo I: *Introductio in Theologiam. De revelatione christiana. De Ecclesia Christi. De sacra Scriptura*, por los PP. Miguel Nicolau y Joaquín Salaverri, S. I. 2.ª ed. 1952. XX + 1.151 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicados los tomos II (90), III (62) y IV (73).

62 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo III: *De Verbo incarnato. Mariologia. De gratia Christi. De virtutibus infusis*, por los PP. Jesús Solano, José A. de Aldama y Severino González. S. I. 2.ª edición 1953. XXIV + 902 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicado el tomo IV (73).

63 SAN VICENTE DE PAUL: BIOGRAFIA Y ESCRITOS. Edición preparada por los PP. José Herrera y Veremundo Pardo, C. M. 1950. XII + 907 págs. en papel biblia, con profusión de grabados.—Agotada en tela, 95 pesetas piel.

64 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo II: *Cristo en el Evangelio*, por el Prof. Francisco J. Sánchez Cantón. 1950. VIII + 124 págs., con 255 láminas.—60 pesetas tela, 100 piel. Publicado el tomo III (47).

65 PADRES APOSTOLICOS: *La Didaché o Doctrina de los doce apóstoles. Cartas de San Clemente Romano. Cartas de San Ignacio Mártir. Carta y martirio de San Policarpo. Carta de Bernabé. Los fragmentos de Papías. El pastor de Hermas*. Edición bilingüe, preparada y anotada por D. Daniel Ruiz Bueno, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1950. VIII + 1.130 págs. en papel biblia.—65 pesetas tela, 105 piel.

66 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VIII y último: *Biografías. Misceláneas. Primeros escritos. Poesías. Indices*. 1950. XVI + 1.014 páginas en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.

67 ETIMOLOGIAS, de San Isidoro de Sevilla. Versión castellana total, por vez primera, e introducciones parciales de D. Luis Cortés, párroco de San Isidoro de Sevilla. Introducción general e índices científicos del Prof. Santiago Montero Díaz, catedrático de la Universidad de Madrid. 1951. XX + 88* + 563 págs.—55 pesetas tela, 95 piel.

68 EL SACRIFICIO DE LA MISA. Tratado histórico-litúrgico. Versión española de la obra alemana en dos volúmenes *Missarum sollemnia*, del P. Jungmann, S. I. 2.ª ed. 1952. XXVIII + 1.264 págs.—80 ptas. tela, 120 piel.

69 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VIII: *Cartas*. Edición en latín y castellano, preparada por el P. Lope Cilleruelo, O. S. A. 1951. VIII + 921 páginas.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicados los tomos IX (79), X (95), XI (99) y XII (121).

70 COMENTARIO AL SERMON DE LA CENA, por el P. José M. Bover, S. I. 2.ª ed. 1955. VIII + 334 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

71 TRATADO DE LA SANTISIMA EUCARISTIA, por el Dr. D. Gregorio Alastruey. 2.ª ed. 1952. XL + 426 págs., con grabados.—45 pesetas tela, 85 piel.

72 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. Juan de Maldonado, S. I. Tomo II: *Evangelios de San Marcos y San Lucas*. Versión castellana, introducción y notas del P. José Caballero, S. I. 1954. Reimpresión. XVI + 881 págs. en papel biblia.—65 pesetas tela, 105 piel.—Publicado el tomo III y último (112).

73 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo IV:

De sacramentis. De novissimis, por los PP. José A. de Aldama, Francisco de P. Solá, Severino González y José F. Sagüés, S. I. 2.ª ed. 1953. XXIV + 1.110 páginas.—90 pesetas tela, 130 piel.

74 OBRAS COMPLETAS DE SANTA TERESA DE JESUS. Nueva revisión del texto original con notas críticas. Tomo I: *Bibliografía teresiana*, por el P. Otilio del Niño Jesús, O. C. D. *Biografía de Santa Teresa*, por el P. Efrén de la Madre de Dios, O. C. D. *Libro de la Vida*, escrito por la Santa. Edición revisada y preparada por los PP. Efrén de la Madre de Dios y Otilio del Niño Jesús. 1951. XII + 904 págs. en papel biblia.—60 pesetas tela, 100 piel.—Publicado el tomo II (120).

75 ACTAS DE LOS MARTIRES. Edición bilingüe, preparada y anotada por D. Daniel Ruiz Bueno, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1951. VIII + 1.185 págs. en papel biblia.—80 pesetas tela, 120 piel.

76 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo IV y último: *Edad Moderna: La Iglesia en su lucha y relación con el laicismo*, por el P. Francisco Javier Montalbán, S. I. Revisada y completada por los PP. Bernardino Llorca y Ricardo García Villoslada, S. I. 1953. Reimpresión. XII + 85* páginas.—70 pesetas tela, 110 piel.

77 SUMMA THEOLOGICA Sancti Thomae Aquinatis, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. I: *Prima pars*. 1955 Reimpresión. XXIV + 851 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.—Publicados los tomos II (80, III (81), IV (83) y V (87).

78 OBRAS ASCETICAS DE SAN ALFONSO MARIA DE LIGORIO. Tomo I: *Obras dedicadas al pueblo en general*. Edición crítica. Introducción, versión del italiano, notas e índices del P. Andrés Goy, C. SS. R. 1952. XVI + 1.033 págs. en papel biblia.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicado el tomo II y último (113).

79 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo IX: *Los dos libros sobre diversas cuestiones a Simpliciano. De los méritos y del perdón de los pecados. Contra las dos epístolas de los pelagianos. Actas del proceso contra Pelagio.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. Victorino Capánaga y Fr. Gregorio Erce, O. R. S. A. 1952. XII + 790 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.—Publicados los tomos X (95), XI (99) y XII (121).

80 SUMMA THEOLOGICA S. Thomae Aquinatis, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. II: *Prima secundae*. 1952. XX + 848 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicados los tomos III (81), IV (83) y V (87).

81 SUMMA THEOLOGICA Sancti Thomae Aquinatis, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. III: *Secunda secundae*. 1952. XXVIII + 1.230 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicados los tomos IV (83) y V (87).

82 OBRAS COMPLETAS DE SAN ANSELMO. Tomo I: *Monologio. Proslogio. Acerca del gramático. De la verdad. Del libre albedrío. De la caída del demonio. Carta sobre la encarnación del Verbo. Por qué Dios se hizo hombre.* Edición en latín y castellano, con extensa y documentada introducción general, preparada por el P. Julián Alameda, O. S. B. 1952. XVI + 897 páginas.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicado el tomo II y último (100).

83 SUMMA THEOLOGICA Sancti Thomae Aquinatis, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. IV: *Tertia pars*. 1952. XX + 798 págs.—80 pesetas tela, 120 piel.—Publicado el tomo V (87.)

84 LA EVOLUCION HOMOGENEA DEL DOGMA CATOLICO, por el P. Francisco Marín-Sola, O. P. Introducción general del P. Emilio Sauras, O. P. 1952. VIII + 831 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

85 EL CUERPO MISTICO DE CRISTO, por el P. Emilio Sauras, O. P. 1952. VIII + 921 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

86 OBRAS COMPLETAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA. Edición crítica. Transcripción, introducciones y notas de los PP. Cándido de Dalmeses e Ignacio Iparraguirre, S. I. 1952. XVI + 80* + 1.075 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.

87 SUMMA THEOLOGICA Sancti Thomae Aquinatis, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. V: *Supplementum. Indices.* 1952. XX + 652 + 389* págs.—90 pesetas tela, 130 piel.

88 TEXTOS EUCARISTICOS PRIMITIVOS. Edición bilingüe de los contenidos en la Sagrada Escritura y los Santos Padres, preparada por el

P. JESÚS SOLANO, S. I. Tomo I: *Hasta fines del siglo IV.* 1952. XL + 754 págs., con grabados.—75 pesetas tela, 115 piel.—Publicado el tomo II y último (118).

89 OBRAS COMPLETAS DEL BEATO MAESTRO JUAN DE AVILA. Edición crítica. Tomo I: *Epistolario. Escritos menores.* Biografía, introducciones y notas del Dr. D. LUIS SALA BALUST, catedrático de la Pontificia Universidad de Salamanca. 1952. XL + 1.120 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.—Publicado el tomo II (103).

90 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo II: *De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante. De peccatis,* por los PP. JOSÉ M. DALMÁU y JOSÉ F. SAGÜÉS, S. I. 1952. XXIV + 1.023 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicados los tomos III (62) y IV (73).

91 LA EVOLUCION MISTICA, por el P. MTRO. FRAY JUAN G. ARINTERO, O. P. 1952. LXIV + 804 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

92 PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo III: *Theodicea. Ethica,* por los PP. JOSÉ HELLÍN e IRENEO GONZÁLEZ, S. I. 1952. XXIV + 924 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.

93 THEOLOGIAE MORALIS SUMMA, por los PP. F. REGATILLO y M. ZALBA, S. I. Tomo I: *Theologia moralis fundamentalis. Tractatus de virtutibus theologicis,* por el P. MARCELINO ZALBA, S. I. 1952. XXVIII + 965 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicados los tomos II (106) y III y último (117).

94 SUMA CONTRA LOS GENTILES, de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Edición bilingüe, con el texto crítico de la leonina. Tomo I: *Libros I y II: Dios: su existencia y su naturaleza. La creación y las criaturas.* Traducción dirigida y revisada por el P. Fr. JESÚS M. PLA, O. P. Introducciones particulares y notas de los PP. Fr. JESÚS AZAGRA y Fr. MATEO FEBRER, O. P. Introducción general por el P. Fr. JOSÉ M. DE GARGANTA, O. P. 1952. XVI + 712 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicado el tomo II y último (102).

95 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo X: *Homilías.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. AMADOR DEL FUEYO, O. S. A. XII + 943 páginas.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicados los tomos XI (99) y XII (121).

96 OBRAS DE SANTO TOMAS DE VILLANUEVA. *Sermones de la Virgen María* (primera versión al castellano) y *Obras castellanas.* Introducción biográfica, versión y notas del P. Fr. SANTOS SANTAMARTA, O. S. A. 1952. XII + 665 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

97 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de Mons. ANGEL HERRERA ORIA, obispo de Málaga. Tomo I: *Adviento y Navidad: El juicio final. La misión del Precursor. El testimonio de Juan a los judíos. Predicación del Bautista. Presentación y purificación en el templo. El Dulce Nombre de Jesús.* 1953. LXXII + 931 páginas.—75 pesetas tela, 115 piel.—Publicados los tomos II (119), III (123), IV (129), V (133) y VIII (107).

98 PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo I: *Introductio in Philosophiam. Logica. Critica. Metaphysica generalis,* por los PP. LEOVIGILDO SALCEDO y JESÚS ITURRIOZ, S. I. 1953. XXIV + 893 páginas.—80 pesetas tela, 120 piel.—Publicado el tomo III (92).

99 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo XI: *Cartas* (2.º). Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. LOPE CILLERUELO, O. S. A. 1953. VIII + 1.100 págs.—70 pesetas tela, 110 piel. Publicado el tomo XII (121).

100 OBRAS COMPLETAS DE SAN ANSELMO. Tomo II y último: *De la concepción virginal y del pecado original. De la procesión del Espíritu Santo. Cartas dogmáticas. Concordia de la presciencia divina, predestinación y gracia divina con el libre albedrío. Oraciones y meditaciones. Cartas.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. JULIÁN ALAMEDA, O. S. B. 1953. XVI + 804 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

101 CARTAS Y ESCRITOS DE SAN FRANCISCO JAVIER. Unica publicación castellana completa según la edición crítica de "Monumenta Historica Soc. Iesu" (1944-1945), anotadas por el P. FÉLIX ZUBILLAGA, S. I., redactor de "Mon. Hist. Soc. Iesu". 1953. XVI + 578 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

102 SUMA CONTRA LOS GENTILES, de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Edición bilingüe con el texto crítico de la leonina. Tomo II: *Libros III y IV: Dios, fin último y gobernador supremo. Misterios divinos y postrimerías.* Traducción dirigida y revisada por el P. Fr. JESÚS M. PLA, O. P. Introducciones particulares y notas de los PP. Fr. JOSÉ M. MARTÍNEZ y Fr. JESUS M. PLA, O. P. 1953. XVI + 960 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

103 OBRAS COMPLETAS DEL BEATO JUAN DE AVILA. Edición crítica. Tomo II: *Sermones. Pláticas espirituales.* Introducciones y notas del Dr. D. Luis Sala Balust, catedrático de la Pontificia Universidad de Salamanca. 1953. XX + 1.424 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.

104 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo II: *Edad Media: La cristiandad en el mundo europeo y feudal,* por el P. Ricardo García Villoslada, S. I. 1953. XII + 1.006 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.—Publicado el tomo IV (76).

105 CIENCIA MODERNA Y FILOSOFIA. *Introducción físicoquímica y matemática,* por el P. José María Riaza, S. I. 1953. XXXII + 756 páginas, con profusión de grabados y 16 láminas.—75 pesetas tela, 115 piel.

106 THEOLOGIAE MORALIS SUMMA, por los PP. Eduardo F. Regatillo y Marcelino Zalba, S. I. Tomo II: *Theologia moralis specialis: De mandatis Dei et Ecclesiae,* por el P. Marcelino Zalba, S. I. 1953. XX + 1.104 páginas.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicado el tomo III y último (117).

107 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de Mons. Angel Herrera Oria, obispo de Málaga. Tomo VIII: *Pentecostés (4.º) La parábola de los invitados a la boda. La curación del hijo del régulo. El perdón de las ofensas. El tributo al César. Resurrección de la hija de Jairo. Cristo Rey. La última venida de Cristo.* 1953. LXXII + 1.368 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.

108 TEOLOGIA DE SAN JOSE, por el P. Fr. Bonifacio Llamera, O. P., con la *Suma de los dones de San José,* de Fr. Isidoro Isolano, O. P., en edición bilingüe. 1953. XXVIII + 663 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

109 OBRAS SELECTAS DE SAN FRANCISCO DE SALES. Tomo I: *Introducción a la vida devota. Sermones escogidos. Conversaciones espirituales. Alocución al Cabildo catedral de Ginebra.* Edición preparada por el P. Francisco de la Hoz, S. D. B. 1953. XX + 800 págs.—65 pesetas tela, 105 piel. Publicado el tomo II y último (127).

110 OBRAS COMPLETAS DE SAN BERNARDO. Tomo I: *Vida de San Bernardo,* por Pedro Ribadeneira, S. I. *Introducción general. Sermones de tiempo, de santos y varios. Sentencias.* Edición preparada por el P. Gregorio Díez, O. S. B. 1953. XXXVI + 1.188 págs.—70 pesetas tela, 110 piel. Publicado el tomo II y último (130).

111 OBRAS DE SAN LUIS MARIA GRIGNION DE MONTFORT. *Cartas. El amor de la Sabiduría eterna. Carta a los Amigos de la Cruz. El secreto de María. El secreto admirable del Santísimo Rosario. Tratado de la verdadera devoción. Escritos destinados a los misioneros de la Compañía de María y a las Hijas de la Sabiduría. Preparación para la muerte. Cánticos.* Edición preparada por los PP. Nazario Pérez (†) y Camilo María Abad, S. I. 1954. XXVIII + 984 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

112 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. Juan de Maldonado, S. I. Tomo III y último: *Evangelio de San Juan.* Versión castellana, introducción y notas del P. Luis María Jiménez Font, S. I. 1954. VIII + 1.064 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

113 OBRAS ASCETICAS DE SAN ALFONSO MARIA DE LIGORIO. Tomo II y último: *Obras dedicadas al clero en particular.* Edición crítica. Introducciones, versión del italiano, notas e índices del P. Andrés Goy, C. SS. R. 1954. XXIV + 941 páginas en papel biblia.—75 pesetas tela, 115 piel.

114 TEOLOGIA DE LA PERFECCION CRISTIANA, por el P. Antonio Royo Marín, O. P. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Dr. Fr. Albino G. Menéndez-Reigada, obispo de Córdoba. 1954. XXXII + 984 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

115 SAN BENITO. *Su vida y su Regla,* por los PP. García M. Colombás, León M. Sansegundo y Odilón M. Cunill, monjes de Montserrat. 1954. XX + 760 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

116 PADRES APOLOGISTAS GRIEGOS (s. II). Edición bilingüe, preparada por D. Daniel Ruiz Bueno, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1954. VIII + 1.006 págs. en papel biblia.—80 pesetas tela, 120 piel.

117 THEOLOGIAE MORALIS SUMMA, por los PP. Eduardo F. Regatillo y Marcelino Zalba, S. I. Tomo III y último: *Theologia moralis specialis: De sacramentis. De delictis et poenis,* por el P. Eduardo F. Regatillo, S. I. 1954. XVI + 1.000 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.

118 TEXTOS EUCARISTICOS PRIMITIVOS. Edición bilingüe de los contenidos en la Sagrada Escritura y los Santos Padres, preparada por

el P. JESÚS SOLANO, S. I. Tomo II y último: *Hasta el fin de la época patrística.* 1954. XX + 1.012 págs., con grabados.—85 pesetas tela, 125 piel.

119 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de Mons. ANGEL HERRERA ORIA, obispo de Málaga. Tomo II: *Epifanía a Cuaresma: La Sagrada Familia. El milagro de las bodas de Caná. La curación del leproso y la fe del centurión. Jesús calma la tempestad. La cizaña en medio del trigo. Parábola del grano de mostaza y de la levadura. Los obreros enviados a la viña. La parábola del sembrador. El anuncio de la pasión y el ciego de Jericó.* 1954. XL + 1.275 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.—Publicados los tomos III (123, IV (129), V (133) y VIII (107).

120 OBRAS COMPLETAS DE SANTA TERESA DE JESUS. Nueva revisión del texto original con notas críticas. Tomo II: *Camino de perfección. Moradas del castillo interior. Cuentas de conciencia. Apuntaciones. Meditaciones sobre los Cantares. Exclamaciones. Libro de las Fundaciones. Constituciones. Visita de Descalzas. Avisos. Desafío espiritual. Vejamen. Poesías. Ordenanzas de una cofradía.* Edición preparada y revisada por el P. EFRÉN DE LA MADRE DE DIOS, O. C. D. 1954. XX + 1.046 págs. en papel biblia.—80 pesetas tela, 120 piel.

121 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo XII: *Del bien del matrimonio. Sobre la santa virginidad. Del bien de la viudez. De la continencia. Sobre la paciencia. El combate cristiano. Sobre la mentira. Contra la mentira. Del trabajo de los monjes. El sermón de la montaña.* Texto en latín y castellano. Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. FÉLIX GARCÍA, Fr. LOPE CILLERUELO y Fr. RAMIRO FLÓREZ, O. S. A. 1954. XVI + 995 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

122 SUMA TEOLOGICA de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Tomo V: *Tratado de los hábitos y virtudes en general,* en latín y castellano; versión, introducciones y apéndices del P. Fr. TEÓFILO URDÁNOZ, O. P. *Tratado de los vicios y pecados,* en latín y castellano; versión del P. Fr. CÁNDIDO ANÍZ, O. P., e introducciones y apéndices del P. Fr. PEDRO LUMBRERAS, O. P. 1954. XX + 975 páginas.—75 pesetas tela, 115 piel. Publicados los tomos X (134) y XII (131).

123 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de MONS. ANGEL HERRERA ORIA, obispo de Málaga. Tomo III: *Cuaresma y tiempo de Pasión: Las tentaciones de Jesús en el desierto. La transfiguración. Curación del endemoniado ciego y mudo. La multiplicación de los panes. Los fariseos acusan a Cristo. La entrada en Jerusalén.* 1954. XXXII + 1.210 págs.—75 pesetas tela, 115 piel. Publicados los tomos IV (129), V (133) y VIII (107).

124 SINOPSIS CONCORDADA DE LOS CUATRO EVANGELIOS. Nueva versión del original griego, con notas críticas, por el P. JUAN LEAL, S. I. 1954. XX + 353 págs.—55 pesetas tela, 95 piel.

125 LA TUMBA DE SAN PEDRO Y LAS CATACUMBAS ROMANAS, por los Dres. ENGELBERTO KIRSCHBAUM, EDUARDO JUNYENT y JOSÉ VIVES. XVI + 616 págs., con 127 láminas.—90 pesetas tela, 130 piel.

126 SUMA TEOLOGICA de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Tomo IV: *Tratado de la bienaventuranza y de los actos humanos,* en latín y castellano; versión e introducciones del P. Fr. TEÓFILO URDÁNOZ, O. P. *Tratado de las pasiones* en latín y castellano; versión e instroducciones de los PP. Fr. MANUEL UBEDA y Fr. FERNANDO SORIA, O. P. 1954. XX + 1.032 págs.—80 pesetas tela, 120 piel. Publicados los tomos V (122), X (134) y XII (131).

127 OBRAS SELECTAS DE SAN FRANCISCO DE SALES. Tomo II y último: *Tratado del amor de Dios. Constituciones y Directorio espiritual. Fragmentos del epistolario. Ramillete de cartas enteras.* Edición preparada por el P. FRANCISCO DE LA HOZ, S. D. B. 1954. XXIV + 982 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

128 DOCTRINA PONTIFICIA. Tomo IV: *Documentos marianos,* por el P. HILARIO MARÍN, S. I. 1954. XXXII + 892 págs.—80 pesetas tela, 120 piel

129 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de Mons. ANGEL HERRERA ORIA, obispo de Malaga. Tomo IV: *Ciclo pascual: La resurrección del Señor. "¡Señor mío y Dios mío!" El Buen Pastor. "Vuestra tristeza se volverá en gozo". La promesa del Paráclito. "Pedid y recibiréis". Persecución y martirio.* 1954. XXIV + 1.275 págs.—85 pesetas tela. 125 piel.—Publicados los tomos V (133) y VIII (107).

130 OBRAS COMPLETAS DE SAN BERNARDO. Tomo II y último: *Sermones sobre el Cantar de los Cantares. Sobre la consideración. De las costumbres y oficios de los obispos. Sobre la conversión. Del amor de Dios. Del precepto y de la dispensa. Apología. De la excelencia de la Nueva Milicia*

De los grados de la humildad y de la soberbia. De la gracia y del libre albedrío. Sobre algunas cuestiones propuestas por Hugo de San Víctor. Contra los errores de Pedro Abelardo. Vida de San Malaquías. Cartas. Edición preparada por el P. GREGORIO DÍEZ, O. S. B. 1955. XVI + 1.260 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.

131 SUMA TEOLOGICA de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Tomo XII: *Tratado de la vida de Cristo*, en latín y castellano. Versión e introducciones del P. ALBERTO COLUNGA, O. P. 1955. XVI + 684 págs.—70 pesetas tela, 110 piel

132 HISTORIA DE LA LITURGIA, por Mons. MARIO RIGHETTI, abad mitrado de la Pontificia Colegiata de Nuestra Señora del Remedio (Génova). Tomo I: *Introducción general. El año litúrgico. El Breviario.* Edición preparada por D. CORNELIO URTASUN, Prof. de Liturgia en el Seminario Metropolitano de Valencia. 1955. XX + 1.343 págs. en papel biblia, con grabados.—95 pesetas tela, 135 piel.

133 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de Mons. ANGEL HERRERA ORIA, obispo de Málaga. Tomo V: *Pentecostés* (1.º): *La venida del Espíritu Santo. La Santísima Trinidad. "Sed misericordiosos". La gran cena. La oveja perdida. La pesca milagrosa.* 1955. XXIV + 1.100 págs.—80 pesetas tela, 120 piel.

134 SUMA TEOLOGICA de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Edición bilingüe. Tomo X: *Tratado sobre la templanza.* Versión e introducciones del P. Fr. CÁNDIDO ANIZ, O. P. *Tratado sobre la profecía.* Versión e introducciones del P. Fr. ALBERTO COLUNGA, O. P. *Tratado de los distintos géneros de vida y estados de perfección.* Versión del P. Fr. JESÚS GARCÍA ALVAREZ, O. P., e introducciones del P. Fr. ANTONIO ROYO MARÍN, O. P. 1955. XX + 887 págs.—75 pesetas tela, 115 piel. Publicado el tomo XII (131).

135 BIOGRAFIA Y ESCRITOS DE SAN JUAN BOSCO. *Memorias del Oratorio. Ideario pedagógico. Ascética al alcance de todos. Extractos de artículos y discursos. Vidas de Domingo Savio y Miguel Magone. Epistolario.* Edición preparada por el P. RODOLFO FIERRO, S. D. B. 1955. XXIV + 890 páginas.—75 pesetas tela, 115 piel.

136 DOCTRINA PONTIFICIA. Tomo I: *Documentos bíblicos*, por SALVADOR MUÑOZ IGLESIAS. Prólogo del Excmo. y Rvdmo. Dr. D. Leopoldo Eijo Garay, patriarca de las Indias Occidentales y obispo de Madrid-Alcalá. 1955. XXXII + 705 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.—Publicado el tomo IV (128).

137 PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo II: *Cosmologia, Psychologia speculativa*, por los PP. JOSÉ HELLÍN y FERNANDO M. PALMÉS, S. I. 1955. XX + 845 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.—Publicado el tomo III y último (92).

DE PROXIMA APARICION Y EN PREPARACION

OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo XIII.
LA PALABRA DE CRISTO. Tomo VI.
OBRAS COMPLETAS DEL BEATO JUAN DE AVILA. Tomo III y último.
OBRAS COMPLETAS DE SANTA TERESA. Tomo III y último.
OBRAS SELECTAS DE SAN JUAN CRISOSTOMO: *Homilías sobre San Mateo.*
HISTORIA DE LA IGLESIA. Tomo III. (Aparecidos ya el I, el II y el IV y último.)

Este catálogo comprende la relación de obras publicadas hasta el mes de julio de 1955.


La B. A. C. viene publicando, al menos, doce volúmenes nuevos cada año.

Al hacer su pedido haga siempre referencia al número que la obra solicitada tiene, según este catálogo, en la serie de la Biblioteca de Autores Cristianos

Dirija sus pedidos a LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. Alfonso XI, 4, Madrid.

misprint
p. 3417
688, l. 3


SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.




SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.